J M

RUM,

SEIL,

CUM VITEBERGENSI

PARISIENSIS SODALIS.

XVIII.

NUM

ET FILIUM.

CORPUS REFORMATORUM

POST

CAROL. GOTTL. BRETSCHNEIDERUM,

PHILOS. ET THEOL. DOCTOREM ETC.

EDIDIT

HENRICUS ERNESTUS BINDSEIL,

PHILOS. DOCTOR,

BIBLIOTHECAE REGIAE ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE PRAEFECTUS SECUNDARIUS,

SOCIETATIS GERMANICAE ORIENTALIS ET INSTITUTI AFRICANI PARISIENSIS SODALIS.

VOLUMEN XVIII.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN SLESVICENS.)

1852.

PHILIPPI MELANTHONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

POST

CAROL. GOTTL. BRETSCHNEIDERUM

EDIDIT

HENRICUS ERNESTUS BINDSEIL.

VOLUMEN XVIII.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN SLESVICENS.)

1852.

VOLUMEN XVIII.

LIBRI PHILIPPI MELANTHONIS

IN QUIBUS AUCTORES CLASSICOS AUT ENARRAVIT AUT INTERPRETATUS EST.

(CONTINUATIO.)

Q.

INTERPRETATIO LATINA OPERIS PTOLEMAEI.

R.

INTERPRETATIO LATINA ET ENARRATIO OPERUM HOMERI.

S.

ENARRATIO ET INTERPRETATIO LATINA OPERIS HESIODI.

T.

INTERPRETATIO LATINA DUORUM LOCORUM EX SOPHOCLE.

U.

INTERPRETATIO LATINA DUODEVIGINTI TRAGOEDIARUM EURIPIDIS.

V.

ARGUMENTUM ET SCHOLIA IN ARISTOPHANIS COMOEDIAM.

W.

INTERPRETATIO LATINA DUORUM LOCORUM MENANDRI.

X.

INTERPRETATIO LATINA IDYLLII THEOCRITI.

LIBRI
PHILIPPI MELANTHONIS
IN QUIBUS AUCTORES CLASSICOS AUT ENARRAVIT AUT INTERPRETATUS EST.

(CONTINUATIO.)

XLVII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO OPERIS QUADRIPARTITI CLAUDII PTOLEMAEI DE PRAEDICTIONIBUS ASTRONOMICIS.

Claudius Ptolemaeus, Aegyptius, Pelusiensis, qui sub M. Aurelio Antonino floruit et observationes astronomicas instituit Alexandriae, unde et Alexandrinus a quibusdam appellatur, multos scripsit libros geographici, mathematici aliusque argumenti*), ex quibus h. l. duos tantummodo recensemus, quorum alterum Melanthon ipse edidit et interpretatus est, alterum ab alio editum et enarratum additis ipsius carminibus auxit.

*Μεγάλη σύνταξις τῆς ἀστρονομίας***), *Magna constructio* sive, ut Arabes vocant, *Almagestum*, continet demonstrationes de motibus siderum et universae sphaerae coelestis ratione, post observationes Aristylli, Timocharidis, Metonis, Euctemonis ac praecipue Hipparchi ***). Hoc opus graece cum *Theonis*, Alexandrini, qui sub Theodosio seniore imperatore vixit, commentariis prodiit *Basileae* 1538. sic inscriptum:

> *ΚΛ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΜΕΓΑΛΗΣ ΣΥΝΤΑΞΕΩΣ ΒΙΒΛ. ΙΓ ΘΕΩΝΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ ʼΕΙΣ ΤΑ ʼΑΥΤΑ ʽΥΠΟΜΝΗΜΑΤΩΝ ΒΙΒΛ. ΙΑ*
>
> *Claudii Ptolemaei Magnae Constructionis, Id est Perfectae coelestium motuum pertractationis lib. XIII. Theonis Alexandrini in eosdem Commentariorum lib. XI. Basileae apud Ioannem Walderum, An. M. D. XXXVIII.* — (In fine:) *Ἐτυπώθη ἐν Βασιλείᾳ, ἀναλώμασι καὶ ἐπιμελείᾳ Ἰωάννου Βαλδέρου, ἔτει τῷ ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, χιλιοστῷ πεντακοσιοστῷ τριακοστῷ ὀγδόῳ, Μαιμακτηριῶνος πρώτῃ.* Fol. (7 foll. non num.: Simonis Grynaei praefatio ad Henricum VIII. Anglorum regem; 327 pagg. Ptolemaei opus; 1 pag. vac. Sequitur Theonis opus cum hoc proprio Indice:
>
> *ΘΕΩΝΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ ʼΕΙΣ ΤΗΝ ΤΟΥ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΜΕΓΑΛΗΝ ΣΥΝΤΑΞΙΝ ʽΥΠΟΜΝΗΜΑΤΩΝ ΒΙΒΛ. ΙΑ.*
>
> *Theonis Alexandrini in Claudii Ptolemaei Magnam Constructionem Commentariorum lib. XI. Basileae apud Ioannem Walderum.* (3 foll. non num., quorum ult. pag. vac.: Ioachimi Camerarii, horum commentariorum editoris, epistola nuncupatoria ad Amplissimum Senatorum Ordinem Reipublicae Norimbergensis; 425 pagg. Theonis commentarii, in quorum fine Clausula typogr. supra memorata legitur; ult. pag. vac.) †).

Huius operis Ptolemaei librum primum graece cum versione sua et commentariis *Erasmus Reinhold*, Salfeldensis, separatim edidit sic inscriptum:

> *Ptolemaei Mathematicae constructionis Liber primus graece et latine editus. Additae explicationes aliquot locorum ab Erasmo Rheinholt Salueldensi.* (Haec sequitur Lufftii typogr. insigne, ad-

---

*) Huius auctoris operum catalogus integer invenitur in Fabricii bibliotheca graeca. Ed. 3. cur. Harles. Vol. V. p. 272 sqq., Schweigeri Handb. d. class. Bibliogr. T. I. p. 278 sqq., Hoffmanni Lex. bibliogr. T. III. p. 487 sqq.

**) Suidas s. v. *Πτολεμαῖος* hunc librum appellat: *Μέγας Ἀστρονόμος, ἤτοι Σύνταξις.*

***) Vide Fabricium l. l. p. 280.

†) Latine hoc Ptolemaei opus reddidit *Georgius Trapezuntius*, sed parum accurate. Haec versio prodiit Venetiis 1515. et 1528. Fol. et cum aliis Ptolemaei, Basileae 1541. Fol., et castigata ab *Erasmo Oswaldo Schreckenfuchsio* cum aliis Ptolemaei operibus Basileae 1551. Fol., Tubingae 1551. Fol., Parisiis 1556. 8. Editt. Venet. 1515., 1528. et Basil. 1551. Hoffmannus in Lex. bibliogr. Vol. III. p. 491. 502 sq. accuratius descripsit; Editt. Venet. 1515., Basil. 1541., Tubing. 1551., Paris. 1556. Fabricius l. l. p. 282 sq. affert; editionem Venet. 1525. ibidem memoratam errorem typothetae esse Hoffmannus l. l. p. 502. affirmat.

scriptis utrinque litteris l. L.) ***Wittebergae Ex Officina Iohannis Lufft. Anno* 1549. 8. 16½** plagg. litt. graecis *A—P* sign. 8 foll. non num., 123 foll. num., 1 fol. non num. (fol. *A* 1ᵇ Philippi Melanthonis novem disticha graeca; fol. *A* 2—8 Erasmi Rheinholt Saluendensis epistola nuncupatoria ad Christophorum Carolovicium a. 1549. in Paschate scripta; fol. 1ᵃ—42ᵃ *Κλαυδίου Πτολεμαίου μαθηματικῆς συντάξεως βιβλίον πρῶτον* cum 9 scholl. graecis margin., fol. 42ᵇ Elenchus graecus eorum, quae in hoc libro I. Ptolemaei continentur; fol. 43ᵃ *Σφάλματα* seu corrigenda novem; fol. 43ᵇ vac.; fol. 44ᵃ continet hunc proprium interpretationis indicem: ***Primus Liber Magnae Constructionis Ptolemaei***; fol. 44ᵇ Tetrastichon graecum Ptolemaei nomine inscriptum; fol. 45ᵃ—123ᵃ Interpretatio libri I. Ptolem., interpositis et ipsius interpretis scholiis et multis ex Theonis commentario versis, praeterea multis annotationibus brevibus in margine adscriptis; fol. 123ᵃ in huius interpretationis calce pauca adiecit „Ad Lectorem studiosum", promittens, se in proxima editione hanc institutam explicationem suam rudiorem perpolitturum et adiuncturum reliqua ex Theone, quae ad Ptolemaei sententiam penitus intelligendam aliquid momenti afferant; fol. 123ᵇ Melanthonis octo disticha latina; ult. fol. non num. facie 1. cont. 21 Errata; facie 2. vac.). Hic liber in Biblioth. acad. Halensi asservatur.

Huius libri edendi Melanthon mentionem facit in epistolis ad Fabricium d. Febr. 1549. et d. 10. Maii, ad Stigelium d. 31. Mart. et 18. Iun. et ad Camerarium d. 15. Maii eiusdem anni *), eumque amicis mittit. Unde fortasse aliquis coniiciat, Melanthonem ipsum huius libri interpretem esse et Reinholdium sola scholia adiecisse; at eundem etiam interpretationis esse auctorem, ex hoc loco epistolae nuncupatoriae Reinholdii intelligitur: „Itaque quod faustum et felix sit studiis publicis, inchoavi editionem optimi operis Ptolemaei, in quo doctrina de motibus coelestibus universa ex primis fundamentis extructa est. Ac nunc edidi primum librum, ut haec initia fiant familiaria discentibus, quae aditum ad reliquos libros faciunt. Utilissimum autem esse deduci iuventutem ad hos doctrinae fontes, non dubium est. Et quia iuniores nondum adsuefacti sunt ad graecam lectionem, addidi et latinam interpretationem qualemcunque, de qua veniam ab eruditis peto, ac opto, ut aliqui publicae utilitatis causa integram aliquando et luculentam interpretationem Ptolemaei edant. Illustravi et scholiis aliquot obscura membra, ut discentes adiuvarem. Totum hunc laborem spero et Deo gratum esse, et probaturos esse omnes sapientes."

Melanthon huic libro, ut ex illa descriptione apparet, duo carmina addidit, vel potius tria, tetrastichon enim Ptolemaei nomine inscriptum, quod sine auctoris nomine interpretationi praefixum est, itidem a Melanthone esse adscriptum, mihi est verosimillimum. — Horum carminum primum a verbis *Οὐχὶ ἄτερ βουλῆς* incipiens, recusum est in Melanthonis Epigrammatis a Petro Vincentio editis (Witebergae 1563. 8.) fol. S 3ᵃ et inter eiusdem epistolas in huius Corp. Reform. Vol. VII. p. 405., quorum verba autem ab illo carmine, quod in Reinholdii libro legitur, his locis discrepant: versu 1. Corp. et Vinc. recte *τυφλῇ*, Reinh. *τυφλῆ* — eod. v. Reinh. et Vinc. *αἰθέρος*; Corp. *αἰθέριος* — v. 2. Reinh. et Corp. recte *κόσμου*; Vinc. *κόσμον* — v. 6. Reinh. et Vinc. recte *ἠδὲ*; Corp. *ἧδε* — v. 9. Reinh. et Vinc. *ὡς σκηνὴν*; Corp. *σκηνὴν* (om. *ὡς*) — v. 16. Reinh. et Vinc. recte *ἔδειξε*; Corp. *ἔδρειξε* — v. 17. Reinh. et Vinc. *ἧδε*; Corp. *ἥ δὲ* — v. 18. Reinh. et Corp. recte *μελέτη*; Vinc. *μελέτι*.

Tetrastichon graecum, cuius modo mentionem feci, hoc est:

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ.

Οἶδ' ὅτι θνητὸς ἔφην, καὶ ἐφάμερος, ἀλλ' ὅτ' ἂν ἄστρων
ἰχνεύω κατὰ νοῦν ἀμφιδρόμους ἕλικας,
οὐκέτ' ἐπιψαύω γαίης ποσὶν, ἀλλὰ παρ' αὐτῷ
Ζηνὶ διοτρεφέος πίμπλαμαι ἀμβροσίης.

Hoc in Epigrammatum Mel. collectionibus non inveni.

Tertium carmen latinum, quod in illius libri calce exstat, a verbis „Non ferri casu pulcherrima corpora mundi" incipiens, reperitur etiam in Mel. Epigrammatis a Grathusio collectis (Witebergae 1560. 8.) fol. F 7ᵇ, apud Vincentium l. l. fol. F 8ᵇ—G 1ᵃ et in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 578. nr. 193., his verbis inscriptum: De motu astrorum in Theoricas Planetarum. Hoc, Vincentio teste, a Melanthone iam a. 1542. compositum est. Quatuor autem libri, qui hoc carmen continent, his locis inter se differunt: v. 6. Reinh., Grath., Vinc. *tempestive*; Corp. *tempestivo* — v. 10. Reinh., Vinc. et Corp. *iuvant*; Grath. *iuvat* — v. 15. Reinh. *exiget*; Grath., Vinc. et Corp. *exigit*.

Alterum Ptolemaei opus hic inprimis memorandum, est *Τετράβιβλος σύνταξις μαθηματική*, ***Quadripartitum opus** sive quatuor libri de apotelesmatibus et iudiciis astrorum, ad Syrum*. Hoc graece primum ***Ioachimus Camerarius*** cum versione sua duorum priorum librorum et praecipuorum e reliquis locorum una cum Ptolemaei *Κάρπῳ* s. ***Centiloquio***, i. e. centum aphorismos astrologicos complectente, a. 1535. edidit atque sic inscripsit:

*) Vide huius Corp. Reform. Vol. VII. p. 344. nr. 4499.; p. 403. nr. 4530.; p. 357. nr. 4509., p. 417 sq. nr. 4547.; p. 406. nr. 4533.

Hoc in libro nunquam ante typis aeneis in lucem edita haec insunt.

ΚΛΑΥΔΙΟΥ πτολεμαίου πηλουσιέως τετράβιβλος σύνταξις, πρὸς Σύρον ἀδελφόν. ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ καρπὸς, πρὸς τὸν αὐτὸν Σύρον.

Claudij Ptolemaei Pelusiensis libri quatuor compositi Syro fratri. Eiusdem fructus librorum suorum, siue Centum dicta, ad eundem Syrum. Traductio in linguam Latinam librorum Ptolemaei duum (sic) *priorum et ex alijs praecipuorum aliquot locorum, Ioachimi Camerarij Pabergensis. Conuersio Centum dictorum Ptolemaei in Latinum Iouiani Pontani. Annotatiunculae eiusdem Ioachimi ad libros priores duos iudiciorum Ptol. Matthaei Guarimberti Parmensis opusculum de radijs et aspectibus planetarum. Aphorismi Astrologici Ludouici de Rigijs ad patriarcham Constantinopolitanum. Norimbergae. M. D. XXXV.* — (In fine:) *Norimbergae apud Ioannem Petreium. Anno M. D. XXXV.* 4. 44½ plagg., quarum primae 1½ non sign., 15 seqq. litt. gr. *α—ν, ο, π*, 28 seqq. litt. lat. a—y, aa—ff sign. sunt; 6 foll. non num., 59 foll. num., 1 fol. alb., 3 foll. non num., 1 fol. alb., 84 foll. num., 24 foll. non num. (fol. 1[b] Camerarii epigramma graecum [9 disticha] *εἰς τὴν δ' βιβλον σύνταξιν Κλαυδίου πτολεμαίου*; fol. 2[a]—5[a] Camerarii epistola nuncupatoria ad Albertum Marchionem Brandenburgensem, e Norico Cal. Sext. 1535. scripta; fol. 5[b]—6[b] Tabulae tres astronom. graecae; fol. 1[a]—55[a] *Κλαυδίου Πτολεμαίου μαθηματικὴ τετράβιβλος σύνταξις* graece; fol. 55[b]—59[b] *Κλαυδίου Πτολεμαίου βιβλίον ὁ καρπός* graece; seq. fol. album. Haec sequitur interpretatio latina hoc proprio titulo ornata:

Cl. Ptolemaei Librorum de Iudiciis Astrologicis quatuor, duo priores conuersi in linguam Latinam à Ioachimo Camerario Pabergense. Annotatiunculae in eosdem. Aliquot loci translati de tertio et quarto libro Ptolemaei, per eundem Camerarium. Haec tituli verba sequitur Camerarii epigramma lat. [9 disticha]. Seqq. 2 foll. non num. cont. Camerarii epistolam nuncupat. ad Io. Wilhelmum a Loubenburg Dominum ac Praesidem arcis Waldegk, Cal. August. 1535. scriptam; seq. fol. album; seqq. foll. num. 1—32 Camerarii versio lat. duorum priorum librorum operis mathem. Ptolemaei de iudiciis, et duorum locorum tertii libri, scil. *de genesis figura constituenda*, et *de comperienda parte horoscopi*, atque duorum locorum quarti, nempe: *de fortuna honorum et dignitatis*, et *de temporibus distinguendis*. fol. 33[a]—37[a] Ioviani Pontani versio lat. Centum dictorum Ptolemaei (conf. infra p. 9 sq. notam †)); fol. 37[b]—40[a] Corrigenda in praeced. textu graeco Operis Ptolem. de iudiciis; fol. 40[b]—43[b] Annotatiunculae Camerarii in conuersos a se duos libros priores Iudiciorum Ptolemaei; fol. 44—71. Matth. Guarimberti Parmensis de radiis et aspectibus Planetarum; fol. 72[a]—84[a] Aphorismi astrologici Ludovici de Rigiis ad patriarcham Constantinopolitanum; fol. 84[b] vac.; seqq. 24 foll. non num. continent integram versionem latinam duorum librorum posteriorum Operis Ptolemaei de iudiciis, ex vetere translatione desumtam *). — Ult. pag. vac.). Hic liber, quem ex Biblioth. acad. et senat. Lips. in

*) Huic veteri translationi duorum librorum posteriorum praemissa est haec praemonitio ad Lectorem: „Hosce duos posteriores libros, cum Camerarius priores tantum vertendos susceperit, ex vetere translatione hic adiicere voluimus Lector, quum propter eos, qui in Graecis nondum sine cortice nare didicerunt, ne de opere imperfecto conqueri possint, tum vero etiam propter eos, quibus videre lubet, quid intersit inter doctum interpretem, autorem e sua lingua vertentem, et inter barbarum, e barbara lingua, hoc est, Arabica, transferentem. In quorum gratiam etiam eos locos, quos Camerarius ex iisdem transtulit, in margine notavimus. Porro vetus translatio, qualis qualis est, rem ipsam, de qua agitur, cum doceat, non est cur eam abiiciamus, nulla dum elegantiore extante." — Haec vetus interpretatio *Aegidii Tebaldini* esse videtur, quoniam cum illa Firmici Materni Astronomicis illico laudandis adiuncta omnino congruit. Exstant enim *duae multo antiquiores τοῦ τετραβίβλου Ptolem. interpretationes latinae*, quarum altera sic est inscripta:

Liber Quadripartiti Ptolomaei id est quattuor tractatuum: in radicanti discretione per stellas de futuris et in hoc mundo constructionis et destructionis contingentibus cuius in primo tractatu sunt 24. capitula. incipit. — (In fine:) *Liber Ptholomei quattuor tractatuum: cum centiloquio eiusdem Ptholomei: et commento Haly: feliciter finit. Impressum in Uenetiis per Erhardum ratdolt de Augusta. Die 15. mensis Ianuarii.* 1484. 4. (vid. Hoffmanni Lex. bibliogr. T. III. p. 503 sq.).

Altera *Aegidii Tebaldini* versio, qua interpres versionem potissimum hispanicam iussu Alphonsi, Castellae regis, ex arabico idiomate adornatam, exprimere studebat, adeo barbara, ut vix latina dici mereatur, sic est inscripta:

Liber quadripartiti Ptholomei. — Centiloquium eiusdem. — Centiloquium hermetis. — Eiusdem de stellis beibenijs. — Centiloquium bethem. et de horis planetarum. — Eiusdem de significatione triplicitatum ortus. — Centum quinquaginta propositiones Almansoris. — Zabel de interrogationibus. — Eiusdem de electionibus. — Eiusdem de temporum significationibus in iudicijs. — Messahallach de receptionibus planetarum. — Eiusdem de interrogationibus. — Epistola eiusdem cum duodecim capitulis. — Eiusdem de reuolutionibus annorum mundi. — (In fine p. 152[a]:) *Uenetijs per Bonetum locatellum: impensis nobilis viri Octauiani scoti ciuis Modoetiensis. M. CCCC. LXXXXIII. 1m. Kalendas Ianuarias.* Infra insigne typogr. est. Fol. (2 foll. non num. praefixa, 152 foll. num.) vid. Hoffmann. l. l. p. 504.

Alia editio sic inscripta:

Quadripartitum Ptolemaei. — Centiloquium eiusdem. — Centiloquium Hermetis. — Centiloquium Bethen etc. *Venetiis sumtibus haeredum Octaviani Scoti et Sociorum MDXIX.* Fol. (vide Hoffmann. l. l.)

manibus teneo, brevius describitur etiam in l. Die Merckwürdigkeiten der Königl. Biblioth. zu Dresden Tom. III. p. 151., in Freytagii Adparatu litterar. Tom. III. p. 721 sqq. et in Hoffmanni Lex. bibliogr. Tom. III. p. 489.

Camerarii versio latina duorum priorum Ptolemaei librorum recusa est in his libris:

1. *Cl. Ptolemaei Pelusiensis Mathematici Operis Quadripartiti, in latinum sermonem traductio: Adiectis libris posterioribus, Antonio Gogava Graviens. interprete. Ad Clarissimum Principem Maximilianum Comitem Burens. Item, De Sectione Conica, Orthogona, quae parabola dicitur: Deque Speculo Vstorio, Libelli duo, hactenus desiderati: restituti ab Antonio Gogava Graviensi. Cum praefatione D. Gemmae Frisii, Medici et Mathematici clariss. Lovanii Apud Petrum Phalesium, ac Martinum Rotarium, Anno M. D. XLVIII. Mense Octobri.* 4. 19 plagg.. ult. pag. vac. Hic liber in Biblioth. acad. Halensi est.

Haec editio repetita est *Pragae* a. 1610. 12. et *Patavii* 1658. 12. vid. Hoffmanni Lex. bibliogr. Tom. III. p. 504.

2. *Claudii Ptolemaei Pelusiensis Alexandrini omnia quae extant opera, praeter Geographiam, quam non dissimili forma nuperrime addidimus: summa cura et diligentia castigata ab Erasmo Oswaldo Schrekhenfuchsio, et ab eodem Isagogica in Almagestum praefatione, et fidelissimis in priores libros annotationibus illustrata, quemadmodum sequens pagina catalogo indicat. Basileae.* — (In fine:) *Basileae, in officina Henrichi Petri, Mense Martio, Anno M. D. LI.* Fol. (4 foll. non num., 447 pagg., in quibus inveniuntur etiam *de iudiciis astrologicis, aut, ut vulgo vocant, quadripartitae constructionis libri quatuor,* quorum priores duo a Ioach. Camerario latinitate donati sunt; in reliquis Schreckenfuchsius emendavit multa ad veterum exemplarium veritatem; adiecit etiam in loco graecas vocuias et aliquando totas sententias, quo lectio fieret correctior et expeditior.).

3. *Hieronymi Cardani Mediolanensis Medici et Philosophi praestantissimi, in Cl. Ptolemaei Pelusiensis IIII de Astrorum Iudicijs, aut, ut uulgo uocant, Quadripartitae Constructionis, libros commentaria, quae non solum Astronomis et Astrologis, sed etiam omnibus philosophiae studiosis plurimum adiumenti adferre poterunt. Nunc primum in lucem aedita. Praeterea, Eiusdem Hier. Cardani Geniturarum XII, et auditu mirabilia et notatu digna, et ad hanc scientiam recte exercendam obseruatu utilia, exempla. Atque alia multa, quae interrogantibus et electionibus praeclare seruiunt, uanaque a ueris recte secernunt. Ac denique Eclipseos, quam gravissima pestis subsecuta est, exemplum. Basileae.* — (In fine:) *Excudebat Basileae Henrichus Petri Mense Martio, Anno MDLIIII.* Fol. (10 foll. praefixa, 513 pagg. et 1 fol.) *).

Haec editio recusa est *Lugduni* 1555. 8.

Alia editio prodiit sub hoc titulo:

Hieronymi Cardani in Cl. Ptolemaei de Astrorum Iudiciis, aut (ut vulgo appellant) Quadripartitae Constructionis Lib. IIII. Commentaria, ab Autore postremum castigata, et locupletata.

---

repetitio esse dicitur editionis a. 1493., cuius maxima pars recusa invenitur etiam in hocce libro:

Iulii Firmici Materni Iunioris Siculi V. C. ad Mavortium Lollianum Astronomicōn Lib. VIII. per Nicolaum Prucknerum Astrologum nuper ab innumeris mendis uindicati. — His accesserunt: Claudii Ptolemaei Pheludiensis (sic) *Alexandrini ἀποτελεσμάτων, quod Quadripartitum uocant, Lib. IIII De inerrantium stellarum significationibus Lib. I Centiloquium eiusdem. — Ex Arabibus et Chaldaeis: Hermetis uetustissimi Astrologi centum Aphoris. Lib. I Bethem Centiloquium. Eiusdem de Horis Planetarum Liber alius. Almansoris Astrologi propositiones ad Saracenorum regem. Zahelis Arabis de Electionibus Lib. I Messahalah de ratione Circuli et Stellarum, et qualiter in hoc seculo operentur, Lib. I Omar de Natiuitatibus Lib. III Marci Manilii Poëtae disertissimi Astronomicōn Lib. V Postremo, Othonis Brunfelsii de diffinitionibus* (sic) *et terminis Astrologiae libellus isagogicus. Basileae ex officina Ioannis Hervagii, Mense Martio, Anno M. D. XXXIII.* — (In fine:) *Basileae per Ioannem Hervagium Mense Martio, Anno M. D. XXXIII.* Fol. (8 foll. non num., 244 et 143 pagg., $44^1/_2$ foll. non num.) (In Biblioth. acad. Halensi.).

Alia huius libri editio, quae item *Basileae per Io. Hervagium* 1551. Fol. prodiit, ab Hoffmanno Lex. bibliogr. Tom. III. p. 504. memoratur.

De illis duabus versionibus antiquioribus huius operis Ptolemaei *Antonius Gogava* in epistola nuncupatoria ipsius interpretationi illico laudandae praemissa hoc facit iudicium: „Auxit difficultatem (scil. huius operis Ptolemaei transferendi), quod ad aliorum translationes confugere integrum nobis non fuit, cum eae nullae sint praeter duas, non ex Graecorum fontibus, sed lacunis Arabum ad nos deductas, foedas sane illas et ineptas, ut reprehensione et crimine carere tempora nostra vix possent, si renatis artibus ac litteris oblini nos faecibus et barbarie ista pateremur. Nec vero dictionis tantum horrore et putiditate quemvis potius, quam Ptolemaeum exprimunt, sed quo magis offendunt, sententiis diversae sunt, nec raro Ptolemaei placitis repugnantia adducunt, ac denique in errores etiam perducunt. Idque eo magis in posterioribus libris, quo difficiliores ii sunt et a rudimentis remotiores," etc.

*) Haec Ed. in Biblioth. acad. Lips. asservatur.

His accesserunt, eiusdem Cardani, de Septem erraticarum Stellarum qualitatibus atque uiribus liber posthumus, ante non uisus. Geniturarum item XII. ad hanc scientiam recte exercendam observatu utilium, exempla. Item, Cunradi Dasypodii, Mathematici Argent. Scholia et Resolutiones seu Tabulae in Lib. IIII. Apotelesmaticos Cl. Ptolemaei: Vna cum Aphorismis eorundem Librorum. Denique breuis explicatio Astronomici Horologii Argentoratensis, ad ueri et exacti temporis inuestigationem exstructi. Basileae. — (In fine:) *Basileae, ex officina Henricpetrina, Anno nostrae salutis recuperatae, CIↃ. IↃ. LXXIIX. Mense Septembri.* Fol. (8 foll. praefixa, 838 pagg.; Dasypodii libellus desideratur.).

Deinde hi commentarii recusi sunt inter *Cardani Opera*, edente *Carolo Sponio* (Lugduni 1663. 10 Tomi. Fol.) Tom. V. p. 93 sqq. *).

Huic expositioni Cardanus versionem latinam Ioach. Camerarii librorum priorum et Ant. Gogavae posteriorum ita addidit, ut quamque versionis particulam commentarius ad eam pertinens subsequatur.

De hac Camerarii interpretatione h. l. uberius diximus eam ob causam, quod Melanthonis interpretatio, ad quam nunc transimus, priori ex parte tanquam nova et correctior recensio illius possit iudicari **).

Haec Melanthonis editio et interpretatio eiusdem operis Ptolemaei sic inscriptae sunt:

ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΠΗΛΟΥΣΙΕΩΣ ΤΕΤΡΑΒΙΒΛΟΣ σύνταξις, πρὸς Σύρον ἀδελφόν. ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΚΑΡΠΟΣ, πρὸς τὸν αὐτὸν Σύρον.

Claudii Ptolemaei Pelusiensis libri quatuor, compositi Syro fratri. Eiusdem Fructus librorum suorum, siue Centum dicta, ad eundem Syrum. Innumeris quibus hucusque scatebant mendis, purgati. Basileae, per Ioannem Oporinum. — (In fine:) *Basileae, ex officina Ioannis Oporini, Anno Salutis humanae M. D. LIII. Mense Augusto.* 8. $15^1/_2$ plagg. litt. *a*—*π* ($^1/_2$ plag.) sign., 8 foll. non num., 229 pagg., 3 ult. pagg. non num. (fol. *a* 2ᵃ — 5ᵇ Ioachimi [Camerarii] epistola nuncupatoria ad Albertum Marchionem Brandenburgensem etc. e Norico Cal. Sext. 1535. scripta; fol. *a* 6ᵃ — 8ᵃ Tabulae astronomicae graecae; fol. *a* 8ᵇ Ioachimi epigramma [9 disticha] *εἰς τὴν τετράβιβλον σύνταξιν Κλαυδίου Πτολεμαίου*; pag. 1—212. *Κλαυδίου Πτολεμαίου τετράβιβλος σύνταξις*; pag. 213—229. *Κλαυδίου Πτολεμαίου βιβλίον ὁ καρπός*; sequens pag. non num. solam clausulam typogr. continet; ult. fol. vac.

Hanc textus graeci editionem subsequitur latina eius interpretatio cum hoc proprio indice:

Claudij Ptolemaei, de Praedictionibus Astronomicis, cui titulum fecerunt Quadripartitum, Graece et Latine, Libri IIII. Philippo Melanthone interprete. Eiusdem Fructus librorum suorum siue Centum dicta, ex conuersione Iouiani Pontani. Basileae, per Ioannem Oporinum. 8. 17 plagg. litt. a—r sign., 269 pagg., 3 ult. pagg. non num. vacant ***). (pag. 3—9. Philippi Melanchthonis epistola nuncupatoria ad Erasmum Eberum, Senatorem urbis Noribergae, a. 1553. mense Martio scripta; pag. 10—251. Claudii Ptolemaei mathematici, operis de Iudiciis Astrologicis libri quatuor, Philippo Melanthone interprete; pag. 252—269. Cl. Ptolemaei Centiloquium, siue centum sententiae, Io. Iouiano Pontano interprete †)).

---

*) Haec Opera in Biblioth. acad. Halensi inveniuntur.

**) Quamquam autem Melanthonis duorum priorum librorum interpretationem tanquam correctiorem recensionem interpretationis Camerarii iudicare liceat, tamen utriusque diversitas tanta est, ut Melanthonem illam versionem minime leviter tantummodo mutasse, sed potius de novo hos libros ex graeco, quamvis illam ubique respicientem transtulisse appareat. Quamobrem Harlesio assentiri non possum, qui in sua editione Bibliothecae graecae Fabricii Vol. V. p. 288., ubi hunc Melanthonis librum additamento accuratius recenset, inscriptionis verbis „Melanchthone interprete" haec addit „(qui duo poster. libr. vertit)"; non enim duos posteriores solos, sed etiam duos priores libros ipse vertit.

***) Haec Melanthonis editio et interpretatio, quae in Bibl. acad. Gotting., reg. Dresd. et in meis libris est, a Freytagio in Adpar. litterar. Tom. III. p. 726 sq. recensetur, brevius affertur in l. Die Merckwürdigkeiten der Königl. Biblioth. zu Dresden. Tom. III. p. 151 sq.

†) *Ioviani Pontani* (a. 1426. in urbe Cerreto in ducatu Spoleto nati, a. 1503. mortui, de quo conf. Niceron's Nachrichten v. berühmt. Gelehrt. Tom. VIII. p. 321—330.) interpretationem latinam Centiloquii Ptolemaei Melanthon ex Camerarii editione recepit. Prodiit autem iam a. 1519. sic inscripta:

Centum Ptolemaei Sententiae ad Syrum fratrem a Pontano e graeco in latinum tralatae atque expositae. Eiusdem Pontani libri XIIII. de Reb. coelestibus. Liber etiam de Luna imperfectus. — (In fine:) *Venetijs in aedibus Aldi et Andreae Soceri, Mense Septembri M. D. XIX.* 4. (301 foll. num., 19 foll. non num.) vid. Hoffmanni Lex. bibliogr. T. III. p. 504.

et cum versione operis quadripartiti coniuncta in Editt. supra p. 5—8. laudatis a. 1519., 1533., 1535., 1551. et in Pontani Operibus, quae Venetiis a. 1518. 4. (3 Tomi), Basileae 1538. 4. (3 Tomi) et Basil. 1556. 8. (4 Tomi) prodierunt, quarum altera et tertia in Tom. III. eam continent. — Praeter hanc *Pontani* interpretationem duae aliae eiusdem Centiloquii exstant, quarum altera antiquior ex arabico facta in editionibus operis quadripartiti supra p. 5 sq. nota *) allatis *Venetiis* 1483., 1493. Fol. et saepius prodiit; altera recentior ex graeco a *Georgio Trapezuntio* facta prodiit sic inscripta:

Claudii Ptolemaei centum Sententiae, interprete Georgio Trapezuntio. Lucae Gauricii oratio de inuentione, utilitate et laudibus Astronomiae. Romae per Valerium Doricum et Ludouicum fratres Brixianos. M. D. XL. 4.

Textus graecus huius libri ad editionem Ioachimi Camerarii quidem descriptus, at a typothetarum mendis, quibus illa deformata fuerat, purgatus est. De Melanthonis interpretatione, quantum a Camerarii versione differat, supra p. 9. nota**) dixi. — Epistola nuncupatoria ad Ebnerum iam inter Mel. epistolas in huius Corp. Reform. Vol. VIII. p. 61 sqq. data est, a cuius verbis autem haec editio uno loco discrepat, nempe p. 62. lin. 36. Corp. exhibet: manifesto, haec autem Ed. (Select. Declamatt. Melanth. Tom. IV., in quo item legitur, ut in eius Ed. Argent. 1566. p. 341 sqq.) habet: manifesta.]

Ptolemaei Centum Aphorismi, cum Commentario Georgii Trapezuntii. Eiusdem de Antisciis, et cur Astrologorum iudic a fallant. Additus est Ioh. Pontani Dialogus, quatenus credendum sit Astrologiae. Coloniae excudebat Iohannes Gymnicus. MDXLIV. 8. vid. Hoffmann. l. l. p. 504. Fabricius Bibl. graeca Vol. V. p. 289. pro his duabus editionibus memorat *Basileensem* 1550.

CLAUDII PTOLEMAEI MATHEMATICI, OPERIS DE IUDICIIS ASTROLOGICIS LIBRI QUATUOR
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE 1).

LIBER PRIMUS.

Duo sunt Syre, per quae praedictiones astrologicae extruuntur, praecipua et maxima. Unum, quod primum ordine est, et potestate, quo deprehendimus quolibet tempore motus Solis et Lunae et aliorum siderum, eorumque positus inter sese, aut spectantes terram. Alterum vero, quo mutationes, quae efficiuntur in corporibus, quae congruunt ad illos positus, consideramus per naturales qualitates siderum. Atque harum doctrinarum prior habet propriam artem, etiamsi finis secundae partis, quae sequitur, non accedit; et proprio libro tibi explicata est, quantum fieri potuit, prolatis demonstrationibus.

Nunc vero de secunda parte non tam firma et perfecta dicemus, modo adcommodato ad philosophiam, atque ita ut neque conferat eius argumenta, amans veritatis, ad certitudinem alterius immotae doctrinae, cum cogitabit imbecillitatem communem et difficultatem coniectandi de materiae qualitatibus; neque tamen desperet considerationem, quantum possibilis est, cum multos eventus potiores, ac maioris momenti, in natura rerum manifeste appareat oriri a causa coelesti. Solet autem fieri, ut artes difficiliores vulgi iudiciis vituperentur. Si quis autem doctrinam illam, quam dixi priorem esse ordine et potestate, calumniatur, plane caecus existimandus est. Sed haec altera facilius reprehendi potest. Aut enim, quia coniectura in aliquibus difficilis est, prorsus incerta dicitur. Alii, quia decreta vitari non possunt, calumniantur eam tanquam inutilem. Conabimur ergo breviter ante particularem praeceptorum recitationem disserere, quatenus et possibilis sit, et utilis praedictio. Ac primum de possibili.

Quod sit aliqua praedictionum astronomicarum scientia et quousque progredi possit.

Principio evidentissimum est, et non indiget verbosa confirmatione, diffundi vim quandam a coelo in omnia, quae circa terram sunt, et in naturam mutationibus obnoxiam, videlicet in prima elementa, quae sub Luna sunt: in ignem et aerem, quae coeli motibus agitantur, et reliqua inferiora continent, et adficiunt terram et aquam, plantas et animantia. Nam et Sol una cum coelo semper aliter afficit terrestria, non solum iuxta quatuor vices anni, cum quibus congruunt generationes animantium, plantarum foecunditates, aquarum fluxus et corporum mutationes; verum etiam quotidiano circuitu calefaciens, humectans, desiccans et refrigerans certo ordine, et modo conveniente caeteris stellis et nostro verticali puncto. Lunam vero, ut proximam terrae, influere in terrena, apparet eo, quod plurima animantia et inanimata sentiunt vim luminis ac motus ipsius. Flumina crescunt et decrescunt una cum ipsa; imitantur eius ortum et occasum, maris refluxus et affluxus; plantae et animantia, vel tota, vel

1) Haec inscriptio Melanthonis interpretationi proxime superposita est.

partes aliquae, turgent ea crescente, et arescunt ea decrescente.

Deinde stellae, tum fixae tum errantes, significant in aere vel aestus, vel nives; unde et caetera terrena adficiuntur. Ipsae vero inter se congressae miscent potestatem, et varias efficiunt mutationes; in quibus etsi antecellit vis Solis, pro generali constitutione, tamen reliquae aut adiiciunt aut diminuunt aliquid.

Ac Lunae quidem effectus manifestiores et crebriores sunt: ut in coniunctione, quadrantibus et pleniluniis apparet. Reliquae vero stellae longiora intervalla habent, et obscuriores effectiones, dum alias apparent, alias occultantur, alias ad latitudinem aliquam discedunt. Quae si quis considerabit, comperiet non solum corpora, postquam nata et absoluta sunt, adfici motu coelestium, sed etiam semina ipsa initio formam et incrementa pro qualitate coeli accipere. Quare agricolae et pastores prae caeteris diligentes, cum pecudes ad coitum admittunt, aut conserunt agros, ex tempestatibus coniecturas de eventibus faciunt. Denique praecipui effectus et significationes illustriores Solis et Lunae et stellarum adeo certae sunt, ut etiam ab ignaris physices sola observatione deprehendantur. Et in his quosdam effectus, ortos a potentiore causa, et simpliciore naturae ordine, etiam indocti, imo et bruta quaedam animantia praesentiunt: ut statas vices anni, aut tempestatum discrimina; has enim Sol praecipue gubernat.

Sed effectus ortos a debilioribus causis norunt hi, quos necessitas ad observationem adegit: ut nautae animadverterunt particulares significationes pluviarum et ventorum, quae certis intervallis redeunt, propter Lunae aut stellarum fixarum configurationes ad Solem; qui tamen, quia propter inscitiam nec tempora nec loca nota habent, nec planetarum circuitus, qui magnam vim habent, norunt, saepe falluntur.

Quid autem obstabit, eum, qui omnium stellarum et Solis et Lunae motus, tempora et loca novit, et ex perpetua veteri observatione earum naturas didicit, non quales in ipso coelo sint[2]), sed quales habeant facultates, et quos effectus: ut quod Sol calefacit, Luna humectat; hunc inquam, quid vetat physica consideratione et apte, ex collatione omnium, tum qualitates temporum iuxta positus stellarum praedicere, quod futura sint calidiora aut humidiora, tum de hominum temperamentis ex coeli qualitate iudicare? veluti corpus alicuius esse tale, et mores animi tales, et secuturos esse tales eventus, quia coeli qualitas temperamento conveniens et idonea sit ad bonum habitum; aut sit contraria et detrimenta adferat.

Ac tales effectus existere et vera arte prospici ac praedici posse, ex his et similibus liquet.

Quod autem aliqui calumniantur artem tanquam impossibilem, etsi causae praetexuntur, tamen has inanes esse sic intelligi poterit. Primum, cum indocti, ut in consideratione magna et multiplici, saepe hallucinentur, accidit, ut, si qua vera praedicuntur, casu magis quam arte aliqua praedicta existimentur. Sed iniquum est arti adscribere errata, quae ab imbecillitate professorum oriuntur. Praeterea multi quaestus causa alias divinationes venditant, nomine et dignitate huius artis, ac vulgo imponunt, multa praedicentes, quae non significantur naturalibus causis.

Horum vanitate deprehensa, sagaciores aliqui etiam caeteras praedictiones, quae a naturalibus causis sumuntur, suspectas habent et damnant. Id autem iniustum est. Nam nec philosophia ideo tollenda est e medio, quod nonnulli studium eius simulantes, pravi sunt et impostores. Caeterum manifestum est, etiam recte eruditos in disciplinis, qui magna cum diligentia et dexteritate in hac arte versantur, saepe falli, non propter eas causas, quas iam recensui, sed propter rei naturam et imbecillitatem humani ingenii, quod magnitudinem artis non assequitur.

Primum enim omnis doctrina de materiae qualitate, ac praesertim ex multis diversisque rebus concretae, coniecturis potius quam certa scientia constat. Deinde accedit et hoc, quod veteres stellarum configurationes, a quibus exempla iudiciorum sumimus, nunquam omnino congruunt ad positum siderum sequenti tempore. Nam magis aut minus post longa intervalla congruere possunt, prorsus autem convenire nequaquam. Nunquam enim, aut certe non iis spatiis, quae comprehendere homines possunt, fieri poterit, ut redeat idem positus siderum et eadem terrae constitutio, nisi quis inani ostentatione iactare velit earum rerum perceptionem, quae comprehendi nunquam possunt. Dissimilitudo igitur exemplorum causa est, cur in praedictionibus aliquid sit errorum. Conturbantur ergo

2) sint] Ed. 1553. sunt.

iudicia de aere hanc ipsam ob causam, quod non redeunt similes motus, etiamsi nunc de aliis causis variantibus aerem non dicam.

Quod vero ad genethliaca attinet, et iudicia de singulorum temperamentis, multa concurrunt alia, quae qualitates in mixtis variant.

Primum enim diversitas seminis, ad suam cuiusque generationis naturam, praecipuam vim confert, adeoque dominatur, ut in eodem aere et horizonte, tamen singula semina sui generis animantia gignant, humanum hominem, equinum equum.

Deinde regionum diversitas non exigua discrimina in nascentibus efficit, etiam cum eadem sunt semina, ut hominum, et cum eadem[3]) coeli constitutio est, tamen magna est in diversis regionibus dissimilitudo, quod ad corpora et ad animos attinet. Denique etiam cum illa, quae iam dixi, paria sunt, tamen educationes et consuetudines discrimina faciunt in parte aliqua temperamenti, aut morum, aut casuum.

Etsi igitur vis maxima est circumfusi coeli, a quo et caetera, quae diximus, suam vim sumpserunt, cum ipsa coelo nihil conferant: tamen nisi quis ea cum coelestibus causis coniunxerit, saepe errabit, si volet omnes significationes a coeli motu sumere, etiam eas, quae non prorsus a coelo pendent. Haec cum ita se habeant, etsi interdum fallunt praedictiones, non tamen ars tota damnanda est. Ut neque gubernandi artem reiicimus, etiamsi saepe fiunt naufragia; sed decet nos, ut in tanta et divina professione grato animo amplecti tantum, quantum assequi possumus, nec postulare de omnibus rebus certitudinem, tanquam ab arte penitus comprehensa hominum sagacitate; sed ornare eam et reddere instructiorem iis coniecturis, quae aliunde sumendae sunt; utque medicis non vertimus vitio, cum de morbo aegrotantis et de eius natura, quaedam sciscitantur; ita et hic non reprehendendum est, si qua de regionibus, genere, moribus, aut aliis accidentibus requirenda esse dicemus.

Quod sit utilis doctrina de effectibus coelestibus.

Supra breviter exposui, possibilem esse praedictionem ex astrorum motibus ac natura sumptam, et quod ad accidentia aeris, ac ad eas hominum dispositiones pertineat, quae ab aere oriuntur, quae sunt primordia facultatum et actionum corporis et animi, et certis temporum momentis venientes adfectus aut morbi, et longaevitas ac vitae brevitas, et alia quaedam externa adiumenta aut detrimenta praecipua, naturali ordine nascentibus copulata: ut cum corpore res familiaris et convictus, cum anima honores et dignitas, et horum mutationes pro tempore. Nunc de utilitate, ut propositum fuit, dicemus. Sed prius constituendum est, quid utile velimus intelligi, et ad quem finem referri.

Si enim animi bona spectabimus, quid erit optabilius ad tranquillitatem, gaudium et oblectationem, multarum rerum humanarum et divinarum consideratione? Si vero ad corporis utilitatem respicimus, haec doctrina magis quam ulla alia ostendit, quid cuiusque constitutioni et temperamento proprium sit, et conveniens.

Quod vero non conducit ad opes augendas, aut ad consequendos honores, commune crimen est huic parti cum tota philosophia, quae, quantum in ipsa est, talium bonorum non est largitrix aut effectrix. Sed ut neque hanc propterea damnamus, ita nec nostram scientiam abiiciemus, cum quidem alias maiores utilitates adferat.

Qui vero eam[4]) inutilem esse contendunt, hi non alia gravi causa moveri se dicunt, nisi fatali necessitate. Videtur enim supervacuum, praevidere ea, quibus occurrere diligentia, et quae arte vitare non possumus. Sed id quoque inconsiderate dicitur.

Primum enim in his, quae necessario accidunt, ignorantia in re subita et improvisa, consternationes animorum maiores et immoderatas laetitias efficit. Praevisio vero adsuefacit et moderatur animum, ut ad ventura se confirmet, perinde ac si essent praesentia, ac praeparat nos, ut placide et constanter ea excipiamus.

Deinde nec existimandum est, singula hominibus a coelesti causa accidere, tanquam prorsus ab immutabili et divino decreto, et quasi lege lata de singulis, ut necessario eveniant, nec possit alia causa obsistere. Nam ipse quidem motus coelestis divina quadam et aeterna lege immutabilis est; sed inferiora fato naturali et mutabili variantur, cum quidem primas causas mutationum a coelo accipiant, quae accidunt eis subinde aliter per consequentiam.

3) eadem] Ed. 1553. errore typogr.: eodem.

4) eam] in Ed. 1553. deest.

Ac hominibus multa accidunt propter generalem constitutionem, non ex propria particularis naturae qualitate: ut quando propter magnas aeris conversiones, quae difficulter caveri possunt, totae gentes intereunt, sicut fit in ardoribus, aut pestilentia, aut diluviis, cum semper inferior causa succumbat maiori et validiori. Alia vero eveniunt propter singulorum naturale temperamentum, ab exigua et imbecilli coeli actione orta. Hoc discrimine animadverso, perspicuum est, eventus, seu communes seu particulares, qui a coelo tantum oriuntur, cui nulla vis obsistere potest, quodque vim maiorem habet quolibet contra nitente, necessario accidere.

Alii vero eventus, qui non a solo motu coeli oriuntur, si accedant opposita remedia, facile mutantur; si vero non adhibeantur remedia, eventus sequentur primas causas. Idque fit inscientia hominum, non propter fatalem necessitatem. Idem accidit in omnibus, quae habent causas naturales et principia. Nam et lapides et plantae et animantia, et vulnera et morbi et aegritudines, partim necessarias habent effectiones, partim impediri oppositis remediis possunt.

Sic igitur existimandum est, naturae studiosos praedicere eventus, qui accidunt hominibus, tali doctrina, non inani aliqua opinione.

Quorum igitur eventuum multae et magnae causae sunt, hi sunt inevitabiles; sed alii, qui leviores habent causas, facile vitari possunt; sicut medici, qui morbos arte observant, discernere possunt letales ab iis, qui sunt curabiles.

De his igitur eventibus, qui mutari possunt, sic audiemus Genethliacum, cum talis sit constitutio: Si fuerit conversio temperamenti corporis secundum plus vel minus, iuxta hanc aeris qualitatem, morbus talis existet. Sic et medicus de ulceribus iudicans, futurum praedicet: quae serpent, quae putrefactionem facient. Sic et de metallis dici potest: Magnes ferrum trahit. Utrumque enim si suae naturae relinquetur, et ignorentur impedientia, vim exercebit suae naturae propriam et primam. Sed ulcera nec serpent, nec putrefactionem facient, si contraria curatio accesserit; nec ferrum trahet magnes, si magneti allium fuerit illatum. Sicut igitur haec impedientia fato aliquo naturali contrariam habent vim, sic et de inclinationibus a coelo ortis dicatur, cum aut ignorantur futura, aut non impediuntur contrariis rebus, primae naturae seriem sequentur. Sed cum praevidentur et caventur naturalibus remediis, quae vim habent contrariam quasi fatali ordine, aut prorsus avertuntur, aut mitigantur eventus.

Denique cum eadem vis conspiciatur in quatuor anni partibus, et in particularibus corporum mutationibus, mirum est, cur omnes fateantur generales praedictiones possibiles esse, eisque fidem habeant, et diligentiam in cavendo adhibeant. Nam quatuor anni tempora, et fixarum stellarum significationes, et Lunae positus, plurimi et observant et magna diligentia remedia opponunt; aestum leniunt rebus frigefacientibus, hiemem calefacientibus, et in universum dant operam, ut temperamentorum mediocritates efficiant; observant et stellas fixas, ante quatuor anni tempora et ante navigationes. In coitu vero pecorum et serendis plantis, Lunae positus considerant; neque hanc diligentiam aut impossibilem, aut inutilem esse censent. Cur igitur in particularibus negant possibilem praedictionem aut utilem esse, cum ex reliquarum proprietatum mixtura, maior aut minor aestus aut humiditas praedicitur?

Cum autem manifestum sit, generales aestus minus sentire eos, qui frigida opponunt: potest eodem modo in singularibus fieri, ut opponantur remedia adversus ea, quae augent immoderatos ardores, peculiariter in hoc temperamento.

Sed errores in singularibus eo saepius accidunt, propterea quod difficulter praevideri possunt, quod etiam in reliquis artibus accidit, eisque fidem detrahit. Deinde plerumque contraria remedia negliguntur, ac rarissima est natura adeo felix, quae inde usque ab exordio non fuerit impedita. Inde fit, ut existimentur omnia immutabiliter evenire, nec caveri posse.

Sic igitur statuo: Ut praevisio, etsi interdum fallimur, tamen aliqua possibilis est, et animadversione digna: sic et doctrinam de cavendis malis, etiamsi non omnia avertit, tamen cum aliqua depellat, seu magna, seu parva, studiose amplecti et magni lucri instar ducere convenit.

Haec cum Aegyptii intelligerent ita se habere, qui hanc artem maxime celebrarunt, praedictionibus astronomicis semper medicam artem adiunxerunt. Neque enim expiationes et aversiones et remedia adversus futura aut praesentia mala, communia vel particularia, tradidissent, si in hac opinione fuissent, averti aut tolli ea non

posse. Nunc verò remedia, quae naturae ordine contrarias effectiones habent, secundo fati loco ponentes, praedictionibus ad usum omnium adiunxerunt: quorum doctrinam vocant coniunctionem medicinae et mathematicae, ut ex astrorum contemplatione temperamenta, et futuros eventus, et proprias eorum causas iudicarent. (Nam sine horum cognitione saepe etiam remedia fallunt, cum non omnibus corporibus et morbis eadem congruant.) At ex medica arte aversiones futurorum morborum et remedia praesentium sumerent, non fallentia, quantum fieri potest, ex iis, quae singulis congruunt aut adversantur.

Haec breviter hactenus dicta sunt; deinceps vero praecepta trademus, ut in docendo fieri solet, ordientes a coelestium qualitate iuxta observationes veterum, ad physicam rationem convenientes. Ac primum de stellarum errantium et Solis et Lunae potestate dicemus.

De stellarum errantium potestate.

Constat, Solem vim habere calefaciendi et moderate desiccandi: quae effectiones facilius percipiuntur propter eius magnitudinem, et evidentes mutationes in anni vicibus. Quo enim propius ad verticem nostrum accedit, eo magis efficit calorem et siccitatem. Luna vero antecellit humectando, quia terrae proxima est, et vicina humidis vaporibus. Manifeste igitur hoc modo et corpora adficit, mollia reddit, et putrefacit plerumque; aliquantulum vero et calefacit, propterea quod a Sole lumen accipit. Saturnus magis frigefacit, et aliquantulum desiccat, quia longissime, ut videtur, a calore Solis et ab humidis vaporibus distat. Caeterum Saturni et aliarum stellarum vires constituuntur pro varietate adspectuum Solis et Lunae. Nam secundum magis et minus, horum adspectus aeris constitutionem variant. Stella Iovis temperatae naturae est, cum media feratur inter Saturnum frigefacientem et Martem urentem. Calefacit autem et humectat; sed quia calefaciendi vis antecellit, foecundi ab eo venti excitantur.

In stella Martis antecellit vis desiccandi; simul autem urit, sicut congruit igneo ipsius colori, et Solis vicinitati, cum proxime ei Solis orbis subiectus sit.

Stella Veneris, quod ad temperatam naturam attinet, similis est Iovis, sed converso ordine. Etsi enim calefacit, quia Soli vicina est, tamen minus calefacit quam Iupiter, et magis humectat, sicut et Luna, propter magnitudinem corporis sui, attrahens humidos vapores ex locis terrae vicinis.

Mercurii stella fere parem vim habet, aliquando in desiccando et absorbendis humiditatibus, quia nunquam a Sole procul recedit, secundum longitudinem; aliquando vero in humectando, quia vicinus est Lunae, quae terrae proxima est. Subitas autem mutationes efficit in utramque partem, incitatus celeritate sua, qua vehitur circa Solem.

Haec cum ita se habeant, cumque quatuor sint humores, duo foecundi et vivifici, calidus et humidus; per hos enim omnia coalescunt et roborantur. Econtra vero duo sint exitiales et detrimentosi, frigidus et siccus, per quos omnia dissipantur et interficiuntur; tradidit vetustas, beneficas esse duas stellas, Iovem et Venerem; et praeter has, Lunam, propter temperatas naturas, quia exuberant in eis calor et humor. Saturnum vero et Martem tradiderunt esse maleficos, quia vim contrariam habent, alter frigefaciendi, alter desiccandi. Solem vero et Mercurium propter communem naturam effectus in utramque partem habere, et accommodare suam naturam ad eas stellas, cum quibus sunt, tanquam medios.

De masculinis et femineis stellis.

Rursus cum duo primarii sexus sint, masculinus et femineus, vis stellarum, quas supra recensui, humidior congruit ad femineam naturam. Nam feminea universaliter humidiora sunt, calidior vero congruit ad masculinum sexum. Quare convenienter Luna et Venus dicuntur esse femineae stellae, quia humiditas in eis abundat; Sol autem, et Saturnus et Iupiter et Mars, masculi. Mercurius vero particeps est utriusque naturae, cum pariter et siccitates et humiditates [5]) efficiat.

Dicuntur autem stellae et vim masculam et femineam recipere a positu, quem habent ad Solem. Masculi enim sunt planetae, cum sunt Eoi, ac Solem antecedunt; econtra vero feminei, cum sunt vespertini et sequentes Solem.

Deinde et pro positu ad horizontem differunt. Masculi sunt, velut orientales, in quadrante ab ortu ad medium coeli, et ab occasu ad

5) humiditates] sic scripsimus = Ptol. τῆς ὑγρᾶς οὐσίας; Ed. 1553. errore typogr.: humilitates.

imum coeli, in reliquis duobus quadrantibus feminei sunt, tanquam occidentales.

De diurnis et nocturnis.

Similiter et cum temporum duo sint discrimina praecipua, dies et nox: dies magis ad masculam naturam congruit, quia maior interdiu *calor est*, et naturae ad agendum acriores sunt; nox vero ad femineam, propter humiditatem et quietis appetitionem. Tradunt igitur, nocturnas stellas esse Lunam et Venerem; diurnas vero Solem et Iovem; participem vero utriusque conditionis Mercurium, cum est Eous, diurnum; cum vero vespertinus est, nocturnum. Utrique vero conditioni attribuerunt maleficorum alterum, secuti non similitudinem qualitatis, sed diversitatem. Nam cum stellis bonae constitutionis adiunguntur *similes*, bonitatem earum augent; sed *exitialibus* admixtae dissimiles, cohercent malitiae vehementiam. Ideo Saturnum, qui frigidus est, adiunxerunt calori diurno, et Martem siccum nocturnae humiditati. Sic uterque a contraria constitutione factus moderatior, magis erit temperatus.

Quid valeant diversi positus ad Solem.

Iam et propter positus ad Solem intendunt aut remittunt suas vires Luna, Saturnus, Iupiter et Mars. Luna enim a coniunctione, donec apparet dimidiata, magis est rigatrix. Inde usque ad plenilunium calefacit. A plenilunio, donec iterum dimidiata adparet, desiccat. Ab eo tempore, donec occultatur, frigefacit.

Errantes vero stellae, donec sunt matutinae, usque ad primam stationem, magis humectant; a prima statione, donec initio noctis oriuntur, magis *calefaciunt*. Ab ortu autem vespertino, usque ad secundam stationem, magis desiccant. A secunda statione, usque ad occultationem, magis frigefaciunt. Manifestum est autem, inter se commixtas magnam varietatem qualitatum in hoc circumfuso aere efficere, ita ut propria cuiuslibet stellae qualitas dominetur; sed tamen aliqua ex parte, propter positum repugnantium, cohercea tur.

De viribus stellarum fixarum.

Sequitur, ut stellarum fixarum proprias effectiones percurramus, deprehensas in earum naturis: quas ita recitabo, ut ad similitudinem planetarum accommodem. Ac initio a Zodiaco ordiemur.

Stellae in capite Arietis vim habent mixtam, ex natura Martis et Saturni. Quae vero sunt in ore, vim similem habent Mercurio, et nonnihil Saturno. Quae vero sunt in pede posteriore, sunt Martiae. In cauda Venereae sunt.

Ubi Tauri signum quasi amputatum cernitur, Venereae sunt; Pleiades vero Lunam et Martem referunt. In capite inter Hyadas una lucidior et rutilans, quae facula dicitur, Martia est.

Geminorum signum in pedibus stellas habet similis naturae, congruentes cum Mercurio et nonnihil cum Venere. Sed lucidae in femore, Saturninae sunt. In capitibus duae lucidae, quarum altera praecedens Mercurium refert, et nominatur Apollo; altera sequens Martia est, et vocatur Hercules.

In Cancri oculis stellae duae sunt, similem effectum habentes, congruentes Mercurio et aliquantulum Marti. In brachiis Saturnum et Mercurium referunt. Ille vero in pectore gyrus nebulosus, vocatur Praesepe, Martius et Lunaris: iuxta quem utrinque positi, vocantur Asini, Martii sunt et Solares.

In Leonis capite duae Saturninae sunt, et nonnihil Martiae. In cervice tres Saturnum referunt, et nonnihil Mercurium. At lucida in corde, quae vocatur Regulus, Martem et Iovem refert. Quae sunt in ilio et una in cauda[6] splendida, Saturninae sunt et Venereae. Aliae in femoribus Venerem et nonnihil Mercurium referunt.

Stellae in Virginis capite, et una supra alam australem, referunt Mercurium et nonnihil Martem. Reliquae in ala et in cingulo lucidae Mercurium et nonnihil Venerem referunt. Lucida vero in ala boreali, quae vocatur Vindemitor, Saturnum et Mercurium refert. Spica autem Venerea et aliquantulum Martia est. Aliae in extremis pedibus et fimbria vestis, Venereae et aliquantulum Martiae sunt.

In chelis, seu iugo, effectus habent similes Iovi et Mercurio. Mediae Saturninae et aliquantulum Martiae sunt.

In ipso Scorpio lucidae in fronte sunt Martiae et aliquantulum Saturninae. Tres vero in

6) cauda] sic scripsimus = Ptol. τῆς οὐρᾶς; Ed. 1553. errore typogr.: causa.

corpore, quarum media rutilans et lucidior vocatur ἀντάρης, Martem et nonnihil Iovem referunt; quae vero sunt in nexibus caudae, Saturninae sunt et nonnihil Venereae. Aliae in aculeo Mercurium et Martem referunt. Ille vero gyrus nebulosus, Martius et Lunaris est.

Stellae Sagittarii, quae sunt in cuspide sagittae, Martiae sunt et Lunares. In arcu, et ea nervi parte, quae manu prehenditur, Iovis et Martis naturam referunt. Gyrus in facie, Solaris et Martius est. Aliae in fascia et dorso, Iovis et Mercurii naturam referunt. Aliae in pedibus, ad Iovis et Saturni naturam accedunt. Figura autem quatuor laterum in cauda, Venerea est et aliquantulum Saturnina.

Stellae in Capricorni cornibus, Venereae sunt et aliquantulum Martiae; in ore, Saturninae sunt et aliquantulum Venereae; in pedibus et ventre, Martiae et Mercuriales; in cauda, Saturnum et Iovem referunt.

Stellae Aquarii in humeris, manu sinistra et veste, Saturninae sunt et Mercuriales. In femoribus, magis Mercuriales sunt, minus vero Saturninae. In effuso latice, Saturnum et aliquantulum Iovem referunt.

Stellae in capite Piscis australis, Mercuriales et aliquantulum Saturninae. In corpore, Iovis et Mercurii naturam referunt; in cauda et in filo australi ad Saturnum et aliquantulum ad Mercurium accedunt. In corpore et spina Piscis borealis, Martiae sunt et aliquantulum Venereae. In filo boreali accedunt ad Saturni et Iovis naturam. Lucida in nodo, Martia est et nonnihil Mercurialis.

In regione septentrionali Zodiaci lucidae in Ursa minore, Saturninae sunt et nonnihil Venereae. Stellae in Ursa maiore, Martiae sunt. Sub cauda huius Coma Berenices, Lunaris et Venerea est. Draconis stellae lucidiores, Saturninae, Martiae et Ioviales sunt. Cephei, Saturninae et Ioviales. Bootae, Mercuriales et Saturninae. Lucida et rutila, quae vocatur Arcturus, Iovialis est et Martialis.

Corona septentrionalis, Venerea est et Mercurialis. Geniculator, Mercurialis. Lyra, Venerea est et Mercurialis. Gallina, similiter. Cassiopea, Saturnina est et Venerea. Perseus, Iovialis et Saturninus. Gyrus in capulo ensis, Martius et Mercurialis.

In Auriga lucidiores, Martiae et Mercuriales. Serpentarii, Saturninae sunt et Venereae. Serpens vero ipse, Saturninus et Martius est. Sagitta, Martia est et nonnihil Venerea. Aquila, Martia est et Iovialis. Delphinus, Saturninus et Martius. Lucidiores stellae Equi, Martiae sunt et Mercuriales. Andromede, Venerea est. Delta, Mercuriale est.

In regione australi. In Piscis australis rostro lucida stella, est Venerea et Mercurialis. Ceti stellae, Saturninae sunt. Orionis humeri, Martii et Mercuriales. Reliquae eius stellae lucidiores, Ioviales sunt et Saturninae. Extrema lucida Eridani, Iovialis; et reliquae sunt Saturninae. Lepus, est Mercurialis. Canis, Venereus. Sirius in rostro fulgens, Iovialis et nonnihil Martius. Hydri lucidiores, Saturninae sunt et Venereae. Crater, Venereus est et nonnihil Mercurialis. Corvus, Martius est et Saturninus. In Argo navi lucidiores, Saturninae et Ioviales. In Centauro humana figura, Venerea et Mercurialis; equinae figurae lucidiores, sunt Venereae et Ioviales. Lucidiores in Lupo, Saturninae sunt et nonnihil Martiae. Ara, Venerea est et nonnihil Saturnina. In corona australi lucidiores, Saturninae et Mercuriales.

De anni temporibus, et quatuor angulorum natura.

Atque hae sunt stellarum propriae vires, ut a veteribus observatae sunt. Consideranda sunt autem et anni tempora: ver, aestas, autumnus et hiems.

In vere abundat humiditas, quia soluto frigore diffundi aer calore incipit.

Aestas calidior est, quia Sol propius ad verticem nostrum accedit.

Autumnus siccior est, quia propter aestum praeteritum exhaustae sunt humiditates.

Hiems frigidior est, quia tum a vertice nostro Sol longissime distat.

Quamquam autem Signiferi nullum est initium, cum sit circulus, constituerunt tamen primum signum Arietem, in quo aequinoctium est vernum: ut humidam veris naturam tanquam a vivo animante inchoarent, deinceps annumerantes aliqua anni tempora. Omnia enim animantia prima aetate, dum tenera sunt et mollia, ut ver, humore abundant. Deinde secunda aetate, donec manet vigor, magis calent: ut aestas.

Tertia, cum vigor langnefit, et initium est consumptionis, siccitas maior est: ut in autumno. Postremo frigidior est: ut hiems, quae proxima est morti.

Sic et quatuor angulorum naturae differunt, a quibus venti, qui totas illas partes occupant, spirant.

Orientalis angulus siccior est, quia, cum ibi *Sol* est, ea, quae nocte rigata fuerant, statim incipiunt arefieri, et Subsolani sunt sine humore, et arefaciunt.

Meridies calidior est, quia Sol in medio fastigio ardentior est, et quia medietas coeli magis ad meridiem declinat, pro situ terrae, quae habitatur. Suntque Austri calidi et rarifici.

Occidens humidus est, quia, cum Sol eo accessit, exhaustae humiditates interdiu, diffundi *incipiunt. Suntque* Zephyri teneri et humectan*tes. Arctoa* regio frigida est, quia pro situ ter*rae, quae* habitatur, longissime abest a causa caloris, videlicet Solis fastigio, cum ibi sit contrarium fastigium. Suntque Boreae frigidi et congelatores.

Haec distinctio utilis est ad diiudicandas singularium commixtiones. Nam propter has constitutiones temporum, anni, aetatum et angulorum, nonnihil variant stellarum effectiones.

Purior est enim qualitas, et validior in loco congruente: ut calidae in calidis locis, humidae in humidis. In contrariis vero dilutior ac imbecillior: ut in frigidis locis calefactivae, et in siccis humidae, et aliae in aliis similiter, pro proportione et qualitatum commixtione.

De signis tropicis, aequinoctialibus et bicorporeis.

His expositis, annectendae erant et naturales proprietates duodecim signorum. Ac generales eorum vires congruunt cum suis temporibus. Sed quaedam proprietates sumuntur a familiaritate Solis, Lunae et reliquarum stellarum, sicut *postea* dicetur. Prius enim vires, quas per sese et erga sese invicem habent, explicandae sunt.

Primum discrimen est signorum: ut alia dicantur esse tropica, alia aequinoctialia, quorum utraque sunt mobilia; deinde alia firma, alia bicorporea.

Tropica sunt duo: proximum a solstitio aestivo, hoc est, partes triginta Cancri; et proximum a solstitio hiberno, ut partes triginta Capricorni. His a re nomen inditum est, quoniam Sol, ubi haec ingressus est, retro convertitur, flectens cursum in contrariam latitudinem, in Cancro aestatem efficiens, in Capricorno hiemem.

Sunt et aequinoctialia duo: vernum Aries et autumnale Libra, quibus et ipsis a re nomen inditum est, quia, cum Sol ad illa pervenerit, per omnes terras aequalia spatia sunt diei et noctis.

Ex reliquis octo signis quatuor firma vocantur, quatuor bicorporea.

Sunt autem firma, proxima tropicis et aequinoctialibus, Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius, quod per horum tempora, cum ad ea Sol accessit, humiditates, calores, siccitates et frigiditates vehementiores et firmiores in corporibus nostris efficiantur, non quod tunc aeris status sua natura sit simplicior, sed quia vires qualitatum mora facilius sentiuntur, postquam aliquamdiu in istis temporibus versati sumus.

Bicorporea et mediocria sunt, quae post firma numerantur: Gemini, Virgo, Sagittarius, Pisces. Quia enim inter firma, tropica et aequinoctialia interiecta sunt, initio et fine similes cum illis naturas habent.

De masculinis et femineis signis.

Praeterea sex signa attribuerunt masculae naturae et diurnae, totidemque femineae et nocturnae. Ordo autem traditur continuus, ut diei nox adiuncta est, et copulatio necessaria est maris et feminae. Si igitur sumatur initium ab Ariete, propter causas, quas diximus, sicut et masculus dominator ac prior est, quia activum semper prius est passivo. Aries et Libra erunt mascula et diurna. Accedit huc, quod circulus aequinoctii per haec descriptus, primam et validissimam omnium agitationem efficit. Ab his continua serie masculinis feminina subiiciuntur.

Nonnulli vero masculina signa, ab orientali signo, quod ὡρόσκοπος dicitur, nominant. Sicut enim aliqui tropicorum initia sumunt a Lunari circulo, quod celerrimae sint Lunae conversiones: sic et mascula signa ordienda sunt ab horoscopo, propter Subsolanum. Iam hi rursus continua serie vices masculinorum et femininorum constituunt.

Alii totum circulum in quadrantes diviserunt, ac matutina et mascula ab horoscopo usque ad medium coeli constituunt, et his opposita ab

occasu ad imum coeli; vespertina vero et nocturna, duos reliquos quadrantes.

Sunt et aliae appellationes, signis accommodatae a formis: ut alia dicuntur quadrupedia, alia terrestria, alia dominantia, alia foecunda, aut aliquid huiusmodi, quae cum ex ipsis figuris manifesta sint, supervacaneum duxi eas appellationes recensere, cum quidem antea signorum qualitates exposuerim, quomodo in iudiciis utiliter vires earum considerentur.

De adspectibus signorum.

Primum adspectus partium Zodiaci, qui figuras certas efficiunt, aliquam inter se familiaritatem habent.

Primum partes, quae diametro distant, et duos rectos angulos continent, videlicet signa sex, seu gradus centum et octoginta. Deinde partes, quae figuram efficiunt triangulam, quae continet unum rectum angulum et trientem, videlicet signa quatuor, seu gradus centum viginti. Praeterea partes, quae quadrangulum efficiunt, et continent unum rectum angulum, videlicet signa tria, seu gradus nonaginta. Partes vero, quae sexangulum efficiunt, continent unius recti anguli duas tertias, videlicet signa duo, seu gradus sexaginta.

Cur autem haec tantum discrimina recepta sint, facile hinc intelligi potest.

Primum manifesta est ratio, cur diametri figura observata sit. Nam oppositio est in una recta linea. Postea vero, si duas maximas portiones iuxta harmonias et superportiones accipiamus, videlicet semicirculo diviso vel per medium, ut sint duo recti anguli, vel per tria: divisio per medium efficiet quadrangulam figuram, divisio vero in tria habet sexangulam figuram. Superportionum autem, si constituatur a recto angulo quadrato sesquiplum et sesquitertium, sesquipla ratio est quadranguli ad sexangulum; sesquitertia vero est trianguli ad quadrangulum.

Existimantur autem natura congruentes trianguli et sexanguli adspectus, propterea quod tunc cognata signa feminina aut mascula conferuntur. Non congruunt autem quadranguli adspectus, et oppositi, quia talis constitutio est contrariorum signorum.

De imperantibus et obedientibus signis.

Dicuntur etiam imperantia et obedientia loca, quae aequali spatio distant ab eodem vel utroque punctorum aequinoctialium: eo quod aequali temporis spatio oriuntur, eosdemque describunt parallelos. Imperantia vero sunt in aestiva sphaerae parte, audientia vero in parte hiberna, quia Sol in aestiva parte longiores facit dies, in hiberna vero breviores.

De intuentibus et idem valentibus signis.

Dicimus eiusdem inter se potentiae esse partes, ab uno vel utroque tropicorum aequaliter distantes. Sunt enim aequalia spatia dierum et noctium et horarum, quando Sol alterutra peragrat. Haec etiam intueri se mutuo dicuntur, et propter causas, quas dixi, et quia utraque iisdem locis horizontis oriuntur, et iisdem occidunt.

Inconiuncta.

Inconiuncta vero et aliena dicuntur, quae nullam inter se familiaritatem habent, iuxta rationes dictas: videlicet quae neque imperant, neque obediunt, neque se intuentur, neque idem valent, neque ullam figurarum illarum describunt, quas recensuimus: non diametrum, non trigonum, non quadrangulum, non sexangulum; sed quae vel secunda, vel sexta numerantur. Nam quae secunda sunt, aversa sunt a sese, et duo signa continua coniuncta unum efficiunt angulum. Illa vero, quae sexta numerantur, totum orbem in partes inaequales secant, cum aliae figurae eum in partes aequales dividant.

De domibus.

Familiaritas est autem planetis cum partibus Signiferi propter domos, triangula, altitudines, fines et similes quasdam proprietates.

Domus autem naturali ratione distribuuntur. Cum enim ex duodecim signis duo borealia proxime ad verticem nostrum accedant, maximeque calores et aestus efficiant, Cancer et Leo, haec duo signa maximorum et efficacissimorum luminum domus esse iudicatum est: Leonem quidem Solis, quia signum masculum est; Cancrum vero Lunae, quia femineus est. Ac deinceps convenienter semicirculus a Leone ad Capricornum [7])

7) Capricornum] Ed. 1553. errore typogr.: Capricorum.

Solaris dicitur; semicirculus vero ab Aquario usque ad Cancrum Lunaris, ut in quolibet semicirculo signum planetae familiare attribueretur vel Solis naturae, vel Lunae congruens, iuxta positum orbium et eorum naturas [8]).

Nam Saturno, quia maxime frigidus est, et cum calore pugnat, ac supremum orbem a luminibus maxime remotum tenet, attributa sunt signa Cancro et Leoni opposita, Capricornus et Aquarius: quae signa et ipsa sunt frigida et hiberna, et propter oppositionem malefica.

Iovi autem, qui est temperatae naturae et subiectus orbi Saturni, data sunt proxima illis signa, ventosa et foecunda, Sagittarius et Pisces, quae luminum signa trigono adspectu intuentur, qui convenit beneficentiae.

Deinde Marti desiccatori, et posito sub orbe Iovis, signa domiciliis Iovis proxima attributa sunt, Scorpius et Aries, quae propter quadratum adspectum ad luminum domicilia, congruunt naturae noxiae et corruptrici.

Veneri vero, quae naturae est temperatae et sub orbe Martis posita, attributa sunt his proxima et foecundissima signa, Libra et Taurus, quae propter sexangulum adspectum mitiora sunt. Neque haec stella amplius duobus signis anteit, aut sequitur Solem.

Mercurio vero, qui ultimus est, nec amplius uno signo a Sole recedit, et aliorum planetarum orbibus subiectus, ac luminibus proximus est, attributa sunt signa domiciliis luminum proxima, Gemini et Virgo.

De trigonis.

Trigonorum familiaritas talis est. Triangulus aequalium laterum figura est maxime secum ipsa consentiens. Et Zodiacus tres circulos continet, aequinoctialem et duos tropicos. Ipsius vero duodecim loca dividuntur in quatuor triangulos aequalium laterum.

Horum igitur primus ducitur per Arietem, Leonem et Sagittarium, tria signa masculina, quae sunt domicilia Solis, Martis et Iovis. Attribuitur autem hic triangulus Soli et Iovi. Mars vero exclusus est, quia adversatur Solis conditioni. Dominatur autem in hoc triangulo interdiu Sol, noctu Iupiter.

Locus Arietis est aequinoctialis, Leonis aestivus, Sagittarii hibernus. Idem triangulus potissimum septentrionalis est, quia Iupiter ibi partem dominii tenet, qui foecundus est, et flatuosus, conveniens ventis, qui cientur in septentrione. At propter Martis domum recipit mixturam Africi. Et constituitur triangulus, quem vocant mixtum ex Borea et Africo. Nam Mars excitat ventos Africos, propter Lunae familiaritatem, et quia occidentalis pars feminea est.

Secundus triangulus ducitur per Taurum, Virginem et Capricornum, tria signa feminea; quare Lunae et Veneri attribuitur; dominatur autem ei noctu Luna, interdiu Venus. Ac Taurus propior est aestivo circulo, Virgo aequinoctiali, Capricornus hiberno. Praecipue vero hic triangulus est australis, propter Veneris dominationem, quae eius partis ventos ciet calidos et humidos. Admittit autem et Subsolanum, propter Capricornum, qui est Saturni domicilium. Constituitur autem hic triangulus, quem vocant mixtum ex Austro et Subsolano; ciet enim Saturnus ventos orientales, propter familiaritatem cum Sole.

Tertius triangulus ducitur per Geminos, Libram et Aquarium, tria mascula signa, aliena a Marte; sed congruentia cum Saturno et Mercurio, propter duo illorum domicilia; ideo his attribuitur hic triangulus. Ac interdiu dominatur Saturnus propter suam conditionem, Mercurius vero noctu. Signum autem Geminorum vicinum est circulo aestivo, Libra aequinoctiali, Aquarius hiberno. Potissimum hic triangulus congruit cum Subsolano, propter Saturnum. Sed quia Iovi familiaris est, fit mixtus ex Borea et Subsolano, quia familiaritas est Iovis et Saturni.

Quartus triangulus ducitur per Cancrum, Scorpium et Pisces, qui relinquitur Marti propter Scorpium, qui est Martis domicilium. Simul autem dominantur nocte Luna, interdiu autem Venus. Est autem Cancer in aestivo circulo, Scorpius propior hiberno, Pisces aequinoctiali. Ac constituitur hic trigonus occidentalis propter Martis et Lunae dominationem, ac fit mixtus ex Austro et Africo, propter Venerem.

---

8) iuxta positum orbium et eorum naturas] Ptolemaei verba sic translata haec sunt: *ἀκολούθως ταῖς τῶν κινήσεων αὐτῶν σφαίραις, καὶ ταῖς τῶν φύσεων ἰδιοτροπίαις.* Camerarius haec sic vertit: pro convenientia orbium motus ipsarum et naturae proprietate.

De altitudinibus.

Altitudinum planetarum ratio haec est. Cum Sol ingressus Arietem, ad partem coeli sublimiorem versus Arcton accedat, et in Libra descendat ad Austrum, convenienter ei altitudo in Ariete attributa est, cum dies tunc crescant, et Sol magis calefacere corpora incipiat. Econtra vero, in Libra propter contrariam causam deiectio est Solis.

Saturno autem Libra attributa est, ut, sicut in domiciliis, ita hic quoque contrarium locum teneat; Aries autem ipsius deiectio est. Nam ubi calor intenditur, ibi remitti frigus necesse est; et rursus ubi calor diminuitur, frigus crescit. Cum autem Luna post coniunctionem Solis in altitudine, videlicet in Ariete primum, deinde appareat et quasi extollatur in Tauro, trianguli sui principe, Taurus altitudo eius perhibetur, eidem oppositum signum Scorpius deiectio.

Iupiter autem, cum maxime cieat ventos aquilonares et foecundos, et in Cancro ad Boream proxime accedat, et vim suam ibi exerceat: Cancer eius altitudo est, et Capricornus deiectio.

Econtra Mars natura aestuosus et magis in Capricorno, qui etiam eo est aestuosior, quia magis australis est. Ideo opposita Iovi altitudo in Capricorno ei constituta est, deiectio vero Cancer.

Venus autem natura humectans et magis in Piscibus, unde humiditas vernalis augetur, et ubi Venus maiorem vim exercet, altitudinem habet in Piscibus, deiectionem vero in Virgine.

Mercurius vero aridior, propter contrariam naturam, in signo opposito altitudinem accipit, in Virgine, in qua autumni siccitas impendet. Econtra in Piscibus deiectus iacet.

De finibus.

De finibus duplex doctrina traditur: altera Aegyptia, quae accommodata est ad domiciliorum autoritatem; altera Chaldaica, accommodata ad triangulorum gubernationem.

Aegyptia vero, ut usitate circumfertur, nec ordinis nec numerorum consequentiam servat. Primum in ordine priores gradus attribuit tanquam fines, nunc domino domiciliorum, nunc domino trianguli, aliquando etiam illi, cuius est altitudo. Exempli causa, si domiciliorum dominos respiciunt, quaeri potest, cur in Libra priores tribuant Saturno, ac non Veneri potius? itemque cur in Ariete Iovi potius quam Marti?

Quod si triangulorum dominos respiciunt, cur Mercurio priores tribuunt in Capricorno, ac non Veneri potius? Denique si altitudines respiciunt, cur Marti in Cancro priores tribuunt, ac non potius Iovi?

Praeterea si inde sumunt fines, quia in aliquo signo plures causae concurrunt, cur Mercurio tribuunt priores in Aquario, cum ibi nihil iuris, nisi propter trigonum, habeat? Saturnus vero praesit tanquam domicilio et trigono? Cur item Mercurio primi fines attributi sunt in Capricorno, cum ei non praesit ullo modo? Ut huiusmodi inconvenientia etiam in reliqua serie animadverti potest.

Deinde numerus finium inconcinne traditur. Aiunt enim, singulos planetas tot habere fines in signis, quot sunt eius anni maiores; id vero nullam habet propriam ac probabilem rationem. Quin etiam si huic collectioni numerorum credamus, sicut asseveratur ab Aegyptiis: fieri tamen potest, ut varie mutato numero in signis, reperiatur idem numerus.

Quod vero aliqui coniecturas fucatas adferunt, prorsus fallunt, cum contendunt, tempora ascensionum configurata planetis efficere hunc numerum finium. Primum enim sequuntur vulgares traditiones de planis ascensionum eminentiis, non habita ratione diversarum elevationum poli. Procul igitur a veritate aberrant. Volunt enim in linea aequinoctiali, quae transit per inferiorem Aegyptum, cum Virgine et Libra ascendere tempora triginta octo et trientem, cum Leone et Scorpio tempora triginta quinque: cum demonstratio linearis ostendat, cum his ascendere plus temporum, cum Virgine vero et Libra minus.

Praeterea, qui hanc rationem constituere conati sunt, ne sic quidem retinent finium numerum ab aliis traditum, etsi saepe mentiri coguntur, et interdum portiones portionum adhibent, ut concinnitatem, quam volebant, tueantur, quae et ipsa a vera ratione aberrat. Ordo autem finium, ut a multis traditur, et cui propter antiquitatem fides habetur, hic adscriptus est.

Fines secundum Aegyptios.

♈	♃	6	♀	6	☿	8	♂	5	♄	5
♉	♀	8	☿	6	♄	8	♃	5	♂	3
♊	☿	6	♃	6	♀	5	♂	7	♄	6
♋	♂	7	♀	6	☿	6	♃	7	♄	4
♌	♃	6	♀	5	♄	7	☿	6	♂	6
♍	☿	7	♀	10	♃	4	♂	7	♄	2
♎	♄	6	☿	8	♃	7	♀	7	♂	2
♏	♂	7	♀	4	☿	8	♃	5	♄	6
♐	♃	12	♀	5	☿	4	♄	5	♂	4
♑	☿	7	♃	7	♀	7	♄	4	♂	5
♒	☿	7	♀	6	♃	7	♂	5	♄	5
♓	♀	12	♃	4	☿	3	♂	9	♄	2.

Chaldaica vero ratio simplicior ac probabilior est, quanquam ne haec quidem penitus concinna est, cum in serie, quam sumit a triangulorum dominiis, tum in numero, ut sine annotatione sua cuique regio attribui possit. Nam in primo triangulo, Arietis, Leonis et Sagittarii, *cum servetur* ordo signorum, primus finis est Io*vis*, *qui* dominatur illi triangulo; secundus finis *secundi* trianguli, scilicet Veneris; tertius tertii, scilicet Saturni et Mercurii; ultimus postremi trianguli, scilicet Martis. In secundo triangulo, qui est Tauri, Virginis et Capricorni, ubi similiter iuxta signorum ordinem proceditur, primus finis est Veneris, secundus et tertius Saturni et Mercurii, quartus Martis, quintus Saturni. Ad hunc modum fere in reliquis duobus triangulis ordo conspicitur. Ubi autem eiusdem trigoni duo sunt dominatores, Saturnus et Mercurius, interdiu Saturnus principatum ordinis tenebit, noctu vero Mercurius, nec numerus graduum in finibus intricatus erit.

Habeat enim subinde posterior planeta minus uno gradu in finibus, quam prior. Cum igitur primus habeat octo gradus, in secundo erunt *septem*, in tertio sex, in quarto quinque, in ul*timo* quatuor. Hi numeri collecti, erunt gradus triginta cuiuslibet signi. Ex hac distributione colliguntur Saturno gradus diurni octo et septuaginta, nocturni sex et sexaginta, Iovi duo et septuaginta, Marti novem et sexaginta, Veneri quinque et septuaginta; Mercurio diurni octo et sexaginta, nocturni sex et septuaginta: qui gradus collecti, erunt trecenti et sexaginta. Ex his duabus rationibus finium, Aegyptiacae plus fidei tribuendum est, et quia tanquam utilis ab Aegyptiis scriptoribus in tabellis annotata est, et quia gradus consentiunt cum nativitatum exemplis. Cum autem hi ipsi scriptores nec ordinis nec numeri causam ostenderint, dissimilitudo ordinis movere suspicionem et reprehensionem videtur. Incidi autem in antiquum volumen, quod aliqua ex parte vetustate consumptum erat, in quo physicae causae ordinis et numeri graduum expositae erant, et additae erant veterum geneseon descriptiones et numerus congruens cum veterum annotatione. Sed oratio erat prolixa, et continebat supervacua argumenta, et liber erat laceratus, ut vix summas rerum adsequi possem. Qua in re tabella finium in extrema libri pagina addita, quae manserat incorrupta, me adiuvabat.

Sed coniectura illorum tota se ita habet. In ordine signorum accipiuntur altitudines, trianguli et domicilia: quorum si qua stella duas habet praerogativas in eodem signo, huic praecipuus locus tribuitur, etiamsi malefica fuerit. Ubi autem tales praerogativae non reperiuntur, maleficae in extremum locum transferuntur. Altitudinum vero domini primum locum obtinent; hos sequuntur domini triangulorum, deinde domiciliorum domini secundum signorum seriem; sed ita, ut stella, quae habet duas praerogativas, praecedat in eodem signo eam, quae unam habet praerogativam, Cancer vero et Leo cum sint domicilia Solis et Lunae, attribuuntur maleficis, quae in eis potentiores sunt, quia lumina non habent fines. In Cancro quidem fines habet Mars, in Leone vero Saturnus, in quibus ordo eis conveniens servatur.

Numerus autem graduum ita traditur. Ubi non invenitur stella, duas habens praerogativas, vel in eodem signo, vel in quadrante sequentis, dantur partes septenae beneficis Iovi et Veneri; quinae vero maleficis, Saturno et Marti; Mercurio vero, qui communis est, senae. Ita numerus triginta graduum expletur; et haec regula de iis traditur, quae non habent duas praerogativas. At cum aliquae duas habent praerogativas (nam Venus et trianguli domina est, et domicilii in Tauro; Lunae enim non attribuuntur fines) his unus gradus adiicitur, vel in eodem signo, vel in proximo, usque ad quadrantem. Erantque his, in illa tabella, adscripta puncta. Auferuntur autem hi adiecticii gradus potentiorum a finibus aliorum, qui minus dignitatis habent, plerumque a Saturno; sed tamen et a Iove, propter tarditatem motus. Tabella autem finium haec est:

iudicia de aere hanc ipsam ob causam, quod non redeunt similes motus, etiamsi nunc de aliis causis variantibus aerem non dicam.

Quod vero ad genethliaca attinet, et iudicia de singulorum temperamentis, multa concurrunt alia, quae qualitates in mixtis variant.

Primum enim diversitas seminis, ad suam cuiusque generationis naturam, praecipuam vim confert, adeoque dominatur, ut in eodem aere et horizonte, tamen singula semina sui generis animantia gignant, humanum hominem, equinum equum.

Deinde regionum diversitas non exigua discrimina in nascentibus efficit, etiam cum eadem sunt semina, ut hominum, et cum eadem[3]) coeli constitutio est, tamen magna est in diversis regionibus dissimilitudo, quod ad corpora et ad animos attinet. Denique etiam cum illa, quae iam dixi, paria sunt, tamen educationes et consuetudines discrimina faciunt in parte aliqua temperamenti, aut morum, aut casuum.

Etsi igitur vis maxima est circumfusi coeli, a quo et caetera, quae diximus, suam vim sumpserunt, cum ipsa coelo nihil conferant: tamen nisi quis ea cum coelestibus causis coniunxerit, saepe errabit, si volet omnes significationes a coeli motu sumere, etiam eas, quae non prorsus a coelo pendent. Haec cum ita se habeant, etsi interdum fallunt praedictiones, non tamen ars tota damnanda est. Ut neque gubernandi artem reiicimus, etiamsi saepe fiunt naufragia; sed decet nos, ut in tanta et divina professione grato animo amplecti tantum, quantum assequi possumus, nec postulare de omnibus rebus certitudinem, tanquam ab arte penitus comprehensa hominum sagacitate; sed ornare eam et reddere instructiorem iis coniecturis, quae aliunde sumendae sunt; utque medicis non vertimus vitio, cum de morbo aegrotantis et de eius natura, quaedam sciscitantur; ita et hic non reprehendendum est, si qua de regionibus, genere, moribus, aut aliis accidentibus requirenda esse dicemus.

Quod sit utilis doctrina de effectibus coelestibus.

Supra breviter exposui, possibilem esse praedictionem ex astrorum motibus ac natura sumptam, et quod ad accidentia aeris, ac ad eas hominum dispositiones pertineat, quae ab aere oriuntur, quae sunt primordia facultatum et actionum corporis et animi, et certis temporum momentis venientes adfectus aut morbi, et longaevitas ac vitae brevitas, et alia quaedam externa adiumenta aut detrimenta praecipua, naturali ordine nascentibus copulata: ut cum corpore res familiaris et convictus, cum anima honores et dignitas, et horum mutationes pro tempore. Nunc de utilitate, ut propositum fuit, dicemus. Sed prius constituendum est, quid utile velimus intelligi, et ad quem finem referri.

Si enim animi bona spectabimus, quid erit optabilius ad tranquillitatem, gaudium et oblectationem, multarum rerum humanarum et divinarum consideratione? Si vero ad corporis utilitatem respicimus, haec doctrina magis quam ulla alia ostendit, quid cuiusque constitutioni et temperamento proprium sit, et conveniens.

Quod vero non conducit ad opes augendas, aut ad consequendos honores, commune crimen est huic parti cum tota philosophia, quae, quantum in ipsa est, talium bonorum non est largitrix aut effectrix. Sed ut neque hanc propterea damnamus, ita nec nostram scientiam abiiciemus, cum quidem alias maiores utilitates adferat.

Qui vero eam[4]) inutilem esse contendunt, hi non alia gravi causa moveri se dicunt, nisi fatali necessitate. Videtur enim supervacuum, praevidere ea, quibus occurrere diligentia, et quae arte vitare non possumus. Sed id quoque inconsiderate dicitur.

Primum enim in his, quae necessario accidunt, ignorantia in re subita et improvisa, consternationes animorum maiores et immoderatas laetitias efficit. Praevisio vero adsuefacit et moderatur animum, ut ad ventura se confirmet, perinde ac si essent praesentia, ac praeparat nos, ut placide et constanter ea excipiamus.

Deinde nec existimandum est, singula hominibus a coelesti causa accidere, tanquam prorsus ab immutabili et divino decreto, et quasi lege lata de singulis, ut necessario eveniant, nec possit alia causa obsistere. Nam ipse quidem motus coelestis divina quadam et aeterna lege immutabilis est; sed inferiora fato naturali et mutabil variantur, cum quidem primas causas mutationum a coelo accipiant, quae accidunt eis subinde aliter per consequentiam.

3) eadem] Ed. 1553. errore typogr.: eodem.

4) eam] in Ed. 1553. deest.

Ac hominibus multa accidunt propter generalem constitutionem, non ex propria particularis naturae qualitate: ut quando propter magnas aeris conversiones, quae difficulter caveri possunt, totae gentes intereunt, sicut fit in ardoribus, aut pestilentia, aut diluviis, cum semper inferior causa succumbat maiori et validiori. Alia vero eveniunt propter singulorum naturale temperamentum, ab exigua et imbecilli coeli actione orta. Hoc discrimine animadverso, perspicuum est, eventus, seu communes seu particulares, qui a coelo tantum oriuntur, cui nulla vis obsistere potest, quodque vim maiorem habet quolibet contra nitente, necessario accidere.

Alii vero eventus, qui non a solo motu coeli oriuntur, si accedant opposita remedia, facile mutantur; si vero non adhibeantur remedia, eventus sequentur primas causas. Idque fit inscientia hominum, non propter fatalem necessitatem. Idem accidit in omnibus, quae habent causas naturales et principia. Nam et lapides et plantae et animantia, et vulnera et morbi et aegritudines, partim necessarias habent effectiones, partim impediri oppositis remediis possunt.

Sic igitur existimandum est, naturae studiosos praedicere eventus, qui accidunt hominibus, tali doctrina, non inani aliqua opinione.

Quorum igitur eventuum multae et magnae causae sunt, hi sunt inevitabiles; sed alii, qui leviores habent causas, facile vitari possunt; sicut medici, qui morbos arte observant, discernere possunt letales ab iis, qui sunt curabiles.

De his igitur eventibus, qui mutari possunt, sic audiemus Genethliacum, cum talis sit constitutio: Si fuerit conversio temperamenti corporis secundum plus vel minus, iuxta hanc aeris qualitatem, morbus talis existet. Sic et medicus de ulceribus iudicans, futurum praedicet: quae serpent, quae putrefactionem facient. Sic et de metallis dici potest: Magnes ferrum trahit. Utrumque enim si suae naturae relinquetur, et ignorentur impedientia, vim exercebit suae naturae propriam et primam. Sed ulcera nec serpent, nec putrefactionem facient, si contraria curatio accesserit; nec ferrum trahet magnes, si magneti allium fuerit illatum. Sicut igitur haec impedientia fato aliquo naturali contrariam habent vim, sic et de inclinationibus a coelo ortis dicatur, cum aut ignorantur futura, aut non impediuntur contrariis rebus, primae naturae seriem sequentur. Sed cum praevidentur et caventur naturalibus remediis, quae vim habent contrariam quasi fatali ordine, aut prorsus avertuntur, aut mitigantur eventus.

Denique cum eadem vis conspiciatur in quatuor anni partibus, et in particularibus corporum mutationibus, mirum est, cur omnes fateantur generales praedictiones possibiles esse, eisque fidem habeant, et diligentiam in cavendo adhibeant. Nam quatuor anni tempora, et fixarum stellarum significationes, et Lunae positus, plurimi et observant et magna diligentia remedia opponunt; aestum leniunt rebus frigefacientibus, hiemem calefacientibus, et in universum dant operam, ut temperamentorum mediocritates efficiant; observant et stellas fixas, ante quatuor anni tempora et ante navigationes. In coitu vero pecorum et serendis plantis, Lunae positus considerant; neque hanc diligentiam aut impossibilem, aut inutilem esse censent. Cur igitur in particularibus negant possibilem praedictionem aut utilem esse, cum ex reliquarum proprietatum mixtura, maior aut minor aestus aut humiditas praedicitur?

Cum autem manifestum sit, generales aestus minus sentire eos, qui frigida opponunt: potest eodem modo in singularibus fieri, ut opponantur remedia adversus ea, quae augent immoderatos ardores, peculiariter in hoc temperamento.

Sed errores in singularibus eo saepius accidunt, propterea quod difficulter praevideri possunt, quod etiam in reliquis artibus accidit, eisque fidem detrahit. Deinde plerumque contraria remedia negliguntur, ac rarissima est natura adeo felix, quae inde usque ab exordio non fuerit impedita. Inde fit, ut existimentur omnia immutabiliter evenire, nec caveri posse.

Sic igitur statuo: Ut praevisio, etsi interdum fallimur, tamen aliqua possibilis est, et animadversione digna: sic et doctrinam de cavendis malis, etiamsi non omnia avertit, tamen cum aliqua depellat, seu magna, seu parva, studiose amplecti et magni lucri instar ducere convenit.

Haec cum Aegyptii intelligerent ita se habere, qui hanc artem maxime celebrarunt, praedictionibus astronomicis semper medicam artem adiunxerunt. Neque enim expiationes et aversiones et remedia adversus futura aut praesentia mala, communia vel particularia, tradidissent, si in hac opinione fuissent, averti aut tolli ea non,

♈	♃	6	♀	8	☿	7	♂	5	♄	4
♉	♀	8	☿	7	♃	7	♄	4	♂	4
♊	☿	7	♃	7	♀	7	♄	4	♂	5
♋	♂	6	♃	7	☿	7	♀	7	♄	3
♌	♄	6	☿	7	♀	6	♃	6	♂	5
♍	☿	7	♀	6	♃	5	♄	6	♂	6
♎	♄	6	♀	5	♃	8	☿	5	♂	6
♏	♂	6	♃	8	♀	7	☿	6	♄	3
♐	♃	8	♀	6	☿	5	♄	6	♂	5
♑	♀	6	☿	6	♃	7	♂	6	♄	5
♒	♄	6	☿	6	♀	8	♃	5	♂	5
♓	♀	8	♃	6	☿	6	♂	6	♄	4.

Nonnulli etiam exilius partiti sunt dominationum iura, vocaruntque locos et partes. Ac locum tradiderunt esse uniuscuiusque signi portionem duodecimam, id est, gradus duos et dimidium. Cum enim incipiant a signo, in quo est stella, tribuunt vim illi loco in sequentibus signis. Alii excogitarunt alias distributiones, sine ratione. Partes vero tribuunt in quolibet signo ab initio cuilibet planetae, iuxta ordinem finium tabulae Chaldaicae.

Sed haec ad ostentationem excogitata, et plausibiliter proposita, sine physica ratione, relinquamus. Illud vero, quod scire dignum est, non omittatur, consentaneum esse rationi, signorum initia ab aequinoctiorum et solstitiorum punctis inchoare, idque scriptores ostenderunt. Et videmus naturas, vires et familiaritates stellarum causam sumere a solstitiorum et aequinoctiorum initiis, et non aliunde. Quod si alia initia constituerimus, aut signa a iudiciis excludemus, aut si complectemur, errabimus, cum iam spatia, a quibus signa vires sumunt, retro acta sint.

De sua cuiusque stellae facie, carpentis ac soliis.

Familiaritates stellarum et signorum fere tales sunt, ut exposui. Dicuntur autem faciem suam habere, quando tantum est intervallum inter planetam et Solem aut Lunam, quantum distat domus planetae a domo Solis aut Lunae. Ut verbi causa, cum Venus sexangula configuratione distat a luminibus, sed sit cum Sole vespertina, cum Luna vero matutina, ut congruit domiciliis eorum.

Dicuntur autem in suis carpentis vehi et soliis, quando ius familiaritatis in iis locis, in quibus sunt, exercent, duobus aut pluribus modis. Cum enim tunc maxime efficaces sint propter convenientiam, auxilium et cognationem signorum, dicuntur in suis soliis collocari ac fulgere. Gaudere etiam stellam dicunt, cum locus, etiamsi ipsi non est proprius, tamen alteri cognato familiaris est. Quae convenientia etiamsi ex longinquis ducitur, tamen propter similitudinem quaedam est communicatio. Contra vero in contrariis locis, peculiaris earum vis fit dilutior, quia dissimiles naturae confusionem temperamentorum infaustam efficiunt.

De applicationibus et defluxibus.

In universum intelligimus applicari sequentibus praecedentes, defluere vero a praecedentibus sequentes; sed ita, ne sit longum intervallum. Quod intelligitur et in corporeis congressibus et in configurationibus, nisi quod in corporeis congressibus etiam latitudines notari convenit. Non enim admittimus, nisi eos congressus, qui fiunt per mediam lineam, quod in configurationibus observare supervacuum est, cum radii ad terram vel ad centrum tendentes, ibi concurrant, undecunque missi sunt.

Epilogus.

Ex his omnibus perspicuum est, vires stellarum sumendas esse, cum a propria qualitate, tum a signis, tum a positu ad Solem [9]), tum a cardinibus, eo modo, ut dixi. Sed vires assumunt, si sint orientales seu directi; tunc enim validiores sunt, quam cum sunt occidentales et retrogradi; tunc enim languidiorem vim habent. Deinde pro positu ad horizontem. Nam in medio coeli, aut loco succedente efficaciores sunt; postea vero magna est efficacia, cum sunt in horizonte, aut succedente loco.

Plurimum vero valent in finitione orientali; minus autem in imo coeli, aut alio loco adspiciente eum. Sed cum prorsus non adspiciunt, omnino languidi sunt et imbecilles.

9) Solem] Ed. 1553. pro hac voce h. l. habet signum ☉.

LIBER SECUNDUS.

Praecipuam doctrinam breviter expositam, ut in tabella, necessariam ad praedictiones eventuum singularium, hactenus in summa tradidimus. Nunc adiungamus doctrinam de praedictione singularium, quatenus possibile est, ubique naturalium causarum rationem sequentes.

Cum autem duae sint praecipuae partes praedictionum astronomicarum: altera universalis, quae regionum, gentium aut urbium qualitates indicat; altera particularis, quae singulorum hominum fata considerat: prius de universali dicendum est, quia eventus magnarum regionum maioribus et validioribus causis moventur, quam eventus particulares hominum. Cum igitur semper imbecilliores naturae potentioribus, et particulares universalibus subiiciantur: necesse est prius dici de generalioribus, si particularia consideraturi sumus.

Caeterum haec universalis consideratio aut est totarum regionum, aut partium et certarum urbium. Praeterea aut maiores mutationes statis recurrentes temporibus, ut bellorum, pestilentiae, terrae motuum, diluvii et similes indicantur; aut leviores et minores, ut annuae tempestatis, intensio aut remissio, aut hiems horridior aut mitior, flatus ventorum, aestus, ubertas, sterilitas et alia huius generis.

Anteferenda est autem observatio eventuum maiorum, et qui totis regionibus accidunt, propter causam praedictam. Horum cognitio duo requirit: primum considerationem, ad quas partes Signiferi, et ad quas stellas quaelibet regio pertineat; secundo considerationem, quales in singulis partibus effectiones existant certo tempore propter defectus luminum, transitum errantium stellarum, ortus et stationes.

Hanc consensionem primum iuxta naturalem rationem exponamus, obiter etiam recitantes gentium proprietates corporis et morum, quae non sunt alienae a naturali qualitate stellarum et signorum, quibus subiectae sunt.

De proprietate universali gentium.

Distinguuntur autem gentium proprietates cum iuxta parallelos et angulos, tum iuxta positum ad Eclipticam et Solem. Nam cum nostra habitatio sit in uno aquilonari quadrante, alii subiecti australioribus parallelis, qui sunt ab Aequinoctiali ad Tropicum aestivum, cum Sol feratur supra eorum verticem, magis usti, atra corpora habent, et crispos et densos capillos, contractam faciem, tabefacta membra, natura calidi et moribus plerumque feri, propter adsiduum aestum in suis locis, quos vocamus Aethiopes. Ac non solum ipsi tales sunt, sed et eius loci aer et animantia et plantae sunt aridiores.

Qui vero sub parallelis aquilonaribus degunt, id est, recta sub ipsa Arcto, quia procul absunt a Zodiaco et calore Solis magis frigefiunt, ideoque humore magis abundant, qui nutrit eorum corpora. Cumque non exhauriantur aestu, colore sunt candidiore, et capillos habent promissos, procera et succi plena corpora et nonnihil gelida. Sunt autem et ipsi feris moribus propter assidua frigora, et longiores sunt hiemes in eo aere, et grandiores arbores et saevae bestiae. Vocamus autem hos generaliter Scythas.

Qui autem tenent loca interiecta inter Tropicum aestivum et Arcton, quia neque supra verticem ipsorum Sol evehitur, neque inde longissime ad Austrum recedit, in aere degunt temperato, qui quamquam frigoris et aestus differentias habet, tamen hae non sunt magnae, nec magnas diversitates in corporibus aestus et frigora faciunt. Ideo colore medio sunt, mediocri statura, natura temperata, coniuncti habitationibus, placidi moribus. Horum, qui propiores sunt Austro, in genere ingeniosiores et callidiores et rerum divinarum peritiores sunt, quia verticale punctum eorum propius est Zodiaco et planetis, quibus quasi familiariores habent et ipsi sagaciores animas in investigatione naturae et in disciplinis percipiendis maiorem celeritatem. Praeterea homines in Oriente degentes, magis masculos animos et firmiores habent, minus sunt occultatores; nam Oriens naturae Solaris est. Quare ea terrae pars diurna, virilis et dextra existimanda est: ut in animantibus dextra calidiora et firmiora sunt.

Ad Occidentem vero degentes, effoeminatiores sunt, et molliores, et occultatores; nam haec pars Lunae attribuitur, quia Luna post coniunctionem semper primum ab occasu conspiciendam

se praebet. Ideo nocturna est et sinistra, tanquam Orienti opposita.

Quomodo regiones ad trigonos et stellas congruant.

Congruunt autem in singulis terrae tractibus, propriae humorum qualitates et inclinationes ad signa. Ut enim aeris constitutio in iis locis, quae dixi calida, frigida aut temperata esse, differentias habet in particularibus regionibus, ubi communis qualitas intenditur aut remittitur propter situs ordinationem, altitudinem, aut humilitatem; cumque alii magis sint equestres propter patriae planitiem, alii navigatores propter vicinum mare, et aliqui propter regionis ubertatem mitiores: ita et diversae qualitates sunt gentium, ut aliae ad alia signa particulariter congruant, quae tamen qualitatum similitudo ad plurimos in genere pertinet. Necesse est igitur summatim exponi hanc considerationem, quatenus ad particularem doctrinam conducit.

Cum igitur in Signifero quatuor triangulae figurae constituantur, ut supra ostensum est, una Arietis, Leonis et Sagittarii, quae vocantur mixta ex Aquilone et Africo, ut gubernans occasum solstitialem: hic triangulus gubernator potissimum a Iove propter locum septentrionalem et a Marte propter occasum.

Triangulus autem Tauri, Virginis et Capricorni, Austrisolanus, in ortu brumali regitur praecipue a Venere, propter meridiem; deinde et a Saturno, propter ortum.

Triangulus autem Geminorum, Librae et Aquarii, mixtus ex Aquilone et Subsolano, in ortu solstitiali regitur praecipue a Saturno, propter ortum, habetque socium gubernationis Iovem propter Aquilonem.

Triangulus autem Cancri, Scorpii et Piscium, mixtus ex Austro et Africo, in occasu brumali regitur a Marte, propter Africum, habetque sociam Venerem, propter Austrum.

Quae cum ita se habeant, et nostra terra distribuatur in quadrantes quatuor, accommodatos ad triangulorum numerum, latitudo dividitur per lineam maris nostri, a freto Herculano ad sinum Issicum ducta; et deinceps ad ortum per montanum dorsum, quae linea aquilonarem partem ab australi separat. Linea vero ex Arabico sinu per Aegaeum pelagus, Pontum et Maeotidem paludem ducta discernit Orientem et Occidentem. Ita fiunt quadrantes quatuor, iuxta trigonorum numerum.

Primus igitur quadrans ad occasum solstitialem, mixtus ex Aquilone et Africo, continet Celticam; communi nomine dicitur Europa.

Huic oppositus secundus quadrans ad Austrosolanum, versus orientalem Aethiopiam, ad ortum brumalem, dicitur magnae Asiae pars australis.

Tertius quadrans ad ortum solstitialem, mixtus ex Aquilone et Subsolano, versus Scythiam, dicitur magnae Asiae pars aquilonaris.

Huic oppositus quadrans ad occasum brumalem, mixtus ex Aquilone et Austro, versus occidentalem Aethiopiam, dicitur communi nomine Libya.

Praeterea singuli quadrantes, qua vergunt in medium totius nostrae terrae, aliam sumunt naturam, quam qualem habet totus quadrans ad totum orbem collatus. Medius enim Europae locus, quae sita est ad solstitialem occasum, si respicias universam terram, oppositus est ortui brumali, ab ea parte quadrantis. Ita in caeteris iudicandum est, unumquemlibet quadrantem familiaritatem habere cum duobus trigonis inter se oppositis, cum extremae partes peculiaribus trigonis regantur, mediae vero assumant stellas dominantes in oppositis partibus. Ac ut in extremis soli trianguli dominantur: ita in medio ad dominatores oppositorum adiungatur Mercurius, propterea quod communem et mediam naturam qualitatum habet.

Quibus ita dispositis, regiones in primo Europae quadrante, ad solstitialem occasum sitae, naturam habent trigoni, Arietis, Leonis et Sagittarii, et dominantur Iupiter et Mars vespertini. Hae sunt, si de totis gentibus fiat iudicium, Britannia, Belgica, Germania, Bastarnia, Italia, Gallia, Gallia togata, Apulia, Sicilia, Tyrrhenia, Celtica, Hispania. In his gentibus congruunt mores ad trigonum et dominatrices stellas. Sunt enim impatientes servitutis, cupidae libertatis, armorum et bellorum studiosae, patientes laboris, amantes dominationem et munditiem, magnitudine animorum praestantes.

Quia vero Iupiter et Mars habent se tanquam vespertini, et quia triangulus eorum priore parte masculus est, posteriore femineus, mulierum amoribus minus tenentur et pravi sunt ad libidines alias. Interim tamen retinent fortitudinem,

communicationem, fidem, amorem erga suos, et beneficentiam. Magis autem naturam Arietis et Martis referunt Britannia, Belgicum, Germania, Bastarnia. Quare in his regionibus magna ex parte homines sunt magis feri et truces. Italia, Apulia, Gallia togata, Sicilia, Leonem et Solem magis referunt: ideo dominationis cupidi sunt, benefici et magis amantes communicationis; Tyrrheni vero et Celtae et Hispani, Sagittarium et Iovem: quare munditiei amantes sunt.

Reliqua loca huius quadrantis vergentia in medium totius terrae, Thracia, Macedonia, Illyricum, Graecia, Achaia, Creta, insulae Cyclades, et maritima loca Asiae minoris, et Cyprus, spectantia versus ortum brumalem totius quadrantis, adsumunt naturam trianguli, qui dominatur in ortu brumali, scilicet Tauri, Virginis et *Capricorni*, et accedunt Venus, Saturnus et Mercurius. Sunt igitur earum regionum homines magis inter se similes et temperati, dominationis cupidi, generosi, impatientes servitutis, propter Martem; studiosi musices doctrinae, libertatis, suo consilio constituentes respublicas, popularem gubernationem amantes, legumlatores, propter Iovem; amantes spectacula et munditiem, propter Venerem; comes, hospitales, iustitiae et litterarum et eloquentiae studiosi, propter Mercurium. Rursus ex his aliquae regiones magis referunt naturam Tauri et Veneris; videlicet Cyclades et maritima ora minoris Asiae, Cyprus. Ideo magna ex parte illi homines sunt dediti voluptatibus, amantes munditiem et corpora diligenter curantes. Virginis autem et Mercurii naturam magis referunt Graecia, Achaia, Creta. Ideo ibi homines sunt studiosi doctrinae, et magis animam quam corpora exercentes.

Capricorni vero et Saturni naturam referunt Macedonia, Thracia et Illyricum. Ideo sunt ibi homines cupidi divitiarum, nec placidi, nec amantes communicationum.

In secundo quadrante, qui spectat Austrum, pars est magnae Asiae, India, Ariana, Gedrosia, Parthia, Media, Persia, Babylonia, Mesopotamia, Assyria, quae sitae sunt ad ortum brumalem, quod ad universae terrae positum attinet. Et congruunt ad hunc trigonum, scilicet Taurum, Virginem et Capricornum, regunturque a Saturno et Venere orientali positu. His igitur naturae harum gentium congruunt. Colunt enim Venerem, quae ab ipsis nuncupatur Isis; et Saturnum et Solem, quem vocant Mithram; et multae sunt ibi naturae vatidicae, et consecrantur ibi pudendae corporum partes, quia positus ille semen auget. Suntque gentes illae calidae et pronae ad concubitum et libidines, deditae saltationi et amantes ornatus propter Venerem, et luxum quaerentes propter Saturnum. Palam vero et non in occulto cum mulieribus concumbunt, propterea quod planetae orientali positu eis dominantur; concubitus vero masculorum oderunt. Multi etiam cum matribus consuetudinem habent, et pectore supplices gestus edunt, propter ortum matutinum, et quia pectoris principatus congruit cum Sole. Amant in vestitu et universo cultu corporis, nitorem et munditiem muliebrem, propter Venerem; et tamen animis et consiliis sunt generosi et bellicosi, propter ortum matutinum Saturni. Peculiariter vero magis a Tauro et Venere reguntur Parthia, Media et Persia. Quare harum regionum incolae vestitu utuntur florido, teguntque tota corpora praeter pectus, et in universum deliciarum et munditiei studiosi sunt.

A Virgine et Mercurio reguntur Babylonia, Mesopotamia, Assyria, quae ideo antecellunt cognitione mathematum et observatione motuum coelestium et siderum. A Capricorno vero et Saturno reguntur India, Ariana, Gedrosia: ideo earum regionum cultores sunt deformes, immundi, beluini.

Media vero loca huius quadrantis, Idumaea, cava Syria, Iudaea, Phoenice, Chaldaea, Orchinia, Arabia felix, spectant septentrionem et occasum, iuxta situm universae terrae. Est igitur cognatio cum triangulo occasus solstitialis, Ariete, Leone et Sagittario; et praesunt Iupiter, Mars et Mercurius. Itaque hae gentes magis exercent mercaturas et rerum permutationes, et sunt magis versuti, periculorum contemptores et insidiatores, et animis servilibus et omnino varii, ut stellarum inter se configuratio talium ingeniorum varietatem efficit. Et harum regionum cava Syria, Iudaea, Idumaea, magis Arieti et Marti attribuuntur: sunt igitur audaces, superstitionum contemptores et insidiatores; Phoenices vero et Chaldaei et Orchinii, Leoni et Soli: quare hi magis ingenui et benefici sunt, et studiosi doctrinae de siderum motu et effectionibus, et prae caeteris gentibus colunt Solem. Arabia felix magis attribuitur Sagittario et Iovi: unde

ubertas est nomini conveniens, et aromatum copia, et hominum dexteritas, et liberalitas in conversatione, contractibus et negotiatione.

Tertius trigonus Geminorum, Librae et Aquarii. In tertio quadrante, qui est ad septentrionem magnae Asiae, sunt Armenia, Hyrcania, Matiana, Bactriana, Caspia, Serica, Sarmatia, Oxiana, Sogdiana, spectantque ad ortum solstitialem, iuxta situm universae terrae, et congruunt ad trigonum ortus solstitialis, Geminos, Libram et Aquarium. Reguntur autem a Saturno et Iove, positu Eoo. Colunt igitur gentes illae Iovem et Saturnum, et sunt divites, splendentes auro, et in victu mundae, et sapientiae magorum studiosae, iustae, liberales, magnanimae, acres vitiorum hostes, amantes cognatorum, adeo ut facile pro eis mortem oppetant, pietate aut gloria moti, castae, nitidae, in vestitu splendidae, beneficae et excelsae animis, quae plerumque efficit matutinus positus Saturni et Iovis. Ex his autem Hyrcani, Armenii et Matiani magis referunt naturam Geminorum et Mercurii: quare ingenia habent mobiliora et minus candida. Bactrianae, Caspiae et Sericae gentes a Libra et Venere reguntur: sunt igitur divites, et amantes musicae et deliciarum. Sarmatae, Oxiani et Sogdiani Aquarium et Saturnum referunt: sunt igitur hae gentes horridiores magis, tetricae et incultae. Caeterae in hoc quadrante, quae ad medium universi orbis accedunt, Bithynia, Phrygia, Colchica, Syria, Comagene, Cappadocia, Lydia, Cilicia, Pamphylia, spectantes occasum brumalem, assumunt naturam trianguli occasus brumalis, Cancri, Scorpii et Piscium; et simul reguntur a Marte, Venere et Mercurio. Quare et harum regionum homines fere ubique colunt Venerem, quae ipsis est mater Deorum, apud alios aliis appellata nominibus; et Martem, cui tribuunt nomen Adonidos, aut etiam alias appellationes, et lugubria eis sacra faciunt. Sunt autem valde pravi, serviles, laboriosi, cupidi nocendi, dediti mercenariae militiae, praedas et captiva mancipia abducentes; exercent et inter sese latrocinia, et alii alios in servitutem redigunt, propter Martis et Veneris matutinum concursum. Quia vero Mars in triangulo Veneris in Capricorno exaltationem habet et Venus in Martis triangulo in Piscibus: ideo mulieres in iis locis valde amant maritos suos et liberos, et sunt fidae custodes rei domesticae, laboriosae, officiosae, sedulae et morigerae. Et in his Phrygia, Bithynia, Colchica magis referunt naturam Cancri et Lunae. Ideo magna ex parte viri sunt timidi et servitutis patientes; mulieres vero propter Lunae exortum et masculum positum, viriles, imperiosae et bellatrices, ut Amazones, fugientes virorum consuetudinem, armis gaudentes, et ab infantia adsuefacientes puellas ad officia propria sexus marium, et praecidentes dextras mammillas, ut ad praeliandum magis idoneae sint, eamque partem nudantes, ut ostendant se non feminarum more vivere.

Syria vero, Comagene et Cappadocia congruunt cum Scorpio et Marte. Sunt igitur earum regionum homines, audaces, improbi, insidiatores, laboriosi. Lydi vero, Cilices et Pamphylii ad Pisces et Iovem pertinent. Sunt igitur divites, liberales, negotiatores, amantes libertatis et in contractibus non morosi.

Postremus quadrans est Libyae, ut communi nomine appellatur, continens Numidiam, Carthaginem, Africam, Phyzaniam, Nasamoniticam, Garamantes, Mauros, Gaetulos, Metagonithas. Huius quadrantis situs est ad occasum brumalem, et refert naturam trigoni occasus brumalis, scilicet Cancri, Scorpii et Piscium, et gubernatur a Marte et Venere positu vespertino. Quare saepe in illis regionibus, propter illorum siderum copulationem, simul duo regnum tenent, vir et mulier, aut frater et soror: ut vir maribus et mulier mulieribus imperet, et idem in successionibus servetur. Sunt autem valde calidi, et proni ad mulierum concubitum, raptores coniugum, et in multis locis reges primum concumbunt cum novis nuptis; alicubi communes sunt multorum coniuges, et viri muliebrem ornatum amant, quia Venus eis praeest; audaces tamen sunt, et ad malitiam astuti, magi, impostores, temerarii, contemnentes pericula propter Martem. Ac Numidae, Carthago, Africa, magis familiares sunt Cancro et Lunae. Ideo consuetudo vitae eorum magis civilis est, et officiosa in communicatione et negotiationibus, et degunt in magna rerum adfluentia. Metagonitae, Mauritani, Getuli referunt naturam Scorpii et Martis; ideo magis foedi sunt, et carnivori, contemnentes periculorum et vitae, et domesticis bellis se mutuo perdentes.

Phyzania, Nasamonitae et Garamantes ad Pisces et Iovem pertinent; ideo sunt liberi, sim-

plices ingeniis, amantes laborum, placidi, munditiei et libertatis cupidi magna ex parte, et propter Iovem colunt Hammonem.

Huius vero quadrantis ea pars, quae ad medium orbis terrarum vergit, Cyrenaica[10]), Aegyptus, Thebais, Marmarica, Oasis, Troglodytae, Arabes, Azania, Aethiopia media; hic totus tractus oppositus ortui boreali, assumit aliquid naturae trianguli ortus borealis, Geminorum, Librae et Aquarii; et simul dominantur Saturnus, Iupiter et Mercurius; unde et harum gentium homines, cum regantur vespertino positu horum planetarum, reverentes sunt Deorum, superstitiosi, dediti caeremoniis et funerum ritibus, et mortuos terra condentes et amoventes ex conspectu, propter vespertinum positum. Variis autem legibus et caeremoniis utuntur; suntque in parendo humiles, timidi, pusillanimes et omnia tolerantes; in imperiis vero animosi et magnifici, et viri plures uxores habent, et feminae multos viros, proni feruntur ad libidines, et cum sororibus consuetudinem habent, et in gignendo magna est virorum potentia, et in conceptu magna mulierum foecunditas, conveniens eius terrae ubertati. Multi autem viri ignavi sunt, et effoeminati animis; aliqui et partes genitales excindunt propter maleficorum planetarum et Veneris vespertinum positum.

Ex his gentibus vero Cyrenaici, Marmaricae et inferioris Aegypti incolae, Geminorum et Mercurii naturam referunt. Ideoque sunt cogitantes, intelligentes ac sagaces, in omnibus rebus et praecipue in sapientia et divinis rebus, magici, et arcana sacra exercentes, et maxime disciplinarum capaces. Thebaida qui tenent et Oasim et Troglodyticen, ad Librae et Veneris naturam pertinent; ideo calidi sunt, mobiles, et voluptatibus dediti. Arabes, Azani, Aethiopes medii, ad Aquarii et Saturni naturam pertinent; ideo carnibus et piscibus magis vescuntur, et sunt vagabundi, agrestem et beluinam vitam agentes.

Hactenus exposui in genere, quae sit familiaritas planetarum et signorum cum singulis gentibus, et quae inde proprietates existant. Nunc, propter faciliorem usum, ad singula signa certas gentes accommodabo, hoc modo.

10) Cyrenaica] sic scripsimus = Ptol. Κυρηναϊκή; Ed. 1553, errore typogr.: Cyreca.

Admonitio de particularium praedictione.

His expositis, huic parti haec adiungi utile est. Fixarum enim stellarum singulae illis regionibus significant, quibus et Zodiaci partes attributae sunt, vicinae his stellis, adspicientibus eas regiones, inducto per eundem polum circulo, et propterea cognationem habentibus cum iis Zodiaci partibus.

Praecipuis vero urbibus ea loca Zodiaci maxime significant, in quibus Sol et Luna, cum initia essent extructionis earum, fuerunt, ut in genesi et ex cardinibus horoscopus. Quarum autem tempora extructionum non reperiuntur, medium coeli geniturae principum aut regum quolibet tempore sumatur. Inde summatim pertexi praedictiones poterunt, praecipue de insignibus accidentibus universarum regionum, aut urbium, cuius considerationis modus erit talis.

Prima et efficacissima causa talium eventuum, est copulatio Solis et Lunae in defectibus, et stellarum eo tempore transitus.

Primum autem locus indicandus est, cui regioni aut urbi Solis aut Lunae defectus, aut stellarum Saturni, Iovis et Martis stationes portendant.

Secundo, tempus indicandum est, quando aut quamdiu duraturi sint eventus.

Tertio, genus eventuum: ut, famesne an bella significentur.

Quarto, species, quis sit modus eventuum: ut, qui sint futuri victores.

De consideratione regionum, ad quas pertinent affectus.

Primum de loco coniecturam ita faciemus. In defectibus Solis et Lunae maxime insignibus considerabimus locum Zodiaci, in quo fuit luminum defectus, et regiones ei loco iuxta trigonorum distributionem familiares; et quae urbes propter horoscopum in extructione, aut propter locum, quem eo tempore lumina tenuerunt, aut propter medium coeli in nativitatibus principum earum regionum familiaritatem habent, cum loco defectus.

Quas autem regiones aut urbes ita congruere cum loco defectus videbimus, ad has magna ex parte eventus pertinere iudicabimus, maxime si-

cum signo, in quo fuit defectus, copulentur, et si defectus illis regionibus supra terram extiterint.

De tempore eventuum.

Secunda doctrina de tempore significationum et duratione, talis est. Cum enim defectus Solis et Lunae non iisdem horis inaequalibus in omnibus regionibus fiant, nec obscuratio corporum, nec duratio similis sit: primum in qualibet regione pro proportione sumentur, hora ecliptica, et poli altitudo, et cardines, ut in genesi. Deinde, quot horis aequinoctialibus in qualibet regione, pro proportione, duret obscuratio, considerandum est.

His inquisitis, quot horas aequinoctiales inveniemus, tot annis durabit eventus eclipsis Solaris, tot vero mensibus eclipsis Lunaris.

Initia vero et incrementa effectionum cognoscemus ex loco defectus, adspiciente cardines. Nam cum locus erit in horizonte orientali, initium erit a quadrimestri proximo post defectum. Vehementiores autem progressiones erunt in primo triente universae durationis. Sed si locus defectus erit in medio coeli, initia erunt secundo quadrimestri, et vehementiores progressiones in secundo triente. Sin autem erit locus defectus in occidentali horizonte, initia erunt tertio quadrimestri et vehementiores effectiones in tertio triente.

Verum particulares remissiones et intentiones iudicabuntur ex coniunctionibus, quae interim fient in illo loco, ubi fuit eclipsis, aut in adspicientibus eum locum, et ab aliis stellis una orientibus, quae significant effectiones, cum aut in ortu, aut in occasu, aut in stationibus, aut in ortu vespertino, signa adspiciunt, in quibus fuit defectus.

Nam ortus et stationes faciunt incrementa eventuum. In occasu vero et occultatione sub radiis, et ortu vespertino, remissiones fiunt eventuum.

De genere eventuum.

Tertium caput est, unde sciatur, quales futuri sint eventus. Id ex qualitatibus et figuris eorum signorum sumitur, in quibus fuerunt luminum defectus, et locis stellarum dominantium erraticarum et fixarum, et signo ipso, in quo fuit defectus, et signo, quod est in cardine.

Dominatio autem stellarum errantium ita sumetur. Nam qui planeta pluribus modis congruet ad utrumque locum defectus, et ad cardinem, qui sequitur, hic solus dominabitur, videlicet qui apparente accessu aut defluxione proximus est, aut qui adspectu aliquo configuratus, aut plus valet propter domicilium, aut triangulum, aut altitudinem, aut propter fines. Sin autem non invenitur idem dominus loci defectus et cardinis, sed duo: anteferatur quidem dominus loci defectus, sed tamen adiungatur alter, qui ad utrumque magis congruit. Sin autem multae stellae pari autoritate utrumque locum intueri videbuntur: anteferenda erit propior cardini, aut potentior significatione, aut qualitate familiarior.

Stellarum autem fixarum assumenda est ea, quae quasi praesidet praetereunti cardini, et splendore potior est secundum novem modos, quos in libro octavo Magnae compositionis [11]) tradidi; aut quae simul oritur in ipsa hora defectus, aut tenet medium coeli iuxta cardines, locum defectus sequentes.

His ita consideratis, et assumptis stellis ad causas iudicandas, figurae signorum adspiciantur, in quibus fit defectus, et in quibus sunt stellae dominantes, unde genus eventuum iudicari poterit. Nam quae habent humanam figuram in Zodiaco, significant hominibus. Terrestria vero significant iis, quorum figurae signis similes sunt. Serpentes mala significant ex anguibus, et ferae mala ex feris. Bestiae mansuetae significant damna ex domesticis et mansuetis, et ad utilitates vitae accommodatis, ut singularum figurarum fert ratio, equorum, boum et aliarum. Et figurae septentrionales terrenae subitos terrae motus, meridianae magnos et inexpectatos imbres. Cum locus figurae pennigerae dominatur, ut Virgo, Sagittarius, Gallina, damna volucrum significantur, earum praecipue, quarum in humano victu usus est. Si vero natantium figurae dominantur, eventus erunt in aquaticis et piscibus, seu marinae, ut Cancer, Capricornus, Delphinus; tunc enim marinis significatur et navigationibus; seu fluviatiles, ut Aquarius, Pisces tunc enim fluviatilibus et fontanis significatur Argo utrisque significat. Et in tropicis et aequinoctialibus stellis communiter nocet eclipsis et aer

---

11) De hoc Ptolemaei opere, Μεγάλη σύνταξις inscript conf. Prolegomena p. 1 — 4.

et suo tempori; in vere, ex terra nascentibus et fructiferarum arborum germinibus, vitibus, ficis et aliis maturescentibus. In solstitio autem aestivo nocet messi et frugum importationi; in Aegypto autem proprie et Nili exundationem impedit; in autumnali aequinoctio, sementi et foeno; in bruma, oleribus et avibus et piscibus eius temporis.

In aequinoctiis vero etiam significant sacrorum et religionum mutationes; in tropicis vero, aeris et imperiorum. Firma autem signa, Taurus, Leo, Scorpius et Aquarius, significant fundamentis et aedificiis. Sed gemella, Gemini, Virgo, Sagittarius, Pisces, significant hominibus et regibus.

Et defectus, qui magis sunt in Oriente, significant fructibus, adolescentiae et eius fundamentis; in medio coeli, regionibus, regibus, et mediae aetati; in occasu, legum mutationes et senectae casus et neces.

Quam late autem eventus vagaturi sint, sumitur ex magnitudine defectuum, et ex stellis, quae in ipso defectu causae sunt eventuum. Omnia minora fiunt, cum eclipsis Solis vespertina est, et cum Lunae defectus matutini sunt. In oppositione autem demunt dimidium. Matutini autem Solis defectus, et vespertini Lunae, augent mala.

Quales futuri sint eventus boni aut mali.

In quarto capite propositum fuit, quales modi sint eventuum, utrum boni, an vero mali, et quales in utraque specie futuri sint. Hoc sumitur a natura stellarum dominantium, quae sunt in praecipuis locis, et earum commixtione inter sese, et cum iis locis, in quibus esse conspiciuntur. Nam Sol et Luna gubernatores sunt aliarum stellarum, et praecipuae causae eventuum, et regunt stellarum dominia, et dominantium vires aut confirmant, aut langefaciunt.

Consideratio vero stellarum, quae praecipuum ius in commixtione habent, indicat eventuum qualitatem. Incipiemus igitur de singulis errantium stellarum qualitatibus dicere. Sed haec brevis praemonitio addenda est, quod, cum generaliter aliquam nomino errantium stellarum, vim intelligo effectricem similem, sive illa ipsa stella dominetur, sive alia fixa stella, aut locus signiferi, similem vim habens: ut, si de natura et qualitate in genere dicerem, non de stellis.

Nec in mixtionibus tantum stellarum errantium congressus intelligo, sed aliarum quoque similes naturas, sive fixarum, sive locorum signiferi, ut familiaritates cum errantibus supra indicatae sunt.

Saturnus cum solus dominatur, generaliter causa est corruptionum ex frigore, et proprie in hominum corporibus morbos diuturnos, tabem, consumptionem, quae oritur ex catarrhis, humorum perturbationem, fluxus, quartanas febres, exilia, inopias, angustias, luctus, pavores, interitus, maxime senum efficit. Bestiarum vero, quae sunt utiles hominibus, penuriam efficit, et eas, quae reliquae sunt, morbis adfligit, adeo ut contagium ad homines perveniat, qui iis utuntur. In aere frigus horrendum excitat, glaciosum, nebulosum et pestilens. Aeris turbationes, densas nubes, caligines, copiosas nives, non utiles, sed damnosas, et unde serpentes nocituri hominibus nascuntur. In fluviis et mari communiter saevas tempestates et naufragia, difficiles cursus, penuriam et interitum piscium; ac in mari peculiariter recessus aquae, destituentis alveum et refluxus; in fluviis vero exundationes et aquarum corruptionem. In terra, fructuum caritatem, penuriam et vastitatem, maxime necessariorum ad victum, seu per erucas et locustas, seu per diluvia et imbres, seu per grandines, eo usque ut homines fame et similibus malis pereant.

Iupiter cum solus dominatur, generaliter incrementa efficit, cumque eventus ad homines pertinent, gloriam, fertilitatem, tranquillitatem et pacem significat; auget rem familiarem, corporis et animi bona fovet, beneficia et dona regum promittit, et gubernatores ipsos gloria ornat; ac in genere bonorum causa est. Animantium vero, quae usibus humanis serviunt, multitudinem significat, et exitium contra iis, quae nocent hominibus. In aere autem; temperamentum bonum, salubre, ventosum, humidum, alens res terra nascentes, navium cursus iuvat, fluminum mediocria incrementa, et frugum copiam, et his similia efficit.

Mars vero solus dominium nactus, generaliter corruptionis causa est propter siccitatem. Et cum eventus ad homines pertinent, ciet bella, seditiones intestinas, captivitates, excidia urbium, populi tumultus, principum iras, et propter eam causam subitas neces, praeterea et febres tertia-

nas, sanguinis eruptiones, morbos acutos, violentos interitus iuvenum, violentiam, iniurias, incendia, homicidia, rapinas, latrocinia. In aere vero aestus, ventos calidos, pestiferos et tabificos, fulminum iaculationes, turbines, siccitates. In mari vero, subita naufragia propter flatus turbulentos, et fulmina, et similes causas. In fluminibus vero aquas exsorbet, fontes desiccat et lymphas corrumpit, frumenta et res terra nascentes diminuit, et vel propter aestus, antequam invehuntur, vel invectas incendiis perdit.

Venus cum sola dominatur, generaliter similia Iovi efficit cum venustate quadam. Peculiariter vero hominibus gloriam, honores, laetitiam, ubertatem annorum, placida coniugia, numerosam sobolem, gratiam in amicitiis et congressibus, incrementa facultatum, munditiem in victu, comitatem, reverentiam religionum tribuit; praeterea et bonum habitum corporis, et familiaritatem cum principibus. In aere vero, temperatos ventos, humidas et foecundas constitutiones, bonam tempestatem et serenitatem, foecundos imbres, navigationes felices et lucrosas, fluminum exundationes, copiam iumentorum, et fructuum terrae abundantiam.

Mercurius cum solus dominatur, generaliter illius stellae naturae se accommodat, cui iungitur; sed celeres motus significat; in humanis negotiis, celeritatem, industriam et calliditatem ad ea, quae agenda sunt. Insidiator in latrociniis, furtis, et in piratica, facit difficiles anhelitus, iunctus maleficis, et morbos siccos, et quotidianas febres, tusses, anhelationes, tabem et mutationes in caeremoniis, religionibus, reditibus regiis, institutis et legibus, iuxta naturam stellae, cui iungitur. In aere, cum sit siccus et celer, et circa Solem prope volvatur, ventos ciet inordinatos, celeres, subito mutabiles, tonitrua, fulmina, hiatus, terrae motus et fulgura. Et his causis interdum exitialis est animantibus et plantis. Cum est occidentalis, diminuit flumina; cum est orientalis, auget.

Talis est, ut dixi, natura cuiusque planetae per sese; sed mixti aliis, pro varietate adspectuum et signorum, et positu ad Solem, convenienter mutant actiones, et ex commixtione naturarum variae qualitates existunt. Cum autem impossibile sit, singularum mixtionum qualitates exponere, et omnes configurationes recitare, quarum tanta est varietas, haec consideratio singularum mathematici sagacitati et prudentiae relinquatur.

Sed haec diligenter observabimus, quae sit stellarum eventui dominantium familiaritas et cognatio cum illis regionibus urbibusve, quibus eventus imminent. Etenim beneficae stellae, et locis eventui obnoxiis cognatione aliqua iunctae, si non superentur ab aliis contrariae sectae stellis, efficacius hoc, quod pollicentur, naturae suae bonitate absolvunt. Si nulla intercedat eis cognatio, aut superentur ab adversariis stellis, minus prosunt. Ita noxiae stellae dominium consequutae, si et locis eventui obnoxiis consenserint, et contrariae sectae stellis succubuerint, minus laedunt. Si vero nec regionibus ipsae praefuerint, nec impeditae fuerint ab aliis, quarum in regiones significatis eventibus subiectas ius quoddam est, ac dominium, tum vehementius suae constitutionis pestem infligunt.

Ut plurimum autem universalibus malis potissimum corripiuntur ii, in quorum genituris praecipua loca, nempe luminum et cardinum, eadem sunt cum illis, a quibus universalium eventuum causae proficiscuntur, id est, eclipticis ipsis, aut his oppositis. Sed periculosum inprimis, et inevitabile est, si ipsae eclipticorum locorum partes, aut oppositae, conciderint cum gradibus alterutrius luminum, quos genituræ tempore possederunt.

De coloribus in eclipsibus, cometis et aliis huiusmodi.

Observandi sunt in universalibus considerationibus colores in deliquiis, cum ipsorum luminum, tum eorum, qui iuxta fiunt et existunt: ut virgarum, arearum, et quae alia sunt huiusmodi. Si enim nigra apparuerint, aut sublivida, ea, quae de Saturni natura exposuimus, significant. Si candida visa fuerint, Iovis; si rutila, Martis; si flava, Veneris; si varia, Mercurii naturae eventus respondebunt. Quod si tota luminum corpora, aut totam vicinam circumquaque regionem coloris proprietas occuparit, pluribus regionum partibus significata, eclipsium eventura decernit. Sin quacunque a parte constiterit, illi, in quam [12]) se coloris proprietas inflectit, futura denuntiat.

---

12) illi, in quam] *sic scripsimus* = Ptolem. *περὶ ἐκεῖνο τὸ μέρος, καθ' ὃ ἂν* (vel *ὅποι ἂν*, vel *οἷ ἂν*, Camerarii Ed. *ἐὰν καὶ*, Melanthon in textu quidem exhibet *καὶ*, in margine autem adscripsit illas correctiones: *ὅποι ἂν*, vel *οἷ ἂν*,

Observandi sunt et cometae, sive in deliquiis, sive alio quovis tempore effulserint in universalium eventuum consideratione: quales sunt, quae vocantur trabes, tubae, dolia, ac huiusmodi. Etenim effectus hae pariunt, quales a Marte cientur, ac Mercurio: ut bella, aestus, motus turbulentos, et alia, quae ista sequi consueverunt. Caeterum quibus locis minitentur et intentent effectus suos, ostendunt Zodiaci partes, sub quibus collectae ipsae et incensae, primum exarserint; tum inclinationes comarum crinitae pro ratione formae. Ex ipsa vero collectionis ardentis velut facie ac forma, affectionis species et res, in quam illa pervasura est, innotescet. Duratio flammae de eventuum intensione aut remissione, habitudo ad Solem de initio eorundem, quando primum invadent, docebit. Nam cum matutinae fuerint, diuque flagrarint, celeriores; sin vespertinae, tardiores eventus arguunt.

De novilunio anni.

Postquam exposita nobis est ratio universalis considerationis eorum, quae regionibus et urbibus portenduntur: sequitur nunc subtilior quaedam exquisitio eorum, quae singulis anni temporibus eventura sint. Cuius rei tractatio quandam requirit de novilunio anni disputationem. Quod igitur illud principium capi oporteat in qualibet Solis conversione, a reditu ad locum, unde exierat, ipsa res docet, cum effectu ipso, tum etiam nomine. Quale quis autem principium in circulo simpliciter constituat, omnino cogitatione non deprehendi posse videtur. In eo quidem circulo, qui per medium signorum ducitur, probabili ratione principiorum loco assumi possunt puncta ab aequinoctiali, et duobus signata Coluris, hoc est, bina aequinoctialia et bina tropica. Sed rursus et hic dubitare quis poterit, quo puncto tanquam primario et principe utatur. Et quidem simplicis ac circularis naturae proprietate considerata, nullum horum tanquam totius ambitus principium erit. Attamen qui de his rebus commentati sunt, uno aliquo horum quatuor punctorum usi sunt, alio sane alius, prout quisque vel rationibus vel naturae suae affectu ad hoc illudve statuendum ductus est. Etenim hae partes singulae eximium quiddam habent, cur principium et novum annum vindicare sibi iure videantur. Aequinoctii verni proprium est, quod diurna spatia tunc primum noctes superare incipiunt, quodque tempus est affluentium humiditatum. At humiditatis vis potissimum, ut et antea diximus, in exordiis geniturae regnat. Solstitium, longissimum diem adducit. Apud Aegyptios[13]) vero et Nili exundationem adfert, et de ortu Canis commonefacit. In aequinoctium autumnale incidit tempus colligendarum et reponendarum frugum, et quasi de novo terrae semina mandantur. Bruma dies, qui antea decreverant, augere rursus ac producere incipit.

Sed mihi convenientius et naturalius esse videtur, ad indicandos eventus annuos, quatuor assumere principia, observatis iis, quae proxime praecesserunt, noviluniis Solis et Lunae, ac pleniluniis et maxime si in quibus horum alterutrum luminum defecerit; atque ita iudicium facere de statu veris ex principio Arietis, de aestate a Cancro, de autumno a Libra, de hieme a Capricorno. Nam ipsas quidem universales constitutiones temporum, et modos Sol parit: unde et penitus imperiti mathematum praenoscunt futura.

Sed et signorum proprietates ad significationes ventorum et generalium qualitatum assumendae sunt.

At mutationum, quae in ipsa tempora particulatim incident, incrementa aut diminutiones indicabunt universaliter quidem vicinae punctis praedictis luminum coniunctiones et planetarum cum his configurationes; particulatim vero congressus eorundem in singulis signis et plenilunia, itemque stellarum transitus: quam considerationem menstruam nominare licet.

De particulari vi et natura signorum ad aeris constitutiones variandas.

Ad annuas constitutiones iudicandas, notas esse oportet etiam particulatim naturales proprietates signorum. Quantum enim ad aeris et ventorum mutationes stellarum singularum, nimirum planetarum et inerrantium stellarum, quae planetis nativa vi atque effectibus congruunt, quantum ad ventorum et quatuor anni temporum statum integra signa conferant, nos supra exposuimus. Restat nunc, ut particulares quoque signorum naturas persequamur.

---

vel *καθ' ὃ ἂν*); Ed. 1553. male: illis, in quam ... Camerarius hunc locum sic interpretatus est: Sin [coloris proprietas] quacunque a parte apparuerit, *illis partibus in quas* se proprietas illa inclinabit, [scil. futura decernit].

13) Aegyptios] Ed. 1553. Aegyptos.

Arietis signum generatim propter aequinoctialem significationem est tonitruosum et grandinosum; particulatim vero intenduntur haec et remittuntur de proprietate stellarum inerrantium, quibus describitur; priores illius partes imbres cient et ventos, mediae temperatae sunt, extremae aestuosae et pestilentes. Boreae aestuosae et noxiae, Austrinae glaciosae et subfrigidae.

Tauri signum generatim prae se fert utramque crasim, et subcalidum est; particulatim vero priora, maxime ubi Pleiades consistunt, turbulenta sunt, flatuosa et nebulosa; media humida et frigida; postrema circa Suculas[14]) ignea sunt, fulminaque et fulgetra cient. Borea intemperata, Austrina instabilia et incerta.

Geminorum signum generaliter temperatam constitutionem efficit, particulatim vero praecedentia plus humectant et corrumpunt; media temperiem habent. Sequentia mixta et incerta constant natura. Borea ventos cient, et terras concutiunt; Austrina desiccant et urunt.

Cancri signum generaliter serenat, et aestivas constitutiones parit; particulatim vero partibus primoribus et circa praesepe suffocat, terras quatit et caliginem offundit; mediis temperatum est, posterioribus ventos commovet. Tam Boreae, quam Austrinae partes igneae sunt, noxiae et aestuosae.

Leonis signum generaliter aestus ciet et suffocat; particulatim vero partes praecedentes suffocant, et pestilentes sunt; mediae temperatae, postremae siccae et corruptionum effectrices. Boreae instabiles et igneae, Austrinae humidae.

Virginis signum in universum humidum est, et tonitruosum; particulatim vero principium eius calidius est et noxium; medium, temperatum; finis, aquosus. Borea pars ventorum commotrix, Austrina temperata.

Librae signum in universum varium est, et mutabile; particulatim vero in primis partibus et mediis temperatum, postremis aquosum; Boreis, ventosum; Austrinis, humidum et pestilens.

Scorpii signum in genere est tonitruosum et igneum; particulariter vero initium nives producit, medium temperatum est, finis turbulentus. Septentrionalia aestuant, Austrina humectant.

14) Suculas] Ed. 1553. Succulas. Ptolemaeus habet Sing. κατὰ τὴν ὑάδα.

Sagittarii signum in genere humidum est; particulatim vero, in principio suo[14a]) humidum, medio temperatum, fine igneum; latere boreali flatuosum, austrino humidum et mutabile.

Capricorni signum in genere humidum est; particulatim anterioribus partibus aestuans et noxium, mediis temperatum, ultimis pluviosum; Austrinis et Boreis humidum et noxium.

Aquarii signum generaliter frigidum est, et aquosum; particulatim vero incipiens, humidum; in medio, temperatum; desinens, ventosum; versus Boream, aestuans; versus Austrum, nivosum.

Piscium signum generatim frigidum et flatuosum est; particulatim vero anteriora temperata; media humida; posteriora aestuantia; Borea, flatuosa; Austrina, aquosa sunt.

De particulari tempestatum consideratione.

His ita expositis, sequitur particularium significationum tractatio, quae talis est. Una est ratio generalis ex quadrantibus Signiferi sumpta, qua, ut diximus, observanda sunt, quae proxime tropicas et aequinoctiales significationes, novilunia et plenilunia, cum cardinibus ad noviluniorum et pleniluniorum momenta in unoquoque proposito climate, tanquam geniturae tempore constitutis. Deinde cognoscendae sunt stellae, quae locis noviluniorum et pleniluniorum dominantur, et sequentibus cardinibus, sicut supra in eclipsium doctrina monstravimus. Ita universalia ex quadrantum proprietate scrutari atque eruere, sed horum vel intensiones vel remissiones, et quarum qualitatum, quarumve constitutionum effectiones sint futurae, ex natura stellarum praesidentium ediscere oportet.

Altera ratio menstrua est, qua, quae in singulis fiunt signis, novilunia et plenilunia consideranda sunt eodem modo, hoc solo observato, si interlunium forte antecesserit proxime punctum tropicum aut aequinoctiale, ut interluniis illo toto quadrante utamur; si plenilunium, ut pleniluniis. Considerandi sunt et cardines et stellae locis utrisque dominantes, maximeque proximae fulsiones applicationesque et defluxiones errantium stellarum, earumque proprietates, et locorum, in quibus versantur; nec non quos ventos

14a) suo] Ed. 1553. sui (Ptolem. αὐτοῦ).

commoveant aut ipsi planetae, aut signorum partes, in quibus existunt; praeterea in quem ventum vergat atque inclinet Luna latitudine sua, secundum eclipticae obliquitatem. Ex quibus omnibus (notatis potioribus) mensium generales status ac ventos praecognoscere poterimus.

Tertia ratio est subtilioris cuiusdam observationis remissionum et intensionum, qua notandae sunt Solis Lunaeque particulares configurationes, non solum in interluniis et pleniluniis, sed etiam harum mediae, id est, quadratae. Ubi animadvertendum, triduo fere antequam Luna cursu suo Soli exaequatur, id est, triduo ante quadraturas, nonnunquam et triduo post, significationes mutationum sese promere, cum propter hos ipsos positus, tum et alios, nimirum trigonos adspectus, et sexagonos, ac planetarum caeterorum cum Luna configurationes. Nam ex horum natura convenienter mutationis proprietas deprehenditur, quae respondet adspicientium stellarum et signorum erga circumdantem nos aerem ac ventos familiaritati.

Verum harum ipsarum particularium constitutionum intensiones remissionesve fiunt potissimum, ubi inerrantium stellarum eae, quae maxime illustres sunt et efficaces, mane aut vesperi fulserint, cum ipsove Sole emerserint aut decubuerint. Etenim plerumque particularem statum ad modum suarum naturarum immutant.

Idem iudicandum est evenire, ubi lumina cardines transeunt. Ad talem enim eorum habitum horariae intensiones et remissiones variantur; sicut ad Lunae motum aestus maris cientur, atque refluxus; itemque Luna cardines transeunte, ventorum accidunt mutationes, quas ipsa a medio Solis itinere deflectens efficit. Ubique autem hoc tenendum est, quod praeeat, ac potior sit prima atque universalis causa; sequatur vero illa, a qua particularia proficiscuntur accidentia. Tum vero roboretur atque intendatur effectio, cum quae universali constitutioni dominantur stellae, his, a quibus oriuntur particularia, adspectu et configuratione sese coniunxerint.

De significatione meteororum.

Profuerit et ad particularium significationum praevisiones, notare signa, quae iuxta Solem, Lunam et stellas apparent. Ac Solem intuebimur orientem, coniectaturi de tempestatibus diurnis; occidentem, de nocturnis; de diuturnioribus, cum Luna configuratum. Nam singulae figurae tempestatem, qualis usque ad proximam futura sit, declarare consueverunt. Si ergo pura luce, caliginis, varietatis, et nubium expers Sol oritur, vel occidit, serenam tempestatem pollicetur. Sin vario orbe, aut[15]) flammeo prodierit, abieritve, aut rubentes emiserit radios, sive in rectum exporrectos, sive in sese retortos, aut ex una parte in subiectis nubibus ea, quae παρήλια vocantur, formarit, nubesve subrutilo[16]) tinxerit colore, et quasi per totas nubes longos extenderit radios, vehementes significat flatus, erupturos ab illo angulo, penes quem visa illa constiterint. Niger aut luridus si in ortu occasuve apparuerit, nubibusque involutus, aut area circumdatus ex una parte, aut parte utraque pareliis, aut radios suppallidos nigrosve sparserit, hiemes minatur atque imbres.

Lunam observabimus in suo itinere triduo ante vel post interlunia, aut plenilunia, et medium tempus, quo erga Solem quadratur. Nam si tenui puraque luce nituerit, nihilque illam circumdederit, serenitatem spondet. Si tenui rubuerit luce, totaque perspicua visa fuerit, etiam ea parte, quae luce destituitur, ventos excitabit inde orituros, quo ipsa declinat. Nigra, spissa, pallida, hiemes atque imbres minatur.

Observandae sunt et areae, quae Lunam quandoque circumdant. Nam si una fuerit et pura, paulatimque marcescens evanuerit, serenitatem; sin duae aut tres, hiemes significant. Et has quidem, si subrubrae fuerint, et quasi perruptae, cum impetuosis ac vehementibus ventis invasuras denotant. Si caliginosae ac spissae, cum nivibus; si luridae, nigrae et lacerae, cum utrisque. Denique quo plures fuerint areae, tanto maiores hiemes portendunt. Errantibus et inerrantibus splendidioribus circumfusae areae, proprietate coloris sui denuntiant ea, quae naturae ferunt stellarum.

Inerrantium etiam minorum velut congestos acervos adspiciemus, quo colore, quave magnitudine videantur. Nam si splendidiores grandioresque apparuerint solito, quacunque in plaga coeli constiterint, ab ea ventos spiraturos de-

15) orbe, aut] Ed. 1553. errore typogr.: orb, eaut.
16) subrutilo] Ed. 1553. male disiunctim: sub rutilo (Ptol. ὑπόκιῤῥα).

signant. Quin etiam nebulosi gyri, ut in Praesepi, et similes, si coelo sereno aut exiles sint, aut visum fugiant, aut spissi densique esse videantur, nimbos; puri vero et continuo scintillantes, ventos turbulentos praedicunt. Si stellarum duarum, quae utrinque ad Praesepe cernuntur, Asinorum appellatione insignes, una, quae septentrionalis est, non appareat, flabit Aquilo. Si vero altera australis abdita delituerit, Auster spirabit.

Praeterea quae certis temporibus in coelo se ostendunt et Ostenta dicuntur, eorum crinita sidera semper squalorem ventosque praenuntiant, eo quidem vehementiores, quo pluribus in partibus et ipsorum corpora grandiora fuerint.

Traiectiones et iaculationes stellarum si ab uno angulo ferantur, ab eo ventos mox sequuturos denuntiant; si occurrant inter se, proelia suscitant. Si vero de quatuor plagis prosiliant, hiemes varias, fulmina, fulgetra, aliaque huiusmodi adferunt.

Nubes in quibuscunque finibus conspectae similes floccis lunae, hiemes sequuturas demonstrant.

Arcus quoque quocunque tempore extiterint, si serenum sit coelum, hiemes; si hiems adsit, serenitatem pollicentur. Ut autem haec concludantur, sciendum generalia visa aeris certis temporibus eadem portendere, quae sunt in superioribus de suis quaeque accidentibus [17]) explicata. Atque hactenus placuit de generali inspectione universalium et particularium signorum breviter disserere. Quod superest, geniturarum indicia, sicut et ordo postulat, nunc deinceps exequemur.

17) de suis quaeque accidentibus] sic a Melanthone et Camerario vertuntur Ptolemaei verba: ὑπὸ τῶν οἰκείων συμπτωμάτων.

LIBER TERTIUS.

De conceptu, et edito foetu.

Cum hactenus tractata sit consideratio universalium eventuum, quae et prior esse dicitur, et saepe vincit particulares significationes. in naturis singulorum hominum, quarum praedictiones vocamus Genethliacas: sciendum est, in utroque genere similem esse considerationem et motuum et effectuum. Nam et universalium eventuum et particularium, in singulis hominibus, causa est motus planetarum, et Solis ac Lunae. Sed artificiosa observatio motuum praemonstrat corporum mutationes, si conferantur ad ea, quae fiunt iuxta transitus siderum habentium similes effectus in aere nos circumdante. Verum universales causae efficaciores sunt, particulares non tam sunt efficaces. In utroque genere autem sunt varia initia, ex quibus praedicimus iuxta astrorum positus, ea quae significantur. Ac universalium multa sunt initia. Non est enim unum urbium ac regnorum principium, et haec initia accipimus non semper ab iisdem causis, sed interdum etiam a circumstantiis, et aliis, quae augent causas. Ac fere in omnibus testimonio utimur eclipsium, quae sunt maiores et magnarum coniunctionum. Singulorum vero hominum habemus initium unum et multa. Unum enim, cum principio nascitur homo; id enim habemus. Accedunt autem deinceps ordine, per gradus aetatis, ad primum initium multae significationes aliae; sed primum initium praestantius est; proprie enim efficit et corpus et reliqua initia. Haec cum ita se habeant, a primo initio considerantur universaliter qualitates corporis; a reliquis initiis sumuntur pro tempore accidentia, secundum magis et minus, secundum distinctiones aetatis, per gradus.

Initium nascentis hominis aut est naturale, quo concipitur; aut est praecipuum potentia, quo editur foetus ex utero.

Si tempus conceptus deprehensum est seu casu seu observatione, magis convenit positum siderum, qui tunc fuit, considerare in iudicandis corporis et animae qualitatibus. Postquam enim initio semen consequitur aliquod temperamentum ex circumfuso coelo, etiamsi paulatim, cum formatur corpus, fiunt alterationes: tamen, quia semen adiungit sibi nutrimentum conveniens in augmentatione, idque naturaliter commiscet, et sibi attemperat, retinet similitudinem prioris qualitatis.

Si autem tempus illud ignoretur, ut plerumque fit, initium erit egressus ex utero. Nam et hoc tempus potissimum est, et hac tantum ratione ab altero initio differt, quod animadverso conceptu, praedici possunt ea, quae praecedunt egressum ex utero. Ac conceptus quidem inchoatio esse aliqua potest; sed egressus ex utero est principale exordium vitae, tempore posterius; potentia vero, aequale et praestantius. Et propemodum conceptus dici posset seminis generatio; egressus autem ex utero, generatio hominis. Multa enim tunc foetus adipiscitur, quae antea in alvo nondum ei aderant, ac propria quidem humanae naturae, ut sensuum actiones et corporis motus.

Etsi autem positus coeli in partu non videatur primum condere naturam: tamen conducit ad hoc, ut foetus exeat in lucem, postquam conveniente coeli actione maturuit.

Natura enim, postquam foetus perfectus est, movet eum, ut exeat ex utero, tali positu coeli, qui respondet illi constitutioni, quae fuit initio conceptus. Itaque coeli positus in partu, merito existimabitur talia significare: non quia efficiat talem naturam, sed quia necessitate quadam naturali congruit, et similem vim habet.

Cum igitur instituerim et hanc partem compendio absolvere, iuxta eum ordinem, quem hactenus secutus sum, quantum praedictio possibilis est, declinabimus veterem modum, qui stellarum mixturas tradit, cum ea ratio confusanea, et propemodum infinita sit, si quis singulas examinet, et magis ad coniecturas singularium pertineat, quam ad praecepta universalia. Cum igitur illa inquisitio paene infinita sit et difficilis, omittenda erit. Sed tradam praecepta generalia, ex quibus coniecturae de singulis sumi poterunt; et exponam effectrices qualitates praecipuas, quantum potero, accommodatas ad physicam rationem. Et coeli locum, iuxta quem humani eventus considerantur, tanquam metam proponam, ad quam dirigantur qualitates effectrices, ac praecipue iuxta cognationem corporum, velut sagittae.

Caeterum quid iudicandum sit, cum multarum stellarum lumen miscetur, relinquemus prudentiae artificis, tanquam periti sagittarii.

Primum autem de universalibus, quae consideranda sunt in partu, dicam convenienti ordine, cum quidem ex partu cognosci omnia possint, quae naturales causas habent. Conducet autem et tempus conceptus cognoscere, ad qualitates temperamenti, ex consideratione conceptus, si quem curiosior scrutatio delectat.

De gradu ascendentis.

Cum autem saepe dubitetur de prima et praecipua parte, videlicet de hora, qua foetus ex utero egressus est (nam solius astrolabii inspectio potest minutum horae ostendere), reliqua horarum signandarum instrumenta, quibus plurimi utuntur, saepe fallunt. Nam Solaria errant, vel quia non sunt rite posita, vel quia gnomones non recte ad meridianam lineam quadrant. Aquatica vero non constant sibi, propter dissimiles aquarum naturas. Eaque dissimilitudo varias habet causas. Interdum etiam casu cohibentur et resistunt. Necesse est igitur tradi rationem, qua inveniri debeat gradus ascendens Zodiaci, secundum physicam et consentaneam rationem.

Posita igitur hora natalicia, inventa per ascensiones, adiunge coniunctionem aut oppositionem proxime praecedentem. Et diligenter quaere gradum seu coniunctionis, seu in oppositione eius luminis, quod supra terram est, cum editur partus. Deinde videndum, quis planeta sit dominator illius gradus, iuxta eas praerogativas, quas supra commemoravimus: videlicet trigonum, domum, exaltationem, fines, fulgorem aut configurationem, hoc est, quando gradus ille unam aut plures praerogativas habet, propter quas ei attribuendus sit dominator. Cum igitur planetam aliquem reperimus familiarem illi gradui, propter unam aut plures praerogativas: videndum est deinde, quem gradum tenuerit planeta partus tempore; et quotus gradus erit, iudicabimus parem gradum in exortu ascendentis signi ascendere. Sin autem duo vel plures participes sint dominationis, ille eligendus erit, cuius gradus tempore partus propius accesserit ad gradum signi ascendentis, ad huius planetae gradum ascendens constituendum erit.

Si vero duo aut plures planetae in hac propinquitate pares erunt, eligemus eum, qui propter cardines et conditionem familiarior est ascendenti. Cum autem longius distant gradus huius dominatoris ab horoscopo, quam a medio coeli, utemur eo numero ad constituendum medium coeli. Hoc constituto, et reliquos cardines mutabimus.

Distributio doctrinae de nativitatibus.

His expositis, si quis universam doctrinam de nativitatibus distribuat, inveniet de accidentibus, quae secundum naturam eveniunt, et praevideri possunt, tradi praecepta vel de praecedentibus nativitatem, ut de parentibus; vel de praecedentibus et sequentibus, ut de fratribus; vel de his, quae in ipso partu accidunt, quorum ratio non est una et simplex; vel de his, quae post nativitatem secutura sunt, quorum ratio magis multiplex est. De his, quae a partu indicantur, quaeritur, an sit mas vel femina, an sint gemini aut plures nati, an sit foetus monstrosus, an sit durabilis. Postea de his, quae secutura sunt nativitatem, quaeritur de vitae spatio et diuturnitate, si quidem haec quaestio discernenda erit a priore, an recens foetus nutriri possit. Deinde de figura corporis, de morbis et laesionibus corporis, de qualitatibus et inclinationibus animi, de re familiari, de dignitatibus, de studiis et actionibus, de coniugio, de liberis, de amicitiis, de peregrinationibus. Postrema de genere mortis quaestio est vicina superiori quaestioni de spatio vitae. Sed post caeteras quaestiones hoc tradi solet.

De his summatim dicam, exponamque nudas qualitates effectrices, ac omittam ea, quae non habent ex natura causam probabilem, quae tamen multi curiose ac praeter rem scrutantur; nec accersam divinationes, quae ex sortibus aut numeris sumuntur, quae nullam habent rationem; sed ea tradam, quae habent exploratam certitudinem propter astrorum positus et locorum proprietates; eruntque praecepta universalia. Nam si quis de singulis velit praecipere, eadem subinde repetenda essent.

Primum praeceptum.

Primum autem quaerendus est Zodiaci locus, qui significat aliquid de nati conditionibus. Ut exempli causa, de dignitate actionum consulendum est medium coeli; de patre, locus Solis adspiciendus est. Deinde videndum, quis planeta dominetur illi loco, iuxta quinque praerogativas, ex quibus planetarum dominium aestimatur. Quod si unus habet omnes praerogativas, huic tribuendum erit dominium; sin autem plures planetae concurrent, praeferendus est is, qui habet plurimas praerogativas.

Deinde considerandae sunt et planetae dominatoris, et signorum naturae, in quibus sunt planetae et locus dominans. Ac potentia planetae fit maior, cum positus est efficacior, vel propter positum, quem in mundo habent, vel propter positum, qui contingit eis in locis nativitatis. Sunt enim efficaciores propter positum, quem in mundo habent, quando sunt in propriis signis et propriis locis, et quando sunt orientales et aucti cursu. Praeterea plus valent propter positum in nativitate, quando sunt in cardinibus, quam in domibus succedentibus. Praecipua vero loca sunt, ascendens et medium coeli.

Imbecilliores vero sunt, propter positum in mundo, quando in locis alienis et non cognatis, et cum sunt occidentales et diminuti cursu. Sed imbecilliores sunt propter positum in nativitate, quando cadunt a cardinibus.

Porro ad iudicandum tempus eventuum consideretur, an sint matutini, aut vespertini, ad Solem et horoscopum. Nam quadrantes, qui Solem aut horoscopum praecedunt, et his oppositi e regione matutini sunt, reliqua loca et sequentia sunt vespertina; et an sint in cardinibus, aut succedentibus domibus. Nam cum sunt matutini, aut in cardinibus, habent initia celeriora; vespertini vero, aut in succedentibus domibus habent tardiores effectus.

De parentibus.

Cuiuslibet loci praestantia, quam in speciali consideratione semper attendere convenit, ita se habet. Nunc vero incipiemus a primo capite, iuxta institutum ordinem, dicturi videlicet de parentibus. Sol et Saturnus conveniunt patri secundum naturam, Luna et Venus matri. Harum stellarum conditio inter sese et erga alias, significat accidentia parentum. Et de fortuna ac divitiis eorum iudicatur ex comitatu, qui circumdat lumina. Significatur enim illustris et splendida fortuna, cum benefici planetae circumdant lumina in iisdem signis, aut sequentibus conditionis eiusdem, ac praecipue cum prope Solem sunt matutini, prope Lunam vespertini, fausti et non impediti. Cum autem Saturnus et Venus sunt orientales et in proprio fulgore, aut in cardine, significant utriusque parentis manifestam felicitatem, iuxta cuiusque proprietatem.

Sed si lumina nec iunguntur aliis planetis, nec comitatum habent, significant abiectos et in-

glorios parentes, ac praecipue, cum Venus et Saturnus infeliciter positi sunt.

Sin autem habent comites, non quidem suae naturae, ut cum Mars ascendit post Solem, aut Saturnus post Lunam; aut si beneficae stellae, et quae sunt eiusdem conditionis, non sunt bene positae, indicio sunt, parentum vitam esse mediocrem et inaequalem. Sed si pars fortunae, de qua postea dicam, convenit cum his stellis, quae comitantur Solem aut Venerem, recipient salva patrimonia. Sin autem non congruit, aut contraria est, aut nullae sunt comites, aut sunt maleficae, patrimonium parentum non erit eis utile, aut etiam damnosum.

De aetate parentum iudicium faciendum est ex positu planetarum.

Cum enim Iupiter aut Venus intuentur *fausto adspectu* Solem aut Saturnum, aut Saturnus *Solem feliciter* adspicit, seu coniunctus ei, seu *sextili adspectu*, seu trigono, cum non sunt abiecti in locis infaustis: coniectura est, parentes fore longaevos. Secus est autem, si fuerint infirmi, abiecti in locis infaustis. Neque tamen admodum cito extinguentur parentes.

Sed si secus erit et Mars elevabitur supra Solem aut Saturnum, aut ascendet post eos; aut Saturnus non congruet cum Sole, sed aut oppositus est, aut quadrato adspectu eum adspicit, et sunt in locis cadentibus, significant parentes debiles.

Sed si sint in cardinibus, aut in succedentibus domibus, significant parentes fore brevis vitae, aut certis morbis conflictantes. Si sint in primis cardinibus, videlicet in horoscopo et medio coeli et locis succedentibus, erunt brevis vitae.

Nam Mars adspiciens Solem, ut diximus, cito necat parentes, aut laedit oculos. Sed cum Saturnum adspicit, aut in mortem, aut in putridas febres, aut in laesiones per vulnera et ustiones coniicit. Sed cum Saturnus adspicit infeliciter Solem, adfert mortem patri per morbos, aut per malorum humorum collectiones.

De matre vero, si Iupiter Lunam aut Venerem aliquo modo adspexerit, aut Venus adspicit Lunam sextili aut trigono adspectu, aut est ei iuncta, cum sunt in locis faustis, significant matrem fore longaevam. Sed si Mars adspicit Lunam aut Venerem, succedens ei, aut quadrato adspectu intuens, vel oppositus; aut Saturnus solam Lunam sic adspicit, cum sunt diminuti cursu, aut in domibus cadentibus, coniiciunt matrem in morbos tantum et imbecillitates. Sed cum sunt aucti cursu, vel in cardinibus, significant brevem vitam matribus, aut significant obnoxias fore sonticis morbis. Tunc enim portendunt brevem vitam, cum sunt in oriente, aut in succedentibus domibus; sed sontici morbi portenduntur, cum illi sunt in occidente. Nam Mars sic adspiciens Lunam positam in Oriente, significat subitas mortes matrum et vulnera in facie. Sed si adspexerit Lunam occidentalem, mortes adfert per abortus et talia, et lacerationes aut ustiones corporis. Cum autem adspicit Venerem, adfert letales febres, et morbos ex obscuris causis, et caligines et subitas aegritudines.

Cum autem Saturnus adspicit Lunam, significat mortem et morbos. Cum enim Luna est in Oriente, significat putridas febres; cum Luna est in occasu, significat morbos uteri et arrodentes fluxus.

Sed ad singularium praedictiones de morbis assumi etiam debet signorum qualitas, in quibus sunt planetae, qui sunt autores morborum: quae in ipsa nativitate commodius inquiri potest. Praeterea die magis Solem et Venerem, nocte vero Saturnum et Lunam magis observabimus.

Reliquum est autem in particulari inquisitione, ut sumatur significator proprius matris aut patris, et ponatur in horoscopo tanquam in genesi parentum, et inde reliquae domus et praecipuae significationes constituantur.

Caeterum et hic et alibi semper regula tenenda est de planetarum mixtione. Si plures sunt planetae et diversae naturae in loco significante, quaerendum est, cuius virtus plura habeat suffragia; aut si sunt aequalia suffragia, mixtas ex ipsis qualitates convenienter ratiocinemur.

Sed si distant, attribuamus singulis certorum temporum eventus: priores matutinis, tardiores vespertinis. Necesse est autem, statim ab initio congruere stellas loci quaesiti, et caeteras, quae principalem vim habent. Et quae non ab initio congruit, nullam vim habet. Quo vero tempore eventus futurus sit, non solum ex significatore sciemus, sed etiam ex positu ad Solem et angulis mundi.

De fratribus.

Ex quo loco coniecturae de parentibus sumantur, dictum est. De fratribus vero, si quis generali investigatione contentus erit, nec supra quam possibile est, numerum et particularia exacte quaeret, physica ratione de germanis et ex eadem matre natis sumet iudicium ex signo medii coeli[18]) et materno loco, hoc est, excipiente Venerem interdiu, et noctu Lunam. Cum enim id signum et succedens significent matrem et eius liberos, erit idem fratrum locus. Si igitur beneficae illum locum adspiciunt, multos fratres praedicemus, coniecturam facientes a multitudine stellarum, et ex signis; refert enim, utrum sit una figura, an bicorporea.

Sin autem maleficae stellae supra hunc locum elevatae fuerint, aut fuerint oppositae ex diametro, significabunt paucos fratres. Adsumunt autem et Solem. Praeterea si in cardinibus fit oppositio, et maxime si in ascendente sit Saturnus, significat primogenitis; sin autem Mars ibi erit, reliquis mortem minatur.

Sed planetae datores fratrum, si iuxta mundi positum bene se habebunt, fratres dabunt forma et gloria praestantes; econtra vero, sordidos et obscuros. Sin autem maleficae stellae supra datrices elevatae fuerint, aut succedent eis, dabunt non durabiles, masculae iuxta positum mundi fratres, feminae vero sorores. Ac sitae in ortu, significant prioribus; sitae vero in occasu, significant posterioribus. Praeterea si datrices stellae feliciter aspiciunt signum, quod dominatur fratribus, concordiam fratrum significat. Sin autem congruit cum parte fortunae, significat societatem facultatum. Sed si nullis adspectibus coniunctae fuerint, aut oppositae, significant odia mutua, aemulationem et universaliter insidias.

Caeterum si quis particularia curiosius scrutari volet, datricem stellam collocet in horoscopo, facto themate, ut in genesi.

De masculis et femellis.

Cum iuxta ordinem nostrae considerationis tradita iam sit doctrina de fratribus convenienti et naturali modo, reliquum fuerit ordiri ea, quae accidunt in ipsa generatione. Ac primum tradam brevia praecepta de masculis et feminis.

Sumitur autem iudicium non ab una re, sed ab utroque luminari et ab horoscopo, et stellis habentibus cognationem cum horoscopo, praecipue in figura conceptus; obscurius autem in figura editi partus.

In summa vero observandum est, utrum praedicta tria loca et stellae dominatrices, seu plures, seu omnes, sint natura masculae, an vero femineae. Inde iudicandum est. Sunt enim discernendae stellae, quemadmodum in primis elementis huius artis dixi, masculas aut femineas ex natura signorum, aut ex planetarum natura, aut ex positu mundano iudicari.

Nam in ortu sunt masculae, in occasu femineae. Praeterea cum Solem antecedunt, sunt masculae; cum sequuntur, femineae sunt. Per haec omnia, facienda est coniectura, quae stellae vim praecipuam habeant ad significandum sexum.

De geminis.

Et cum nascuntur gemini, aut plures, ad eundem modum observanda sunt duo lumina et horoscopus. Nascuntur enim plures, propter commixtiones, cum duobus aut tribus locis insignibus sunt signa bicorporea; et maxime, quoniam planetae dominatores eundem locum adspiciunt, aut duo sunt in signis bicorporeis, aut duo pluresve planetae coniuncti sunt. Quando autem in locis insignibus sunt bicorporea signa, et plures planetae ea adspiciunt, tunc nascuntur etiam plures duobus. Ac numerus quidem sumitur a planeta dominante, collata numeri ratione. Sed sexus iudicatur ex planetis intuentibus Solem, aut Lunam, aut horoscopum, qui quando masculos, quando feminas significent, antea dictum est.

Cum autem talis dispositio non adiungit ad lumina cardinem horoscopi, talis in matre dispositio plerumque geminos aut etiam plures procreat. Ac peculiariter tres mares, qualis est tergeminorum generatio, gignunt positi in bicorporeis, in locis dictis, Saturnus, Iupiter et Mars; tres femellas, qualis est Charitum generatio, pariunt Venus, Luna et Mercurius effeminatus; duos mares et unam femellam, qualis fuit genera-

18) ex signo medii coeli] Ed. 1553. ex signo M. C. (Ptolem. *ἀπὸ τοῦ μεσουρανοῦντος δωδεκατημορίου*, quae etiam ab Aegidio Tebaldino [conf. supra p. 5 sq.] transferuntur iisdem verbis: „ex signo medii coeli", ab Antonio Gogava [conf. supra p. 7 sq.] autem sic: „ex eo qui coeli medium occupat signiferi loco.").

tio Castoris, Pollucis et Helenae, gignunt Saturnus, Iupiter et Venus; duas femellas et unum marem, qualis est generatio Cereris, Proserpinae et Bacchi, gignunt Venus, Luna et Mars.

Sed hi foetus plerumque immaturi eduntur, et saepe membra monstrosa adferunt. Et quidam eduntur inusitato more, propter talium accidentium concursum.

De monstris.

Non aliena est doctrina de monstris ab hoc loco. Primum enim in his lumina reperientur procul remota, et nullo modo adspicientia horoscopum, et cardines occupati a maleficis stellis.

Cum igitur talis dispositio se offeret, ut fit saepe etiam in nativitatibus aliis sordidis et infaustis, ut maxime non sint monstrosae, consideranda est praecedens coniunctio aut oppositio, et dominatores earum et nativitatis dominator. Si igitur nativitatis significator et Luna et horoscopus, aut plures, nullam habent cognationem cum dominatore praecedentis coniunctionis aut oppositionis, nascitur foetus perplexae naturae, seu monstrosus.

His ita se habentibus, cum lumina sunt in signis bestialibus et in cardinibus duo malefici, quod nascitur, non habebit humanam naturam. Cumque nulla benefica stella adspiciet lumina, sed tantum maleficae, quod nascitur, prorsus erit immane, et habens feram naturam et nocendi cupidam. Sed si adspiciunt Iupiter aut Venus, nascetur quiddam, quod superstitione vertetur in omen, eritque simile cani, aut feli, aut simiae. Sin adspexerit Mercurius, imitabitur naturam eorum, quae sunt usui hominibus: ut volucrum, aut porcorum, aut caprarum, aut boum, aut simile quiddam. Sin autem lumina fuerint in signis humanis, nec tamen caeterae stellae cognationem cum illis habebunt, nascentur monstra hominum iuxta qualitatem et figuram signorum, in quibus sunt maleficae gubernantes lumina aut cardines. Si nulla benefica adspicit illa loca, nascuntur prorsus fatua et monstrosa. Sin autem ea Iupiter aut Venus adspiciunt, nascetur monstrum speciosius: ut hermaphroditi, aut balbutientes. Si autem adspicit ea Mercurius, significat divinatores, et qui ad quaestum conferunt divinationes. Solus autem Mercurius infausto loco gignit mutos ac surdos, interdum etiam astutos et veteratores.

De natis, qui nutriri non possunt, sed mox extinguuntur.

Reliqua est inter ea, quae in ipso partu spectantur, consideratio de nutricatione, quam distingui oportet. Interdum enim haec quaestio pertinet ad doctrinam de longitudine vitae, quia hoc, de quo agimus, utrique quaestioni adfine est. Aliquando vero seiuncta est, quia differunt spatia, de quibus hic disseritur. Cum enim de longitudine vitae quaeritur, de his agitur, quos sensibili tempore duraturos esse existimamus, hoc est, annuo circuitu; tale enim tempus est annus. Tempus vero magis imbecillium sunt menses, dies et horae. Doctrina vero de iis, quibus non prodest nutricatio, intelligitur de nato non provenіente ad illud tempus, sed propter excellens detrimentum statim moriente a partu.

Altera igitur quaestio subtiliorem habet considerationem, haec crassiorem.

Cum enim alterum lumen est in cardine, et simul est planeta maleficus, aut distat longitudine, exacte efficiens trigonum duorum aequalium laterum, nec adspectus interveniat benefici planetae, et dominator luminum sit in locis maleficorum, nutricatio destituet natum, et mox morietur.

Sin autem non efficiet hic positus triangulum duorum aequalium laterum; sed succedent luminibus radii maleficorum et duo fuerint, laedantque vel alterum lumen, vel ambo, vel succedendo vel in oppositione vel per vices, altera malefica alterum lumen; vel altera sit opposita, altera vero succedens: deerit nutricatio, quia multitudo detrimentorum impedit utilitatem, quae erat ex distantia succedentis, ad durationem vitae.

Maxime vero Mars laedit Solem succedens, Lunam vero Saturnus. Econtra vero in oppositione, aut cum superiore loco ponuntur maleficae, Solem maxime laedit Saturnus, Lunam vero Mars, maxime si occupent loca luminum aut dominatoris horoscopi. Si autem duae fuerint oppositiones, ita ut in cardinibus sint lumina, et maleficae efficiant trigonum duorum aequalium laterum, nascuntur vel mortua vel semiviva.

Cum autem lumina discedunt ab aliqua coniunctione beneficarum, aut alioqui eas feliciter

adspiciunt, et radios spargunt in praecedentia loca, vivet natum tanto spatio, quantus est numerus graduum inter prorogatorem et proximam maleficam, tot videlicet menses, dies vel horas, pro modo et viribus causarum nocentium.

Cum autem maleficae spargunt radios in loca priora luminibus, et beneficae in sequentia, natus durabit et vivet.

Rursus cum maleficae elevantur supra beneficas, signum est detrimenti et subiectionis. Cum autem beneficae superant, natus vivet quidem, sed alienis parentibus subditus erit.

Cum autem benefica aliqua aut ortum aut adplicationem aliquam habet ad Lunam, et malefica est in occasu, natus nutrietur a parentibus suis.

Eodem modo iudicetur, si multi simul nascentur. Cum aliquod lumen, quod adspicit caeteras stellas, in occasu est, nascetur semivivum, aut informis caro et immatura. Cum autem maleficae elevantur supra lumen, natum nec nutrietur, nec vivet, obnoxium causis, quas dixi.

De vitae spatio.

Inter ea, quae considerantur post partum, praecipua quaestio est de vitae spatio. Ridiculum est enim pronuntiare de moribus atque actionibus nati, qui non perventurus est ad annos, quibus actiones illae congruunt. Sed haec doctrina non est simplex, nec facilis; sed sumitur varie a stellarum dominantium praerogativis.

Modus autem maxime consentaneus naturalibus rationibus est, qui sumitur ex prorogatore et ex dominatore prorogatoris, ac rursus ex locis et stellis interficientibus.

De loco prorogatore.

Primum quidem existimandum est, locos prorogatores esse, in quibus est stella acceptura dominium prorogationis: horoscopum, a quinque partibus supra horizontem, usque ad reliquas quinque et viginti sequentes, et domum undecimam, cui nomen est Bonus genius; et in dextra parte adspicit hexagono adspectu ascendens; item medium coeli, quod quadrato adspectu ascendens intuetur; item nonam domum, cui nomen est Deus, ac trigono adspectu horoscopum adspicit; item occasum, qui oppositus est horoscopo.

Cum autem quaerimus in his locis potentissimum, primus erit medium coeli; deinde horoscopus; postea undecima domus, succedens medio coeli; deinde occasus; postea nona domus antecedens medium coeli.

Nam omnia loca sub terra probabiliter reiicimus, quod ad hanc potestatem attinet; nec probamus, nisi ea, quae supra terram ascenderunt atque apparent. Imo nec locum supra terram, qui non adspicit ascendens, sed otiosus dicitur, assumere prodest; nec duodecimam, quae vocatur Malus genius, quia stellas, quae ab horizonte processerunt, turbidas reddit, et ab angulo cadit; et cum exhalent in eum ex terra vapores humidi, densi et caliginosi, propter quos nec color nec magnitudo stellarum conspici potest. Deinde vero ad prorogatorem adsumenda sunt quatuor praecipua loca, videlicet Solis, Lunae, horoscopus, pars fortunae, et horum dominatores.

De parte fortunae.

Sumes autem partem fortunae a numero graduum die et nocte, a Sole ad Lunam, sic videlicet, ut, quantum distant Sol et Luna, tantum constituas intervallum inter horoscopum et partem fortunae, iuxta successionem signorum; ac ubi finis erit eius computationis, is gradus eius signi, et is locus erit pars fortunae. Quem igitur positum habet Sol ad horizontem, hunc habet et Luna ad partem fortunae, et erit pars fortunae Lunaris horoscopus. Considerari autem debet, quod lumen sequatur alterum in successione signorum. Si enim Luna sequitur Solem secundum successionem signorum, numeretur et pars fortunae ab horoscopo, secundum successionem signorum. Sed si Luna antecedit Solem, numeretur et pars fortunae ab horoscopo, contra successionem signorum.

Fortassis autem idem hoc valet apud scriptorem, noctu natis a Luna ad Solem numerandum esse, et econtra ab horoscopo contra successionem signorum: sic idem erit locus partis fortunae, et eadem ratio positus invenietur.

Quot sint prorogatores.

Interdiu Sol anteferendus est, si tamen erit in locis prorogatoriis. Sed si non erit in locis prorogatoriis, Luna sumatur. Sin autem neque hanc sumere possumus, planetas sumito, qui potiorem habent rationem dominii, collatos ad po-

situm Solis et praecedentem coniunctionem, et horoscopum, hoc est, cum sint quinque modi dignitatum, planeta eligatur, qui plures habet dignitates. Sin autem illis modis uti non poteris, tandem sumatur horoscopus.

In nocte primum eligito Lunam, deinde Solem, postea planetas antecellentes dignitate, in ratione dominii collatos ad Lunam et praecedentem oppositionem, et ad partem fortunae. Sin autem proxime antecessit coniunctio, sumatur horoscopus. Sed si oppositio praecessit, sumatur pars fortunae, aut certe horoscopus erit prorogator.

Sed si ambo lumina et dominator erit in locis prorogatoriis, sumatur lumen, quod maiorem habet potestatem. Dominator vero tunc tantum antefertur utrique lumini, quando loci dignitate praepollet, et rationem dominii habet, iuxta ambas electiones.

De modis prorogationis.

Invento prorogatore, duo modi sumendi sunt: alter secundum ordinem signorum, qui vocatur proiectio radiorum, cum videlicet prorogator est in locis orientalibus, a medio coeli usque ad ascendens[19]); alter vero et secundum ordinem signorum, et contra, iuxta rationem horalem, cum videlicet prorogator est in locis cadentibus a medio coeli.

Sunt autem interficientes gradus, qui contra ordinem signorum inveniuntur, in solius occasus horizonte, quia dominum vitae abscondunt. Stellae vero vel occurrentes vel adiuvantes, tantum auferunt aut addunt aliquos annos iis, qui per prorogatorem collecti sunt, usque ad occasum prorogatoris. Eo autem non occidunt, quia non ipsae vadunt ad prorogatorem, sed prorogator ad eas. Ac beneficae addunt annos, maleficae diminuunt; Mercurius vero utris adiunctus fuerit, hos adiuvabit.

De numero vero additionis aut subtractionis, considerandus est gradus prorogatoris. Quot enim partes horales erunt illius gradus, interdiu diurnae, noctu vero nocturnae, tanta erit annorum integra summa. Id autem ita intelligendum est, quasi sit in ortu gradus ille. Sed si non est in ortu, pro proportione fiat distantiae subtractio, ita ut in occasu haec summa in nihilum desinat.

19) usque ad ascendens]. Ptolemaei verba sunt: ἐπὶ τὸν ἀνατέλλοντα.

Sed secundum successionem signorum interficiunt loca maleficarum stellarum Saturni et Martis, sive corporibus occurrant, sive quadrato adspectu, aut ex opposito intueantur prorogatorem. Interdum et sexangulus adspectus idem valet, ab obedientibus aut videntibus signis proficiscens. Et quadratus ad locum prorogatorem secundum ordinem signorum idem valet. Interdum et sexangulus interficit, adflictus a tardis ascensionibus; trigonus vero, adflictus a brevioribus ascensionibus. Et cum Luna est prorogatrix, Solis locus fit interfector. Nam occursus eorum contrarii interficiunt, ut convenientes servant, cum ad prorogatorem accedunt. Neque tamen semper occidunt, sed cum sunt adflicti. Impediuntur enim, cum in fines beneficarum incurrunt; aut cum benefica adspexerit quadrato adspectu, aut trigono, aut opposito gradu, interfectorem; aut cum Iupiter vicinus est secundum ordinem signorum citra duodecim gradus, aut Venus citra octo.

Et cum prorogator et interfector in uno gradu sunt, sed non in eadem latitudine, cum utrinque sunt iuvantia, aut interficientia, videndum est, quae pars habeat fortiores opitulatores, vel numero, vel potentia. Numero praestat ea pars, in qua plures sensibiliter coniuncti sunt; sed viribus praestat illa, in qua planetae sunt aut iuvantes in propriis signis, aut interficientes in alienis. Maxime vero, quando iuvantes sunt orientales, interficientes vero sunt occidentales.

Universaliter autem nulli adsumendi sunt, qui sunt sub radiis, neque ad interfectionem, neque ad auxilium: nisi cum Luna est prorogatrix, et Sol fit interfector. Hic a malefica depravatur, praesertim si benefica non adiuvet, aut mitiget malum.

De numero annorum nati.

Numerus annorum sumitur ex intervallo inter locum prorogantem et interfectorem: non simpliciter, nec temere, ut multi tradiderunt ex ascensionibus quibuscunque et quolibet gradu. Id enim tunc valet, cum ipse horizon ascendens fuerit prorogator, aut aliqua stella simul exoriens, aut aliquis locus, qui est in ortu, secundum hoc ascendens.

Unus enim hic modus physice consideranti propositus est, observare, quot graduum ex

aequinoctialis circuli gradibus sit locus stellae vel figurae sequentis in genesi, ad praecedentem. Nam circuli aequinoctionalis tempora aequaliter horizontem et meridianum percurrunt, et ab his aequaliter sumi possunt elongationes. Convenienter autem pro quolibet gradu sumes unum annum.

Quando igitur in ipso orientis cardine fuerit prorogator et locus praecedens, convenit accipere tempora aequinoctialis coorientia cum toto arcu Zodiaci, qui prorogatori et interfectori intercedit: Tot enim ubi praeterierint tempora aequinoctialis, interfector ad locum prorogatoris, hoc est, ad cardinem orientis pervenit. Quando in meridianum prorogator inciderit, ex ascensionibus sphaerae rectae eruenda sunt tempora aequinoctialis, quae cum confini Zodiaci arcu meridianum praetervehuntur. Si vero cardinem occiduum tenuerit, ea sumenda tempora sunt, quae cum arcu distantiae prorogatoris et interfectoris merguntur, hoc est, quae cum opposito evehuntur.

At si locus praecedens in his tribus cardinibus non extiterit, sed in spatia media inciderit, non tempora ascendentibus arcubus, aut descendentibus, aut coeli culmen praetereuntibus congruentia, sequentem locum ad praecedentem deducent, sed diversa. Similis enim et idem locus est, qui similem et in iisdem partibus situm habet, et ad horizontem et ad meridianum. Hoc vero proxime accidit his, qui cadunt in unum hemicyclium, ex genere eorum, quae per communes horizontis et meridiani sectiones ducuntur: quae hemicyclia aequali inter se distantia, horae nimirum aequalis spatio dissident. Perpetuo autem ad illorum hemicycliorum quodcunque, et horizontem ad meridianum. Aequator eodem modo inclinatur, perinde ac si circa illas sectiones converteretur [20]). Zodiaci partes contra et mutant suam ad quodcunque hemicyclium habitudinem, et inaequalibus temporibus utrobique transeunt. Eodemque modo in quemcunque partem a cardinibus prorogator distet, tempore non aequali haec praetervehitur. Unam tamen constituemus viam, qua sive ortum tenuerit locus praecedens, sive occasum, sive coeli medium, sive alium quemcunque his cardinibus interiectum, numerus temporum aequinoctialis, qui praecedentem locum ad sequentem deducat, proportione confici possit. Assumpta enim Zodiaci parte, quae in medio coeli est, locoque praecedente et sequente: primum considerabimus, quot horis inaequalibus abeit a meridiano locus praecedens. Has colligemus, si partium, quae loco praecedenti et medio coeli supra vel infra terram intercedunt, ascensiones rectas eruemus, et has distribuemus in tempora Aequinoctialis, quae unam horam inaequalem metiuntur, et constituunt diurnam, si supra terram fuerit locus praecedens; nocturnam, si infra horaria tempora ex arcu loci praecedentis cognoscemus. Deinde quoniam Signiferi arcus, qui iisdem inaequalibus horis distant a meridiano, sub uno eodemque continentur praedictorum circulorum, scrutari oportet, quot requirantur tempora Aequinoctialis, de arcu, qui succedit meridiano, ut tot conficiantur horae inaequales, quot horis praecedens locus meridianum antecedit; tantumque sit intervallum loci sequentis a meridiano, quantum praecedentis. His comprehensis, investigabimus rursus ex ascensionibus sphaerae rectae, quot temporibus Aequinoctialis pars sequens secundum verum et primum situm, ab eodem meridiano distet, et quot haec horas inaequales prioribus horis partis praecedentis aequales constituant. Tandem multiplicabimus has ipsas horas quoque in horaria tempora partis sequentis, (assumptis horis diurnis, quando fit collatio ad medium coeli; nocturnis, quando ad imum coeli) differentia temporum utriusque distantiae ostendet quaesitam annorum multitudinem.

Exemplum.

Ut, quod diximus, fiat evidentius, sit exempli causa locus praecedens principium Arietis, sequens principium Geminorum, regio, in qua dies maximus est horarum quatuordecim. Horaria ergo magnitudo principii Geminorum est septendecim graduum, octo scrupulorum. Oriatur autem primo initium Arietis, ut coeli culmen

---

20) Perpetuo autem ad illorum — converteretur.] sic Ed. 1553. Hic locus corruptus esse mihi videtur. Ptolemaei verba haec sunt: *ὥσπερ ἂν περιάγηται περὶ τὰς εἰρημένας τομὰς, ἔρχεται μὲν ἐπὶ τὴν αὐτὴν θέσιν, καὶ τῷ ὁρίζοντι καὶ τῷ μεσημβρινῷ.* Aegidii Tebaldini versio h. l. haec habet: „Quum autem hic semicirculus praefatum locum communem circumrotaverit, erit eius positio quandoque sicut positio hemispherii, quandoque vero sicut positio circuli medii diei." Gogava hunc locum sic vertit: „cumque circumducitur circa dictas sectiones, in eundem quidem situm incidit cum finitore et meridiano." Fortasse hic interpretationis Mel. locus sic est mutandus: Perpetuo autem illorum hemicycliorum quodcunque ad horizontem et ad meridianum aequaliter eodem modo inclinatur, perinde ac si circa illas sectiones converteretur.

principium Capricorni obsideat. Et distet a coeli culmine principium Geminorum, temporibus aequalibus centum quadraginta septem, scrupulis quadraginta octo. Quoniam igitur Arietis principium a coeli supremo fastigio sex horis inaequalibus dissidet, idcirco has si ducamus in septendecim tempora Aequinoctialis et octo scrupula, (tot enim uni horae inaequali congruunt, aestimata diei quantitate ab initio Geminorum, et sumitur distantia principii Geminorum a coeli culmine) conficiemus et huius distantiae centum et duo tempora, scrupula quadraginta octo. Excessus, quo illa superant haec, temporum est quadraginta quinque, quibus exactis, sequens locus devolvetur ad praecedentem. Tot vero sunt etiam tempora ascensionum Arietis et Tauri, posteaquam locus prorogator collocatur in horoscopo. Similiter consistat in coeli culmine principium Arietis, ut secundum primum situm a meridiano supra terram absit initium Geminorum quinquaginta octo temporibus Aequinoctialis. Quoniam igitur, ut secundo posuimus, locus prorogator coeli fastigium obtinet, habemus prioris distantiae eum ipsum excessum quinquaginta octo temporum: quibuscum[21]), eo quod in coeli medio sit locus prorogator, meridianum praetervehuntur Aries et Taurus.

Rursus transferatur principium Arietis in occasum, ut in medium coeli redigatur initium Cancri. Dissideat vero a coeli culmine initium Geminorum, in praecedentia temporibus Aequinoctialis triginta duobus, scrupulis duodecim. Quoniam igitur rursus intervallum principii Arietis in cardine occiduo consistentis et culminis coeli, est horarum sex inaequalium, si deciesseptie has auxerimus, comparabimus tempora Aequinoctialis centum duo, scrupula quadraginta octo, quibus aberit a meridiano principium Geminorum, quando occiderit. Sed situ primo ab eodem in eandem partem abfuit temporibus triginta duobus, scrupulis duodecim. In temporibus igitur septuaginta, scrupulis triginta sex supra terram in occasum feretur, quibus temporibus decumbunt sub occasum Aries et Taurus; et e regione efferuntur opposita signa Librae et Scorpii.

Nunc removeatur a cardinibus principium Arietis, statuaturque in medio aliquo spatio. Exempli gratia, distet in praecedentia a meridiano horis inaequalibus tribus, ut coeli culmen occupet Tauri pars decima octava. Distet vero primo situ initium Geminorum a coeli fastigio, in consequentia temporibus Aequinoctialis tredecim. Si igitur rursus horas tres amplificaverimus septemdecim temporibus, octo scrupulis, distabit secundo positu principium Geminorum a meridiano in praecedentia temporibus quinquaginta et uno, scrupulis viginti quatuor, quibus tredecim iuncta, conficiunt sexaginta quatuor tempora, viginti quatuor scrupula. Absolverat autem, cum oriretur locus prorogator, quadraginta quinque tempora; cum coeli culmen adiret, quinquaginta octo, in occasu septuaginta. Ergo ratione loci, quem inter coeli medium et occasum ei assignavimus[21a]), discrepat numerus temporum ab utriusque cardinis temporibus. Est enim sexaginta quatuor temporum. Differt vero secundum rationem excessus trium horarum; et si quidem in integris quadrantibus secundum cardines acceptis, duodecim est temporum differentia, in distantia trium horarum, erit temporum sex.

Quia vero eadem fere ratio in omnibus servatur, alia ad eundem modum simpliciore via uti possumus. Etenim rursus cum oritur pars praecedens, ascensionibus utemur usque ad partem sequentem; cum in occasu est, descensionibus; cum in coeli culmine eminet, sphaerae rectae ascensiones assumemus. Quando vero in mediis horum interstitiis haeserit, qualis est in exemplo priori situs Arietis, primum capiemus tempora utrique angulo, intra quos consistit prorogator, congruentia, ac si in ipsis versaretur cardinibus. Inveniemus autem, si post culmen coeli supra terram posuerimus initium Arietis, intra medium coeli et occidentem congruentia ad hunc situm tempora sexaginta quatuor. At convenientia ad situm prorogatoris in coeli culmine tempora quinquaginta octo, ad positum eiusdem in occasu septuaginta reperiemus. Deinde inquiremus, quot horis inaequalibus ab alterutro cardine praecedens pars distet. Quanta enim horae illae fuerint pars integri quadrantis, qui sex horis constat: tantam partem detractam a differentia, qua cardinis utriusque tempora inter se discrepant, vel adiiciemus, vel auferemus a cardine, ad quem locus praecedens refertur. Ut in exemplo priore, quoniam cardinum propositorum differentia est

21) quibuscum] Ed. 1553. quibus cum (Ptol. ἐν οἷς).

21a) assignavimus] Ed. 1553. errore typogr.: assigavimus.

temporum duodecim, et locus praecedens tribus horis inaequalibus ab utroque cardine dissidet, quae sunt dimidia pars de sex horis: detracto igitur dimidio etiam de cardinum differentia, nimirum ex duodecim, eoque vel accommodato ad quinquaginta octo, vel subducto ex septuaginta, excessum sexaginta quatuor temporum colligemus. Si vero duabus inaequalibus horis ab alterutro cardinum abesset, cum duae horae sint triens horarum sex, triente ex duodecim (quanta est differentia angulorum) deducto, eoque vel adiecto quinquaginta octo temporibus, si distantia a medio coelo aestimetur; vel adempto ex septuaginta temporibus, si ab occasu intervallum consideretur: congruentem illi sitni numerum conficiemus. Hoc modo interiectorum temporum magnitudo convenienter pervestiganda est.

Discernemus vero deinceps ab unaquaque praedictarum obviationum aut demersionum interfectrices aut climactericas aliasve transitiones ordine, sumpto initio ab iis, quae brevissimo tempore finiuntur, propterea quod his obviationes vel affliguntur, vel iuvantur, ad eum, quem diximus, modum; tum propter exitum temporum qualibet obviatione significatorum. Afflictis enim locis et in annorum exitu stellis inficientibus praecipua loca, mortem certam; si vero alterutrum horum[22]) opituletur naturae humanae laboranti, magnos assultus et periculosos; si utrumque iuvet, languores tantum, aut nocumenta, vel evacuationes, quae desinunt, expectare oportet. Sed qualia haec futura sint, ex locorum occurrentium habitudine atque convenientia ad geniturae positus colligendum. Nihil vero prohibet, quin interdum dissidentibus iis, penes quos est facultas interimendi, eventuum vehementiam aut imbecillitatem coniectari possimus, aut singulis obviationibus observatis et aestimatis, aut iis maxime, quae vel ad eventus, eaque, quae sequutura sunt, plurimum pro virium magnitudine conferunt, vel in caeteris obviationibus omnibus vim praecipuam habent.

De forma et temperamento corporis.

Absoluta de vitae spatio tractatione, nunc particularem reliquorum explicationem ordine convenienti ordiemur a figura et conformatione corporis, propterea quod natura prius fingitur et formatur corpore, quam anima et corpus, quia densius est, congenitas a prima origine statim suae mixturae notas habet. Anima non nisi post aliquanto et obscure, impressas sibi a prima causa vires profert. Quae vero extra nos sunt, progressu temporis demum accidunt.

Contemplari autem oportet cardinem orientis et succedentes, aut planetas, qui horoscopo praesident, eo quo diximus modo, aliqua ex parte et Lunam. Etenim ex vi formatrice, et ad alterutram speciem seu pulchram seu deformem efficiendam proprietate, cum horum duorum locorum, tum dominantium utrisque planetarum, insuper ex figuris stellarum inerrantium, quae his cooriuntur, qualis sit forma corporum, eruitur, hoc observato, ut vis praecipua tribuatur planetis dominantibus; secundo loco adiungatur illis tanquam causa adiuvans, locorum proprietas.

Primum ergo, si quis singula simplici ratione prosequi velit, his utatur.

Inter planetas, Saturnus, cum orientalis est, colore flavos efficit, pleniore corpore, capillitio nigro et crispo, oculis magnis, statura mediocri, temperamento humidiore et frigidiore; occidentalis, nigros colore, raris corporibus, parvos, simplici et plano capillitio, reliquo corpore glabros et debiles, mediocri membrorum proportione, oculis nigricantibus, temperamento frigidiore et sicciore.

Iupiter praedictis locis praesidens, cum orientalis est, candido colore corpora tingit, sed eleganti et florido, capillitio ornat mediocri, oculos efficit nigricantes, et venusta magnitudine grandiusculos, gravitatem cum quadam coniunctam dignitate moribus inducit, crases[23]) calido humidoque temperat. Occidentalis candido quidem, sed non eleganti colore inficit, capillitio rigido, aut calvitie vel anteriorem partem, vel tantum sinciput deformat, mediocrem staturam et temperamenta humido redundantia procreat.

Mars cum dominatur et orientalis est, validos gignit, rubedine albicante, decente corporis proceritate, oculis caeruleis, hirsutos, mediocri capillitio, crasi calidiore et sicciore; occidentalis

22) alterutrum horum] Ed. 1553. alterutrum harum (Ptol. τοῦ δὲ ἑτέρου τούτων; Tebaldinus haec vertit: alterum istorum duorum; Gogava: alterutrum horum).

23) crases] Ed. 1553. errore typogr.: rcases.

rubicundos, statura mediocres, pusillis capitibus, nudo corpore et pilis carente, flavo capillitio et rigido, crasi sicciore.

Venus similia iis efficit, quae Iupiter, nisi quod pulchriora, gratiora, venustiora, ad muliebrem elegantiam propius accedentia, succulentiora et teneriora ac delicatoria omnia praestat; peculiariter autem oculos colore fulvo, cum quadam venustate imbuit.

Mercurius cum orientalis est, efficit colore flavos, magnitudine moderata, proportione membrorum convenienti, oculis parvis, capillitio mediocri, crasi calidiore; occidentalis flavos, raris corporibus, gracilibus membris, oculis concavis et claris, subrubentibus crasi sicciore. His configurata lumina plurimum addunt.

Sol et exornat omnia magnificentius, et corporum habitum firmat.

Luna universaliter moderatoria omnia, firmiora et crasin humidiorem efficit; particulatim vero variat effectus ratione incrementi et decrementi luminis, ut initio ostendimus.

Rursus universaliter cum mane Solem antecedunt et conspiciuntur, grandia; cum primum insistunt, robusta et valida; cum in praecedentia feruntur, non apta proportione conformata; cum secundo insistunt, imbecilliora; cum occidunt, dignitate carentia et vitiorum foecunda corpora pariunt.

Porro loca quoque formationem corporum et constitutionem temperamentorum adiuvant. Universaliter enim quadrans ab aequinoctio verno usque ad solstitium, bene coloratos efficit, eleganti proportione, magnos, firmos, oculis pulchris, temperamento humido et calido. Alter quadrans a solstitio ad autumnale aequinoctium, colore mediocres, magnitudine iusta et apta, firmos, oculis nigricantibus, hirsutos, capillitio crispo, temperamento sicciore et calidiore. Tertius quadrans ab autumnali aequinoctio ad brumam, flavescentes, graciles, raros, capillitio mediocri, venustis oculis, exuberantes frigido et sicco. Quartus a bruma ad aequinoctium vernum, flavescentes, iusta magnitudine et decenti, capillitio rigido, nudo corpore et depili, affluentes humore frigido producit.

Particulatim vero figuris describuntur humanis, sive in Zodiaco consistant, sive extra Zodiacum versentur, eleganti et iusta proportione corpora aptant et componunt. At signa alienarum figurarum vitiant et deformant ea, pro sua qualibet nativa vi et proprietate. Et aliqua ex parte ea membra, quibus praesident, sibi conformant, vel magnitudine, vel parvitate, vel robore, vel imbecillitate, vel elegantia: magnitudine quidem, ut exempli gratia Leo, Virgo et Sagittarius; parvitate, Pisces, Cancer et Capricornus. Sic anteriores et superiores partes Arietis, Capricorni et Leonis, firmiora; inferiores et posteriores eorundem signorum, imbecilliora. Contra Sagittarii, Scorpii et Geminorum anteriores partes imbecilliora, posteriores validiora efficiunt corpora. Eodem modo Virgo, Libra, Sagittarius, moderata compage et venusta compositione fingunt et conformant corpora; Scorpius contra, Pisces et Capricornus, eadem deformant immoderata, et non congruente sibi structura. Sic de caeteris: quae quidem omnia eum, qui propriam et exactam figurae corporis ac temperamenti rationem exquirit, contemplari ac commiscere oportet.

De laesionibus et morbis corporum.

Cum sequatur doctrina de corporis laesionibus et morbis, adiungemus institutam de ea re considerationem. Universalis vero regula haec est. Duo cardines Horizontis inspiciantur, videlicet is, qui est in ortu, et alter, qui est in occasu.

Praecipue vero consideretur is, qui est in occasu, et locus antecedens, qui prorsus non est copulatus ascendenti. Et observetur, quomodo malefici planetae ea loca adspiciant. Si enim gradibus, qui ascendunt in dictis locis, iuncti sunt corpore, aut adspiciunt eos quadrato adspectu, vel ex opposito, seu alter planeta maleficus, seu uterque: laesiones et morbi natis accident, maxime si alterum luminare, vel ambo sint in cardinibus iuncta maleficis, aut sint eis opposita.

Tunc enim, sive post lumen ascendit planeta maleficus, sive praecedit in cardine, adferre potest talem morbum, qualem horizon, signa, naturae maleficorum planetarum et adspicientium eos minantur.

Nam gradus cuiuslibet signi infortunatus in horizonte, minabitur membro corporis, cui praeest; et quali laesione aut morbo, aut an utroque adfici membrum illud possit, indicabit. Causas vero, et species laesionum seu morborum, planetae indicabunt.

Saturnus enim praecipue praeest auri dextrae, vesicae, spleni, pituitae et ossibus; Iupiter tactui, pulmoni, arteriis et semini; Mars auri sinistrae, renibus, venis, membris virilibus; Sol oculis, cerebro, cordi, nervis et dextrae parti universae; Venus olfactui, hepati[24]), carni; Mercurius orationi, menti, linguae, bili et sedi; Luna gustui, gulae, stomacho, ventriculo, matrici et sinistrae parti universae.

Laesiones autem generaliter plerumque accidunt, cum maleficae stellae, quae causam praebent, sunt orientales. Morbi vero accidunt econtra, cum causae sunt occidentales.

Differunt enim haec inter se. Laesio semel corrumpit membrum aliquod, nec adfert postea cruciatus intensionem; morbus vero aut assidue, aut per intervalla, correptos excruciat.

Sed ad particularem coniecturam quaedam requirunt observationem singularem, quorum membrorum et qualis laesio futura sit, aut qualis morbus; sequuntur enim accidentia plerumque similes positus stellarum.

Caecitas alterius oculi fit, cum Luna edito partu est in altero cardinum, aut in coniunctione, aut in oppositione; seu quando est in alterutro loco, ubi Solem adspectu aliquo adspicit, et quando copulata est alicui nebulosarum stellarum in Zodiaco, ut Cancri, aut Pleiadum, aut cuspidis Sagittarii, aut aculei Scorpii, aut comae Berenices, supra Leonem, aut urnae Aquarii. Et quando Mars aut Saturnus, Luna existente in cardine ac infortunata succedunt, aut quando ante Solem ipsi in cardine ascendunt; quando vero utrique lumini, vel in eodem signo, vel oppositis, sunt familiares matutini Soli, vespertini Lunae, utrique oculo perniciem adferunt. Mars ab ictu, aut pulsatione, aut a ferro, aut ab ustione, cum Mercurio iunctus nocet in palaestris, aut gymnasiis, aut insidiis latronum. Saturnus vero per suffusiones, aut frigus, aut albuginem, aut similia.

Rursus quando Venus est in cardinibus dictis, maxime in occidente, iuncta Saturno, aut eum adspiciens, aut domicilia mutarunt; Mars vero super eam elevatur, aut oppositus est: viri erunt steriles, mulieres vero edent abortus et foetus immaturos, aut secando foetus ex utero periclitabuntur, maxime in Cancro, Virgine et Capricorno. Et iuncta nebulosis Luna, oculos laedet et cum Luna in ortu Marti iuncta est.

Sin autem adspiciet Mercurium eodem loco cum Saturno, et Mars erit elevatus super eam, aut oppositus, spadones erunt, aut hermaphroditi, aut obstructis meatibus genitalium.

His sic se habentibus, cum Solem etiam caeteri planetae adspiciunt, et luminaria ac Venus sunt in signis masculis, Luna vero est in occasu et malefici planetae sunt in gradibus succedentibus, virilia praecidentur viris, et erunt in eis insignes laesiones, maxime si in Ariete aut Aquario Venus sita est. Mulieres vero erunt steriles, interdum et in facie laedentur. Et erunt balbi aut muti, qui Saturnum et Mercurium in cardinibus cum Sole coniunctos habent, praecipue si Mercurius sit occidentalis, et ambo Lunam adspiciant. Mars vero adiunctus, plerumque linguae impedimentum solvit.

Quod si Luna occurrit Marti, et luminaria succedunt maleficis tenentibus cardines; aut malefici sunt oppositi luminaribus, maxime si Luna sit in nodis aut flexibus, et in signis noxiis, aut Ariete, Tauro, Cancro, Scorpio, Capricorno: fiunt gibbi, aut mutilationes, aut claudicationes aut paralyses. Ac si cum luminibus sint malefici planetae, statim a nativitate has laesiones adferunt.

Sin autem sint malefici in medio coeli, supra luminaria, et longitudine inter se distent: accident laesiones a magnis periculis lapsuum ex alto, aut latrociniis, aut ferarum morsibus.

Nam cum Mars dominatur, accident laesiones per ignem, aut fient vulnera in rixis, aut inter latrones. Cum Saturnus dominatur, fient lapsus, naufragia, spasmi.

Plerumque vero fiunt laesiones, cum Luna est in signis tropicis, aut aequinoctialibus. In vere vitiligo, in aestate impetigines, in autumno lepra, in hieme lenticulae.

Haec accidunt, cum in dicto positu malefici adspiciunt contrario adspectu, vespertini Solem, matutini Lunam.

Et universaliter Saturnus ventres frigidos facit, et auget pituitam ac fluxus, et efficit macilentos, et imbecilles, obnoxios dysenteriis, tussi, difficulter exspuentes, doloribus crassioris intestini conflictantes, elephantiasi laborantes; in mulieribus vero, matricis pericula.

24) hepati] Ed. 1553. epati.

Mars efficit cruentum sputum, inflammationes pulmonis, scabiem, sectiones, ustiones, vexationes continuas abditorum membrorum, propter fistulas, haemorrhoidas, inflammationes, ulcera urentia, depascentia carnem; in mulieribus vero abortus, evulsiones foetus, aut arrosiones. Haec ita magis fiunt, cum planetarum positus, qui illa mala excitant, convenit ad illas corporis partes. Et auget mala Mercurius, Saturno iunctus, ad frigiditatem inclinans, et faciens assiduam agitationem et conturbationem humorum, praecipue circa thoracem, stomachum et fauces. Marti vero iunctus, siccitatem auget: ut in exulcerationibus, depilatione, crustulis, apostematibus, erisypela, impetigine saeva, atra bile, comitiali, aut similibus.

Et fiunt qualitates morborum aut laesionum variae, iuxta signorum rationem, quae sunt in duobus cardinibus. Proprie enim Cancer et Capricornus, Pisces et caetera, quae figuras referunt animantium terrestrium, aut piscium, faciunt morbos, quibus depascitur caro, et impetigines, scrophulas, fistulas, elephantiasim et similia.

Sagittarius et Gemini adferunt lapsus et comitialem; cumque in postremis signorum partibus erunt maleficae, efficiunt laesiones aut morbos in extremis partibus membrorum, ex laesione aut fluxu, qui elephantiasim, aut podagras, aut chiragram gignit.

Haec cum ita sint, si beneficae non fausto adspectu mitigant maleficas, morbi causas; aut si non adspiciunt lumina in cardinibus, malum est atrox et insanabile.

Idem fiet, si, quamvis adspiciant maleficas, superantur tamen, quia maleficae sunt in locis potentioribus.

Sed cum beneficae in locis convenientibus sunt, et superant maleficas, mali causas, tunc laesiones minus deformes, et non foedae erunt; et morbi erunt mediocres et non atroces, interdum et facile sanabiles, cum beneficae sunt orientales.

Iupiter enim significat hominum auxilia, et solet laesiones opulentia aut dignitate minuere, et morbos lenire. Cum Mercurio autem, pharmaca et medicorum opem significat; cum Venere occasiones divinitus oblatas, aut oracula, ut laesiones minus deformes et minus odiosae sint. Morborum vero curationes efficit divina ope.

Et si cum Venere erit Saturnus, infamiam et divulgationem significat. Si vero iuncta erit Mercurio, significat auxilium cum lucro, quod accedet propter laesionem aut morbum.

De qualitatibus animae.

De corporum accidentibus haec sit doctrina compendio tradita. Sed qualitates animae, quae propriae sunt mentis et ratiocinationis, sumuntur in singulis ex Mercurii conditione. Quae vero propriae sunt moralis partis et virium inferiorum, sumuntur a luminibus crassiorum corporum, hoc est, a Luna et a stellis ad eam amplificationem coniunctione aut adspectu configuratis.

Cumque magna varietas sit inclinationum et motuum animae, haec consideratio non unius est modi, nec temere facienda sine discrimine; sed multis et variis coniecturis opus est.

Multum enim ad animae proprietates signa conferunt, in quibus Mercurius et Luna versantur multum, et stellarum adspectus ad Solem et ad cardines, et natura cuiuslibet planetae congruens certis inclinationibus animae.

Plerumque autem signa tropica faciunt ingenia magis popularia, cupida turbulentorum et civilium negotiorum, gloriae cupidos, cultores numinis coelestis, ingeniosos, mobiles, diligentes in inquisitione et examinatione rerum, solertes in inventione et coniecturis, et excogitandis excusationibus fatidicos.

Signa vero bicorporea faciunt varios, inconstantes, non sinentes se facile deprehendi, leves, instabiles, duplices, amatorios, versipelles, studiosos musices, ignavos, subito paratos, cito mutantes institutum.

Fixa vero, iustos, non amantes assentationum, stabiles, firmos, intelligentes, tolerantes, laboris cupidos, duros, continentes, tenaces simultatum, pertinaciter instantes, contentiosos, honorum cupidos, seditiosos, avaros, asperos, inflexibiles.

Positus vero orientales et horoscopus, faciei contuitus significant, liberales, simplices, sibi placentes, fortes, ingeniosos, veloces et apertos.

Matutinae stationes et in medio coelo, consultos, perseverantes, magnanimos, fideli memoria praeditos, perfectores eorum quae suscipiunt, immotos, robustos, non sinentes se facile

decipi, firmos, prudentes, saevos, circumspectos, agentes aliquid, punientes, scientiis deditos.

Antecessiones vero et occasus, significant instabiles, mobiles, imbecilles, impatientes laborum, facile concipientes subitos affectus, humiles, meticulosos, ambiguos, minaces et timidos, hebetes, fatuos, difficiles.

Vespertinae vero stationes et positus medii infra terram, et Mercurii ac Veneris occasus, interdiu vespertini, nocte vero matutini, significant ingeniosos, prudentes, non satis memores, non laborum patientes, sed tamen scrutantes arcana: ut magica sacra, causas eorum quae fiunt in sublimi aere, mechanica, motus et effectus siderum, praestigiatores, philosophos, augures, somniorum interpretes et similes.

Cum autem sunt in propriis aut familiaribus locis et dignitatibus planetae gubernantes animi inclinationes, ut supra distribuimus, qualitates faciunt excitatas, non impeditas, spontaneas et efficaces; ac praecipue cum iidem duos modos obtinent, et Mercurium feliciter adspiciunt, et Luna recte adplicata est. Cum vero non sunt in familiaribus locis, qualitates fiunt obscurae, imbecilles, languidae, nihil proficientes.

Magna autem vis est planetarum potentiorum et elevatorum super Mercurium et Lunam. Quando enim cum maleficis est familiaritas, fiunt naturae iniustae et pravae. Cumque Mercurius aut Luna sunt potentiores, indunt impetus faciliores, non impeditos, non periculosos, et ad benefaciendum incitatos.

Sed cum vincuntur a contraria conditione, sunt praecipites, habent irritos impetus, et facile incurrunt in offensiones.

Cum vero familiaritas est cum bonis, bonos et iustos mores significant; cumque non sunt alii super eos elevati, benefacere caeteris et ipsi gaudent, et laudantur propter benefacta; nec adficiuntur iniuriis, sed fruuntur iustitia, quae et ipsis prodest. Sed si potentiores sunt contrarii, minus habent tranquillitatis, suntque propter mansuetudinem et bonitatem et veritatem despecti, criminationi et iniuriis expositi.

Haec sit generalis consideratio. Qualitates vero particulares, a singulis planetis ortas, pro cuiusque dominio, deinceps compendio recitabo, et mixturas eorum in genere describam.

Saturnus.

Saturnus cum solus nactus est dominium, et plus valet quam Mercurius et Luna, ac praeclare se habet, quod ad mundi positum attinet, et ad cardines, facit corporis sui curam gerentes, graves, profunda cogitantes, tetricos, solitarios, laboriosos, imperiosos, punientes indigna, cumulatores opum, parcos, cupidos pecuniae, violentos, colligentes thesauros, invidos.

Sed infeliciter positus, facit squalidos, humilia cogitantes, negligentes, solitarios, lividos, timidos, fugitantes lucem, obtrectatores, amantes solitudinum, lugubrium sermonum querulos, impudentes, superstitiosos, laboriosos, mites, insidiantes suis, tristes, incultos.

Saturnus cum Iove.

Saturni autem et Iovis familiaritas in locis bonis, facit bonos, senes singulari reverentia colentes, placidos, honeste sentientes, opitulatores, sine malevolentia, cautos, parcos, magnanimos, officiosos, cordatos, amantes suorum, mites, intelligentes, tolerantes, sapientia quadam moderantes officia. In contrariis locis, ineptos, furiosos, metuentes turbam, superstitiosos, sacrificulos, occulta prodentes, suspicaces, negligentes liberorum et amicorum, latebrarum amantes, hebetes, diffidentes, inepte splendidos, virulentos, simulatores, frustra conantes, ambitiosos, mutabiles, stolidos et serviles.

Saturnus cum Marte.

Familiaritas vero cum Marte in locis minus vituperandis, facit negligentes, laboriosos, libere loquentes, turbulentos, audaciam prae se ferentes, et tamen timidos, tetricos, immisericordes, despicientes alios, asperos, bellicosos, periculorum contemptores, tumultuosos, dolosos, insidiatores, tenaces simultatum, nemini supplices, seditiosos, tyrannicos, avaros, infestos civibus rixatores, memores offensionum, ex abdito mala struentes, invasores, impatientes, torvos, molestos, gloriosos, maleficos, iniustos, non cedentes aliorum iudiciis, immanes, inflexibiles, pertinaces, non se ingerentes, caute etiam se recipientes, industrios, non cedentes, non habentes irritos impetus. In distortis locis, raptores, praedones, adulteratores, aerumnosos, turpia lucra sectantes, nefarios, inhumanos, contumeliosos,

insidiatores, fures, periuros, homicidia molientes, inconcessa vorantes, maleficos, homicidas, veneficos, impios, sacrilegos, sepulchrorum effossores et omnino sceleratos.

Saturnus cum Venere.

Familiaritas cum Venere in locis minus vituperandis, facit osores mulierum, cupidos dominationis, amantes solitudinum, insuaves in congressibus, ambitiosos, apparatus aspernantes, negligentes elegantiae, invidos, tetricos, insuaves ad Venerem, non aggregantes se communibus opinionibus, peculiares sibi opiniones excogitantes, fatidicos, superstitiosos, sacrificiis deditos, sacrificulos, fanaticos, sacris servientes, castos, verecundos, reverentes alios, studiosos, fidos in amicitia, stabiles, continentes, sagaces, cautos, querulos, male suspicantes de mulieribus et zelotypos.

In locis vero distortis, salaces, impudicos, contaminantes se flagitiosis libidinibus, negligentes, immundos in concubitu, libidinosos, insidiantes mulieribus et maxime cognatis; petulantes, infames, furenter ruentes in Venerem, osores munditiei, subsannatores, obtrectatores, ebriosos, superstitiosos, adulteros, incitantes et incitati ad incestos concubitus, non solum naturales, sed etiam contra naturam; appetentes, seniles, flagitiosos et inconcessos ferinos concubitus; impios, Dei contemptores, sacrorum derisores, infidos, calumniosos, veneficos, impostores.

Saturnus cum Mercurio.

Familiaritas cum Mercurio in locis laudatis, facit curiosos scrutatores, disserentes de legibus et de natura, arcanorum conscios, miracula facientes, deceptores, in diem viventes, sagaces, industrios, solertes, acerbos, diligentes, sobrios, sedulos, laborum cupidos, feliciter conantes. In locis vero distortis, hallucinantes, nugatores, tenaces simultatum, immisericordes, aerumnosos, infestos suis, invidos, tristes, noctu vagantes, insidiatores, proditores, crudeles, fures, magos, veneficos, falsarios, praestigiatores, non habentes prosperos successus, sed frustra conantes.

Iupiter.

Iupiter solus dominus in locis laudatis, facit magnanimos, beneficos, religiosos, honorem aliis tribuentes, fruentes bonis, humanos, splendidos, liberales, iustos, magna curantes, graves, sua agentes, misericordes, foecundos, prudentes, amantes cognatorum, gubernatores.

In locis vero distortis ac sordidioribus similem speciem efficit; sed sordidius et obscurius et dilutius, ut pro magnitudine animi fastum, pro religione superstitionem, pro verecundia timiditatem, pro gravitate tumorem, pro candore stoliditatem, pro nitore voluptates, pro cura magnarum rerum, stuporem, pro liberalitate negligentiam, sic et caetera degenerant.

Iupiter cum Marte.

Familiaritas vero cum Marte in locis laudatis, facit asperos, pugnaces, militares, idoneos gubernationi, concitatos, impatientes servitutis, fervidos, periculis se obiicientes, industrios, linguae libertate utentes, redarguentes alios, effectores eorum quae suscipiunt, contentiosos, gnavos in imperiis, acres, insidiatores, aequitatis amantes, viriles, aegre credentes, magnanimos, honorum cupidos, iracundos, dextre iudicantes et non aberrantes.

Sed in locis distortis, contumeliosos, sui negligentes, crudeles, implacabiles, seditiosos, rixatores, non aggregantes se communibus moribus, calumniatores, suspicaces, praerogativas quaerentes, rapaces, instabiles, leves, cito mutantes proposita, praecipites, inconstantes, incircumspectos, ingratos, turbulentos, attonitos, non frustra conantes, percussores, querulos, profusionum amantes, fatuos, inaequabiliter et sine regula viventes, et furiosos.

Iupiter cum Venere.

Familiaritas vero cum Venere in locis laudatis, facit amantes munditiem, suaviter fruentes bonis, nitidos; artium, spectaculorum, studiorum, musices studiosos; delicatos, simplices, beneficos, redarguentes alios, non astutos, religiosos, deditos caeremoniis et choris, prudentes, propensos ad amorem et honestam Venerem, splendidos, gratos, liberales, studiosos litterarum, dextre iudicantes, moderatos, modeste venereos, contentiosos, pios, iustos, honorum et gloriae cupidos, et in summa, honestos et laudatos.

At in locis disto is, epuarum amantes, delicatos, effeminatos, saltatores, muliebri impo-

tentia praeditos, sumptuosos, muliebres, amatorios, salaces, pronos ad libidinem, moechos, ornatum ostentantes, molles, ignavos, profusionum amantes, subsannatores, fatuos, vehementes, comptos, muliebria consilia instituentes, superstitiosos, lenones, observantes arcanarum caeremoniarum, fideles, et non nocendi cupidos, festivos, faciles, hilares, et ad praemia cumulatius danda liberales.

Iupiter cum Mercurio.

Familiaritas Iovis cum Mercurio in locis laudatis, facit amantes litterarum, facundos, deditos geometriae, disciplinis, poeticae, eloquentiae, ingeniosos, modestos, humanos, honesta consilia quaerentes, politicos, beneficos, aliena negotia administrantes, comes, liberales, amantes coetuum, callide observantes alios, non habentes irritos impetus, idoneos gubernationi, pios, studiosos rerum divinarum, pecuniam bonis artibus augentes, erga cognatos naturali benevolentia praeditos, amantes suorum, idoneos disciplinae, philosophos, dignitatem magni facientes.

At in locis contrariis, stolidos, hallucinantes, aberrantes, despectos, attonitos, fanaticos, nugatores, lividos, arrogantes sibi sapientiam, incircumspectos, iactabundos, artium exercitia tentantes, magos, trepidantes, consternatos, multa inquirentes, memores, doctrinis deditos, in voluptatibus munditiem amantes.

Mars.

Mars cum solus dominatur moribus in locis laudatis, facit generosos, gubernationi idoneos, iracundos, divitias appetentes, vorantes, robustos, periculis se obiicientes, pericula spernentes, non patientes servitutis, negligentes sui, pervicaces, vehementes, morosos, contemptores, tyrannicos, manu promptos, iracundos, gubernatores.

At in locis contrariis, crudeles, iniustos, sanguinis avidos, turbulentos, sumptuosos, clamatores percussores, praecipites, ebriosos, raptores, facinorosos, truculentos, mota mente, furiosos, suis inimicos, impios.

Mars cum Venere.

Familiaritas cum Venere in laudatis locis facit hilares, faciles, sodalitiorum amantes, deliciis fruentes, laetos, iocosos, incautos, musicos, saltatores, amatorios, amantes liberorum, histriones, fruentes voluptatibus, facientes magnos apparatus, salaces; pronos quidem ad libidines, sed tamen prosperos, et sibi caventes, circumspectos, non committentes, ut deprehendantur ac notentur, adpetentes iuvenilia corpora adolescentum et puellarum, sumptuosos, iracundos, zelotypos.

At in locis distortis, circumspectantes libidinose, molles, furenter ruentes in libidines, negligentes sui, maledicos, moechos, contumeliosos, mendaces, fraudulentos, stupra suis et alienis offerentes, pronos et vehementes ad voluptates, corruptores mulierum et virginum, temere se in pericula coniicientes, flagrantes, indecoris gestibus monstrosis, insidiatores, periuros, facile impingentes, stultos, amantes ornatus, feroces, turpia paciscentes et impudicos.

Mars cum Mercurio.

Familiaritas cum Mercurio in laudatis locis, facit callidos in excogitandis stratagematis, timidos, violentos, inconstantes, praemetientes pericula, versutos, gnavos, sophisticos, laboriosos, loquaces, invasores, dolosos, mobiles, captiosos, malis artificiis circumvenientes alios, celeriter invenientes consilia, deceptores, simulatores, insidiatores, malitiosos, curiosos, sedulos, non habentes irritos impetus, facile similium benevolentiam conciliantes et tuentes, inimicis nocentes, amicis benefacientes.

At in locis distortis, sumptuosos, avaros, crudeles, pericula temere adeuntes, audaces, mutantes propositum, perculsos, consternatos, mendaces, fures, impios, periuros, invasores, seditiosos, incendiarios, in theatris seditiones moventes, contumeliosos, latrones, fures, homicidas, falsarios, proditores, praestigiatores, magos, veneficos, homicidas.

Venus.

Venus cum sola dominatur in locis laudatis, facit blandos, bonos, deliciarum amantes, idoneos ad concilianda studia hominum, facundos, munditiei et choreis deditos, zelotypos, hilares, impatientes laborum, artium capaces, venustos in gestu, religiosos, bono habitu corporis, certa somniantes, naturali erga suos benevolentia, be-

neficos, misericordes, facile reconciliabiles, non habentes irritos impetus, denique voluptatibus venereis deditos.

In contrariis vero locis, ignavos, amatores, effeminatos, mulierosos, timidos, negligentes discrimina actionum, pronos ad libidinem, infamiae negligentes, obscuros.

Venus cum Mercurio.

At Mercurio familiaris in locis laudatis, facit artifices manuarios, studiosos, doctrinarum capaces, ingeniosos, poeticos, musicos, elegantiam amantes, placidos, suaviter victitantes, deliciarum amantes, hilares, amicis fidos, pios, intelligentes, vafros, solertes, bene coniectantes, cum dexteritate omnia facientes, celeriter discentes, discendi cupidos, sine doctore multa discentes, *ardentes* studio optima imitandi, formosos, *comes*, suaves, moribus bene compositis, studiosos, ludorum cupidos, dextre iudicantes[24]), magnanimos, cautos in venereis, zelotypos.

In contrariis locis, invasores, vafros, deformes, instabiles, malevolos, impostores, turbatores, mendaces, calumniatores, periuros, clam struentes fraudem, veteratores, pactorum violatores, perfidos, non reconciliabiles, stupratores, comptos, molles, infames, criminibus publicis obnoxios, ubique se ingerentes, interdum sua quadam natura incitatos, turpia agentes, et variis vitiis dedecoratos.

Mercurius.

Mercurii stella sola dominium animae nacta, in locis laudatis, facit intelligentes, sagaces, dociles, multa inquirentes, acutos ad inveniendum, multa experientes, ratiocinatores, recte coniectantes, naturam rerum inquirentes, ingeniosos, imitatores, beneficos, computatores, speculativos, mathematicos, mysteriis deditos, non habentes irritos impetus.

Econtra vero, in locis distortis, versutos, praecipites, obliviosos, habentes celeres impetus, leves, mutabiles, propositum mutantes, fatuos, nocendi cupidos, stultos, hallucinantes, mendaces, negligentes discrimina rerum et personarum, instabiles, infidos, defraudatores, iniustos, denique periculosa consilia struentes, et audacter ac temere scelera suscipientes.

Luna.

Magnum vero momentum habet Lunae positus, quae si vagatur in latitudine meridiana, aut arctoa, conducit animae ad efficiendam varietatem morum, et calliditatem consiliorum et mutabilitatem. At in nodis adiuvat acumen ac celeritatem inventionis, industriam ac festinantiam. In ortu et crescente lumine, facit generosiores, magis apertos, firmiores et liberiores. In coniunctione vero et occultatione, facit languidiores, hebetiores, facilius desistentes a proposito, timidiores, obscuriores.

Sol.

Sol autem si in locis faustis familiaris erit gubernanti mores animae, efficit iustiores, magis industrios, graviores, religiosiores. At in locis infaustis et non congruentibus cum dominatore, facit sordidiores, difficilioribus negotiis implicitos, minus observantes decori, pervicaces, duros, crudeles, intractabiles, denique minus flexibiles ad virtutem.

De morbis animae.

Quia proprietates animae sequitur aliquo modo narratio insignium morborum eius, convenit universaliter notare et observare Mercurium et Lunam, quomodo se mutuo adspiciant aut cardines, aut maleficas stellas.

Cum enim non sunt colligati Mercurius et Luna inter sese, aut cum in orientali horizonte superantur, aut sunt circumsessi, aut maleficae oppositae sunt, et adspectu pernicioso collocatae, causae sunt multorum morborum, qui accidunt animae. Et temperamenti confusio sumitur a qualitatibus stellarum pro loci natura. Ac mediocris labes ex proprietatibus planetarum prius dictis sumi potest, incrementa vero conspiciuntur ex maleficarum exsuperantia. Convenienter enim dici labes potest excessus aut defectus in moribus, recedens a mediocritate.

Caeterum maiores furores, qui tanquam perpetui morbi in natura haerent, et laedunt totam partem rationalem et adpetentem, tali observatione in genere ita iudicare licet.

Epileptici enim plerumque fiunt, quibus Luna et Mercurius non sunt colligati inter sese,

24) iudicantes] Ed. 1553. corrupte: iudicteans.

Iupiter et Venus cum favore, donis, honoribus, augent animi magnificentiam.

Mars dignitatem significat ducendis exercitibus, aut victoriis, aut terrore subditorum.

Mercurius prudentia, doctrina, procuratione oeconomica acquirit dignitatem.

De magisterio.

Magisterii dominus sumitur ex duobus modis, a Sole et signo medii coeli. Considerandа est enim stella, quae proxime ante Solem mane oritur, et stella medii coeli, si Lunam adspexerit. Ac si uni planetae utrumque accidet, ut Solem praecedat et teneat culmen, hic erit actionum et artium magister. Sic quando alteri planetae neutrum horum accidet, anteferendus est alter, cui alterum accidit.

Sin autem inter duos alter a Sole digressus prius oritur, et alter tenet culmen, et Lunam fausto adspectu intuetur, uterque adsumendus est. Sed partes potiores tribuendae sunt isti, qui plures habet calculos ad dominii attributionem, iuxta praerogativas supra expositas.

Sin autem nullus planeta praecedit, et nullus est in culmine, dominum accipe medii coeli ad quaerendas artes pro tempore nati. Sed hi plerumque sunt inefficaces.

Magisterii dominus igitur sic diiudicabitur. Sed artis genus ex proprietate trium stellarum, Martis, Veneris et Mercurii, et ex signis, quae peragrant, sumetur.

Mercurius artis magister, ut in summa dicam, efficit scribas, grammaticos, computatores, doctores, negotiatores, mensarios, vates, astrologos, sacrificulos, denique tales, qui exerceant litterarum interpretationem et contractus. Et si Saturnus fausto adspectu eum adspicit, efficiet alienarum opum procuratores, interpretes somniorum, aut versantes in sacris, propter vaticinia et adflatus.

Sin autem Iupiter eum adspexerit, efficiet oratores, doctores, cum potentibus viris familiaritatem habentes.

Sin autem Venus praeerit magisterio, facit artifices, qui odores, unguenta [25]), vina, colores, tincturas, aromata, ornatus adparant: ut myropolas, coronarios, caupones, negotiatores, pharmacopolas, textores, aromatarios, pictores, vestiarios. Et cum Saturnus Venerem adspicit, facit negotiatores rerum accommodatarum ad voluptates, ad ornatum; ac insuper praestigiatores, veneficos, lenones, et ex similibus rebus quaestum facientes. Si Iupiter eam adspiciet, faciet athletas, coronarum gestatores, auctos honoribus, muliebri favore evectos.

Si vero Mars erit magisterii dominus, ac Sol eum adspiciet, artifices faciet, qui operas suas igne adhibito faciunt: ut coquos, fusores, cauteria exercentes, fabros aerarios.

Sed sine Sole, ut casus feret, ferrarios, aut navium architectos, fabros, lapicidas, politores, lignorum sectores.

Si vero Saturnus eum adspiciet, nautas, aquaeductus facientes, cuniculos agentes, lictores, coquos, balneatores.

Sin autem Iupiter, milites, ministros, vectigalium praefectos, caupones, portitores, victimarios.

Rursus si duo praesint magisterio, si dominentur Mercurius et Venus, erunt artifices musici, aut organici, aut cantores, aut poetae, aut rhythmici. Et cum loca permutant, faciunt artifices scenicos, histriones, mangones, organorum fabros, fidium factores, saltatores, textores, aerearum imaginum fictores, pictores. Et cum a Saturno adiuvantur, exercent easdem artes, quas dixi, et negotiantur mundo muliebri. Et cum a Iove adiuvantur, efficiunt iudices, praesides rationum, magistratus, negotiosos, erudientes pueritiam, tribunos populi.

Si Mercurius et Mars dominantur, faciunt statuarios, armorum artifices, sculptores, fusores, luctatores, medicos, chirurgos, accusatores, adulteros, insidiatores, falsarios. Et cum adiuvat eos Saturnus, facit homicidas, grassatores, raptores, latrones, abactores, praestigiatores. Si autem a Iove adiuvantur, fiunt patientes laborum, audaces, acres, ingerentes se negotiis, aliena curantes, et inde lucrantes.

Sin autem Venus et Mars dominantur, faciunt tinctores, unguentarios [26]), stannum, plumbum, argentum, aurum fundentes, saltatores armatos, venena miscentes et curantes. Sin au-

25) unguenta] Ed. 1553. ungenta.

26) unguentarios] Ed. 1553. ungentarios.

tem a Saturno adiuvantur, erunt cultores bestiarum, vespillones, praeficae, lugubria canentes, fanatici, versantes in locis, ubi fiunt sacra, lamentationes, lacerationes corporum. Sin autem a Iove adiuvantur, erunt sacrificuli, aruspices, sacrorum baiuli, mulieribus praefecti, nuptiarum conciliatores, et inde victitantes, fruentes voluptatibus, sine metu ullius periculi.

Signorum autem proprietas, in quibus sunt planetae magisterii datores, ad varietatem artium conducit.

Signa, quorum figurae sunt humanae, conducunt ad scientias et ad artes, ad usum humanum accommodatas.

Quadrupedum figurae conducunt ad metallica, ad negotiationes, aedificationes et fabricationes; aequinoctialia et solstitialia ad commutationes, interpretationes, geometriam, agriculturam et caeremonias. Terrestria vero et *aquatica* conducunt ad tractandas res nascentes in aquis, item ad herbas, et naves fabricandas, item ad sepulturas, ad condimenta, salsamenta, vel herbas condiendas.

Si vero Luna adspicit datores magisterii a coniunctione discedens, cum Mercurio, in Tauro, Capricorno et Cancro, efficiet vates, sacrificulos et vaticinantes ex pelvi; in Sagittario et Piscibus efficiunt vaticinantes ex mortuorum et daemonum colloquio; in Virgine et Scorpio, magos, astrologos, occulta proferentes et futura praedicentes; in Libra, Ariete et Leone, adflatos divinitus, somniatores, adiuratores.

Ac de specie actionum hoc modo consideratis mixtionibus coniectura fiat.

Sed magnitudinem ostendet dignitas dominantium stellarum.

Cum sunt orientales, aut in cardinibus faciunt antecellentes aliis; sed cum sunt occidentales, aut cadentes a cardinibus, faciunt subiectos aliis.

Et cum beneficae stellae sunt elevatae super dominantes, faciunt magnos, gloriosos, lucrantes, non offendentes, gratiosos. Econtra cum maleficae elevatae sunt super dominatores, faciunt submissos, ignobiles, nihil lucrantes et periculis implicitos.

Si Saturnus adversabitur, faciet frigora, et colorum mixturas. Si Mars adversabitur, faciet temeritates et infamias. Cum autem ambo adversantur, significant ingentes perturbationes.

Tempus autem incrementi vel decrementi harum effectionum, sumatur a positu ad cardinem orientalem et occidentalem.

De coniugiis.

Coniugiorum considerationem ordo offert. Est autem de legitima viri et mulieris coniunctione hoc modo coniectandum. In virorum coniugiis Lunae positum, et quomodo ipsa affecta sit, considerare oportet. Etenim in orientalibus constituta quadrantibus, aut in prima adolescentia, viros coniugiis implicat, aut post maturam aetatem iisdem iuvenculas decernit. In occidentalibus contra, vel tardius contracturos matrimonium, vel natu grandiusculas ducturos denotat. Si praeter haec etiam Saturno fuerit configurata, coniugium negat, et viros caelibes reddit.

Deinde videndum, quod ipsa signum teneat. Si enim in unius figurae signo extiterit, aut uni alicui planetarum applicarit, unam tantum uxorem designat. Si vero bicorporeum aut ex figuris pluribus conflatum signum possederit, vel etiam ex eodem signo pluribus iuncta fuerit, uxores plures pollicetur. Quod si planetae adiuncti Lunae, vel vicino situ adspectuve, vel testimonio ac suffragiis fuerint boni, honestas uxores; si malefici, contrarias tribuunt.

Saturnus Lunae applicans, uxores promittit tetricas et laboriosas; Iupiter honestas et industrias, praesertim in oeconomica administratione; Mars audaces et contumaces; Venus formosas, suaves, hilares; Mercurius sagaces et argutas. Insuper Venus cum Iove, vel Saturnus cum Mercurio, victui parando idoneas, amantes coniugum et liberorum; cum Marte, iracundas, instabiles, mutabiles dat uxores.

De mulierum coniugiis Solem contemplari oportet. Etenim in orientalibus collocatus quadrantibus, significat eas, quibus hoc modo positus est, vel puellas admodum elocandas, vel postquam aetas defloruerit, adolescentibus nupturas esse. In occidentalibus, aut tarde elocandas, aut post florem aetatis natu grandioribus coniungendas significat. Et si unius figurae signum tenuerit, aut uni alicui planetarum matutino ortu praecedentium applicarit, unum maritum; si bicorporeum, vel ex pluribus figuris compositum signum habuerit, aut pluribus matutino ortu se antevertentibus configuratus fuerit, plures maritos spondet.

Saturnus Soli aliquo adspectu copulatus, viros modestos, commodos et sedulos largitur; Iupiter honestos et magnis animis praeditos; Mars strenuos, alienos a communibus hominum affectibus, impatientes ordinis et legum; Venus, elegantes et formosos; Mercurius victui parando idoneos; Venus cum Saturno, ignavos et ad consuetudinem coniugalem imbecilliores; cum Marte fervidos, in Venerem pronos, adulteros; cum Mercurio, liberorum amantes.

Quadrantes autem orientales intelligimus in Sole eos duos, qui horoscopum et cardinem occiduum antecedunt; in Luna vero, quadrantes duos novilunio et plenilunio proximisque quadraturis interiectos, id est, unum, in quo Luna a congressu cum Sole crescit usque ad figuram dimidiatam; alterum, in quo post plenum orbem marcescit rursus usque ad effigiem dimidiatam. Occidentales quadrantes intelligimus eos, qui his opponuntur.

Firma autem, ut plurimum fiunt, et durabilia coniugia, quando in genituris utriusque lumina amicis se mutuo radiis intuentur: utpote triquetris, vel sexangulis; tumque vel maxime, quando ex suis locis vicissitudine quadam permutatis se mutuo receperint; multo etiam magis, quando viri Lunae, mulieris Soli hoc modo congruerit. Dissolvuntur autem levi occasione matrimonia, et alienati a se mutuo prorsus dissident coniuges, quando positus luminum iam commemorati incidunt in signa inconiuncta et aliena, vel ipsa oppositis quadratisve se mutuo feriunt radiis. Porro si lumina ex convenientibus locis sociata, benefici quoque aliquo foverint adspectu, totam vitae in coniugio consuetudinem suavem, plenam mutuae et perpetuae benevolentiae, et utrisque commodatam efficient et conservabunt; malefici contra et discordias serent, contentionesque et inverecundam vitae consuetudinem atque utrisque noxiam et damnosam reddent. Eadem ratione si luminibus collocatis in statu inconvenienti, benefici consenserint aliquo suffragio, non prorsus vitae consuetudinem dirimunt, sed sanant offensas, alienatosque reconciliant, et ad pristinam consuetudinem reducunt, tuenturque mutuum inter eos amorem et benevolentiam. Malefici vero divellunt coniugium, et fere cum violentia aliqua, aut infamia. Mercurius solus illis adiunctus, notoriam atque in ore vulgi versantem ignominiae labem adspergit, et actionibus iudiciariis implicat. Idem cum assidente sibi Venere, adulterii aut veneficii criminibus, vel aliis huiusmodi notat.

Reliquas coniugiorum differentias ex Venere, Marte et Saturno iudicare oportet. Congruentes enim hi cum luminibus, domesticas et legitimas coniunctiones decernunt; eritque coniunctio talis, qualis Veneris erga alterutrum habitudo atque affectio. Marti copulata, iuvenculam spondet uxorem. Altitudines enim utriusque permutatim in alterius trigonis existunt. Saturno iuncta, aetate grandiusculam, quod domicilia utriusque permutatim in alterius trigonos incidunt. Quare cum Marte ipsa absolute venereas naturas efficit, quibus si adfuerit Mercurius, prodet, quae facient, et pervulgabit. Quod si ex signis promiscuis et utrique cognatis ac familiaribus sibi invicem applicuerint, ut Capricorno et Piscibus, illegitimas cum sororibus aut consanguineis copulationes designant. In virorum vero genituris, si Luna etiam adstiterit, cum duabus sororibus aut consanguineis; in mulierum, si Iupiter assederit, cum fratribus duobus aliisve sanguine iunctis tales commiscebuntur.

Saturno iuncta Venus suavem omnino et stabilem consuetudinem vitae in coniugio praestat. Mercurius si accesserit, etiam commoda confert. At si Mars se miscuerit, instabilis erit vitae consuetudo, damnisque et nocumentis obnoxia, et certabunt ipsi inter se coniuges aemulatione atque invidentia. Quod si adspectu felici, vel ex convenientibus signis locisve Mars se illis insinuaverit, aequales despondet. Si tamen orientalior fuerit utroque, natu minores; si occidentalior, natu grandiores demonstrat. Si vero cognata naturae suae signa simul vel permutatim obsederint Venus et Saturnus, ut Capricornum aut Libram, commixtiones cum consanguineis portendunt. Quod si hoc positu in horoscopum inciderint, aut coeli culmen, et Luna accesserit, mares cum matribus, vel materteris, aut novercis rem habituros; femellas filios, aut privignos, aut filiarum maritos admissuros designant. Quod si Sol concurrerit, fuerintque planetae occidentales, mares filias, vel privignas, vel nurus, id est, filiorum uxores incesta consuetudine polluturos; femellis eandem consuetudinem cum patribus, aut patruis, aut vitricis minantur.

At si congressus hi configurationesque, non cognata atque convenientia signa, sed feminea

occuparint, incendent in natis immoderatas turpissimarum libidinum flammas, et pronos paratosque ad quemvis concubitum, sine discrimine, sive agant ipsi, sive patiantur, efficient. In certis vero figuris, etiam flagitiose obscoenos ac foedos, ut in anterioribus et posterioribus Arietis, prope Suculas; in posterioribus Leonis, in facie Capricorni. Porro si hoc positu aut in horoscopo fulserint, aut in coeli fastigio eminuerint, fiet, ut autores ipsi sua, quae perpetrant, flagitia proferant, et suis celebrent sermonibus. In extremis duobus hoc modo collocati cardinibus, occiduo nimirum et infimo, spadonum et eunuchorum causa erunt, vel sterilitatem inducent, virgaeve meatus obturabunt. Mars ubi accesserit, genitalia viris amputabit; ex femellis, quas τριβάδας vocant, efficiet.

Omnino quam ad venerea affectionem habituri *sint viri*, Mars ostendet. Etenim a Venere Saturnoque separatus, et Iovis adiutus suffragio, elegantes et verecundos in concubitu, et naturali usu venereorum contentos; soli Saturno adiunctus, segnes et frigidos ad concubitum efficit. Venere vero et Iove, aliquo annexis sibi adspectu, promptos quidem et appetentes venereorum reddit; sed ita tamen, ut contineant et moderentur sese, caveantque, ne incurrant in infamiam et reprehensiones. Cum sola Venere, aut si etiam Iupiter adsit, Saturno tamen remoto, lascivos, cupidos rei venereae, intentos in omnes occasiones explendae libidinis parit. Et si alter planetarum vespertinus matutinus alter fuerit, ad masculam promiscue et femineam Venerem propensos, neutrius tamen nimio desiderio obnoxios. Si vero uterque vespertinus fuerit, ad solos concubitus cum mulieribus ardentissimos praestabit. Quin etiam si tunc simul in signis planetae femininis haeserint, nati se foede contaminandos praebebunt aliis. Si contra uterque matutinus fuerit, masculis amoribus capientur; et si tunc signa simul masculina tenuerint, erga cuiusvis aetatis mares afficientur absque discrimine. Denique si Venus occidentalis fuerit, cum vilibus, famulabus, aut peregrinis; si ea Martis conditio fuerit, cum superioribus aut dominabus rem habituros denotat.

De mulieribus, Veneris observanda conditio est. Etenim Iovi configurata et Mercurio, moderato mundoque venereorum usu contentas; soli iuncta Mercurio, Iove absente, proclives quidem in Venerem et cupidas concubitus, verecundas tamen et maxima ex parte difficiliores, ac fugitantes turpitudinis; Marti soli assistens aut configurata, salaces quidem et in Venerem pronas, sed segnes, etiam si tunc Iupiter praesto fuerit, efficit. Marte radiis Solis occultato, servos, viles, aut peregrinos admittent; Venere in radios Solis mersa, cum superioribus, aut dominis, pellicum aut concubinarum more concumbent. Quod si signa adspectusve planetas effeminarint, ad patiendum solum habiles et pronas; si masculina fuerint loca planetarum, ad alias irritandas proclives fore demonstrant. Saturnus, his ita dispositis planetis connexus, si fuerit et ipse effeminatus, foedae libidinis autor est. Si orientalis extiterit, et masculinus, vituperia conciliat ob rem veneream, et infamat insigniter. Iupiter contra moderatur talia et componit. Mercurius publicat, ac pervulgat, atque invisa reddit.

De liberis.

Postquam quae de coniugio consideranda sunt, edocuimus, restat, ut de liberis disseramus. De his consulendi sunt et pensitandi planetae, in coeli culmine vel succedente (cui boni daemonis appellatio tributa est) consistentes, hisve configurati. Si tales nulli reperientur, illi, qui opposita loca obsident vel intuentur, expendendi erunt.

Censentur autem largiri prolem Luna, Iupiter et Venus; contra negare, auferre, vel minuere Sol, Mars et Saturnus. Mercurius prout his illisve se corpore vel adspectu insinuat, sic effectu se quoque et significatione conformat. Orientalis dat prolem, occidentalis aufert. Hi igitur planetae, qui prolem pollicentur, soli sic positi unicam prolem; in bicorporeis signis, aut femininis, aut foecundis, qualia sunt Cancer, Scorpius et Pisces, geminam aut numerosiorem. Masculam conditionem sortiti a signo, in quo versantur, atque adspectu ad Solem, mares; effeminati, femellos decernunt. Superati a maleficis, aut in sterilibus signis collocati, qualia sunt Leo et Virgo, praebent quidem prolem, sed nec pulchram, nec durabilem. Sol vero et malefici praedicta loca possidentes, si simul vel masculina tunc, vel sterilia signa teneant, et beneficorum faustis ac felicibus radiis foveantur, prolem quidem promittunt, sed imbecillam, invaletudine

perpetua conflictantem et vitae brevis. Quando utriusque conditionis planetae ad signa prolifica rationem habent aliquam, significantur promissorum liberorum enixus, aut omnium, aut multorum, aut paucorum, prout huius illiusve conditionis planetae vel plures numero, vel fortiores, vel orientaliores, vel in cardinibus positi digniorihus, aut succedentibus domiciliis, aut elati supra caeteros fuerint.

Si igitur planetae, qui prolificis dominantur signis, orientales fuerint, donant liberos. Si tunc quoque in signis propriis haeserint, claritatem illis et illustre nomen adiungunt. At si occidentales fuerint, aut in loca alienae conditionis conclusi, abiectos et obscuros liberos designant. Quod si horoscopo congruerint et parti fortunae, erunt liberi in amore parentum, venusti, suaves, et haereditate a parentibus relicta potientur. Sin dissenserint ab iisdem, aut ex adverso constiterint, contendent liberi et simultates exercebunt cum parentibus, nocebunt eis, nec consequentur ius haereditatis. Sic cum se invicem planetae radiis amicis complectuntur, concordes tribuunt liberos, et inter eos fraterno amore devinctos, ac mutuis et coniunctis operis atque officiis, tuentur et conservant stabilem benevolentiam. Cum dissident, aut oppositis se ac hostilibus impetunt radiis, odiis mutuis et studio alendarum inimicitiarum atque insidiandi sibi invicem liberos incendunt. Quae minutiora sunt, scrutari et eruere quispiam singillatim poterit, si horoscopum assumpserit cuiusvis planetae, qui liberos pollicetur, atque ex reliquo schemate non secus atque ex themate geneseos generalem instituerit considerationem.

De amicis et inimicis.

Amicitias et inimicitias maiores et durabiliores vocamus naturarum societatem et odia. Minores vero et breviores vocamus familiaritates et lites. Talis autem erit harum rerum consideratio.

De praecipuis causis mutuae benevolentiae aut dissidiorum considerentur loca dominantia in nativitate, locus Solis, Lunae, horoscopus et pars fortunae. Cum enim sunt in signis iisdem, aut permutatis, seu omnes, seu plurimi, et maxime cum ascendentes distant septemdecim gradibus, erunt naturarum societates firmae, indissolubiles, et in quibus nullae accidunt iniuriae.

Sed si illi sunt in locis nullo inter se adspectu copulatis aut oppositis, erunt inimicitiae et dissidia diuturna.

Si neutri sint positus, quos dixi, vel amicitiam vel inimicitiam significantes, sed sint adspectus ut trigoni aut hexagoni, benevolentia erit, sed minor. Quadrati vero faciunt minora odia, ut existunt inter amicos simultates et querelae tunc, cum maleficae stellae ad ea loca venerint, quae amicitias significant.

Rursus vero inter inimicos inducias et reconciliationes, cum boni adspectus incurrunt.

Postquam autem tria sunt amicitiarum genera; aut enim coniunguntur homines consilio, aut propter utilitatem, aut propter voluptatem et dolorem: concurrunt igitur in amicitia haec tria, cum omnes positus, aut plures, ita inter se congruunt. Rursus inimicitiae erunt omnium generum, cum prorsus non congruunt positus.

Cum vero lumina congruunt, erit amicitia adiuncta consilio optima et tutissima; aut cum non congruunt, erit amicitia pessima et infida. Cum pars fortunae congruit, erit amicitia contracta utilitatis causa. Cum vero ascendens congruit, erit amicitia voluptatis causa contracta.

Conferendae autem sunt geneses ad videndum, in utra sint exaltati planetae, et in utra alii alios intueantur.

In qua igitur erit exaltatio, aut si idem signum proxime erit succedens, id amicitiam vel inimicitiam maxime reget. Ubi autem alii alios feliciter adspiciunt, ad beneficentiam amicitia erit utilior, et ad corrigendas simultates accommodatior.

In subitis vero familiaritatibus et discordiis, motus planetarum in utraque genesi considerandi sunt, hoc est, quando prorogator temporis in una, venit ad prorogatorem temporis in altera. Ita enim fiunt breves amicitiae et durantes exiguo tempore, usque ad dissolutionem. Diutius vero durant, si accedat aliquis planeta succedens.

Cum igitur Saturnus et Iupiter ita congruent, ut alter ad alterius loca perveniat, faciunt amicitias aut civilis consilii societate, aut propter agriculturam, aut haereditatem.

Saturnus et Mars significant pugnas et insidias consulto instructas.

Saturnus et Venus, coniunctionem propter cognatas personas, sed quae cito frigescit.

Saturnus et Mercurius cognationes, familiaritates, societatem commerciorum, contractuum et sacrorum efficit.

Iupiter et Mars, sodalitia per magistratus, aut alias gubernationes.

Iupiter et Venus, amicitias per publicas personas, quae sacrificiis aut vaticiniis occupatae sunt.

Iupiter et Mercurius, conversationes propter studia doctrinae et artium.

Mars et Venus faciunt conversationes per amores, adulteria et scortationes: quae tamen et periculosae sunt, et non diu sunt laetae.

Mars et Mercurius inimicitias, infamias et rixas significant litteris mandatas et veneficia. Venus et Mercurius significant familiaritates ex artibus, studiis et commercio litterarum, aut a mulieribus ortas.

Incrementa vero et decrementa brevium sodalitatum iudicanda sunt ex congruentia quatuor praecipuorum locorum. Nam in cardinibus, parte fortunae, ac luminum locis, accessio erit illustrior; sed cum ab illis locis aberunt stellae significantes, effectio erit imbecillior.

Sed quando boni eventus, quando mali ab amicis impendeant, ex qualitate stellarum congruentium, bona vel mala, sumendum est.

De servis.

Servorum et dominorum concordiae vel discordiae sumuntur ex XII. domo, et a congruentia stellarum eius loci in genesi, seu cum in eundem locum insistent, seu cum erunt oppositae; maxime vero, cum dominator signi eius loci, cum dominatore nativitatis consentit aut dissentit.

De peregrinatione.

Locus peregrinationis sumitur a luminum positu ad centra, amborum quidem, sed magis Lunae; nam in occasu, aut cadentibus locis a cardinibus peregrinationes et locorum mutationes significat. Idem significat et Mars, sive in occasu, sive in domo cadente a culmine, cum luminibus aut oppositus est, aut tetragonus.

Si autem et pars fortunae erit in signis significantibus peregrinationem, tota vita, conversatio et actiones erunt apud exteros.

Et cum benefici planetae adspiciunt significatorem itinerum, aut succedunt ei, erunt clarae et faustae actiones apud exteros et reditus maturi, ac non impediti. Cum vero malefici planetae significatorem itinerum adspiciunt, erunt difficilia, damnosa et periculosa itinera. Sumatur autem consideratio commixtionis, ubique iuxta dominium eorum, qui eundem locum adspiciunt, ut supra diximus.

Cum lumina sunt in orientali quadrante, peregrinatio erit versus orientem, aut meridiem. Sed cum sunt in occidentali quadrante, aut ipso occasu, erit peregrinatio versus septentrionem et occasum.

Et cum signum significans iter erit uniforme, aut cum dominantes stellae erunt uniformes, per intervalla et non assidua itinera suscipientur. Sed cum erunt duarum figurarum, assiduae et longinquae peregrinationes erunt.

Iupiter autem et Venus cum praesunt signis et luminibus, praebent secura et grata itinera et comitatus seu per praesides regionum, per quas proficiscendum erit, seu per amicos; et accedent bonae tempestates et copia commeatuum.

Si etiam Mercurius adiuvat hanc significationem, erit occasio utilitatum, accessionum et donorum.

Cum vero Saturnus et Mars dominantur luminibus, et maxime si sint oppositi secundum longitudinem, corrumpunt ea bona, quae adsunt, et implicant magnis periculis eos, qui iter faciunt. Cum erunt in signis humidis, navigationes[27]) infaustas, aut reditus per loca invia aut deserta significant; in fixis, lapsus per loca ardua, vel flatus ventorum; in solstitialibus et aequinoctialibus, defectus commeatuum et morbos; in signis humanam figuram habentibus, latrocinia, insidias, crudelitates.

In terrestribus, lacerationes metuendae erunt a bestiis et terrae motus. Et cum adest una Mercurius, pericula erunt a fulminibus, a periculosis criminationibus, a serpentibus et venenatorum ictibus. Sumenda est enim qualitas eventuum, tum fausta, tum infausta, ex diversitate circa causam et ex locis causae actionis, aut facultatum, aut corporis, aut dignitatis iuxta dispositionem, quae dominatur.

Quibus vero articulis temporum hi eventus accidant, sumendum est ex qualitate temporum, quibus planetae ad loca significantia pervenerint.

---

27) navigationes] Ed. 1553. errore typogr.: navigatine

Haec sint hactenus breviter exposita et delineata.

De genere mortis.

Reliqua est de genere mortis consideratio, in qua repetenda est doctrina supra tradita de vitae longitudine, utrum fiet interfectio proiectione radii, an vero delapsu significatoris ad cardinem occidentalem.

Si enim fiet interfectio propter proiectionem aut occursum radiorum, consulatur de morte locus, in quo fit occursus. Sed si delapsus ad cardinem occidentalem mortis causa est, ipse occasus consulatur.

Quales enim erunt insidentes iis locis, aut si non insident, primi succedentium, tales mortes impendent, ut planetarum naturae genera eventuum variant, et stellae adspicientes et qualitas loci interfectoris, et naturae finium in signis Zodiaci.

Saturnus igitur dominans, morti adfert exitium per morbos diuturnos, tabem, catarrhos, febres putridas, lienis labefactationem, hydropem, crassioris intestini aut matricis dolores, et alia mala, quae ex frigidis causis superantibus oriuntur.

Iupiter significat mortem ex angina, pulmonum apostemate, apoplexia, spasmo, capitis doloribus et orificii ventriculi offensionibus, et iis, quae accidunt ex anhelitu vehementiore, aut ex foetore.

Mars adfert exitium per febres continuas, vel compositas, ictus subitos, renum obstructiones, cruorem sputi, sanguinis effluxus per intestina, abortus, infelicitatem in partu, carbunculos, neces violentas; denique per omnia, quae faciunt inflammationes et excessum caloris.

Venus necat per stomachi et hepatis[28]) morbos, mentagras, dysenterias, per cancros, fistulas, venena, denique per humoris redundantiam, aut corruptionem.

Mercurius necat per furores, animi consternationes, melancholica deliria, morbum comitialem, tusses, angustias pectoris, et morbos, qui ex immodica siccitate, aut corruptione sicca oriuntur.

Moriuntur ergo naturali morte, qui discedunt ex vita, cum stellae, quae dominantur morti, retinent suas aut familiares qualitates, non impeditae a maleficis levatis super eas, quae gravius laedere et insigniorem exitum facere possunt.

Erunt autem mortes violentae et insignes, quando aut ambae maleficae dominantur loco interfectori seu coniuncti, seu ex quadrato se adspicientes, aut oppositi secundum longitudinem; aut cum alteruter, vel ambo, Solem aut Lunam adfligunt. Genus enim mortis horum coniunctio, sed claritatem et magnitudinem lumina significant. Praeterea qualitas iudicanda est ex aliarum stellarum adplicatione, et ex signis, in quibus sunt maleficae.

Saturnus enim aut quadrato adspectu, aut ex opposito adspiciens Solem, vitae minitans, in signis fixis, necat per prehensiones turbae, aut per anginas, aut strangulationem.

Idem minatur Saturnus occidens sequente Luna. Et cum est in signis ferinis, significat lacerationem a bestiis.

Et cum Iupiter adflictus adspicit Saturnum, natus obiicietur bestiis, in publico coetu, aut spectaculo.

Cum vero oppositus est Saturnus alteri luminum, ascendenti in horoscopo, significat mortem in carcere.

Cum Mercurium adspicit Saturnus maxime circa loca serpentum in coelo, aut circa ferinas figuras: significat mortem a venenatis animalibus.

Sed cum simul est Venus, significat veneficia et insidias muliebres.

Cum vero Luna in Virgine, Piscibus, aut humidis signis adspicit Saturnum, mergitur natus in undas. Et circa navim Argo significantur naufragia.

Iunctus autem Saturnus Soli in solstitiali signo, aut oppositus, aut vice Solis Marti oppositus, significat natum opprimi ruina.

Sin autem illi tenebunt medium coeli, ex arduo loco praeceps cadet.

Mars autem cum Solem infaustum, aut Lunam quadrato adspectu aut opposito adspicit, in signis humanis significat neces in seditionibus civilibus, aut interficiendos ab hostibus, aut sua manu. Cumque Venus Martem adspicit, significat mulieres aut causam necis praebere, aut ipsas natum interfecturas esse. Cum vero Mercurius Martem adspicit, natus interficietur a piratis, aut latronibus, aut grassatoribus.

---

28) hepatis] Ed. 1553. epatis.

In signis mutilis, aut quorum figurae sunt imperfectae, aut circa caput Medusae, Mars significat capite truncandos, aut membris mutilandos. In Scorpio vero, aut Centauro, significat morituros ustionibus, aut sectionibus medicorum, aut spasmis.

Cum vero Mars culmen coeli, aut oppositum locum tenet, significat necem in cruce, maxime si Mars prope Cepheum aut Andromedam erit.

Sed in occasu et opposito horoscopi, significat comburi vivos.

In signis autem ferinis, significantur neces ex lapsu aut tractione.

Et cum Iupiter adspicit Martem adflictus, erunt neces insigniores, ex iudiciis, aut ira ducum aut regum.

Et cum simul sunt malefici aut oppositi inter se secundum longitudinem, in locis lethalibus, plus conferunt ad necis atrocitatem, ut fert dominium eius, qui est in loco interfectore. Et erit duplicatum malum, aut maius qualitate et quantitate, cum ambo malefici rationem habent ad locum interfectorem.

Tales et insepulti relinquentur et laniabuntur a bestiis et volucribus, si malefici in ferinis signis erunt, nec adspicit locum interfectorem aliquis beneficus. Et erunt neces in peregrinis regionibus, cum stellae significantes venient ad illorum itinerum tempora, maxime cum ibi Luna erit, aut quadrato adspectu, aut ex opposito illa loca adspiciet.

De temporum divisione.

Pertractatis singulis partibus in summa, quae de corpore, moribus et fortuna quaeruntur, ut initio instituimus, cum quidem consideratio tantum de praecipuis et crassioribus partibus loquatur: nunc addenda est consideratio de temporum divisione, physica et conveniens superiori doctrinae.

Ut igitur in omnibus praedictionibus fatum commune potentius particularibus respici primum solet: ita regio attendatur, qua particularia multa indicantur, videlicet circa formas corporum, mores animi, legum varietates. Et physice considerans semper potentiorem causam anteferet, ne propter similitudinem nativitatum, de forma dicat Aethiopem album fore, aut prolixa et demissa caesarie; Germanum vero fuscum et crispum; aut hos placidos fore, et amantes artium et spectaculorum; econtra vero Graecos, feros et ineruditos. Neve de legibus et vivendi consuetudine aberret a gentis moribus: ut si quis Italo promittat sororis connubium, quod Aegyptiis usitatum est; aut Aegyptio matris connubium, quod Persis usitatum est. Denique semper universale fatum anteferendum est, deinde particularia secundum magis et minus accommodanda.

Eodem modo et in divisione temporum, ad differentias aetatum accommodandi sunt eventus, ne hallucinantes infanti tribuamus actionem, aut nuptias, aut aliud conveniens adultis; aut effoeto seni generationem, aut aliud iuventuti proprium. Sed pro temporum ratione aetatibus congruentia et possibilia accommodemus.

Una est enim coniectura de universali hominum natura, iuxta collationem ordinis planetarum, incipiens a prima aetate et orbe nobis proximo, videlicet Lunari; et desinens in ultima aetate, et supremo orbe planetarum, scilicet Saturni.

Et accidunt cuilibet aetati congruentia naturae sui planetae, quae tamen generaliter sumenda sunt; et differentiae particulares sumantur ex proprietatibus inventis in cuiusque genesi.

Primos igitur quatuor annos, secundum proprium numerum quadriennii, Luna gubernat infantis aetatem et humiditatem ac fluxus corporis et celeritatem incrementi et aquosum nutrimentum et mutabilitatem temperamenti et hebetem vim rationalis partis, regit pro suae naturae qualitate et efficacia.

Sequens decennium aetatis puerilis, regit Mercurius iuxta dimidium viginti annorum, quo spatio partem rationalem format et fingit, ut semina disciplinarum inserantur, et morum ac studiorum proprietates conspiciantur, et exuscitat animos doctrina, assuefactione et primis exercitiis.

Tertiam aetatem, videlicet adolescentiam, regit Venus, sequentibus octo annis, qui numerus congruit cum proprio ipsius circuitu. Incipit enim tunc motus ciere seminalium meatuum et eorum impletionem et adpetitionem ad venerea. Tunc enim maximi sunt stimuli et ardores libidinis, amor, error et incogitantia in eo ipso, quod oculis cernitur.

Quartam vero et mediam aetatem iuvenilem Sol regit, qui mediam sphaeram tenet, ac do-

minatur annis undeviginti, et addit animae quiddam herile, et autoritatem et gravitatem actionum, et cupiditatem gloriae et honesti status, et transitum a ludis et incompositis[29]) moribus et accersitis vitiis, ad severitatem, modestiam et appetitionem honorum.

Quintus vero Mars virilem aetatem regit annos quindecim, iuxta suam periodum; et facit animos acriores et laborum tolerantiores, et auget sollicitudines et molestias animi et corporis, ac sensum indit et cogitationem, qualis est in aetate egressa iam praecipuum vigorem, et acuens ad gerendum aliquid memoratu dignum, et cum labore suscipiendum, antequam propius accedit finis.

Sextus Iupiter regit senectam annos duodecim, iuxta suum circuitum, ac facit aversari labores propriarum manuum, difficiles, molestos et periculosos; et adducit gravitatem, providentiam, amorem successuum, diligentiam in consilio capiendo, in admonitionibus et consolationibus, curam tuendi honoris et laudis, liberalitatem, reverentiam et sanctitatem.

Postremus est Saturnus, qui ultimam senectam regit, cum iam nimio frigore corporis et animae motus impediuntur, in audacia, voluptate ciborum et libidine. Postquam natura amisso vigore tam celeriter deficit, et arescit corpus, et accedit tristitia, et facilis est offensio et magna morositas, propter motuum imbecillitatem, propriam illi aetati. Haec sunt aetatum discrimina, in genere considerata.

Particulares vero significationes sumendae sunt secundum suam cuiusque genesin, ut supra de singulis vitae gradibus et accidentibus dixi, ex loco dimissionis radiorum, ut de vitae tempore dictum est. Spectandum videlicet, quando significator ad eum locum perveniat.

Ac ex horoscopo de valetudine et peregrinatione iudicandum erit; de facultatibus, ex parte fortunae; ex Lunae positu, de animae moribus et conversatione; ex Solis positu, de dignitate et gloria; at ex medio coeli, de caeteris vitae actionibus, de amicitiis, de procreatione liberorum.

Non enim erit una benefica stella dominatrix eodem tempore, cum multa concurrant simul contraria accidentia. Ut quando aliquis amittens cognatum, accipit haereditatem; aut aegrotans ad dignitatem evehitur; aut cum amanti otium nascuntur liberi; aut concurrunt alia, ut multa accidere solent. Non enim pariter fausti sunt, aut infausti eventus corporum, animae, facultatum, dignitatis, amicorum aut inimicorum; sed accidit fortasse tale quiddam in summa felicitate aut summa calamitate, quando concurrunt aut beneficae omni radiorum dimissione, aut contra maleficae. Sed id raro fit, propterea quod haec infirma hominum natura raro ad alterutrum extremorum accedit, sed prona est ad mixturam bonorum et malorum.

Loca igitur prorogatoris, dicto modo sumemus, stellas occurrentes sibi in locis, ad quae radii dimittuntur; nec solum sumemus interfectores, ut de vitae temporibus dixi, sed omnino omnes; nec tantum corporibus coniunctos, aut oppositos, aut ex quadrato se adspicientes, sed etiam ex trigono aut sexangulo se adspicientes.

Et primum quidem danda sunt tempora cuiuslibet prorogationis illi planetae, qui tenet gradum loci aphetici, aut alteri illum adspicienti[30]).

Si autem deest, demus ei planetae, qui proxime antecessit, donec perveniemus ad alium, qui adplicatur ad sequentem gradum iuxta ordinem signorum.

Deinde huic tribuemus tempora usque ad sequentem, et in caeteris similiter; et simul adsumantur planetae, ut sunt dispositores, qui sunt in suis finibus.

Cum autem prorogatio sumitur ab horoscopo, dentur anni gradibus longitudinis, aequales ascensionibus cuiusque climatis. Sin autem sumitur prorogatio a medio coeli, dentur anni aequales ascensionibus medii coeli. Ac usque ad cardinem simili modo dentur anni aequales pro proportione collati ad ascensiones, aut descensiones, aut transitum in medio coeli; sicut et supra dictum est de vitae temporibus.

Constituemus ergo praecipuos ac universales temporum datores, hoc modo, quem recensui. Annos vero constituemus hoc modo, computantes secundum signorum successionem a loco prorogatore numerum annorum nati, et singulis gradibus annum tribuentes, ac sumentes postremum tanquam dispositorem. Sic et de mensibus faciemus, computantes numerum mensium a nativitate, a loco, qui dominatur ei anno, quem com-

29) incompositis] sic scripsimus = Ptolem. ἀκαταστάτως Ed. 1553. errore typogr.: incompotis.

30) adspicienti] Ed. 1553. errore typogr.: adspicenti.

putas; ac tribuemus singulis signis dies viginti octo. Itemque dies post natalem diem numerabimus a locis mensium, tribuentes cuilibet signo, ordine dies duos et dimidium.

Animadvertendum etiam, quae stellae potissimum generales locos transeant. Non enim parum ad deprehendenda tempora eventuum momenti adferunt. In generalibus autem locis praecipua vis est Saturni, Iovis in annuis; Martis et Solis, Veneris et Mercurii, in menstruis; Lunae vero transitus in diurnis. Notandum et hoc, quod generales temporum arbitri praecipue eventus producunt et gubernant; particulares vero vel adiuvant illorum actiones, vel impediunt, pro naturae suae convenientia aut diversitate. Transitus stellarum vel augent intenduntque, vel relaxant et minuunt accidentia. Etenim generaliter prorogatoris locus et generalium temporum dominus, assumpto etiam participe finium domino, accidentium qualitatem et durationem significant. Retinent enim singulae stellae convenientiam cum illis geniturae locis, quorum dominium initio acquisiverunt. Utrum prospera futura sint accidentia, vel adversa, deprehendetur ex proprietate naturali et acquisita, benefica vel malefica arbitrorum temporis; itemque ex eorundem a principio cum locis, quae obsederunt, convenientia aut discrepantia.

Quo tempore se decretorum vis praecipue ostensura sit, cognoscetur ex configuratione signorum annuorum et menstruorum ad illa loca, quae earum effectionum causae sunt, itemque ex habitudine ad annua et menstrua signa illorum locorum, per quae planetae transitus faciunt, et ex quibus Sol Lunaque eadem intuentur. Si enim fuerit a principio in genitura horum cum locis, quos afficiunt, congruentia, et accesserit postea in transitu conveniens ad eadem configuratio, pro re nata bonum; si contraria illis, imbecillia omnia. At si convenientia nulla sit, sique diversitas conditionis simul incidat, aut in transitu oppositis quadratisve radiis loca illa infestent planetae, malum adferunt. Idque in reliquis configurationibus fieri non solet.

Cum iidem domini extiterint et temporum et transitus; ingentia et mediocre nihil decernunt in utramque partem, multoque magis etiamsi non solum ideo, quod temporum arbitri, sed quod a principio dominium in genitura sortiti sunt, causas rerum complexi fuerint. Prorsus autem felices fiunt, quorum unus idemque locus in omnes aut plures prorogationes inciderit; aut si hae diversae fuerint, cum iisdem temporibus omnes pluresve occursus beneficorum aut maleficorum concurrerint.

Haec de consideratione temporum hoc loco dixisse sufficiat. Genera eventuum in quibusque temporibus non attexam, eo quod, ut initio proposuimus, universali stellarum efficacia cognita, particularia consequenter accommodari possunt, si apte cum mathematici causa iuncta fuerit etiam causa mixtionis.

Ab illis solutae orationis scriptoribus graecis et latinis nunc transimus ad

PHIL. MELANTHONIS INTERPRETATIONES LATINAS AC ENARRATIONES POETARUM GRAECORUM.

Poetae graeci, quorum carmina aut integra aut singulos eorum locos Melanthon vel interpretatus est vel enarravit, varii generis sunt *):

A. epici: 1. Homerus, 2. Hesiodus.

B. dramatici:

a. tragoediarum scriptores: 1. Sophocles, 2. Euripides;

b. comoediarum scriptores: 1. Aristophanes, 2. Menander;

c. bucolicus: Theocritus,

C. elegici: 1. Tyrtaeus, 2. Solon, 3. Phocylides, 4. Theognis, 5. Callimachus, quibus Euclidis carmen et duorum Platonis locorum poeticam paraphrasin Melanthonis tanquam appendicem ad iungemus.

D. melici: 1. Simonides Ceus, 2. Pindarus, 3. Bacchylides.

E. didactici: 1. Empedocles, 2. Aratus, 3. Oppianus.

F. varia carmina, quorum auctores ignoti sunt.

---

*) In hac poetarum partitione sequimur Bernhardyi librum: Grundriss der Griechischen Litteratur Pars II. (Hal. 1845. 8.).

XLVIII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO ALIQUOT LOCORUM ILIADOS HOMERI.

Ab *epicis poetis* ordientes primo loco ponimus Melanthonis interpretationem aliquot locorum Iliados Homeri, nempe horum:

lib. II. v. 1—13. *), 185—206., 212—220.;
lib. III. v. 209—224., 216—223.;
lib. VI. v. 476—481.;
lib. IX. v. 32—49., 63. 64., 186—189., 252—258., 438—443.;
lib. XV. v. 494—499.;
lib. XVIII. v. 107.;
lib. XXII. v. 25—31.

Maxima quidem horum locorum pars iam inter Melanthonis epigrammata in huius Corp. Reform. Vol. X. recusa est, tamen minime dubitamus hanc etiam hoc loco iterum afferre eam ob causam, ut lector locos illic dispersos uno obtutu conspiciat et Iliados locos, quos Melanthon interpretatus est, accuratius cognoscat, cum illic tantummodo librorum, non autem versuum numeri sint adscripti **).

*) Versus omnium carminum Homeri adscripsimus ex editione, quae secundum recensionem Wolfii cum praefatione Godofr. Hermanni, Lipsiae apud Tauchnitium 1825. 8. min. prodiit.

**) Iisdem rationibus commoti etiam aliorum auctorum classicorum versus, qui inter Mel. carmina in hoc Vol. X. inveniuntur, hic iterum dabimus, iis exceptis, qui iam in Vol. XVII. recusi sunt.

a. EX ILIADOS LIBRO II. LOCI TRES
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

1. Iliados II, 1—13.

Huius loci interpretatio Melanthonis in eius Operum Basileae 1541. editorum (5 Tomi Fol.) Tom. V. p. 332. invenitur, textu graeco praemisso.

Nox erat, et placido defessus corpora somno
Curabat miles cauda cristatus equina.
Mulcebatque quies superos; sed pervigil unus
Iuppiter in multam volvebat plurima noctem,
Qua tandem fastus Agamemnonis arte superbos
Mulctet, et digne spretum ulciscatur Achillem.
Dumque haec divinae sedet sententia menti,
Fallaci regem deludere somno Achivum.
Ergo deum affatur, verbisque volucribus infit:
Vade age curarum nate, et delabere Graias
Ad naves, perferre duci coelestia iussa,
Et nil obscura monefac Agamemnona voce,
Ut belli signum det classi atque imperet arma,
Agminaque ad muros effundat ferrea Troiae.

2. Iliados II, 185—206.

Huius loci interpretatio Melanthonis inscripta: „Ex secundo Iliados." exstat in hisce libris:

a. Melanthonis Operum Basileens. Tom. V. p. 336. textu graeco praemisso.

b *Farrago aliquot Epigrammatum Philippi Melanthonis, et aliorum quorundam eruditorum Opusculum sane elegans et novum. Haganoae per Ioannem Secerium. An. M.D.XXVIII., Mense Ianuario.* 8. 11 plagg. [1])

c. *Philippi Melanthonis Epigrammatum libri tres collecti ab Hilbrando Grathusio Vffle-*

1) Hancce Farraginem in manibus non habeo.

niensi. Vitebergae excudebat Petrus Seitz. Anno M. D. LX. 8. 12½ plagg. litt. A—N (N ½ pl.) sign., 100 foll. non num.[2]) — Haec interpretatio legitur in hoc libro fol. L 3^a.

d. *Reverendi et clariss. viri Philippi Melanthonis Epigrammatum libri sex recens editi studio et opera Petri Vincentij Vratislauiensis. Witebergae Anno M. D. LXIII.* 8. 20½ plagg., quarum duae priores asterisco et trifolio, 18½ posteriores litt. A—T (T ½ pl.) signatae sunt, 164 foll. non num.[3]) — Haec interpretatio invenitur h. l. fol. K 5^b.

e. Huius Corp. Reform. Vol. X., in quo p. 484. nr. 16. haec interpretatio recusa est.

Ad naves Ithacus propere contendit Achivas,
Et sceptro armatus perfert mandata Minervae.
Hic ubi forte aliquem procerum virtute videbat
Praestantem, blando revocabat comiter ore:
Non haec, non decet haec fortes fuga, siste pudendum,
Siste gradum, incautumque simul compescito vulgus.
Atridae quae sit nondum sententia nosti.
Ille animos tantum vafer explorabat inertes,
Ecquid adhuc salva pudeat discedere Troia.
Forsitan et turbae dabit huic insania poenas.
Non est, crede mihi, regum placabilis ira,
Maiestate, potens rerum quos Iuppiter auxit.
Huic etiam Graecae dux curae est gentis Atrides,
Verum ex plebe aliquem nil magnae laudis egentem,
Tunc etiam stolido tantum clamore ferocem
Deprendens, dure[4]) increpitat, sceptrumque minatur:
Quo vesane ruis, mentemque quis impulit error?
Quin ades, et melior quae sit sententia disce
Principibus, quibus est solis res publica curae,
Quam neque consilio, neque possis Marte iuvare.
Omnibus hic nunquam simul imperitare licebit.
Nam multos regnare malum est, rex unicus esto,
Cui sceptrum, cui iura dedit Saturnius uni,
Huic debes parere duci, atque audire monentem.

3. Iliados II, 212—220.

Hunc locum „Thersita e Secundo Iliados Homericae" inscriptum graece cum latina interpretatione et scholio Melanthon edidit in hoc libro:

Institutiones Graecae Grammaticae. Accentuum exquisita ratio. Etymologia. Ex Homero, Thersita et Chelys cum scholiis. Philip. Melancht. Proderunt haec non solum graeca discentibus sed iis etiam qui non turpissime latina tractare conantur. Tubingae. — (In fine:) *Hagnoae ex Academia Anshelmiana, Anno M. D. XVIII. Mense Maio.* (infra hanc clausulam duorum angelorum figurae, duas taenias sursum tenentium, in quarum altera vox *ΙΗΣΟΥΣ*, in altera יהושוה [sic] legitur). 4. 15½ plagg. litt. a—p (p 1½ pl.) sign. (62 foll. non num.: fol. a 1^b De dialectis ling. graec. admonitio; fol. a 2. Melanthonis epist. nuncup. ad Bernardum Maurum Hagenoae Francorum 1518. scripta; fol a 3^a — p 1^a Mel. grammatica graeca; fol. p 1^b—3^b Thersita e Secundo Iliados Homericae, graece et latine cum scholiis; fol. p 3^b—4^b Chelys Mercurii ex Homericis Hymnis, gr. et lat. cum scholio; fol. p 5^a Admonitio extrema; fol. p 5^b Clausula cum effigie descripta; ult. fol. vac.)[5]). — Hic locus invenitur fol. p 1^b—3^b.

Thersita vero solus immoderatiloquus garriebat,
Qui sermones mente sua inornataque multaque novit
Frustra, ac citra decorum iurgari cum regibus
Iam et quod ei videbatur ridiculum apud Argivos
Esse. Turpissimus vir ad Ilion venit,
Strabus erat, claudus alterum pedem. Humeri ei
Angusti, in pectus contracti, sed desuper
Acuminatus erat capite, rarus autem defloruit capillus.
Infensus vero Achilli maxime erat ac Ulyssi.

Scholion.

Qui mos est meus, delegi e poeta non tam grammaticae exercitationis, quam morum exemplum, quo intelligas, qui sit genuinus poematum usus. Longe enim dissentio ab iis, qui in poetis propter verba nihil spectare solent, auribus quam animi iudicio indulgentiores. Scin', quam

2) Haec Ed. in meis libris est. Aliam huius collectionis editionem *Witeb. excud. Io. Crato.* 1556. 8. 18½ plagg., quae in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 465 sq. memoratur, nondum vidi.

3) Haec Ed. in Biblioth. acad. Halensi est. — Praeter has etiam aliae horum Epigrammatum collectiones in Vol. X. p. 667 sq. afferuntur, quas conferendi facultas mihi non data est.

4) dure] sic Grathus., Vincent. et Corp. Ref. X.; Opp. Basil. durae.

5) Hic liber in Biblioth. acad. Halensi est.

belle rideantur illi ipsi a Plutarcho *ἐν τῷ περὶ παίδων ἀγωγῆς*[6]). Ratio vero, qua involucra illa explicamus, *μυθολογία* dicitur, quae, ut variae res a poetis aguntur, multiplex est, alia ad naturae scientiam *καὶ φυσιολογίαν*, alia ad historiam rerum gestarum pertinet, alia mores format. Atque adeo libuit haec sapientibus quondam hominibus tractare fabulis, ut Maximus Tyrius inquit, cum ob plerasque causas alias, tum ob hanc potissimum, quod *χειραγωγεῖ τὴν ψυχὴν μῦθος ἐπὶ τὸ θαυμάζεσθαι καὶ ζητεῖν*[7]). Quare opinor a Plutarcho commode dictum esse, *τὸ γλυκὺ τῶν ποιημάτων οὐκ ἀφιλόσοφον εἶναι*[7a]), et apposite Horatius[7b]):

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Quod artificium sive Homero autore coepit, sive aliis conditoribus, qui annis Homerum superant, sunt enim plerique, profecto quantum intelligo, universum Homero debemus. Neque est, quod dubites, si vel Heraclidae commentariis, vel Horatiano carmini fidis. Itaque Thersiten Homericum interpretor, quem is factiosum ac sceleratum a consiliis principum Graeciae finxit, magnam universo exercitui pestem. Qui enim ignorat, quid ex malo consultore ac factionibus damni sit rebus publicis. Fortasse, quoniam exempla morum statuimus, licebit hodie quoque Thersitae tibi passim multi, consultores videlicet iniqui audiantur. Astarothae, Pepericorni[8]), et illorum complices, gigantea moles, terra nuper editi. At vero ut bonus consultor Nestor, suaviloquens, Ulysses item sapientissimus Graeciae principum, silentii studiosus praedicatur: ita Thersites loquax, vanus, ac importunus et linguae prodigus fingitur, unde facile est coniicere omnem vitae habitum a poeta sceleribus obnoxium significatum iri. Est enim *εἴδωλον τοῦ βίου καὶ χαρακτὴρ ὁ λόγος*. Et ne quid deesset, quod ad rem faceret, corporis *ἁρμονίαν* cum animi vitiis finxit concordem. Est enim mentis nota, facies, ut probant, qui rationes *τοῦ φυσιογνωμονεῖν*[9]) persequuntur, et Marinus Neapolitanus in Proclo[10]), forsan idem volebat Plato significari scholae suae inscriptione: *μήτις ἀγεωμέτρητος*[10a]) *εἰςίτω*. Ne quis ageometros ingreditor, hoc est, Ne quis habitudine ac lineamentis corporis male cohaerentibus ingreditor. Secutum enim in hac re Pythagorae institutum crediderim. Nunc ad rem, si cui lubet oratione argumentum latius persequi, habebit hoc loco, ubi se non incommode exerceat[11]).

6) Hic libellus moralium Plutarchi primus est; verosimiliter autem huius loco, secundus moralium libellus *πῶς δεῖ τὸν νεὸν ποιημάτων ἀκούειν*, ubi de hac re disseritur, h. l. intelligendus est.

7) Vid. Maximi Tyrii dissertat. X. §. 6. pag. 37. ed. Dübner (Theophrasti characteres, Marci Antonini commentarii, Epicteti dissertationes, fragmenta et enchiridion cum Commentario Simplicii, Cebetis tabula, Maximi Tyrii dissertationes. Graece et latine. Emend. Fred. Dübner. Paris. 1840. 8 mai.), Tom. I. p. 176 sqq. ed. Reiske.

7a) Conf. Plutarch. *πῶς δεῖ τὸν νεὸν ποιημάτων ἀκούειν* c. 1.

7b) Horat. ars poet. 343.

8) Pepericornus, alias Peperigranum i. e Pfefferkorn, cognomen Iohannis cuiusdam Iudaei baptizati, qui particeps erat litis, quam Iohannes Reuchlinus c. a. 1518. cum monachis habebat de libris hebraicis comburendis, vide Seckendorfii Commentar. de Lutheranismo lib. I. sect. 27. §. LXX. Add. I. a. (Ed. 2. Lips. 1694. Fol. pag. 103.) et E. Th. Mayerhoff: Iohann Reuchlin u. seine Zeit (Berlin 1830. 8.) p. 114 sqq.

9) *φυσιογνωμονεῖν*] Ed. 1518. errore typogr.: *φυσιογνομονεῖν*.

10) Marinus, Flavia Neapoli oppido Samariae s. Palaestinae prope montem Garizim natus, Procli discipulus eiusque in schola Atheniensi a. 485. p. Chr. successor, praeter alios libros etiam Procli vitam versibus et prosa composuit. Sed versibus scripta vita pridem intercidit; prosaria autem, cui titulum fecit *Πρόκλος ἢ περὶ εὐδαιμονίας*, tulit aetatem. Conf. Bruckeri Hist. crit. philos. T. II. p. 318 sqq. 337 sqq. Fabricii Biblioth. Graec. ed. Harles. Vol. IX. p. 363 sq. 370 sq. Pauly: Real-Encyclop. der class. Alterthumswiss. T. IV. p. 1571.

10a) *ἀγεωμέτρητος*] Ed. 1518. *ἀγεώμετρος*.

11) Hanc annotationem in illis Institutt. gr. gr. fol. p. 2b—3b sequitur „Examen" discipuli de singulis huius loci Homerici verbis et formis, quod hoc quidem loco omittimus, serius autem Melanthonis Grammaticae addemus.

b. EX ILIADOS LIBRO III. LOCI DUO

PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

4. Iliados III, 209—224.

Huius loci interpretatio invenitur

a. in Melanthonis Oper. Basil. Tom. V. p. 332. inscript. „Ex III. Iliados";

b. in Vincentii collectione Epigrammatum, fol. O3b—4a

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 545 sq. nr. 127., ubi aeque ac in praeced. collectione inscripta est: „De diversis generibus, ex III. Iliados Homeri."

Fors et concilio Troianae gentis in ipso
Atriden, dominumque Ithacae conspeximus olim.

Altior hic gradiens et toto vertice supra
Extabat cunctos; sed erat venerandus Ulysses
Praecipue, medius postquam consederat, oris
Augusta specie, et vultus gravitate verenda.
Quin etiam decus augebat facundia utrique,
Publica consilium cum res poscebat opemque.
Verborum Atrides Menelaus[12]) parcior arctis,
Rem numeris omnem stringens, acerque premebat,
Et linguam quamvis annis minor arte regebat,
Ne qua ferretur longis ambagibus errans,
Dicentique[13]) aderat multo vis nixa[13a]) lepore.
At surgens procerum in medio consultus Ulysses
Sollicitus restare diu, fixisque solebat
Luminibus haerere solo, sceptrumque tenere
Immotum tacitus, regum gestamen eburnum.
Interea sensumque animamque a corpore abesse
Indocili credas; sed ubi de pectore vocem
Imo prompsisset[14]) facundo largus ab ore,

12) Menelaus] Opp. Basil. errore typogr.: Minelaus.
13) Dicentique] Opp. Basil. errore typogr.: Diceniitque.
13a) nixa] sic Opp. Basil.; Vincent. et Corp. Ref. X. mixta.
14) prompsisset] sic Opp. Basil. et Vincent.; Corp. Ref. X.: promisisset.

Ut solet hiberno nix multo uberrima coelo,
Sermo ruebat, et insolita mulcere coronam
Sensimus arte Ithacum. Non, qui contenderet illi,
Quisquam erat: hoc adeo admirata[14a]) est Troia quondam.
Divinum decus eloquii, non corporis umbram.

5. Iliados III, 216—223.

Haec interpretatio praecedenti in iisdem tribus libris proxime adiuncta est, in Opp. Basil. inscripta: „Aliter", in ceteris duobus „Aliter et brevius", quasi eosdem Homeri versus ac praecedens complectatur, cum potius versus 216—223. contineat aliter conversos.

Sed prudens postqum in medium processit Ulysses
Dicturus stetit immotus, terramque rigente
Lumine spectabat, sceptrum non parte sinistra
Non dextra versans, veluti sine mente tenebat,
Dixisses hominem furere et rationis egere.
At[15]) simul ut vagam dabat imo e pectore vocem
Brumalique magis vi concita grandine verba,
Cunctos mortales illum superare videres[15a]).

14a) admirata] sic Opp. Basil.; Vincent. et Corp Ref. X.: mirata.
15) At] sic Opp. Basil. et Vincent.; Corp. Ref. X.: Ac.
15a) videres] Corp. Ref. X. errore typogr.: videret.

c. EX ILIADOS LIBRO VI. LOCUS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

6. Iliados VI, 476—481.

Huius loci interpretatio „Iliados VI. Hector" inscripta, textu graeco praemisso, exstat

a. in Melanthonis Oper. Basil. Tom. V. p. 336.,
b. in Secerii farragine,
c. in Grathusii collectione Epigramm. fol. L 3.,
d. in Vincentii collectione Epigramm. fol. K 6.,
e. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 484. nr. 17.

O superi talem fieri concedite gnatum,
Qualis ego existo, et virtute excellere cives,
Ingens ut patriae sit praesidiumque decusque
Et si quando redit caeso feliciter hoste,
Et spoliis auctus, conclament undique Troes
Hic superat virtute patrem, quae gloria gnati[16]
Soletur tristem matris recreetque senectam.

16) gnati] sic Opp. Basil., Vincent. et Corp. Ref. X Grathus.: nati.

d. EX ILIADOS LIBRO IX. LOCI QUINQUE
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

7. Iliados IX, 32—49.

Huius loci interpretatio reperitur

a. in Melanthonis Oper. Basil. Tom. V. p. 332. inscripta „Ex IX. Iliad.", textu graeco praemisso;
b. in Vincentii collectione Epigramm. fol. O 7[b].,
c. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 546 sq. nr. 12[...] ubi aeque ac in praeced. collectione sic est i[...] scripta: „Oratio Diomedis ad Regem ex I[...] Iliados."

Fas sit Atrida mihi tua dicta refellere primu[...]
Quae modo inops animi fudisti incondita, perf[...]

Dicentem placide et nostro concede dolori,
Nam libertatem donat mihi concio fandi.

Tunc mihi Danaum tota spectante corona[17]).
Obiicis ignavum pectus foedumque timorem?
Probri huius facio testes iuvenesque senesque.
Non superi cunctis regum te dotibus ornant.
Sceptra dedere tibi, augustum et venerabile signum,
Non tamen est virtus animi decus addita maius.
Imbellis ne adeo tibi turba videmur Achivi,
Ut turpem suadere fugam tot regibus ausis?
At si tantus amor patrium te retrahit Argos,
Perge licet tibi, nemo viam, vada caerula, naves
Intercludit, est hinc comites abducito inertes.

Sunt quibus est pudor infectis discedere rebus,
Et certum est, mecum Sthenelus[17a]) si manserit unus,
Durare et fato ruituram evertere Troiam.
Haud etenim Troiam ventum est sine numine Divûm.

8. Iliados IX, 63. 64.

Horum versuum interpretatio, textu graeco praemisso, exstat

a. in Melanth. Opp. Basil. Tom. V. p. 336.,
b. in Secerii farragine,
c. in Grathusii collect. Epigramm. fol. L 4b,
d. in Vincentii collect. eorum fol. K 7b,
e. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 486. nr. 20

Exulet[18]) urbe sua longe laribusque domoque,
Qui cupit in sese cives dira arma parare.

9. Iliados IX, 186—189.

Huius loci interpretatio „De Achille libro IX. Iliados" inscripta, textu graeco praemisso, invenitur,

a. in Mel. Opp. Basil. Tom. V. p. 336.,
b. in Secerii farragine,
c. in Grathusii collect. Epigramm. fol. L 3b,
d. in Vincentii collect. eorum fol. K 6b,
e. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 485. nr. 18.

Deprendunt, cithara cum tristes leniit iras,
Peliden; erat autem operi pulcherrima forma,
Argentoque iugum factum latera alta tegebat,
Eetionea[19]) spolium hoc avexerat urbe,
Hac animum ille aegrum cithara mulcere solebat,
Cum caneret[20]) laudes maiorum, et fortia facta.

10. Iliados IX, 252—258.

Huius loci interpretatio legitur

a. in Mel. Opp. Basil. Tom. V. p. 336. cum textu graeco,
b. in Secerii farragine,
c. in Grathusii collect. Epigramm. fol. L 4a cum textu gr.,
d. in Vincentii collect. eorum fol. K 6b—7a cum textu gr.,
e. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 485. nr. 19.

in quatuor prioribus libris sic inscripta: „Eodem (IX.) libro Ulysses recenset mandatum Pelei patris, quo Achillem ad comitatem adhortatus est", in quinto autem sic: „Mandatum Pelei patris, quo Achillea ad comitatem adhortatus est, lib. IX. Iliad."

Cum pater ex Phthia comitem te misit Atridae,
Quae dederit mandata tibi suprema, memento
Aeacide[21]), lachrimans cum multa monetque, rogatque:
Incertam belli fortunam gnate Deorum
Committe arbitrio et fatis, victoria laeta
Continget, superi si vestra incepta secundent;
Sed iuvenilem animum frenare et vincere, cura
Sit tua, crede mihi, placido[20a]) est nil pectore maius,
Atque iram furiale malum compesce, meretur
Haec virtus iuxta iuvenumque senumque favorem.

11. Iliados IX, 438—443.

Horum versuum interpretatio, textu graeco praemisso, exhibetur

a. in Mel. Opp. Basil. Tom. V. p. 336.,
b. in Secerii farragine,
c. in Grathusii collect. Epigramm. fol. L 4.,
d. in Vincentii collect. eorum fol. K 7.,
e. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 485 sq. nr. 20.

in quorum quatuor prioribus sic est inscripta: „Et paulo post Phoenix dicit se a Peleo patre Achilli iuveni comitem datum esse ad bellum, ut illum efficeret oratorem

17) corona] sic Opp. Basil.; Vincent. et Corp. Ref. X.: caterva.

17a) Sthenelus] sic recte Opp. Basil. = Σθένελος; Vincent. et Corp. Ref. X.: Stheneleus.

18) Exulet] sic Opp. Basil. et Corp. Ref. X.; Grathus. et Vincent.: Exultet.

19) Eetionea] sic Opp. Basil., Vincent. et Corp. Ref. X.; Grathus.: Eetionia.

20) caneret] Grathus. errore typogr.: canerer.

20a) placido] Opp. Basil. placito.

21) Aeacide] sic Opp. Basil., Grathus. et Corp. Ref. X.; Vincent.: Aeacidae.

verborum actoremque rerum.", in quinto autem: „Ex Homeri Iliad. lib. IX. (Phoenicis oratio)."

Incertos casus dubiique pericula Martis,
Consiliique artes nondum Pelide[22]) tenebas,
Quae decus immensum pariunt famamque perennem.
At tibi me Peleus comitem pater addidit, unde
Dicendi discas rationem et fortia facta.

22) Pelide] sic Grathus., Vincent. et Corp. Ref. X.; Opp. Basil.: Pelida.

e. EX ILIADOS LIBRO XV. LOCUS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

12. Iliados XV, 494—499.

Horum versuum interpretatio sic inscripta: „Hector apud Homerum Iliados 15. adhortatur Troianos, ut pro patria dimicent.", invenitur

a. in Grathusii collect. Epigramm. fol. M 4ª,

b. in Vincentii collect. eorum fol. L 7ª,

c. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 666. nr. 380.,

d. in Mel. interpretatione orationis Lycurgi contra Leocratem, in huius Corp. Vol. XVII. p. 964. videlicet versus: „Conferti naves — in patria regna.", quapropter integram huius loci interpretationem afferre supersedemus (conf. supra p. 121 sq. nota **)), et tantummodo versum octavum memoramus, in cuius una voce hi libri inter se differunt. Grathusius enim et Lycurgi oratio eum sic exhibent:

Qui sunt aetatis futurae semina et urbis.

Vincentius autem et Corp. Ref. X. sic:

Qui sunt aetatis venturae semina et urbis.

f. EX ILIADOS LIBRO XVIII. LOCUS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

13. Iliados XVIII, 107.

Huius versus interpretatio reperitur

a. in Grathusii collect. Epigramm. fol. L 2ᵇ. inscripta: „Ex Homero."

b. in Vincentii collect. eorum fol. K 5ᵇ, inscripta: „Ex 18. Iliad. Homeri."

Sit procul a Divum et hominum discordia rebus[23]).

23) et hominum discordia rebus] sic Grathus.; Vincent.: atque hominum discordia coetu.

g. EX ILIADOS LIBRO XXII. LOCUS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

14. Iliados XXII, 25—31.

Huius loci interpretatio sic inscripta: „Sirii ortus noxios aestus efficit, ex Homero Iliados 22."

a. in Grathusii collect. Epigramm. fol. L 7ᵇ.,

b. in Vincentii collect. eorum fol. L 2.,

c. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 664. nr. 374.

Quem senior Priamus primus conspexit in armis
Fulgentem veluti sidus, quod sole relicto
Anteit autumnum, nocturnosque eminet inter
Ignes, atque suo vincit splendore tenebras,
Formosique tenet nomen Canis Orionis,
Qui febrim et morbos miseris mortalibus adfert.

XLIX. PHIL. MEL. INTERPRETATIO ALIQUOT LOCORUM ODYSSEAE HOMERI.

Ex Odyssea Homeri Melanthon tres locos interpretatus est:

lib. II. v. 267—277.;

lib. XI. v. 519—521.;

lib. XVIII. v. 136. 137.;

quos, quamquam in huius Corp. Reform. Vol. X. iam sparsim leguntur, tamen easdem ob causas, supra p. 121 sq. nota **) allatas h. l. iterum damus.

a. EX ODYSSEAE LIBRO II. LOCUS PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

1. Odysseae II, 267—277.

Huius loci interpretatio sic inscripta: „Locus Homeri ex Odyss. β." invenitur

a. in Melanthonis Operum Basil. Tom. V. p. 333.,

b. in Vincentii collectione Epigrammatum Mel. fol. O 4b.,

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 548. nr. 131.

Pallas adest, vocemque refert, vultusque seniles
Mentoris, et iuvenem dictis compellat amicis:
Non tibi consilium, non virtus deerit unquam
Telemache, ipsa tibi mentem natura paternam
Insevit, patremque facundo[1]) exprimis ore.
Par animi tibi robur adest in rebus agendis,
Non fortuna tuos conatus improba fallet,
Non ingressus iter iustis frustrabere votis,
Ardua, deficerent vires, animusque parantem,
Te nisi finxissent talem materque paterque,
Rara tamen soboles aequat virtute parentes,
Plurima degenerat maiorum moribus, atque
Vix ulli cumulant laudesque decusque parentum.

1) patremque facundo] sic Opp. Basil.; Vincent. et Corp. Ref. X.: patrem facundoque.

b. EX ODYSSEAE LIBRO XI. LOCUS PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

2. Odysseae XI, 519—521.

Horum versuum interpretatio sic inscripta: „Ceteos fuisse in locis vicinis Macedoniae, ex Homero manifestum est, qui sic ait Odyss.", textu graeco praemisso, legitur

a. in Grathusii collectione Epigrammatum Melanth. fol. L 6a.,

b. in Vincentii collectione eorum fol. K 8b—L 1a.,

c. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 562. nr. 167.

Ipse Neoptolemus telo traiecit acuto
Magnanimum Eurypylum, genuit quem Telephus[2])
Ceteosque olim iuxta prostravit, in arma
Coniugium quos promissum traxisse ferebant.

2) genuit quem Telephus] sic (= Hom. τὸν Τηλεφίδην) Vincent.; Grathus.: genuit quem Telephus olim; Corp. Ref. X.: genuit quem Telephus ingens.

c. EX ODYSSEAE LIBRO XVIII. LOCUS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

3. Odysseae XVIII, 136. 137.

Huius loci interpretatio falso inscripta „Ex Homeri Odyss. 19.", cum textu graeco exhibetur

a. in Vincentii collect. Epigramm. fol. S 2,
b. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 665. nr. 375.

Talis mens hominum est, qualis fortuna dierum,
Quam variis vicibus divina potentia mutat.

I. PHIL. MEL. SCHOLIA IN BATRACHOMYOMACHIAN HOMERI.

Hoc carmen epicum, quod usu recepto Homericis adiungimus, quamquam inter viros doctos nostri aevi constet, Homerum non eius esse auctorem*), Melanthon in schola quidem enarravit, ipse autem hanc enarrationem non edidit, sed discipulus quidam ab hoc praeceptore audita calamoque excepta, Mylio teste, a. 1542. primum divulgavit**). Huius autem anni duae editiones a S. F. G. Hoffmanno in Lexico bibliographico Tom. II. p. 475. afferuntur hae:

Homeri Batrachomyomachia; Graece, cum scholiis Philippi Melanchthonis, a studioso quodam ex ore ipsius iam olim exceptis. Parisiis, apud Ioannem Lodoicum Tiletanum. 1542. 4.

Γαλεωμυομαχια. Tragoedia, graece. — Βατραχομυομαχια, cum scholiis Phil. Melanchthonis. 1542. 8. — In Familiarium colloquiorum formulis. Basil.

Haec vero editio a Fabricio in Bibliothecae graecae Vol. I. (Ed. 4. cur. Harles) p. 339. sic affertur:

Familiarium colloquiorum formulae, gr. et lat. Cebetis Πιναξ. — Γαλεωμυομαχια — Tragoedia gr. — Βατραχομυομ. cum scholiis Phil. Melanchthonis. Elisii Galentii Amphratensis de bello Ranarum et Murium libri III. Andr. Guarnae de bello inter grammaticae reges lib. I. Basil. 1541. — *alia editio, Antwerp. in aedibus Io. Steelsii*, 1547. (*typis Io. Graphei*).

Si igitur hae formulae cum annexis vere a. 1541. editae sunt, Melanthonis scholia non a. 1542., sed a. 1541. primum prodierunt. Illas editiones secutae sunt hae:

Homeri Batrachomyomachia, graece et latine, a Leonh. Lycio emendatius edita. Accedunt Phil. Melanchthonis et H. Stephani annotationes, et Sim. Lemnii conversio versibus heroicis. Lipsiae, in officina E. Voegelini. 1549. 4.***)

— — (Index ut in Ed. praeced. a. 1549.) *Lipsiae, in officina E. Voegelini* 1550. 4.

Homeri Batrachomyomachia graece cum scholiis Phil. Melanchthonis. Parisiis 1560. 4.†)

— — (Index ut in Ed. praeced. a. 1560.) *Parisiis, apud Theod. Richardum.* 1562. 4.††).

ΒΑΤΡΑΧΟΜΥΟΜΑΧΙΑ, Homeri poëma perquam festivum et elegans, de ranarum cum muribus pugna, continens multas vtiles et salutares subiectiones, non solum vitae et morum, sed etiam prudentiae ac virtutis, opera Leonharti Lycii Multis in locis auctius castigatiusque editum, atque annotatiunculis illustratum. Addita sunt et Philippi Melanch. scholia quaedam. Synes. ὁ μῦθος φιλοσόφημα παίδων ἐστί. Lipsiae in officina Voegeliana. s. a. — (In fine praefationis:)

---

*) Conf. Bernhardy Grundr. d. Griech. Litt. P. II. p. 128. 131 sq.

**) Mylius in l. Chronologia Scriptorum Phil. Melanchthonis (Gorlicii 1582. 8.) fol. E 1ª ad a. 1542. de hac enarratione haec dicit: „Scholia Philippi in Homeri βατραχομυομαχίαν, a studioso quodam ex ore Philippi olim excepta, hoc anno primum edita.", quibus adscripsit hoc Albani Torini de iis iudicium: „Scholia Phil. Melanchthonis in βατραχομυομαχίαν minime sunt indocta acutaque, nec mirum, si qui in maximis ubique non postremas tenet, in minimis primas tulerit. Ac sicubi sui dissimilis videatur, cogita cum haec iam olim adolescentem non in hoc, ut ederet, sed discipulis suis privatim successivis temporibus dictitasse, aut ex tempore effudisse verius."

***) Hanc Ed. et subsequentem Fabricius l. l. et Hoffmannus l. l. memorant; suspicor autem, hanc Ed. et illico afferendam, quae annorum numerum M. D. XLX. habet, unam eandemque esse, quoniam hic numerus errore typogr. aut pro M. D. LXX. (id quod mihi verisimilius videtur, vide p. 139 sq. notam **)) aut pro M. D. XLIX. typis exscriptus est.

†) Hanc Ed. solus Fabricius l. l. affert

††) Hanc Ed. Fabricius et Hoffmannus l. l. afferunt.

M. D. LXVI. 4. 77 pagg. et duo foll. non num. paginis 58 et 59 interposita, ult. pag. vac. Sign. A—E. (pag. 2. Ad Lectorem [epigramma]; p. 3—7. Leonharti Lycii praefatio ad Sigismundum et Iohannem Badhornios Lipsiae die 31. mens. Quintil. M. D. LXVI. scripta; p. 8. Philip. Melanch. [epigramma lat., 6 disticha]; p. 9. Ioach. Camera. [epigr. graec., 8 disticha]; p. 10—31. *Ὁμηρου Βατραχομυομαχια* cum lat. interpretatione „Homeri poema de ranarum cum muribus pugna" e regione apposita; p. 32 alba; p. 33—50. Leonharti Lycii in Homeri *βατραχομυομαχίαν* annotationes; p. 51—58 et seq. pag. [fol D 6ᵃ] non num. Scholia Philippi Melancht. in Homeri *BATPAXOMY*omachian, ab Adolescente studioso excepta; fol. D 6ᵇ Leonharti Lycii [epigr., 2 disticha]; seq. fol. non num. male D 4 signatum facie 1. cont. duos locos graec.: 1. Plato de rebuspub. lib. secundo, 2. Plutarch. *πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν*, facie 2. vac.; pag. 59—77. Homeri Batrachomyomachia, hoc est, ranarum e murium pugna: Simone Lemnio Interprete; ult. pag. vac.)*)

BATPAXOMYOMAXIA, Homeri poëma festivum et elegans de ranarum cum muribus pugna, a Leonharto Lycio nuper emendatius editum, et annotationibus illustratum, nunc ab eodem recognitum, et perpurgatum. Accesserunt Philippi Melanchthonis et Heinrici Stephani annotationes quaedam, et Simonis Lemnii conversio versibus heroicis expressa. Lipsiae. s. a. — (In fine praefationis:) *M. D. XLX.* (pro: *M. D. LXX.*) *Mense Aprili.* — (In fine libri:) *In Officina Ernesti Voegelini Constantiensis.* 4. 11½ plagg., litt. A—F sign. (A—E octona foll., F sex foll. cont.), 91 pagg., ult. pag. vac. (pag. 2. Ad scholasticos carmen [13 versus]; p. 3—7. Leonharti Lycii praefatio ad Noham et Christianum Hieronymi Kysenwetteri Cancellarii filios, Lips. M. D. XLX.**) Mense Aprili scripta; p. 8. Philip. Melanch. epigramma lat. 6 disticha cont.; p. 9. Ioach. Camera. epigramma graec. 8 disticha cont.; p. 10—31. *Ομήρου Βατραχομυομαχια* cum interpretatione lat. e regione apposita, quae sic inscripta est: Homeri poema de ranarum cum muribus pugna; p. 32. vacat; p. 33—57. Leonharti Lycii in Homeri *βατραχομυομαχίαν* annotationes; p. 58—67. Scholia Philip. Melanchthonis in Homeri *Βατραχομυομαχιαν*, ab adolescente studioso excepta; p. 68. De Philip. Melanch. annotatiunculis epigramma Leonharti Lycii [2 disticha]; p. 69—70. Annotationes Heinrici Stephani; p. 71—72. De fabularum usu tres loci e Platone, Aristot. et Plutarch.; p. 73—91. Homeri Batrachomyomachia, hoc est, ranarum et murium pugna: Simone Lemnio Interprete; in cuius fine Clausula legitur supra allata; ult. pag. vac.).

Homeri Batrachomyomachia, graece et latine, opera Leonh. Lycii, cum notis Ph. Melanchthonis et H. Stephani. Accedit Io. ab Hoeckelshouen dispositio poematis. Francof. 1604. 4.***)

Βατραχομυομαχία, Homeri poëma perquam festivum et elegans, de Ranarum cum Muribus pugna, Continens multas utiles et salutares subjectiones, non solum vitae et morum, sed etiam prudentiae ac virtutis, Operâ Leonharti Lycii Multis in locis auctius castigatiusque editum, atque annotatiunculis illustratum. Addita sunt et Philippi Melanch. scholia quaedam et Matthaei Dresseri. Quibus omnibus praemittitur valde utilis Dom. Ioachimi Camerarii de quinque Grammaticis singularum dictionum affectionibus praeceptio. Synes. ὁ μῦθος φιλοσόφημα παίδων ἐστί. Lipsiae, Impensis Christophori Elgeri Bibliop. Anno 1607. 8. min. 7½ plagg.)?(et A—G (G ½ pl.) sign. (fol.)(1ᵇ Dedicatio ad Wolfgangum et Christophorum Thomae Lebtcelteri filios; fol.)(2ᵃ—8ᵃ Praeceptio Dn. Ioachimi Camerarii de quinque Grammaticis singularum dictionum affectionibus; pag. 9. [fol. A 1ᵃ] Philip. Melanch. epigramma lat. et Ioach. Camera. epigr. graec.; p. 10—31. *Ὁμηρου Βατραχομυομαχια* cum interpretatione lat. „Homeri poema de ranarum cum muribus pugna" e regione apposita, cui Dresseri notae in margine adscriptae sunt; p. 32—51. Leonharti Lycii in Homeri *βατραχομυομαχίαν* annotationes; p. 52. Leonharti Lycii epigramma lat. [2 disticha] et duo loci graeci, alter ex Platone, alter ex Plutarcho; p. 53—62. Scholia Philippi Melancht. in Homeri *Βατραχομυομαχιαν*, ab Adolescente studioso excepta; p. 63—65. Matthaei Dresseri argumentum Batrachomyomachiae. Oeconomia, seu distributio partium poëmatis. Mythologia; p. 65—92. Scholia grammatica et ethica; p. 93—112. Homeri Batrachomyomachia, hoc est, ranarum et murium pugna: Simone Lemnio Interprete †).

---

*) Hanc Ed., quam Schweigerus in l. Handbuch d. class. Bibliogr. Tom. I. p. 162. atque Fabricius l. l. et Hoffmannus l. l. p. 476. commemorant, e Biblioth. acad. Lips. et Tubing. in manibus habeo.

**) Hunc numerum *M. D. XLX.* loco *M. D. LXX.* positum esse, ex hoc praefationis exordio cognoscitur: „Cum typographus noster nuper mihi significasset, se in animo habere rursum exprimere Homericum poëma, *annis ab hinc amplius tribus emendatum a me*, atque annotationibus illustratum, etc."; haec enim spectant ad editionem a. 1566. Etiam Schweigerus l. l. huic Ed. s. a. adscripsit: (1570.), et Hoffmannus quoque l. l. p. 476. suspicatur illum annorum numerum in huius Ed. praefatione legi fortasse loco M. D. LXX. — Hanc Ed. ex Biblioth. regia Berolinensi, acad. Gotting. et senat. Lips. in manibus teneo; etiam in Bibl. acad. Vratislav. asservatur.

***) Sic haec Ed. a Fabricio et Hoffmanno l. l. affertur, brevissime etiam a Schweigero l. l. memoratur.

†) Haec Ed., quam e Biblioth. acad. Gotting. in manibus habeo, a Fabricio, Schweigero et Hoffmanno breviter commemoratur.

— — (Index ut in Ed. praeced. a. 1607.) *Lipsiae, Impensis Christophori Ellingeri Bibl. Anno M. DC. XXI.* 8. min. $8^1/_2$ plagg.)?(et A—H (H $^1/_2$ pl.) sign. (fol.)(1ᵇ Dedicatio ad Leonhardum et Isaacum Leonhardi Öhlhafens filios; fol.)(2ᵃ—8ᵇ Praeceptio I. Camerarii etc.; pag. 9 [fol. A 1ᵃ] Melanch. et Camera. epigramm. duo; p. 10—31. Hom. Batrachomyomachia graece et lat. cum Dresseri nott. margin.; p. 32—56. L. Lycii in Hom. βατραχ. annotatt.; p. 57. L. Lycii epigramma et duo loci ex Platone et Plutarcho; p. 58—70. Scholia Philip. Melancht. in Homeri Βατραχομυομαχιαν, ab Adolescente studioso excepta; p. 71—74. M. Dresseri argumentum Batrach. Oeconomia s. distributio partium poematis. Mythologia; p. 75—107. Scholia grammatica et ethica; p. 108—127. Homeri Batrachomyomachia, hoc est, ranarum et murium pugnâ: Simone Lemnio Interprete; ult. pag. vac.) *).

— — (Index ut in Editt. a. 1607. et 1621.) *Lipsiae, Impensis Christophori Ellingeri Bibl. Anno M. DC. XXII.* 8 min. $8^1/_2$ plagg.)?(et A—H (H $^1/_2$ pl.) sign. Haec Ed. iisdem paginis eadem continet ac Ed. praeced. **)

Ex his apparet, Melanthonis in Batrachomyomachian scholia tredecies vel quaterdecies (?) prodiisse, quarum editionum has quinque in manibus habemus: 1) Ed. *Lips.* 1566. 4., 2) Ed. *Lips.* 1570. 4., 3) Ed. *Lips.* 1607. 8., 4) Ed. *Lips.* 1621. 8., 5) Ed. *Lips.* 1622. 8., quas solis annorum numeris significabimus.

Hae Editt. praeter scholia etiam hocce Melanthonis Epigramma continent, quod etiam in Vincentii Ed. Epigrammatum Mel. fol. I 5. et in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 661. nr. 367. legitur:

In Βατραχομυομαχίαν Homeri ***).

Mus brevis, et saliens in gurgite rana palustri,
Dum nulla causa proelia stulta cient:
Fulmineo pugnas Iovis ira fragore diremit,
Et tandem fugiens agmen utrumque perit.
Sic modo dira serunt ex bellis bella tyranni,
Nec res, sed caecos armat utrinque furor.
Pestiferique magis Thebana Sphinge sophistae
Verba venenato frivola felle linunt.
Adspicit haec vindex oculis Deus omnia iustis,
Nec grave cum sparget fulmen, inermis erit.
Gnate Dei, bonitate tua mala tanta levato,
Et serves coetus, Christe, regasque pios.

Hoc epigramma legitur etiam in titulo huius Ed., quae solum textum graecum continet:

ΟΜΗΡΟΥ ΒΑΤΡΑΧΟΜΥΟΜΑΧΙΑ. Homeri Ranarum et Murium Pugna. Philip: Melanth. (Hoc nomen sequuntur eadem illa 6 disticha, in quorum tertio autem pro *sed caecos* leguntur *se coecos.*) *Witebergae Excudebat Iohannes Crato. Anno M. D. LVI.* 4. $1^3/_4$ plagg. litt. A, B sign., 7 foll. non num., quorum primum indicem, sex seqq. textum graec. exhibent†).

---

*) Hanc Ed. illis viris ignotam e Bibliotheca Homerica, quam Dr. Netto collegit, in manibus teneo.

**) Hanc Ed. ab illis viris breviter memoratam e Biblioth. acad. Gotting. in manibus habeo.

***) Haec inscriptio apud Vincent. et in Corp. Ref. X. exhibetur; in Batrachomyomachiae Editt. solo auctoris nomine hoc Epigramma est inscriptum.

†) Hanc Ed. ex illa Bibliotheca Homerica, cuius in praeced. nota**) mentionem feci, in manibus habeo.

SCHOLIA PHILIPPI MELANTHONIS IN HOMERI BATRACHOMYOMACHIAN
AB ADOLESCENTE STUDIOSO EXCEPTA [1]).

Quod quidam non indocti [2]) dubitant, isne Homerus, qui Iliada et Odysseam reliquerit, hoc mellitissimum carmen scripserit, non est quod labores. Constat enim ex ipso opere, quendam eximium et multo maximi ingenii hominem fuisse, a quocunque profectum sit hoc poemation. Quod si nihil aliud, genus tamen carminis Homerum autorem testatur. Est autem Homerus unicum

1) Sic haec scholia in Editt. 1566., 1570., 1607., 1621., 1622. sunt inscripta.

2) non indocti] sic Editt. 1566., 1570.; Editt. 1607., 1621., 1622. indocti.

et bene dicendi et bene iudicandi sive sentiendi exemplum, cuius fabulas si diligenter discusseris, non oscitantem et minime dormitantem philosophorum sapientiam dixeris. Operi huic a re *βατραχομυομαχίαν* nomen indidit, quod significat ranarum et murium pugnam. *Βάτραχος* enim ranam, *μῦς* murem, *μάχη* pugnam Graecis denotat. Volebat autem poeta hoc argumento adolescentibus odium turbarum et seditionum inserere. Et quod tandem vincunt ranae auxilio divino, eo significatur, in caput plerumque autorum seditionis verti periculum, quod aliis moliebantur.

v. 1.[3]) *Ἀρχόμενος πρῶτον*] Invocat Musarum coetum, hoc est, Musas universas, ut rem levem ac ludicram graviorem atrocioremque reddat. *χορὸν*] quidam a *χαρὰ*, id est, gaudium et laetitia, deducunt, quod chorus gaudii et laetitiae coetus sit.

v. 2. *ἐλθεῖν εἰς ἐμὸν ἦτορ*] Subire meum cor. *ἦτορ* quoddam intestinum sub corde situm[4]), autore Polluce[5]).

v. 3. *ἐπὶ γούνασι θῆκα*] Genubus imposui, hoc est, scribere institui.

v. 4. *δῆριν ἀπειρεσίην*] Propositio. *πολεμόκλονον*] Notabilis est *ἐτυμολογία* nominis. *πόλεμος* a *πολλὰ καὶ ὀλέσθαι*, quasi multa perdens.

v. 7. *γηγενέων ἀνδρῶν*] Amplificatio ab exemplo Gigantum.

v. 9. *μῦς ποτὲ*] Narratio et amplificatio a circumstantia, quod fingit murem effugisse felem.

v. 10. *προσέθηκε γένειον*] inseruit mentum[6]). *ὑποτύπωσις* rhetorica.

v. 11. *κατεῖδε*] vidit, conspexit. *κατὰ* Graecis in compositione eam fere significationem habet, quam dis Latinorum.

v. 12. *λιμνόχαρις*[7])] *τῇ λίμνῃ χαίρων*, stagno gaudens, quae palude oblectatur.

v. 13. *ξεῖνε, τίς εἶ;*] Vulgaria haec sunt, quae Graeci *ἄτεχνα* vocant, quod nullo artificio constent.

v. 15. *εἰ γάρ σε*] Primum hic discas non temere, sed cum delectu faciendos esse amicos. Deinde observabis summam hospitalitatem et munificentiam veterum.

v. 17. *εἰμὶ δ' ἐγὼ*] A maiestate regni, et a nativitate et diuturnitate imperii. Nam quorum imperia modesta sunt, eadem firma et perpetua sunt. *Φυσίγναθος*] *ἀπὸ τοῦ φυσᾶν τὰς*[8]) *γνάθους*, quod inflet maxillas.

v. 19. *Ὑδρομεδούσῃ*] *τῇ βασιλίσσῃ τοῦ ὕδατος*, hoc est, reginae aquarum.

v. 20. *μιχθεὶς ἐν φιλότητι*] Hoc sane modo autor hic concubitus passim suo in carmine describit. Habuit enim ubique rationem aurium; neque ullus est poetarum, qui modestia Homeri sit prior.

v. 25. *τίπτε γένος*] Responsio est arrogantissimi Psicharpacis musculi, cuius oratione, quemadmodum Plautus Pyrgopolinicem, Terentius Thrasonem[9]) finxit: ita Homerus eius generis fastum, arrogantiam et violentiam in muribus adumbrat; propterea decoris ratio et oeconomia argumenti postulabat, ut statim suas laudes pleno ore mus caneret. In ranis autem poeta mediocrium hominum conditionem adumbrat.

v. 24. *Ψιχάρπαξ*] micarum raptorem sonat. *ψίχαν* enim micam, *ἅρπαγα* rapacem vocant.

v. 28. *Τρωξάρταο*[10])] *τρωξάρτης*[11]) *ἀπὸ τοῦ τρώγειν τὸν ἄρτον*, quod voret panem.

v. 29. *Λειχομύλη*] *ἀπὸ τοῦ λείχειν τὰς μύλας*, hoc est, a[12]) lambendis molis. *Πτερνο-*

---

3) Hos versuum numeros ex Hermanni Ed. Operum Homeri (Lips., Tauchnit. 1825. 8.) iam supra p. 121 sq. nota *) memorata adscripsimus. Illae Editt. 1566—1622. numeris versuum carent. [In Ed. Witeb. 1556., quae solum textum graecum continet, decimo cuique versui adscriptus est numerus.]

4) situm] sic Editt. 1621., 1622.; Editt. 1566., 1570., 1607. statim.

5) Pollux in Onomast. lib. II, 170. (Vol. I. p. 117. Ed. Dindorf. Lips. 1824. 8.) hanc vim non voci ἦτορ, sed voci ab illa derivatae ἦτρον tribuit; dicit enim h. l.: Τὸ μέντοι ὑπὸ τὸν ὀμφαλὸν πᾶν ἄχρι τῶν ὑπὲρ αἰδοῖα τριχώσεων, ἦτρόν τε καὶ ὑπογάστριον.

6) mentum] sic recte (= Hom. γένειον) Editt. 1566., 1570.; Editt. 1607—1622. errore typogr.: metum.

7) λιμνόχαρις,] sic Editt. 1566—1622.; Ed. Herm. λιμνοχαρής.

8) τὰς] sic recte Editt. 1566., 1570.; Editt. 1607—1622. male: τοὺς.

9) Pyrgopolinices est nomen personae primariae in Plauti comoedia „Miles gloriosus" inscripta; Thraso autem personae in Terentii Eunucho.

10) Hanc Batrachomyomachiae vocem, ad quam hoc scholion pertinet, ei ipse praefixi.

11) τρωξάρτης] sic recte Editt. 1607—1622. h. l. et in textu; Editt. 1566., 1570. in hoc scholio male τροξάρτης, in textu autem recte τρωξάρτης.

12) a] in Editt. 1621., 1622. omissum est.

τρώκτου[13])] *πτερνοτρώκτης*[14]) *ἀπὸ τοῦ τρώγειν ἐκ τῆς πτέρνης* ab eo, quod pernas arrodat.

v. 30. *γείνατο δ' ἐν καλύβῃ*] Amplificatio a victu et educatione regia.

v. 32. *πῶς δὲ φίλον*] Comparatio a dissimili; persequitur autem deinceps victum reliquum, et inserit *πάθος*.

v. 35. *ἄρτος τριςκοπάνιστος*] panis recoctus seu ter pistus. Laus amplior a ratione victus splendidissima. Gloriatur autem veluti cupediarius.

v. 36. *πλακοῦς τανύπεπλος*] placenta perlata, ac cum ampla ora. Quod laciniosum quodque peramplum existit, id a similitudine vestimenti muliebris *πέπλον* Graeci vocare consueverunt. *ἔχων πολὺ σησαμότυρον*[15])] *ἔχων πολλὴν σισαμίδα*, continens plurimum sisami. Sisamum autem, ut vocat Plinius[16]), vel ut reliqui *autores sesamum*, est leguminis genus, minus quam oryza, sic olim habitum in deliciis veterum, ut ex eo pinseretur panis, autore Athenaeo[16a]).

v. 39. *μελίτωμα*] Confectio ex melle, dulciarium.

v. 40. *πρὸς θοίνην*] *θοίνη* convivium *ἀπὸ τοῦ*[17]) *θεοῦ καὶ οἴνου*, hoc est, a Deo et vino. Nam, ut Athenaeus ait lib. 2.[18]) *διὰ τοὺς θεοὺς*[19]) *οἰνοῦσθαι δεῖν ὑπελάμβανον.* Publice enimvere antiquitus non solebant nisi sacrorum causa convivari, atque in solis Deorum festis vino largius indulgebant. Inde factum est, quod vetera ista conviviorum nomina sacram habeant appellationem. Et solebant in conviviis illis solennibus solo mero potari; alias dilutum bibebat Graecia[20]); atque hinc est, quod Homerus passim fingit vino aquam misceri[21]).

v. 42. *οὐδέποτ' ἐκ πολέμοιο*[22])] Commemorat ordine deinceps, quae virtute contingant.

v. 43. *προμάχοισιν*[23])] *πρόμαχος* is est, qui primus cum hoste conflictatur, in prima acie pugnans.

v. 44. *οὐ δέδι'*] Amplificatio haud inelegans.

v. 46. *καὶ οὐ πόνος*] *πόνος* nunc laborem, nunc dolorem, nunc molestiam significat; qua super voce Cicero in Tusculanis quaestionibus[24]) pulcerrime disputat.

v. 47. *νήδυμος οὐχ*] *νήδυμος ὕπνος* dicitur, unde aegre quis expergefieri potest. Dulcem saepe interpretantur *ἀπὸ τοῦ νη*, quod subinde significatum auget, et *δύω*, id est, subeo.

v. 48. *ἀλλὰ δύω μάλα*[25])] Duos habent mures infestissimos hostes, accipitrem atque muscionem. Tertium quoque haud minus noxium hostem addit poeta muscipulam. Plinius naturalis historiae lib. 10. cap. 8.[26]) hunc accipitrem, quem nos vulgo vocamus ein meuser, a reliquis accipitrum generibus sic discernit, quod hunc scribit uno pede esse claudum.

v. 53. *οὐ τρώγω ῥαφάνας*] Comparat hic mus suum nutricatum ad ranae alimenta iactabunde[27]). Observabis insuper hoc loco poetam dicere *ῥαφάνη* insolenter, cum apud alios autores tantum reperiatur *ῥάφανος, ου*, et *ῥαφανίς, ίδος.* Observabis itidem autores promiscue usos esse vocabulo brassicae et crambae[28]), et inde dici proverbium: *δὶς κράμβη θάνατος*, hoc est, Crambe bis posita mors[29]).

13) Hanc Batrach. vocem huic scholio ipse praefixi.

14) *πτερνοτρώκτης*] sic recte Editt. 1566., 1570. h. l. et in textu; Editt. 1607 — 1622. in hoc scholio male *πτερνοπρώκτης*, in textu autem *πτερνοτρώκτης*.

15) Haec Batrach. verba huic scholio ipse praefixi.

16) In omnibus Plinii naturalis historiae editionibus, quas contuli, videlicet Ed. Basil. 1525. Fol., Ed. Basil. 1545. Fol., Ed. Francof. ad M. 1599. Fol., Ed. Franz. (Lips. 1778 — 91. 8.) et Ed. Sillig. (Lips. 1831 — 36. 8.) lib. XVIII. c. 10., ubi de frumentis et leguminibus disserit, legitur *sesama*, in Indice rerum autem Editt. 1525. et 1545. *sesama* et *sisama*.

16a) Athen. lib. III. p. 111. a. 114. b. Ed. Casaub.

17) *τοῦ*] sic Editt. 1566., 1570., 1607.; in Editt. 1621., 1622. deest.

18) lib. 2.] sic Editt. 1566., 1570.; in Editt. 1607 — 1622. omiss.

19) *διὰ τοὺς θεοὺς*] sic Editt. 1566 — 1622.; apud Athenaeum lib. II. c. 11. Ed. Schweighaeuser (Vol. I. p. 153.) legitur *διὰ θεοὺς*.

20) Conf. Potter: Griech. Archaeol. übers. von Rambach. P. II. p. 643 sq. Wachsmuth Hellenische Alterthumsk. Ed. 2. Tom. II. p. 402.

21) Vid. Hom. Od. I, 110. Conf. Feithii Antiquitatum Homericarum lib. III. c. 2. §. 4. (Ed. nov. Argentor. 1743. 8. p. 280 sq.).

22) *οὐδέποτ' ἐκ πολέμοιο*] sic Editt. 1566 — 1622.; Ed. Herm. *οὐδέ ποτε πτολέμοιο.*

23) Hanc Batrach. vocem huic scholio ipse praefixi.

24) Cic. Tusc. quaest. l. II. c. 15.

25) In Editt. 1566 — 1622. hic versus sic legitur: *ἀλλὰ δύω μάλα πάντα τὰ δείδια πᾶσαν ἐπ' αἶαν*, in Ed. Herm. autem sic: *ἀλλὰ δύω πάντων περιδείδια πᾶσαν ἐπ' αἶαν.*

26) cap. 8.] sic in Editt. antiquioribus; in Editt. Franz. et Sillig. cap. 9.

27) iactabunde] sic Editt. 1566., 1570.; Editt. 1607 — 1622. male: iactabundae.

28) Haec pertinent ad v. 53. *κράμβας*.

29) De hoc proverbio vide Erasmi Adag. chil. I. cent. V. prov. 38.

v. 58. *θαύματ' ἰδέσθαι*] mirabilia videri, hoc est, quae mireris, si videas. Latini dicunt visu. Graeci vero libenter crebris in oratione utuntur infinitivis.

v. 63. *μήποτ' ὄληαι*] pro *ὄλῃ*, ab *ὄλλω*.

v. 64. *εἰςαφίκηαι*] Venias, subiunctivus Ionicus.

v. 66. *χεῖρας ἔχων*] *ὑποτύπωσις* admodum iucunda. Monet hic etiam poeta, fere incautos esse Thrasones.

v. 69. *κύμασι πορφυρέοις*] *αὔξησις* est amplissima. Aristoteles in libello *περὶ χρωμάτων*[30]) reddit rationem, quare poetae purpureos fluctus appellitent.

v. 70. *ἄχρηστον μετάνοιαν*] Noëma pulcerrimum. Liviana vox est: Eventus stultorum magister[31]).

v. 73. *δεινὰ δ' ἐπεστονάχιζε*[32])] Graecismus, qualis est: horrendum clamat, pro horribiliter. Est vero amplificatio egregia a circumstantiis. *φόβου κρυόεντος*] Perelegans *ὑποτύπωσις* et alia atque alia circumstantia. Sed versuum ordo alius est hoc loco in veteri exemplari.

v. 77. *ἀπὸ στόματος*] Ita recensebat, ut nusquam impingeret, quod Graecis est *ἀποστοματίζειν*, memoriter recitare, commemorare.

v. 78. *οὐχ οὕτω νώτοισιν*] Comparatio est a dissimili et ab exemplo. Grata item *ἀντίθεσις*; pugnantia enim nomina componuntur. *φόρτον ἔρωτος*] onus amoris, veluti gratum.

v. 79. *ὅτ' Εὐρώπην*] Dixere Graeci *Εὐρώπην*, quod sit fluviatilis: tota quippe Africa bona pars est Asiae sub torrida zona.

v. 80. *ἐπινώτιον*] propendentem super tergum, hoc est, susceptum in tergum.

v. 87. *πέσεν ὕπτιος*] perelegans est *ὑποτύπωσις*, res ita quippe expressa verbis, ut cerni veluti in speculo videatur.

v. 93. *οὐ λήσεις*[33])] Oratio perelegans, cuius exordium a minis est, et tota praeter minas nihil est. Amplificat autem rem statim a loco.

v. 96. *παγκρατίῳ*] Tria ponit Graecorum hic certamina, pancratium, luctam et cursum. De pancratio vide Aulum Gellium lib. 13. cap. 26.[34]).

v. 97. *ἔχει θεὸς*] Habet Deus iustum oculum, quasi dicat: Deus iustis omnia videt o *γνώμη* est, qua finit oratiunculam.

v. 100. *Λειχοπίναξ*] lingens tabulas, *ἀπὸ τοῦ λείχειν τὰς πίνακας*, quoniam lambit paropsides et quadras. Dellerschlecker[34 a]).

v. 101. *δεινὸν δ' ἐξολόλυξε*] graviter ululavit. Verbi *δεινὸς* varia vis et significatio est; nam potens, valens, efficax, gravis, terribilis et quicquid vehemens est, significat. *ἐξολόλυξε*, ululavit, in utroque verbo *ὀνοματοποιΐα* est.

v. 103. *καὶ τότε*] Quod sub diluculum iubet convocari concionem, indicat praeceps consilium inauspicatum esse solere; ubi vero parumper res refrixerit, qua molestabamur, aptiores ad consultandum nos fieri. Vide adagium *ἐν νυκτὶ βουλή*, in nocte consilium[35]).

v. 105. *πατρὸς δυστήνου*] Conversio rhetorica ad *Ψιχάρπαγα*, quae movet *πάθος* a commiseratione.

v. 110. *ὦ φίλοι*] His binis versiculis constat exordium; principio conciliat sibi auditores schemate rhetorico, scilicet translatione, cum ex privata causa publicam facit, sicut M. Cicero in oratione pro Marcello. Et ne nude proponat, movet *πάθος*.

v. 112. *εἰμὶ δ' ἐγὼ*[36])] Narrationem orditur ab effectu, tres filios periisse, et quam immaniter edocens.

v. 120. *ἀλλ' ἄγεθ'*] Hortatur ad ultricia arma, atque statim concludit. Ponit autem Futurum indicativum pro subiunctivo, quo genere loquendi saepe utitur.

v. 123. *καὶ τοὺς*] Describitur apparatus belli admodum graphice. Hoc quippe agunt poetae, ut alias doceant, alias delectent, eoque Horatius inquit[37]):

Aut prodesse volunt, aut delectare poetae.

---

30) Aristot. *περὶ χρωμάτων* cap. 2.

31) Liv. XXII, 39.

32) *ἐπεστονάχιζε*] sic Editt. 1566—1622.; Ed. Herm. *ἐπεστενάχιζε*.

33) *λήσεις*] sic Editt. 1566., 1570. h. l. et in textu; Editt. 1607—1622. in hoc scholio *λήσις*, in textu autem *λήσεις*.

34) cap. 26] sic in Editt. antiquior. e. c. Ed. Lugd. 1560. 8.; in recentioribus e. c. Ed. Gronov. (Lugd. Bat. 1706. 4°.) cap. 27.

34 a) Dellerschlecker] sic illae Editt., i. q. Tellerlecker.

35) Conf. de hoc proverbio Erasmi Adag. chil. II. cent. II. prov. 43. et nostrum proverbium: Guter Rath kommt über Nacht.

36) *δ' ἐγὼ*] sic in hoc quidem scholio Editt. 1566—1622., in textu autem aeque ac Ed. Herm. habent: *δὲ νῦν*.

37) Horat. Ars poet. 333.

Atque iste mos est Homero, variare semper amoeniore aliquo loco suas descriptiones, sive narrationes, veluti in hoc apparatu bellico vel coeco appareat.

v. 127. *θωρήκας δ' εἶχον καλαμοστεφέων*] thoraces calamis culmisve connexos habebant. Significat enim Graecis *στέφω* non solum corono, sed etiam consuo, coniungo et connecto.

v. 129. *ἀσπὶς δ' ἦν λύχνου*] clypeus erat media pars umbilicusve *λύχνου*, lucernae. Caeterum de lychno disputat Athenaeus in fine Deipnosophistae [38]).

v. 132. *ὡς ἐνόησαν* [39])] ut intellexerunt. Bella constant fama. Q. Curtii vox est lib. 3. [40]). Vide proverbium: Multa in bellis inania [41]).

v. 133. *βάτραχοι, ἐξανέδυσσαν* [41])] Concionem hic ranarum de bello muribus inferendo depingit.

v. 134. *πολέμοιο κακοῖο*] belli mali gratia. Graeci cum causam significant, saepe genitivum sine praepositione efferunt.

v. 136. *κῆρυξ δ' ἐγγύθεν* [42])] Indicit bellum ranis Embasichytrus summa autoritate, sceptro regio symbolo ornatus, et subiicit causam. Primus sane apud Romanos bella indici voluit Tullus Hostilius per fecialem, qui dicebat: Audi Iupiter, audite fines, audiat fas. Sed certam bellum indicendi formulam ex primo T. Livii libro [43]) pete.

v. 137. *Τυρογλύφου*] *ἀπὸ τοῦ τυροῦ* [44]) *καὶ γλύφειν*, ab excavandis [45]) caseis, quasi dicas: excavatoris caseorum. *Ἐμβασίχυτρος*] quod soleat in ollas irrepere. *ἐμβαίνειν* enim Graecis est ingredi, unde *ἔμβασις*; et *χύτρα* ollam significat. (v. 141.) *Ψιχάρπαγος* et (v. 142.) *Φυσιγνάθου* etymologiam iam explicavimus [46]).

v. 142. *ἀλλὰ μάχεσθαι*] *πάθος* egregium, quo ad finem usque amplificatum istud argumentum est.

v. 145. *βατράχων ἀγερώχων*] ranarum magnanimarum, aut superbarum et insolentium. *ἀγέρωχος* enim vocabulum est ambiguum, alias quippe superbum et petulantem, alias strenuum et magnanimum significat.

v. 147. *ὦ φίλοι*] Physignathus primum se purgat, deinde ranis bellum cum muribus suscipiendum suadet magnifice. Ubi observabis, quam pulchre sit usus extenuatione. Habes autem in Physignatho strenui, cauti et prudentis ducis exemplum, qui in dubiis suis et suorum rebus nihil est deiectiore animo, disciplinae rei militaris nequaquam ignarus.

v. 152. *τοὶ γὰρ* [47]) *ἐγὼν*] *τοὶ* nihil hîc facit, quam quod numerum implet. Atque ita deinceps [48]) Physignathus consilium cordatissime proponit his verbis: *σώματα κοσμήσαντες*. Recte sane instruit. Eleganter enim loca capere, praesidia rite disponere (sicut de Pyrrho Livius refert libro 5. belli Macedonici [49])) prima laus fuit in disciplina militari.

v. 159. *στήσομεν εὐθύμως*] Promittit ranis trophaeam victoriae testimonium, quod publico in loco, aut eminentioribus iugis, hostibus in fugam conversis, et exuviis detractis in monumentum victoriae statuebatur.

v. 161. *φύλλοις μὲν μαλαχῶν κνήμας*] Scite admodum ranarum arma describit, ubi observabis decorum esse pulcerrimum conservatum, quoniam palustres herbae ranarum armis summe conveniebant. *κνήμη* porro, teste Aristotele [50]), totum est illud, cuius partes sunt sura et tibia.

v. 168. *Ζεὺς δὲ θεοὺς*] postquam apparatum belli poeta descripsit, admiscet [51]) quandam *παρέκβασιν*, qua fingit Iovem heroica maiestate Deos cogere, et vim futuri proelii exponere.

v. 171. *οἷος Κενταύρων*] Confert bellum ranarum et murium cum bello Centaurorum atque

---

38) Deipnosophistae] sic scripsimus = *Δειπνοσοφισταί*; Editt. 1566—1622. Dipnosophistae. — Athenaeus lib. XV. c. 57. (Vol. V. p. 560. Ed. Schweigh.) lampadum et lucernarum varia nomina affert.

39) *ὡς ἐνόησαν*] sic in hoc scholio Editt. 1566—1622.; in textu autem habent aeque ac Ed. Herm. *ὡς δ' ἐνόησαν*.

40) Curt. III, 8.: fama bella stare.

41) Vid. Erasmi Adag. chil. II. cent. X. prov. 19. — Verba: „lib. 3. Vide — inania." in sola Ed. 1570. leguntur, in Editt. 1566., 1607—1622. desunt.

42) *κῆρυξ δ' ἐγγύθεν*] sic Editt. 1566—1622. in hoc scholio; in textu autem exhibent ut Ed. Herm. *κῆρυξ ἐγγύθεν*.

43) Liv. I, 32.

44) *ἀπὸ τοῦ τυροῦ*] sic Editt. 1566—1607.; Editt. 1621., 1622. *ἀπὸ τυροῦ*.

45) excavandis] Ed. 1570. errore typogr.: excavendis.

46) Vide supra p. 144. scholia ad v. 17. 24.

47) *τοὶ γὰρ*] sic Editt. 1566—1622.; Ed. Herm. *τοιγάρ*.

48) Scilicet v. 153.

49) Liv. XXXV, 14.

50) Aristot. de animal. hist. l. I. c. 11. §. 3. Ed. Schneider (al. I. c. 15.).

51) admiscet] Editt. 1621., 1622. errore typogr.: admiset.

immanium Gigantum mirabili cum gratia et venustate. Fuerunt autem Centauri Thessali equites, qui omnium primi equos domasse, ex eisdemque[52]) pugnasse censentur, eoque semiferi, ex homine et equo composita animalia dicuntur. Vide Palaephatum[53]) non contemnendum apud Graecos μυθολόγον.

v. 174. ὦ θύγατερ] Palladem ad auxilium muribus ferendum hortatur Iupiter. Pallas apud Homerum Iliados ε'[54]) Martem vocat ἔχθιστον θεῶν, hoc est, inimicissimum Deorum. Color porro in Iovis oratione ad filiam est, et argumentum ficticium.

v. 178. ὦ πάτερ] Respondet Pallas Iovi parenti, et negat se neque muribus neque ranis auxiliaturam. Idem caeteris quoque Diis suadens, causam adiicit disertam, quoniam iniuriis a muribus plurifariam sit affecta. Ranae vero obstreperum animal insomnem fecerint, et capitis dolorem induxerint.

v. 179. ἔοργαν] affecerunt, poeticum ab[55]) ἐργάζω.

v. 181. οἷον ἔρεξαν[56])] οἷον abusus est pro articulo postpositivo.

v. 182. πέπλον μου] de peplo lege Pollucem[57]).

v. 186. πράσσει με τόκους[58])] Exigit a me foenus. Observa πράττω pro exigo, et quod sicut Latini ablativo in hac constructione utuntur: ita Graeci accusativo.

v. 188. ἀλλ' οὐδ' ὥς] Ut Graeci pleonasmis subinde multis utuntur: ita negationibus saepe duabus pro una, interdum etiam tribus: Latini contra duabus negationibus pro una affirmatione.

v. 194. ἀλλ' ἄγε, παυσώμεσθα] ἄγε pro ἄγετε posuit, quamquam soleant Graeci iungere pluralibus saepenumero singulare ἄγε.

v. 195. ὀξυόεντι] pro ὀξεῖ, auxesis poetica.

v. 197. εἰσὶ γὰρ ἀγχέμαχοι] Quasi diceret: tam instanter pugnant, ut non, etiam ipsis Diis intervenientibus, dirimi queant.

v. 198. πάντες δ' οὐρανόθεν] Oblectaturi se Dii ceu spectaculum non iniucundum de coelo pugnam hanc cernunt.

v. 201. καδδ'[59]) ἦλθον] Erant praecones belli feciales, culices tibicines horrendum tuba canentes. Revertitur autem, unde digressus erat, ad descriptionem pugnae.

v. 205. Λειχήνορα[60])] λειχήνωρ muris nomen, a lambendo viro.

v. 207. καδδ' ἔπεσεν[61])] Gestus sunt, quibus ubique Homerus descriptiones pugnarum variare solet. Alioqui paulo obscuriores essent futurae. Itaque diligenter observandum, qui a quo occupetur, a quo occidatur, et qua occasione; et futurum est, ut rem propius tanquam oculis subiectam cernas.

v. 209. τρωγλοδύτης] cognominatus est, quod ingrediatur rimas et foramina. Πηλείων] a luto ac coeno nomen accepit.

v. 212. Σευτλαῖος] a porro betave. Ἐμβασίχυτρον[62])] ἐμβασίχυτρος dictus est, quoniam in ollas irrepit.

v. 214. Ἀρτοφάγος] est panum vorator; ἀρτοφαγεῖν panibus vesci. Πολύφωνον[62])] πολύφωνος garrula, quasi dicas: plurivoca, loquacula.

v. 216. Λιμνόχαρις] lacu gaudens.

v. 221. Κραμβοφάγος] a brassicis sive caulibus devorandis.

v. 225. χορδῇσι[63]) λιπαρῇσι[64]) τ' ἐπορνύμενος λαγόνεσσιν] chordis validis confossus iliis. Sunt enim λαγόνες sub umbilico, quae tendunt ad utrumque latus.

52) eisdemque] sic Editt. 1566., 1570.; Editt. 1607—1622. iisdemque.

53) Palaephatus in l. de incredibilibus, praefatione praemissa, primo cap. de Centauris disserit, vid. Palaeph. Ed. Fischer. (Lips. 1789. 8.) p. 10 sqq. et Opuscula mythol., ethica et phys. gr. et lat. ed. Gale (Cantabrigiae 1671. 8.) p. 3—5.

54) Iliados ε'] sic scripsimus pro: Iliados δ', quod Editt. 1566—1622. falso exhibent; legitur enim locus, quo Iupiter (non Pallas) Martem ἔχθιστον θεῶν vocat, Il. V, 890.

55) ab] sic Editt. 1566., 1607—1622.; in Ed. 1570. deest.

56) οἷον ἔρεξαν] sic Editt. 1566—1622.; Ed. Herm. οἷά μ' ἔρεξαν.

57) Poll. lib. VII, 49. 50. (Vol. II. p. 72 sq. Ed. Dindorf.).

58) τόκους] sic Editt. 1566—1622.; Ed. Herm. τόκον.

59) καδδ'] sic h. l. et v. 207. Editt. 1566—1622.; Ed. Herm. utroque versu recte κὰδ δ'.

60) Hanc Batrach. vocem huic scholio ipse praefixi.

61) ἔπεσεν] sic Editt. 1566., 1607. in hoc scholio et in textu; Ed. 1570. h. l. ἔπεσεν, in textu ἔπεσε; Editt. 1621., 1622. h. l. ἔπεσε, in textu ἔπεσεν; Ed. Herm. ἔπεσε.

62) Has Batrach. voces his duobus scholiis ipse praefixi.

63) χορδῇσι] sic Editt. 1566—1622. h. l. et in textu (exceptis Editt. 1607., 1622., quae in textu male χορθῇσι habent, et Ed. 1621., quae ibid. χορθῆσι exhibet); Ed. Herm. χορδῇσιν.

64) λιπαρῇσι] sic Editt. 1566—1622. in hoc scholio, in textu autem λιπαρῇσιν; Ed. Herm. λιπαρῇσι.

v. 226. *λιμνήσιος*[65])] *ἀπὸ τῆς λίμνης*, a stagno: Stagnea, lacustris sive palustris. *Τυρόγλυφον*[66])] *τυρόγλυφος* caseorum excavator, *ἀπὸ τοῦ τυροῦ*, id est, caseo, et *γλύφειν*, quod est sculpere et excavare. Ita et (v. 227.) *πτερνόγλυφος*, qui pernas excavat. *Καλαμίνθιος*, a nepeta[67]) fortassis herba, quae a Graecis *καλαμίνθη* appellatur.

v. 228. *τὴν ἀσπίδα ῥίψας*] abiecto clypeo. Demosthenem ob simile facinus *ῥιψάσπιδα* vocarunt, quod parum fortis esset pugnando[68]). Simile quiddam legitur in nebulis Aristophanis[69]).

v. 229. *Βορβοροκοίτης*] id est, limo cubans, quod luto ac coeno iacere gaudeat.

v. 235. *Πρασσοφάγος*] *ὁ πράσον φάγων*, porrivorax, aut comedo prasii. *Κνισσοδιώκτην*[70])] *Κνισσοδιώκτης*, quod nidorem sectetur.

v. 238. *Πηλούσιον*[71])] *πηλούσιος* a luto nomen habet. Est autem pes hic peregrinus, duabus longis una brevi constans, ne quis putet esse dactylum.

v. 240. *Πηλοβάτης δ'*] Iucunda in his et sequentibus est *ὑποτύπωσις* et color.

v. 240. *δράκα*[72])] *δρὰξ* pugnum et quicquid manu contineri potest, significat.

v. 244. *Πηλοβάτην*[72])] *πηλοβάτης*, quod per lutum ingrediatur.

v. 246. *Κραμβασίδης*[73]) appellatus, quod caulium speciem praeferat colore.

v. 250. *Σιτοφάγος*[74]), quod cibos frumentaque absumat.

v. 255. *Πρασσαῖος* a colore dictus, quasi porraceus, quod porri colorem imitetur[75]).

v. 264. *Ἀρτεπίβουλος*, quod panibus insidietur.

v. 265. *Μεριδάρπαξ*] a rapiendis particulis.

v. 288. *ᾧ*[76]) *Τιτᾶνας*] Titan Saturnum bello adortus, eum cepit[77]). Iupiter patrem vindicavit victis proelio Titanibus. Enceladus autem Gigas, Titani filius, cum Iove et Diis proelians, a Iove fulmine occisus est. Aeneidos 3.[78]).

---

65) *λιμνήσιος*] sic Editt. 1566—1622.; Ed. Herm. *αὐτῆσιν*. In illis enim v. 226. sic exhibetur:

τυρόγλυφον δ' ἐπ' ὄχθαις λιμνήσιος ἐξενάριξε.

in hac vero sic:

Τυροφάγον αὐτῆσιν ἐπ' ὄχθης ἐξενάριξεν.

66) Hanc Batrach. vocem, quae in illis 5 Editt. legitur [Ed. Herm. eius loco habet *Τυροφάγον*, vid. notam praeced.], huic scholio ipse praefixi.

67) nepeta] sic recte Editt. 1607—1622.; Editt. 1566., 1570. nepita.

68) Demosthenem e pugna ad Chaeroneam fugisse armaque abiecisse Plutarchus in eius vita c. 20. enarrat.

69) Aristoph. Nubes 353.

70) Hanc Batrach. vocem huic scholio ipse praefixi.

71) Hanc etiam Batrach. vocem huic scholio ex illis Editt. adscripsi, quae versum 238. sic exhibent:

καὶ βάλε πηλούσιον κατὰ νηδύος εἰς μέσον ἧπαρ,

Ed. Herm. autem eius loco habet hunc:

καὶ βάλε Πρασσοφάγον, μήπω γαίης ἐπιβάντα.

72) Has Batrach. voces his duobus scholiis ipse praefixi.

73) *Κραμβασίδης*] sic Editt. 1607 — 1622. in hoc scholio, Editt. 1566., 1570. autem h. l. *κραμφασίδης*; in textu vero illae 5 Editt. aeque ac Ed. Herm. habent: *Κραυγασίδης*.

74) *Σιτοφάγος*] Editt. 1621., 1622. in hoc scholio errore typogr. habent *συτοφάγος*, in textu autem recte *σιτοφάγος*.

75) imitetur] sic Editt. 1566., 1570., 1622.; Editt. 1607., 1621. imitatur.

76) *ᾧ*] sic Editt. 1566—1622. ut Ed. Herm. in textu; in hoc scholio autem Editt. 1566., 1570. habent *ᾥ*, Editt. 1607 — 1622. *ὥ*.

77) cepit] sic Editt. 1607—1622.; Editt. 1566., 1570. coepit.

78) Virg. Aen. III, 578.

LI. PH. MEL. INTERPRETATIO ET ENARRATIO LOCI EX HYMNO HOMERICO IN HERMEN.

Ex Homeri hymno εἰς Ἑρμῆν *) versus 29—55. graece cum interpretatione latina et scholio Melanthon Institutionibus suis graecae grammaticae Haganoae 1518. 4. editis, quas supra p. 124. descripsimus, in fine fol. p 3b—4b adiunxit sic inscriptos: „Chelys Mercurii ex Homericis Hymnis."

*) Hic hymnus in Ed. Hermann. (Lips., Tauchnit. 1825. 8.) inter Homericos secundus, in aliis Editt. tertius est. De eo conf. Bernhardy Grundr. d. Griech. Litt. P. II. p. 129 sq.

HOMERICI HYMNI IN HERMEN VERSUS 29—55.
A PHILIPPO MELANTHONE LATINE REDDITI ET ILLUSTRATI.

Risit Mercurius ac sic ait:
En tu signum mihi admodum delectabile, non fallo
Salve natura amabilis, chorifica, convivii socia
Fausta apparuisti; undenam hoc elegans ludicrum
Varium ostracum es Chelys in montibus vivens?
At feram te in domum acceptam. Iucundum quid mihi eris,
Neque dehonestabo te. Me vero primum delectabis
Domi commodius fueris, quoniam foris noxia es.
Profecto enim pharmaco noxio es telum
Vivens, sin moriare, tum demum suaviter concines.
Sic ait, et manibus conchen utrisque levavit,
Domumque continuo rediit, ferens amabile ludicrum
Ibi [1]) expoliatae scalpro cani ferri
Vitam eripuit montanae conchae.
Ut autem tum velox consilium pectus oberrat
Mercurii, quem frequentes versant curae,
Quom ob oculos faces illae animorum devolvuntur:
Sic simul et consuluit et effecit opus Mercurius,
Fixit ordine sectos calamos
Portentos in dorsum tergoris ostraci;
Circum autem pellem protendit bovis arte sua
Et culmos infixit, utramque autem oram iugo aptavit,
Septem dein ex ovicula concordes intendit fibras,
Ut confecerat amabile ludicrum,
Verbere partim commovit. Quae sub manu fibrae erant,
Graviter insonuere. Deus vero apte concinuit
Obiter conficto carmine, etc.

1) Ibi] Ed. 1518. errore typogr.: Tbi.

Scholion.

Qui volet huius carminis mythologiam [2]), sermonem nostrum legat, qui de Artibus libris inscriptus est [3]). Fortasse videbit nihil ἀπροσδιόνυσον καὶ ἀπῳδὸν doctis Graeciae mythologis. Ratio grammatica versuum facile pueris agetur, si, quae pauculae hic sunt, augendi formas ac minuendi spectent, ut pro ἐγέλασε dixit ἐγέλασσε. Item Aorista observent ἀείρας, πειρήνας ταμών. In reliquis adeo nihil est difficile, ut non visum fuerit operae pretium ullum in longiori commentario errare.

2) mythologiam] Ed. 1518. mythologian.

3) Haec Mel. de artibus liberalibus declamatio invenitur in huius Corp. Reform. Vol. XI. p. 5—14.

LII. PHIL. MEL. ENARRATIO HESIODEI POEMATIS INSCRIPTI OPERA ET DIES.

Melanthon aeque ac Homeri etiam Hesiodi unum poema enarravit, singulosque locos interpretatus est. Illius poematis, quod *Opera et dies* inscribitur, enarratio primum prodiit a. 1532. sic inscripta:

> *ΗΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΥ ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ. Una cum praefatione ac luculentissimis enarrationibus Philippi Melanchthonis. Haganoae in offi. Sec. M. D. XXXII.* (Hic index figuris ligno incisis cinctus est.) 8. 8 plagg. litt. a—i, ꝛ sign., 64 foll. non num. (fol. a 2ª—b 6ª Praefatio in Hesiodum, Philippi Melanch.; fol. b 6ᵇ vacat; fol. b 7ª—d 7ᵇ *Ησιοδου του Ασκραιου εργα και ημεραι* libri II. et *Ησιοδου ημεραι* graece; fol. d 8ª—ꝛ 8ª In Hesiodi libros de opere et die, Enarrationes Phil. Melanch.; fol. ꝛ 8ᵇ vacat) *);

quam editionem hae sunt secutae:

> *Hesiodi Opera et Dies Graece, cum Praefatione et Enarrationibus Phil. Melanchthonis. Parisiis, apud Antonium Augerellum.* 1533. 8. **).
>
> *ΗΣΙΟΔΟΥ εργα και ημεραι. Hesiodi opera et dies. Una cum duabus praefationibus et luculentissimis enarrationibus Phil. Melanch. iam recens conscriptis. Haganoae ex officina Seceriana Anno. M. D. XXXIV. Mense Februario.* 8. ***).
>
> *ΗΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΥ ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ. Hesiodi Opera et Dies una cum duabus praefationibus ac luculentissimis Enarrationibus Phil. Melanch. iam recens conscriptis. Francofordiae ex Officina Petri Brubachij Anno M. D. XLI. Mense Februario.* 8 min. 11 plagg. litt. A—L sign., 88 foll. non num. (fol. A 2ª—B 3ª Praefatio in Hesiodum Philippi Melanthonis, Prima; fol. B 3ᵇ—6ᵇ Alia praefatio in Hesiodum Philippi Melanthonis; fol. B 7ª—8ª Occasio poetae scribendi, et argumenta librorum; fol. B 8ᵇ Hesiodi vita ex Suida graece; fol. C 1ª—E 8ª *Ησιοδου του Ασκραιου εργα και ἡμέραι.* graece; fol. E 8ᵇ—L 7ᵇ Enarratio Phil. Mel. in Hesiodum; fol. L 8 vacat) †).
>
> — — *Parisiis, ex officina Iacobi Bogardi.* 1543. 8. ††).

---

*) Hanc Ed., quam e Bibliotheca regia Stuttgard. in manibus teneo, etiam Schweiger in l. Handb. d. class. Bibliogr. P. I. p. 144. et Hoffmannus in Lex. bibliograph. T. II. p. 393. afferunt.

**) Hanc Ed. praeter Schweigerum et Hoffmannum l. l. etiam Fabricius in Biblioth. graeca (Ed. 4. cur. Harles) Vol. I. p. 596. memorat hanc addens annotationem: „Num haec prima sit editio Melanchthoniana, equidem nescio et fere dubito. Cl. tamen Strobel in Catalogo scriptorum Melanchthonis plenissimo pag. 21. in Miscellaneis argumenti litterar. (germanice) collect. VI. Noribergae 1782. hanc non memorat, sed edit. cum duabus praefationibus ac luculentissimis enarrationibus Melanchthonis, Francof. 1541. 8. primam tanquam editionem adfert. At enim vel quod binae praemissae sunt praefationes, id iam satis est testimonii, alias illam antecessisse. Praefationes autem istae fuerant adlocutiones ad auditores, quibus Hesiodi carmen explicuit, atque enarrationes ingenio illius temporis et auditorum adcommodatae, doctrina disciplinaque Melanchthoniana haud quidem indignae, nec vero subtiles aut valde eruditae: et tamen fuerunt illa editio istaeque enarrationes frequenter recusae, *Paris.* 1543. 8. ex officina Iacobi Bogardi, — *Mulhusii*, 1569. 8. — *Francof.* 1553. 8. — *Tiguri*, 1548. 1562. 1579. 8. (additis his editionibus Tigurinis scholiis Ceporini.) — *Lipsiae*, 1576. et 1581. 8. — ibid. 1591. 8. — *Wittebergae*, 1612. 8. — ibid. 1623. 8. — *Ienae*, 1662. 8. — *Hagenoae*, 1532. 8.

***) Hanc Ed. Panzerus in Annal. typogr. Vol. VII. p. 113. nr. 373. et Vol. IX. p. 472. nr. 373. atque Hoffmannus l. l. afferunt. — Mylius in Chronologia Scriptorum Phil. Melanchthonis, hanc Hesiodi enarrationem non ad a. 1532., sed demum ad a. 1534. fol. C 5ᵇ sic memorat: „Editi Coloniae luculentissimi commentarii Philippi in opera et dies Hesiodi." At *Ed. Colon.* a. 1534. huius enarrationis hucusque non inveni.

†) Haec Ed., quae in meis libris est, et in Biblioth. senatus Norimb. invenitur, Maittairio, Schweigero et Hoffmanno ignota fuit. (conf. Fabricii de hac annotatio in praeced. nota **).).

††) Haec Ed., teste Fabricio (vid. notam praeced. **).) eadem continet ac Ed. Paris. 1533., id quod etiam Schweigerus l. l. p. 144., qui eam proxime post Ed. Paris. 1533. memorat, indicare videtur; Hoffmannus eam l. l. sic affert: *Hesiodi Opera et Dies Vlpio Franckerensi Frisio autore. Paris., ap. Iac. Bogardum.* 1543. 8.

Hesiodi Opera et Dies una cum duabus praefationibus ac luculentissimis enarrationibus Phil. Melanchthonis iam recens conscriptis. Graece. Francof. ex offic. Pet. Brubachii. **1546.** 8. *).

— — *Tiguri* **1548.** 8. **).

— — *Francofurti* **1553.** 8.

ΗΣΙΟΔΟΥ ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ. Hesiodi opera et dies. Vna cum duabus Praefationibus, ac luculentis Enarrationibus Phil. Melanth. profuturis etiam ad intelligenda Hesiodi praecepta. Francoforti ex officina Petri Brubachij, Anno M. D. LVII. 8. $11^1/_2$ plagg. litt. A — M ($^1/_2$ pl.) sign., 92 foll. non num. (fol. A 2ᵃ — B 4ᵃ Praefatio in Hesiodum Philip. Melan. Prima.; fol. B 4ᵃ — 7ᵇ Alia Praefatio in Hesiodum; fol. B 7ᵇ — 8ᵇ Occasio poetae scribendi, et argumenta librorum; fol. C 1ᵃ — E 8ᵃ *Ησιοδου του Ασκραιου εργα και ημεραι* graece; fol. E 8ᵇ — M 4ᵃ Enarratio Philip. Mel. in Hesiodum; fol. M 4ᵇ vacat) ***).

— — (Index ut Ed. Francof. 1546.) *Francofurti ex offic. Pet. Brubachii.* **1559.** 8. ****).

Hesiodi Ascraei poema inscriptum ΈΡΓΑ ΚΑΙ ῾ΗΜΕΡΑΙ, id est, Opera et Dies. Accedunt in idem breuia scholia Iacobi Ceporini, per Ioannem Frisium Tigurinum denuò aucta: in quib. dictiones et sententiae quaedam obscuriores, atque obiter Graecorum carminum ratio declarantur. Enarrationes item luculentissimae unà cum Praefatione Philippi Melanchthonis. Adiecta est etiam recens Latina interpretatio Ioannis Frisij, qua uerbum uerbo quam proprijssimè redditur. (Infra haec Insigne typogr.: arbor cum ranis et taenia, in qua leguntur verba: Christof Froschover zuo Zurich.) *Tiguri apud Christoph. Froschouerum. Anno M. D. LXII.* — (In fine:) *Tiguri excudebat Christophorus Froschouerus, Anno M. D. LXI. Mense Decembri.* 8. $16^7/_8$ plagg. litt. a — r ($^7/_8$ pl.) sign. (pag. 3 [fol. a 2ᵃ] — 17. Praefatio in Hesiodum Philippi Melanchthonis; p. 18 — 20. Io. Frisii Tigurini epistola nuncupat. ad Anton. Schnebergerum 3. Ian. 1562. scripta; p. 20 — 21. Totius operis argumentum; p. 22. Hesiodi vita ex Suida, graece; p. 23 — 55. *Ησιοδου του Ασκραιου εργα και ημεραι* graece; p. 56. Figurae variorum agriculturae instrumentorum etc. adscriptis nominibus eorum graecis; p. 57 — 111. Brevis declaratio grammatica in Hesiodi *Ἔργα καὶ Ἡμέρας* authore Iacobo Ceporino, per Ioannem Frisium Tigurinum castigata et locupletata; p. 112 — 115. Proverbia quae in hoc opere in nostris annotationibus citantur, et ab Erasmo in Chiliadibus diligenter explicantur; p. 116 — 126. Obvia de ratione carminum Graecorum; p. 127 — 166. Hesiodi Ascraei Opera et Dies Iohanne Frisio Tigurino interprete; p. 167 — 246. [fol. r 5ᵇ] In Hesiodi Opera et Dies enarrationes Philippi Melanchthonis; penult. fol. non num. *Επιγραμματα εἰς Ἡσίοδον* septem graeca; ult. fol. non num. Clausulam typogr. cont.) †).

ΗΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΥ ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ. Hesiodi Opera et Dies. Vna cum duabus praefationibus ac luculentis enarrationibus Philip. Melanth. profuturis etiam ad intelligenda Hesiodi praecepta. Lipsiae Iohannes Rhamba excudebat Anno M. D. LXIIII. 8. 11 plagg. litt. A — L sign., 88 foll. non num. (fol. A 2ᵃ — B 3ᵇ Praefatio in Hesiodum Philippi Melanthonis prima; fol. B 4ᵃ — 7ᵃ Alia Praefatio in Hesiodum Philippi Melanthonis; fol. B 7ᵇ — 8ᵇ Occasio poetae scribendi, et argumenta librorum; fol. C 1ᵃ — E 2ᵇ *Ησιοδου του Ασκραιου εργα και ημεραι*; fol. E 3ᵃ — L 8ᵃ Enarratio Phil. Mel. in Hesiodum; fol. L 8ᵇ vacat.) ††).

ΗΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΥ ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ. Hesiodi Ascraei opera et dies. Vna cum duabus praefationibus ac luculentis enarrationibus Philippi Melanchthonis, profuturis etiam ad intelligenda Hesiodi praecepta. Mulhusii Duringorum excudebat Georgius Hantzsch. Anno, M. D. LXIX. 8. 11 plagg. litt. A — L sign., 88 foll. non num. (fol. A 2ᵃ — B 3ᵇ Praefatio in Hesiodum Phil. Melanthonis prima; fol. B 4ᵃ — 7ᵃ Alia Praefatio in Hesiodum, Phil. Melanthonis; fol. B 7ᵇ — 8ᵇ Occasio poetae scribendi, et argumenta Librorum; fol. C 1ᵃ — E 2ᵇ *Ησιοδου του Ασκραιου, εργα και ημεραι*; fol. E 3ᵃ — L 8ᵃ Enarratio Phil. Mel. in Hesiodum; fol. L 8ᵇ vacat.) †††)

---

*) Sic hanc Ed. Fabricius l. l. p. p. 601. et Hoffmannus l. l. p. 393. afferunt.

**) Hac Ed. et subsequenti Editionem Paris. 1533. repetitam esse testatur Fabricius, vide p. 157 sq. notam **) Hoffmannus Ed. Tigur. huius anni quidem memorat, Melanthonis autem in ea nullam facit mentionem; Ed. Francof. ab eo non affertur. (fortasse 1553. ap. Fabricium errore typogr. loco 1557. legitur).

***) Haec Ed., quam ex Bibliotheca Senatus Norimb. in manibus habeo, neque a Fabricio, neque a Schweigero et Hoffmanno memoratur.

****) Hanc Ed. Fabricius l. l. p. 601. et Hoffmannus l. l. p. 393. commemorant.

†) Hanc Ed., quae in meis libris est, etiam Hoffmannus l. l. p. 393 sq. et brevissime Fabricius in annotatione supra exscripta (vide p. 157 sq. notam **)) afferunt.

††) Haec Ed., quae in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est, Fabricio, Schweigero et Hoffmanno ignota fuit.

†††) Hanc Ed., quam Hoffmannus l. l. p. 394., brevissime etiam Fabricius l. l. (vide p. 158 sq. notam **)) commemorant, ex Biblioth. senat. Lips. in manibus teneo.

ΗΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΥ ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ. ***Hesiodi Ascraei opera et dies. Cum praefatione et enarrationibus Ph. Melanchthonis.*** *Lips.* **1576. 8.** *).

— — *additis Iacobi Ceporini scholiis per Ioannem Frisium denuo auctis, una cum Latina interpretatione eiusdem Frisij. Tiguri, Froschov. MDLXXIX.* — (In fine:) *MDLXIX.* (?) **).

ΗΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΥ ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ. ***Hesiodi Ascraei Opera et Dies. Vna cum duabus Praefationibus ac luculentis enarrationibus Philippi Melanchthonis, profuturis etiam ad intelligenda Hesiodi Praecepta. Lipsiae Georgius Defnerus excudebat. M. D. LXXXI.*** **8. 11** plagg. litt. A — L sign., **88** foll. non num. (fol. A 2^a — B 4^b Praefatio in Hesiodum Philippi Melanchthonis prima; fol. B 5 — C 1^a Alia Praefatio in Hesiodum Phil. Melanchthonis; fol. C 1^a — 2^a Occasio poetae scribendi, et argumenta librorum; fol. C 2^b — E 2^b *Ησιοδου του Ασκραιου εργα και ημεραι* graece; fol. E 3^a — L 7^b Enarratio in Hesiodum, Phil. Melanchthonis; fol. L 8 vacat.) ***).

— — (Index ut in Ed. praeced. a. 1581.) ***Lipsiae ex officina typographica Abrahami Lambergi. Anno M. D. XCI.*** **8. 11** plagg. litt. A — L sign., **88** foll. non num. (fol. A 2^a — B 4^b Praefatio in Hesiodum Philippi Melanchthonis prima; fol. B 5^a — C 1^a Alia Praefatio in Hesiodum, Phil. Melanchthonis; fol. C 1^a — 2^a Occasio poetae scribendi, et argumenta librorum; fol. C 2^b — E 2^b *Ησιοδου του Ασκραιου εργα και ημεραι*; fol. E 3^a — L 8^a Enarratio in Hesiodum, Phil. Melanchthonis; fol. L 8^b vacat.) †).

Poemata Hesiodi Ascraei, quae extant omnia, cum interpretatione Latina emendatiore Accesserunt Enarrationes Dn. Philippi Melanchthonis in ἔργα καὶ ἡμέρας. Et Analysis eiusdem poematis XXIII. Tabulis comprehensa. à M. Erasmo Schmidt, Graecae linguae Professore Witeb. (Infra haec Insigne typogr.: Samuel Davidem ungens.) ***Witebergae, Imprimebat Laurentius Seuberlich, Impensis Samuelis Selfisch, Anno*** **1601. 8. 23** plagg.)(et litt. A — Y sign., 8 foll. non num., **330** pagg., **10**$^1/_2$ foll. non num. (fol.)(2^a — 4^a Erasmi Schmidt epistola dedicatoria ad P. Gesnerum et 6 alios adolescentes **13.** Iul. **1601.** scripta; fol.)(4^b — 8^a Praefatio in Hesiodum Philippi Melanchthonis; fol.)(8^b vac.; fol. A 1^a Index: *ΗΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΥ ΣΩΖΟΜΕΝΑ. Ἔργα καὶ ἡμέραι. Ἀσπίς. Θεογονία.* ***Hesiodi Ascraei Opera quae adhuc extant. Opera et Dies. Scutum. Deorum generatio.***; pag. **2** [fol. A 1^b] — **69.** *Ησιοδου του Ασκραιου, ἔργα.* Hesiodi Ascraei Opera, graece cum latina interpretatione e regione; p. **70** — **169.** Philippi Melanchthonis Enarrationes luculentae in *ἔργα καὶ ἡμέρας* Hesiodi; p. **169.** vac.; p. **170.** Index: *ΑΝΑΛΥΣΙΣ ΕΡΓΩΝ ΚΑΙ ΗΜΕΡΩΝ* ***Hesiodi. XXIII. Tabulis Comprehensa. A M. Erasmo Schmidt.***; p. **171** — **197. 23** Tabulae; p. **198.** Index: *ΗΣΙΟΔΟΥ ΠΟΙΗΜΑ ΠΕΡΙ ΤΗΣ Ἀσπίδος τοῦ Ἡρακλέους.* ***Hesiodi Poema de Scuto Herculis.***; p. **199** — **200.** *Υποθεσις της ασπιδος.* Argumentum Scuti, graece c. lat. interpret. e regione; p. **2 1** — **242.** *Ησιοδου ποιημα περι της ασπιδος τοῦ ἡρακλέους.* Hesiodi opus de scuto Herculis, graece c. lat. interpr. e regione; p. **243** — **330** [fol. X 6^a]. *Ησιοδου Θεογονια.* Hesiodi Deorum generatio, graece c. lat. interpr. e regione; fol. X 6^b — Y 8^a Index [rerum et verborum]; fol. Y 8^b vac.) ††).

— — (Idem Index) ***Wittebergae*** **1612. 8.** Haec est repetitio praecedentis Ed.

ΗΣΙΟΔΟΥ ΣΩΖΟΜΕΝΑ. ***Hesiodi Ascraei quae exstant omnia, cum interpretatione Latina emendatiore. Accesserunt Enarrationes Dn. Philippi Melanchthonis in ἔργα καὶ ἡμέρας, et Analysis eiusdem Poëmatis ac Theogoniae, XXXVI. tabulis comprehensa, Operâ M. Erasmi Schmidt, Graec: et Math: Profess: Witeb.*** (Infra haec Insigne typogr.: Samuel Davidem ungens.) ***Witebergae, Imprimebat Augustus Boreck, Impensis haeredum Samuelis Selfischii, An.*** **1623. 8. 20**$^1/_2$ plagg.)(et litt. A — V (V $^1/_2$ pl.) sign. 8 foll. non num., **292** pagg., 10 foll. non num. (fol.)(2^a — 4^a Erasmi Schmidt epistola dedicatoria ad Mich., Conr. Vict. et Godfr. Schneideros Fr. **23.** Aug. **1623.** scripta; fol.)(4^b — 8^b Praefatio in Hesiodum Philippi Melanchthonis; fol. A 1^a Index: *ΗΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΥ ΣΩΖΟΜΕΝΑ. Ἔργα καὶ ἡμέραι. Θεογονία. Ἀσπίς.* ***Hesiodi Ascraei Opera quae adhuc exstant. Opera et Dies. Deorum generatio. Scutum.***; pag. **2** [fol. A 1^b] — **57.**

---

*) Sic haec Ed. ab Hoffmanno l. l. affertur, brevius a Fabricio l. l.

**) Sic hanc Ed. affert Hoffmannus l. l. p. 394.; Fabricius l. l. hanc inter eas memorat, quibus Ed. 1533. repetita est.

***) Hanc Ed. ex Bibl. senat. Norimb. in manibus habeo; brevius eam Fabricius et Hoffmannus l. l. afferunt. — Paulo post hanc ab Hoffmanno l. l. memoratur haec: *Hesiodi liber, cui titulus: opera et dies; annotationibus quibusdam doctissimorum virorum praemissis. Lond., excud. Rich. Field.* 1590. 12., quae Ed. fortasse etiam Melanthonis annotationes continet.

†) Hanc Ed., quam ex eadem bibliotheca in manibus teneo, Fabricius et Hoffmannus l. l. commemorant.

††) Hanc Ed., quae in Bibl. acad. Halens. et senat. Norimb. est, etiam Fabricius l. l. p. 603. et Hoffmannus l. l. p. 389. una cum eius repetitionibus a. 1612. et 1633. afferunt.

Ησιοδου του Ασκραιου εργα. Hesiodi Ascraei Opera, graece c. lat. interpr. e regione; p. 58—138. Philippi Melanchthonis Enarrationes luculentae in ἔργα καὶ ἡμέρας Hesiodi; pag. 139. Index: *ΑΝΑΛΥΣΙΣ ΕΡΓΩΝ ΚΑΙ ΗΜΕΡΩΝ Hesiodi. XXIII. Tabulis Comprehensa a M. Erasmo Schmidt.*; p. 140—165. 23 Tabulae; p. 166—239. *Ησιοδου Θεογονία.* Hesiodi Deorum generatio, graece c. lat. interpr. e regione; p. 240. Index: *ἈΝΑΛΥΣΙΣ ΘΕΟΓΟΝΙΑΣ ἩΣΙΟΔΟΥ XIII. Tabulis Comprehensa a M. Erasmo Schmidt.* p. 241—253. 13 Tabulae; p. 254—292 [fol. T 2^b] *Ησιοδου ποίημα περὶ τῆς Ἀσπίδος τοῦ Ἡρακλέους.* Hesiodi poema de Scuto Herculis, praemisso argumento, graece et latine; fol. T 3^a—V 3^a. Index rerum et verborum; ult. 3 pagg. vacant)*).

ἩΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ἈΣΚΡΑΙΟΥ ΕΡΓΑ καὶ ΗΜΕΡΑΙ. Hesiodi Ascraei Opera et Dies, Cum Enarrationibus Philippi Melanchthonis, et Erasmi Schmidii Analysi ejusdem Poëmatis XXIII. tabulis comprehensâ. Wittebergae Impensis Iohannis Selfischii Ienae Typis Georgi Sengenwaldi. Anno MDCLXII. 8. $11^7/_8$ plagg.)(et litt. A—L (L $^7/_8$ pl.) sign. 8 foll. non num., 164 pagg., 5 foll. non num. (fol.)(1^b Ioh. Erici Osterman epistola ad lectorem Wittenb. prid. Non. Ian. 1661. scripta; fol.)(2^a—4^a Erasmi Schmidt epist. dedicatoria ad Mich. Conr. Vict. et Godfr. Schneideros Fr. 13. Aug. 1623. scripta; fol.)(4^b—8^b Praefatio in Hesiodum Philippi Melanchthonis; pag. 1 [fol. A 1^a] Index: *ἩΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ἈΣΚΡΑΙΟΥ ΕΡΓΑ καὶ ΗΜΕΡΑΙ. Hesiodi Ascraei Opera et Dies*; p. 2—57. *Ἡσιόδου τοῦ Ἀσκραίου ἔργα.* Hesiodi Ascraei Opera, graece c. lat. interpr. e regione; p. 58—138. Philippi Melanchthonis Enarrationes luculentiae (errore typogr. pro: luculentae) in ἔργα καὶ ἡμέρας Hesiodi; p. 139. Index: *ΑΝΑΛΤΙΣ* (errore typogr. pro: *ΑΝΑΛΥΣΙΣ*) *ΕΡΓΩΝ ΚΑΙ ΗΜΕΡΩΝ Hesiodi. XXIII. Tabulis Comprehensa, à M. Erasmo Schmidt.*; p. 140—164 [fol. L 2^b] et fol. L 3^a continent 23 Tabulas; fol. L 3^b—7^b Index (rerum).)**)

His editionibus, quae Melanthonis in Hesiodum praefationem atque enarrationem cum textu graeco exhibent, enumeratis nunc adiungimus eos libros editionesque, in quibus aut sola praefatio et enarratio Mel. sine textu, aut tantummodo praefatio Mel. sine enarratione eius (cum textu vel sine eo) inveniuntur.

Prioris generis est:

Quintus Tomus Operum Philippi Melanthonis. Basileae. Anno M. D. XLI. Mense Augusto. Fol., qui praeter alia etiam p. 287—293. Mel. praefationes duas et p. 294—324. enarrationem in Hesiodum, sine textu continet.

Posterioris generis sunt:

1. sequentes editiones, quae Mel. praefationem (sine enarratione eius) cum textu continent:

Hesiodi Ascraei Opera, quae quidem extant, omnia Graecè, cum interpretatione Latina è regione, vt conferri à Graecae linguae studiosis citra negocium possint. Adiectis iisdem latino carmine elegantiss. versis, et Genealogiae deorum à Pylade Brixiano descriptae, Libris V. Accessit nunc demum Herculis Scutum, doctiss. carmine à Ioanne Ramo conuersum. (Infra haec Insigne Ern. Voegelini typographi Lipsiensis: Arca foederis, cui duo Cherubim insident, cum Christo cruci infixo) ***Rerum et verborum in ijsdem memorabilium index.*** s. l. et a. 8. 27 plagg. litt. A—Z, a—d sign. 8 foll. non num., 381 pagg., 18 foll. non num. (fol. A 2^b—4^a Iac. Hertelii epistola nuncupatoria ad Wolfg. Wissenburgium Basileae Cal. Martiis 1564. scripta; fol. A 4^b—8^a Praefatio in Hesiodum, P. Melanchthonis; fol. 8^b et pag. 1 [fol. B 1^a]—59. Hesiodi Ascraei Opera et Dies, graece et lat.; p. 60—95. Hesiodi Opus de scuto Herculis, cum Scholio veteri in calce adiuncto. Graece et lat.; p. 96—115. Alia eiusdem poematis de clypeo Herculis translatio; p. 116—187. Hesiodi Deorum generatio, graece et lat.; p. 188—320. Quatuor latinae versiones metricae: 1) Nic. Vallae Operum et dierum, 2) Vlpii Franek. eiusdem carminis, 3) Io. Rami Clypei Herculis, 4) Bonini Mombricii Theogoniae; p. 321—381 [fol. b 7^a]. Deorum genealogiae a Burcardo Pylade Brixiano versibus elegiacis conscriptae libri V.; fol. b 8^a—d 8^a Index rerum et verborum; fol. d 8^b vac.)***).

Haec Ed. recusa est ***Lipsiae*** ap. Georg. Defnerum M. D. LXXXV. 8.; iterumque adnexis tabulis inventionis et dispositionis in Opus Hesiodi Ἐργων και ἡμερων, confectis studio Io. I. F. Posselii, ***Lipsiae*** 1603. 8. — et ***Lipsiae, typis Lambergianis, Anno M. DC. XV.*** 8. 29 plagg. litt. A—Z, a—f sign., 7 foll. non num., 351 pagg., $16^1/_2$ foll. non num., 1 fol. alb., seqq. 2 plagg. extremae habent hunc proprium indicem: ***Tabulae Inventionis et Dispositionis in Opus Hesiodi*** Ἐργων καὶ ἡμερῶν: ***A multis multum hactenus expetitae, iam vero ad publicum discentium usum editae: Studio et Operâ Ioan-***

---

*) Haec Ed., quam ex Bibl. magniducali Wimar. in manibus habeo, a Fabricio l. l. p. 598. in illa annotatione a me p. 157 sq. nota**) exscripta memoratur; p. 609. autem dicit, Editionem Witteb. a. 1601. recusam esse a. 1633., idem Hoffmannus l. l. p. 390. affert, Editionis Witteb. a. 1623. nullam mentionem faciens, quapropter suspicor, a. 1633. his locis errore typogr. legi pro a. 1623.

**) Haec editio, quam ex Bibl. senat. Norimb. in manibus teneo, et Fabricio et Hoffmanno latuit.

***) Haec editio, quam etiam Hoffmannus l. l. p. 388. affert, in Bibl. acad. Halensi asservatur.

nis I. F. Posselii, Graecae Linguae in Academia Rostochiensi Professoris. (Infra haec Insigne typogr.: Equus alatus.) *Anno M. DC. XV.**)

2. hae Declamationum et Praefationum Melanthonis collectiones, quae solas eius praefationes in Hesiodum (sine enarratione, et textu graeco) continent:

a. *Liber selectarum declamationum Philippi Melanthonis* etc. *Argentorati M. D. XLI.* 4. (accuratius a me in huius Corp. Reform. Vol. XVII. p. **641** sq. descriptus), ubi p. **613—633.** duae praefationes in Hesiodum inveniuntur.

b. *Philippi Melanthonis cum praefationum, tum orationum* etc. Tomus secundus a Gerbelio septies *Argentorati* **1544.**, **1546.**, **1555.**, **1558.**, **1559.**, **1564.**, **1569.** et semel *Servestae* **1587.** editus (in huius Corp. Ref. Vol. XVII. p. **641** sq. a me descriptus). Ex his Editt. prima (a. **1544.**), quinta (a. **1559.**) et octava (a. **1587.**) p. **1—30.**; sexta (a. **1564.**) p. **7—35.** duas illas in Hesiodum praefationes cum scholiis marginalibus exhibent.

c. *Declamationum D. Philippi Melanthonis* etc. a Richardio *Argentorati* **1570.** editarum Tomus primus (in huius Corp. Ref. Vol. XVII. p. **689** sq. descriptus), ubi hae duae praefationes cum scholl. margin. p. **205—226.** leguntur.

Praeterea memoranda est haec editio:

Commentarius in Hesiodi Ascraei ἔργα καὶ ἡμέρας, *magno studio et labore collectus, et in usum studiosae juventutis nunc primùm editus, A. M. Stephano Riccio. Accesserunt Ulpii Franekerensis Frisii et Nicolai Vallae translationes, ut quis cum Graeco textu conferre queat.* **16 11** (his numeris interpositum est Insigne typogr.: Iacobus cum angelo luctans) *Lipsiae Apud Iacobum Apelium.* — (In fine:) *Erphordiae Imprimebat Martinus Wittelius, Impensis Iacobi Apelii.* 8. **50** plagg. litt. A—Z, a—z, Aa—Dd sign., **12** foll. non num., **776** pagg., ult. fol. album (fol. A 2ª—B 3ª Steph. Riccii epist. dedicat. ad Fridericum Guilhelmum et Ioannem Fr. Duces Saxoniae; fol. B3ᵇ—4ᵇ carmen in Hesiodum; p. **1—373.** Hesiodi ἔργων καὶ ἡμερῶν lib. I. graece cum triplici versione lat., dispositione rhetor. et explicatione, praemissis Prolegomenis; p. **374.** vac.; p. **375—726.** huius carm. lib. II. gr. et lat., c. dispos., explicat. et Prolegg.; p. **727—774.** eiusd. carm. lib. III. Ἡμέραι inscriptis gr. et lat. cum dispos. et explicat., praefatione Melanthonis in librum Hesiodi de discrimine dierum **1535.**, aliisque duabus Fr. Burggrati et Io. Stigelii atque duplici distributione dierum mensis praemissis; p. **775—776.** Ge. Turschalae epigramma in St. Riccii explicationem Hesiodi, addita Clausula typogr.; ult fol. vac.)**).

Praefatio Mel., quae in hac Ed. exhibetur, a ceterarum Editt. praefationibus diversa tantum ad eam huius poematis Hesiodei partem pertinet, quae inscripta est: Ἡμέραι.

Ex illis editionibus, quae Melanthonis enarrationem praefationemque cum textu continent, hasce undecim in manibus habemus: 1) Ed. *Hagan.* **1532.**, 2) Ed. *Francof.* **1541.**, 3) Ed. *Francof.* **1557.**, 4) Ed. *Tigur.* **1562.**, 5) Ed. *Lips.* **1564.**, 6) Ed. *Mulhus.* **1569.**, 7) Ed. *Lips.* **1581.**, 8) Ed. *Lips.* **1591.**, 9) Ed. *Witeb.* **1601.**, 10) Ed. *Witeb.* **1623.**, 11) Ed. *Witeb.* **1662.**, quibus accedit 12) Ed. *Basil.* Opp. Mel. **1541.**, enarrationem et praefationes sine textu continens.

Ex iis autem, quae Melanthonis praefationem in Hesiodum, sine enarratione, exhibent, has decem in manibus tenemus: 1) Ed. (*Lips.*) s. l. et a., 2) Ed. *Argent.* **1541.**, 3) Ed. *Argent.* **1544.**, 4) Ed. *Argent.* **1559.**, 5) Ed. *Argent.* **1564.**, 6) Ed. *Argent.* **1570.**, 7) Ed. *Lips.* **1585.**, 8) Ed. *Servest.* **1587.**, 9) Ed. *Lips.* **1611.**, 10) Ed. *Lips.* **1615.**

Ex his Editt. illam, cui annus neque in titulo neque in fine est adscriptus, *Ed. s. a.*, ceteras vero solis annorum numeris significabimus, tres autem anni **1541.** additis litteris initialibus *A.* (Argentorat.), *B.* (Basil.), *F.* (Francof.), et duas anni **1564.** litteris *A.* (Argent.), *L.* (Lips.), ubi diversa praebent, in hac nostra Ed. distinguemus.

Hesiodi poema in his Editt. (iis exceptis, quae solam praefationem Melanthonis sine textu continent) in duas partes est distinctum, quarum altera in Editt. **1532.**, **1541.**, **1557.**, **1562.**, **1564.**, **1569.**, **1581.**, **1585.**, **1591.**, **1611.**, **1615.** et Ed. s. a. ἔργα καὶ ἡμέραι, in Editt. **1601.**, **1623.**, **1662.** ἔργα (i. e. vitae praecepta); altera autem, a versu **765** (al. **763.**, in Ed. Brunck. **710.**) incipiens, in his omnibus ἡμέραι (i. e. dies homini oeconomo observandi) est inscripta. Prior pars in iisdem iterum in duos libros est divisa, quorum alter a versu **383** (al.

---

*) Harum trium editionum prima a. 1585., quae in Biblioth. acad. Halensi est, Fabricium et Hoffmannum fugit; neuter enim Operum omnium Hes. editionem huius anni memorat, sed tantummodo „Operum et Dierum"; altera autem et tertia ab utroque afferuntur, a Fabr. p. 603 sq. et ab Hoffm. p. 389 sq. Tertiam a. 1615. ex Biblioth. senat. Lips. in manibus habeo.

**) Haec Ed. in Biblioth. acad. Halensi est.

381., in Ed. Brunck. 353.) orditur. In recentioribus Editt. Brunckii (Ἠθικη ποιησις sive Gnomici poetae graeci. Emendavit R. Fr. Ph. Brunck. Argentorati 1784. 8., ubi p. 150—177. textus graecus huius operis Hesiodi exhibetur), Gaisfordii (Poetae minores graeci. Praecipua lectionis varietate et indicibus locupletissimis instruxit Thom. Gaisford. Vol. I. Oxonii 1814. 8. p. 3—60.) Goettlingii (Hesiodi Carmina. Recensuit et commentar. instruxit C. Goettlingius. Gothae et Erfordiae 1831. 8.), Dübneri (Ἡσιοδου ποιηματα. Hesiodi Carmina. Apollonii Argonautica. Musaei carmen de Herone et Leandro. Coluthi raptus Helenae etc. Graece et lat. ed. F. G. Lehrs. Asii, Pisandri etc. fragmenta cum commentar. adiecit Frid. Dübner. Parisiis 1840. 8., in quo libro p. 30—46. hoc poema legitur) et al. hoc opus sine ulla distinctione, continua versuum serie, idque recte praebetur. Nam, Fabricio teste (l. l. Vol. I. p. 573.) neque constat, ab Hesiodo in plures libros hoc opus divisum fuisse, neque hanc distinctionem vel scriptores antiqui vel codices MSS. probae notae agnoscunt. Versuum autem numeri, quibus illae antiquiores Editt. (exceptis Editt. 1623., 1662.) omnino carent, in recentioribus inde a v. 120. diversi sunt (vide infra p. 191—193. notam 2.); quapropter eos inde ab illo versu, aeque ac Goettlingius et Dübnerus fecerunt, ubique duplici ratione adscribemus. — Alia duplici versus numerandi ratione Gaisfordius utitur, quarum una versus continua serie numerat, altera autem uncis inclusa antiquiorem illam huius poematis in tres libros divisionem sequitur, quorum secundus a v. 381. Ed. Gaisf. (Goettl. et Dübn. 383.), tertius a v. 763. Ed. Gaisf. (Goettl. et Dübn. 765.) incipit.

IN HESIODI OPERA ET DIES

PHILIPPI MELANTHONIS PRAEFATIONES, PROLEGOMENA ET ENARRATIONES.

1. PRAEFATIONES.

Melanthon duas in Hesiodum praefationes scripsit, quarum una incipit a verbis: „Cum de enarrando Hesiodo deliberarem", altera a verbis: „Quod in Plautina fabula histrio praefatur". Harum in Editt. supra enumeratis vel utraque vel una tantum exstat. Videlicet Editt. 1532. et 1562. solam priorem exhibent; Editt. s. a., 1585., 1601., 1615., 1623.. 1662. alteram solam; Editt. 1511. B., 1541. F., 1564. L., 1569., 1581., 1591. utramque illo ordine; Editt. 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587. utramque ordine inverso, in his enim altera praefatio priori praecedit. — Praeterea in ipsa enarratione libro II. prioris partis huius poematis et alteri eius parti ἡμέραι inscriptae praefatio brevis est praemissa, quam utramque iisdem locis exhibebimus, alterique praefationem Editionis 1611., quae ad eandem poematis partem spectat, adiungemus. — Hoc autem loco tantum illas duas praefationes nunc deinceps praebemus.

Praefatio in Hesiodum Phil. Melanthonis prima[1]).

Cum de enarrando Hesiodo deliberarem, inter caeteras difficultates, quas mihi id negotii suscepturo propositas esse intelligebam, in mentem hoc quoque veniebat, non defuturos esse, quoniam non ita multo ante is poeta in hac schola luculenter enarratus est, quibus, si relegeretur, fastidium repetitio adferret. Video enim non aliter atque vulgo aiunt, novas cantiones gratissimas esse, ita vos avidissime ad eos autores cognoscendos, qui minime noti ac pervulgati sunt, confluere. Quamquam igitur verebar, ut accepturi essetis poema, quod gratiam novitatis paulo ante exuit, tamen confirmavit me eorum iudicium, de quorum consilio Hesiodum enarrandum suscepi, qui, quod eius poetae cognitionem maxime frugiferam et liberali ingenio dignissimam esse statuebant, saepe relegendum esse iudicabant. Nam cum magnam utilitatem habeat relectio[1a]), et diligentius expendantur et altius introspiciantur ea, quae retractamus[2]), sunt enim, ut scitis, δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι[3]): fore arbitrabantur, ut neminem poeniteret Hesiodum ex intervallo regustasse et propius cognovisse, cuius de omnibus officiis tam honesta praecepta sunt, tam multae sententiae, quae ad abditas et abstrusas in natura res cognoscendas faciunt, ut nunquam de manu deponendus videatur. Nam qui numerat potius, quam

---

1) Sic hacc praefatio inscripta est in Editt. 1541. F., 1564. L., 1569., 1581., 1591.; in Editt. 1532., 1562. autem sic: „Praefatio in Hesiodum Phil. Melanchthonis", in Ed. 1541. B.: „Phil. Melanchthonis in Hesiodum praefatio."; in Editt. 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570 , 1587., in quibus secundo loco posita est, sic: „Praefatio in Hesiodum a Francisco Vinariensi recitata."

1a) Huic voci in Editt. 1559., 1564. A., 1587. in margine adscripta sunt verba: Retractationis utilitas.

2) retractamus] sic Editt. 1532., 1541., 1544., 1557., 1559. 1562., 1564. A., 1587., 1591.; Editt. 1564. L., 1569. 1570., 1581. tractamus.

3) σοφωτέραι] Ed. 1587. errore typogr.: σοφοτέραι.

longum catalogum autorum audierit, quam supputat[4]), quid ex quoque lucrifecerit, is sciat se in studiis infeliciter versari. Neque vero multum utilitatis adferre scriptor ullus potest, semel tantum velut a limine salutatus. Et Hesiodum veteres non tantum putaverunt[5]) semel atque iterum legendum esse, sed ediscendum omnibus pueris[5a]), qui liberaliter instituebantur, ut *Columella* testatur[6]), proponebant. Ego igitur his causis adductus sum, ut susceperim hunc poetam rursus interpretandum. Sed quoniam cupio vobis etiam persuadere utilem operam vos in eo repetendo sumpturos esse, aliquanto latius[7]) huius mei iudicii ratio mihi exponenda est, et dicendum[8]), quomodo legere veterum scripta conducat. Qua de re dum dico, quaeso me diligenter attendite. Nam qui in discendo nihil aliud consilii habent, nisi ut multa legant, hi *mihi tanquam* via lapsi, toto coelo errare videntur.

Proinde sic statuo, paucos quosdam, eosque optimos ex illo magno librorum numero *eligendos* esse[8a]), quibus a prima pueritia innutriti[9]), omnes eorum sententias ut digitos ac ungues nostros, teneamus, et sermonem eorum, quam proxime fieri potest, nostra oratio referat ac redoleat. Animadverto autem hanc orationem[10]) in reprehensionem quorundam imperitorum, qui varietate lectionis doctrinae famam aucupantur, incursuram esse, qui me desidiam iuventutis novo quodam paradoxo alere vociferabuntur, cum audient me variam et multorum lectionem improbare. Ego vero si quam novam legem nullo autore, sine gravibus testibus ferrem, iure culpandus essem. Neque enim vel aetas mea, vel eruditio, vel autoritas eiusmodi est, ut sumere mihi apud vos praecipientis personam ausim; verum ea, quae a doctissimis viris tradita meminimus, quaeque mediocri harum litterarum, in quibus versamur, usu cognovimus, in medium afferre officii nostri esse iudicavimus. Horatius ait: Vel si coecus iter monstrare velit, tamen adspiciendum esse, si quid moneat, quod non sit inutile[10a]).

Quare vos rogo, ne gravatim in[10b]) tam variis opinionibus eorum, qui discendi rationem tradunt, et meam sententiam audiatis, cui, nisi doctissimorum hominum testimonia suffragantur, non postulo, ut accedatis; sin autem et locupletissimis testibus fidem fecero, et gravissimis argumentis ostendero, promiscuam illam variamque lectionem non perinde iuvare studia, ut quidam existimant, nihil erit, opinor, cur mihi quisquam haec monenti succenseat. Sicut igitur prudentia est certum alicubi domicilium, certam sedem, certos habere lares: ita in studiis necesse est animum habere certos quosdam autores, ad quos se, quacunque de re disputatio inciderit, referat, quos penitus notos habeat, quosque de omnibus rebus in consilium adhibeat. Non vacat autem illi, qui in omnibus chartis excutiendis operam sumit, in certis aliquibus scriptis tantisper commorari, dum et penitus ea cognoverit, et ita imbiberit, ut plane in suam naturam verterit[10c]). Neque enim fieri potest, ut ait Xenophon, simul et multa quispiam faciat, eademque recte faciat[11]) omnia; non enim potest se mens intendere in diversa. Quare cum aliqua de re

---

4) supputat] Editt. 1564. L., 1569. errore typogr.: suppetat.

5) putaverunt] sic Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. putarunt.

5a) His in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. in margine apposita sunt verba: Pueri olim ediscebant Hesiodum.

6) Haec spectant ad Columellam I, 3, 5., ubi Hesiodi versus (Opp. et D. 348 [346.]) his verbis laudatur: „Cum a primis cunabulis, si modo liberis parentibus est oriundus, audisse potuerit, *Οὐδ᾽ ἂν βοῦς ἀπόλοιτ᾽, εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.*

7) latius] sic Editt. 1532., 1541., 1544., 1557., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1564. L., 1569., 1581., 1591. lautius.

8) dicendum] sic Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. docere.

8a) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. adiecta est nota marginalis: Quomodo veterum scripta legenda.

9) innutriti] sic Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. enutriti.

10) orationem] sic Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. rationem.

10a) Horatii verba Epist. I, 17, 3—5. haec sunt:

Ut si
Caecus iter monstrare velit: tamen aspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.

10b) in] sic Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1562., 1564. L., 1569., 1581., 1591.; in Editt. 1532., 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587. deest.

10c) verterit] sic Editt. 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1581., 1587., 1591.; Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1564. L., 1569. verterint (scil. se).

11) faciat] sic Editt. 1532., 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587.; in Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1562., 1564. L., 1569., 1581., 1591. deest.

aut iudicandum est aut dicendum, tum demum sudant illi, ac sentiunt in tanta copia, quam sint inopes. Quia enim nullam certam supellectilem habent, unde depromant, quae usus poscit: itur ad bibliothecam, quaeruntur indices, mutuantur a singulis autoribus sententiolas aliquot, quas cum in lucem proferunt, quia plerumque male cohaerent furta illa, nec inter se consentiunt, invenias pleraque illa nihil facere πρὸς ἔπος. Neque vero legere se putet autorem is, qui obiter tantum inspexerit ac salutaverit. Nam quemadmodum aiunt, amici [12]) sensum deprehendi non posse, priusquam cum eo multos salis modios ederis [13]): ita diu multumque habendus est in manibus autor, iterum atque iterum evolvendus, dum fiat satis familiariter notus, dum illius sententiae, illius verba sic insideant tibi, ut, cum opus est, non procul accersenda aut quaerenda sint, sed ultro se tibi offerant. Contra, quemadmodum immodicus cibus [14]), quia [15]) concoqui non potest, in crudos humores degenerat, qui non modo non alunt corpus, sed naturalem etiam succum strangulant: ita, cum multa legeris, fortassis fiet, ut confusaneam quandam doctrinam tibi compares, sed illa magis hebetabit [16]) ac obruet ingenium quam perpoliet. Nihil enim certi, non res, non verba, in tanta varietate lectionis reliquum tibi facies. Verba undequaque emendicanda erunt, quoties dicere institueris, quorum mira dissimilitudo erit, neque magis inter se similes sententiae erunt ex variis locis autorum nullo iudicio aut delectu transscriptae [17]). Denique in tota oratione velut aegri somniis vanae fingentur species, ubi non pes, non caput uni est.

Cum igitur haec incommoda secum afferat illa tumultuaria lectio [18]) quid tandem rei est, cur non ingrediamur meliorem aliquam legendi rationem? cur non doctissimorum hominum praeceptis obtemperemus? Neque enim ignota est vobis sententia Plinii praecipientis, ut sui cuiusque generis autores diligenter eligantur. Multum enim, ut ait, legendum est, non multa [19]), quod sic accipiendum esse nemo dubitat, saepe multumque eadem esse relegenda, nec esse distrahendum animum varietate autorum. Idem monet Seneca: Certis enim ingeniis, inquit, immorari ac innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat [20]). Non Delphicum ullum oraculum verius esse experiemini, si vestra studia ad calculos vocabitis, et ratiocinabimini, quantum lucri attulerit aliquando unus autor ter aut quater relectus, et ad id conferetis ea, quae ex multis aliis libellis obiter inspectis in animo haeserunt. Intelligetis enim multo überiores fructus vos ex uno illo libro, quam ex reliqua tota [21]) bibliotheca percepisse. Accedit huc, quod, sicut alias artes *imitatio* docuit, ita in his nostris studiis, nisi ad aliquod certum exemplar dirigamus animum, nihil efficiemus dignum laude. Videtis enim eos, qui sculpere, qui pingere, qui canere discunt, eligere aliquem magistrum, cuius esse quam simillimi studeant. Neque vero exigunt hanc diligentiam inferiores artes, et non flagitant eandem hae maximae vitae et regendarum rerumpublicarum artes, in quibus vos versamini. Non enim satis intelligitis, quid oneris sustineatis, si non cogitatis has litteras, ad quas adhibiti estis, comparandas esse tum ad privatam vitam recte instituendam, tum ad civitates regendas, ad iudicia tenenda, ad religiones conservandas [22]), denique ad omnes vitae partes gubernandas.

Quare si aliae mediocres et tanquam secundae classis artes percipi non possunt, nisi ad certa exemplaria manus dirigatur, quanto minus has difficiliores consequemur, nisi proposuerimus nobis aliquem ad imitandum, quem tota mente atque toto animo intueamur, qui regat omnia consilia nostra, vel in dicendo, vel etiam in rebus gerendis. Nonne gravissimus poeta Virgilius, cum significare vellet, quae esset optima ratio

12) Huic voci in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. in margine adscripta sunt: Simile ab amico.

13) De hoc proverbio conf. Erasmi Adag. chil. II. cent. I. prov. 14.

14) Huic voci in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. in marg. adscriptum est: [Simile a] Cibo.

15) quia] Ed. 1557. errore typogr.: qui.

16) hebetabit] Ed. 1541. F. errore typogr.: hebitabit.

17) transscriptae] sic omnes illae Editt., exceptis Editt. 1564. L., 1569., 1581., in quibus legitur: conscriptae.

18) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. apposita est nota margin.: Melior legendi ratio.

19) Haec verba leguntur in Plinii Secundi epist. VII, 9.

20) Senecae epist. I, 2. initio.

21) tota] in Ed. 1557. omiss.

22) ad religiones conservandas] sic omnes illae Editt., praeter Editt. 1564. L., 1569., 1581., 1591., quae habent: ad religionem conservandam.

principis ad eximiam virtutem instituendi, fingit Evandrum adiungere adolescentem filium Aeneae, et praecipere gnato, ut inde a prima pueritia Aeneam effingere et imitari studeat? Sic enim ad Aeneam ait, cum illi puerum commendat:

> Sub te tolerare magistro
> Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
> Adsuescat, primis et te miretur ab annis[23]).

Sensit enim poeta artem illam imperandi, unam omnium longe praestantissimam, neminem assequi posse, nisi se ad alicuius summi viri imitationem totum componat, cuius dicta, facta, consiliaque omnia ob oculos posita habeat, ad quae suum ipse cursum dirigat. Quamquam autem hae nostrae artes dignitate longe infra bene imperandi scientiam positae esse existimentur, tamen difficultate illi pares esse nemo dubitare potest[24]), si modo expenderit, quanti negotii sit, tam *multarum* rerum cognitionem, praeterea mediocrem quandam facultatem dicendi et exponendi, quae recta esse perspexeris, parare. Est enim profecto una de difficillimis artibus vel mediocris eloquentia. Quare si in levioribus artibus sine imitatione effici nihil potest, eloquentiamne putabimus nos sine illo[25]) adminiculo consequi posse? Ciceroni non videtur. Nam apud hunc Antonius[26]) ante omnia praecipit, ut eligamus aliquem, cuius nos similes esse velimus, et summa contentione animi effingamus, atque imitemur in illo ea, quae maxime excellunt.

Quod si igitur imitatio tantopere necessaria est, nec imitari quemquam possimus, quem non penitus notum habeamus, non relinquitur dubium, quin diu legendi sint aliquot optimi libelli[27]). Ut enim qui semel oppidum aliquod praetervectus est, non omnes urbis vicos, non civitatis mores, non hominum loci eius ingenia statim didicit: ita consilia ac sententias, aut sermonis compositionem in autore, quem semel percurristi, non statim animadvertere potuisti, sed diu in eo commorandum est, si voles altius introspicere. Iam ut eius aliquam similitudinem assequaris, ut verba illius[28]) in promptu habeas, cum opus est, ut sermonis compositio non sit illi absimilis, hoc vero sine perpetua lectione effici non potest. An non videmus pictores, cum vultum alicuius depingunt, quam saepe respiciant ad exemplar, quam contentis oculis omnes lineas contemplentur? Ita nobis nunquam deiiciendi oculi erunt ab eo autore, quem perdiscendum in manus accepimus, quemque imitandum esse aliquo modo duximus. Non disputo nunc de tota imitandi ratione, sed hoc monere tantum volui, oportere nos in studiis nostris habere certas quasdam sententias semper ob oculos, ex quibus vel de moribus, vel de rebus aliis iudicium faciamus, et ad quas referamus nos, quacunque de re disputabimus.

Deinde quaedam struendae componendaeque orationis tenenda forma est et character, similis veteri et pure Latino sermoni, quorum utrumque deest istis, qui unum hoc studium habent per omnes autores grassandi. Nam cum sine delectu omnes sententias congerant, non potest fieri, ut habeant certas propositas, quas in iudicando sequantur. Deinde citius tota rerum natura mutabitur, quam fiet, ut iusta orationis structura utantur hi, qui non ad aliquorum ex veteribus imitationem sese contulerint[29]). Itaque videmus eorum orationem, qui, quamquam multa legerint, tamen in componenda oratione, cum nullam veterem formam imitantur, persimilem esse mendici[30]) pallio, cui passim lacerato, omnis generis panniculi assuti sunt. Nam tota istorum oratio ex dissimillimis et verbis et sententiis congesta, alias longas habet circumductiones, alias abrupta quaedam et mutila membra, alias obsoletas et ab ultima antiquitate petitas figuras, quas non intelligat, si reviviscat, ipsa Evandri mater[31]), alias vocabula nova et in media barbarie nata.

23) Virgil. Aen. VIII, 515—517.

24) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. adscripta est nota margin: Difficultas eloquendi.

25) illo] sic Editt. 1532., 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. ullo.

26) Conf. Cic. de Orat. II, 22, 90.

27) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. in margine adscripta sunt verba: In optimis libellis immorandum.

28) verba illius] sic Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. eius verba.

29) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. apposita est nota margin.: Oratio studii tumultuarii.

30) mendici] sic omnes illae Editt., exceptis Editt. 1557., 1564. L., 1569., in quibus legitur: mendaci.

31) Evandri iam supra p. 173. laudati mater ab aliis Themis, ab aliis Carmenta vel Carmentis, ab aliis Nicostrata, ab aliis Timandra appellatur; conf. Pausan. VIII, 43, 2. Dionys. Ha-

Porro cum illa dissimilitudo obscuritatem pariat, et maximum vitium orationis sit obscuritas, quis tale dicendi genus non oderit? quis non fugiendum velis, ut ita dicam, et remis sentiat? Quae cum ita sint, quis non fateatur satius esse paucos scriptores, sed optimos subinde legere, eosque familiarissimos nobis facere, quam tumultuaria lectione per omnia bibliopolia vagari, praesertim cum hoc vitii habeat ea res, ut in multos malos libros opera collocetur, unde velut contagione aut pravas opiniones, aut corruptum sermonis genus contrahas, quae postea dediscere immensi negotii est, praesertim si statim rude et recens ingenium infecerint? Nam si motus corporis vitiosus, qualem in Alexandro notaverunt[32]), consuetudine duratus, corrigi postea nulla ratione potest, quae spes est ex animo perniciosas opiniones, cum iam alte radices egerunt, evelli posse, aut emendari sermonis vitia, quorum naturam tibi feceris? Danda igitur opera est statim, ut optimis imbuamur, et perinde atque venena cavenda sunt et procul arcenda, quae sunt optimis dissimilia. Habetis mei consilii rationem, cur, ut quisque autor optimus est, ita saepissime[33]) relegendum esse existimem, quod quisquis sequendum[34]) sibi[35]) esse statuit[36]), is re ipsa experietur, unam hanc esse ad solidam eruditionem comparandam viam, aliorum vero laboribus ac vigiliis fructum minime respondere. Sed cum Hesiodum semper doctissimi homines plurimi fecerint, ex eo genere autorum mihi esse visus est, qui non semel tantum inspiciendi sunt. Quare eum, quamquam non plane ignotum vobis, relegendum sumpsi. Neque meum consilium reprehendetis, opinor, si cogitabitis, quantas utilitates, tametsi exiguus libellus, adferre queat. Et quia principio in omnibus negotiis constituendum est, quae utilitas ex unoquoque genere laboris petatur, nos quoque monebimus, quid expectare ac flagitare commodi ex Hesiodi lectione debeatis. Est enim ex omnibus autoribus vel verborum vel rerum scientia petenda. Hesiodus autem Graece discentibus magnum vocabulorum numerum suppeditat[37]). Et quoniam alicubi hilariores descriptiones continet, etiam hi, qui Latine discunt, ab eo quaedam honesta exempla copiosi sermonis, et rationem quandam ornandarum sententiarum mutuari possunt. Nam etsi lingua diversa sit, tamen voluntate Graecis Latini, in disponenda, amplificanda atque illustranda oratione similes sunt. Itaque duo summi apud Latinos poetae, Virgilius et Ovidius, non modo locos eius quosdam imitati sunt, sed multos versiculos paene ad verbum expresserunt[38]), quorum exempla nos commonefaciunt, quomodo ad nostros usus non tantum certi quidam flosculi ex huiusmodi autoribus decerpendi sint, sed in omni sermone inveniendo[39]) prudentia, in explicando proprietas, perspicuitas et copia, in disponendo diligentia imitanda sit.

Sed de hac parte quia satis dici, nisi inter enarrandum conferantur Latina cum Graecis, et omnes figurae digito ostendantur, non potest[40]), nolo in praesentia longior esse; sed in interpretatione velut in re praesenti indicabimus, quos locos hinc sumpserint scriptores Latini, et quid imitari, quidque excerpere ipsi debeamus. Etenim tametsi appareat propter utilia praecepta magis quam propter verborum ornatum in admiratione hoc poema fuisse, tamen quantumvis res salubres nemo legisset, nisi commendationem quandam habuissent ex genere sermonis, et gratiam elegantia carminis addidisset. Neque profecto vetustatem ferre potuisset, nisi rerum gravitati venustissimum genus verborum tanquam illecebras quasdam adiunxisset. Non est autem obscurum, quantum amarint Graeci hoc carmen,

---

lic. I, 31., Serv. ad Virg. Aen. VIII, 130. et Pauly: Real-Encycl. d. class. Alterth. III. p. 250. — Cum Evandri matre loqui, est antique et obsolete loqui, Gell. I, 10.

32) Hoc spectare videtur ad Alexandri Magni cervicem, quae ad laevam paulum acclinatior erat, vid. Plutarch. Alex. c. 4. — Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. adscripta est nota margin.: Consuetudo vitiosa durat.

33) saepissime] sic Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. saepe.

34) sequendum] Ed. 1557. errore typogr.: secundum.

35) sibi] in Editt. 1564. L., 1569., 1581. deest.

36) statuet] sic Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. statuit.

37) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570. apposita est nota margin.: Lectio Hesiodi suppeditat sermonis copiam.

38) Conf. Virgilius collatione scriptoribus Graecorum illustratus opera et industria Fulvii Ursini. Antverpiae 1568. 8.

39) in omni sermone inveniendo] sic Editt. 1532. (in o. s., inv.), 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1562., 1564. L., 1569., 1581., 1591. in omni sermone, in inveniendo.

40) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570. adscripta est nota margin.: [Lectio Hesiodi suppeditat] praecepta venusta oratione ornata.

quanta cura adservaverint, quia Pausanias[41]) ait se vidisse in Helicone antiquissimum monumentum plumbeas tabulas, in quibus hoc poema scriptum fuerit[42]). Sed venio ad alteram partem, et exponam, quid ad rerum scientiam lectio eius conducat[43]), in qua profecto non minus quam in verbis elaborandum est, quia non modo inanis est oratio, nisi res honestas et utiles contineat, sed etiam copiam omnem dicendi rerum scientia genuit. Non Dii tantum mali permittant, ut cadat in eos eloquentia, qui nulla virtutis praecepta, nulla officia, nullas vitae leges, nullas religiones norunt, quique nullam naturalium causarum ac eventuum cognitionem habent. Nam et Horatius eum, qui a' rerum cognitione[44]) non satis instructus est, negat idoneum esse ad scribendum, cum ait[45]):

Scribendi recte, sapere est et[46]) principium et fons.

Et multis versibus exponit postea, quarum rerum scientiam requirat in eo, qui se disertum perhiberi velit. Proinde ita inducite animum, ut sentiatis vobis in hoc curriculo studiorum, primum magnam quandam et copiosam verborum supellectilem parandam esse, ut explicare, cum de gravibus rebus alii docendi a vobis erunt, cum dignitate res obscuras, eisque lumen addere possetis; deinde etiam omnium rerum percipiendam doctrinam esse, quae tum ad nostram vitam recte instituendam, tum ad orationem illustrandam conducunt. Etenim cum aut de natura rerum, aut de moribus, aut de religionibus in hac civili vitae consuetudine saepe docendi sint homines, erit plane ὄνος πρὸς λύραν[47]), is, qui quamquam mediocris verborum copia in numerato sit, tamen res non satis perspectas et exploratas habet. Neque enim dicere quisquam de re parum nota perspicue potest, ut et apud Platonem Socrates inquit, et saepe monet Cicero. Et Horatius, cum ait[48]):

Verbaque provisam rem non invita sequentur.

significavit, fieri non posse, ut se ultro magno numero offerant verba, nisi causam bene meditatam habeas. Quod cum ita sit, non sunt praetermittendi libri, qui de rerum natura aut de moribus praeceperunt. Neque tamen legendi omnes, sed eligendi optimi, quique alere eloquentiam possint, quia fere in barbaris scriptoribus non tantum sermonis spurcities, sed etiam alia vitia sunt. Plerique res, quas profitentur, non satis notas habuerunt, plerisque ratio docendi[49]) defuit, et si rerum peritia non defuerit, qua de re nunc longius dici non potest. Hesiodi autem prior libellus totus ἠθικὸς est, posterior dum agriculturae praecepta tradit, ortus et occasus siderum, multaque alia, quae ad naturam cognoscendam faciunt, complectitur. Requiretis igitur ex priore libello morum praecepta, quoniam, nisi certis legibus et sententiis moniti et adsuefacti, honesta a turpibus discernere didicerimus, et amplicti ea, quae decent, fugere contraria conemur, recte institui vita non potest. Honestissimae quaeque gravissimaeque de omnibus officiis sententiae ob oculos esse positae debent, ad quas omnes vitae partes, velut ad Cynosuram[50]) cursum suum nautae dirigunt, comparemus. Sed quoniam Hesiodi praecepta, quibusdam ideo parum probantur, quia gentilis homo videtur aliena et pugnantia cum nostra religione docuisse, hic error vulgo eximendus est.

Quamquam autem longior est illa disputatio, quam ut hic explicari tota possit[51]), tamen iudicavi operae pretium me facturum esse, si exponerem, quae vis sit, quaeque autoritas eorum praeceptorum, quae tum Hesiodus, tum alii multi sapientes et docti viri, cum animadvertissent, nobis a natura proposita esse, deprehensa exposuerunt et in litteras retulerunt, ut commoneface-

---

41) Pausan. IX, 31.

42) scriptum fuerit.] sic Editt. 1532., 1541., 1557., 1562., 1591.; Editt. 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587. scriptum fuerat; Editt. 1564. L., 1569., 1581. scriptum.

43) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570. adiecta est nota margin.: [Lectio Hesiodi] Ad rerum scientiam conducit.

44) qui a rerum cognitione] sic Editt. 1532., 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. B., 1541. F., 1562. quia rerum cognitione; Editt. 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. qui rerum cognitione.

45) Horat. ars poet. 309.

46) et] haec vox, quam omnes illae Editt. et Horatii Editt. Glareani, Doeringii al. habent, in Ed. Bentleii deest.

47) De hoc proverbio conf. Erasmi Adag. chil. I. cent. IV. prov. 35.

48) Horat. ars poet. 311.

49) docendi] sic omnes illae Editt. exceptis Editt. 1564. L., 1569., 1581., 1591., quae habent: dicendi.

50) Cynosura (ad verbum: canis cauda) sidus, i. q. ἄρκτος μικρά, ursa minor, plaustrum vel currus minor, septentrio minor, φοινίκη; conf. Pauly: Real-Encycl. d. class. Alterth. I. p. 696.

51) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570. in marg. adscripta sunt: Autoritas horum praeceptorum.

rent eos, qui [51 a]) propter infirmitatem ingeniorum aut aetatis, aut etiam consuetudine in tot malis exemplis depravati, cernere ipsi eadem non possent [52]). Proinde sic statuemus, nihilo minus divina praecepta esse ea, quae a sensu communi et naturae iudicio mutuati docti homines gentiles, litteris mandarunt, quam quae extant in ipsis saxeis Mosi tabulis [53]). Est enim in confesso humanae menti divinitus insculptas esse quasdam leges de moribus, quales sunt: Neminem laedendum esse; colendos [54]) esse parentes; benemerentibus habendam esse gratiam; magistratibus parendum esse [55]); alendos et defendendos esse eos, qui nostrae fidei commissi sunt; pacta servanda esse. Has cum sani quidam homines deprehensas ostenderint imperitis, quid est, cur non et vocemus divinas leges, et pareamus eis tanquam divinae voci? Neque ille ipse coelestis pater pluris a nobis fieri eas leges voluit, quas in saxo scripsit, quam quas in ipsos animorum nostrorum sensus impresserat, quasque, ut Paulus [56]) ait, in cordibus hominum scripserat, de quibus sic inter se omnes homines consentiunt, ut nulla tam fera barbaries sit, nulli tam perdite mali, qui non et sentiant et fateantur recta esse, quae illae sententiae praescribunt, quique cum non obtemperarunt, non ipsi peccatum accusent ac damnent suum, quique non vereantur numen existere aliquod, cui, vel si nulli unquam mortales resciscant factum, poenas daturi sint. Nulla tam immanis natio est, quae non tacita [57]) maleficos, crudeles, ingratos oderit ac aspernetur, probetque ea, quae societatem inter se generis humani devinciunt. Nam et hos, qui hospites mactant, qui senes patres trucidant, qui nullam coniugiorum fidem colunt, si admoneantur, natura fateri [58]) cogit, indigna se hominibus facere. Iam

51 a) eos, qui] sic Editt. 1532., 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1581., 1587., 1591.; Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1562., 1564. L., 1569. eos, et qui.

52) possent] sic omnes illae Editt., exceptis Editt. 1564. L., 1569., 1581., 1591., in quibus legitur: possunt.

53) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570. apposita est nota margin.: Leges in tabulis saxeis et mentibus inscriptae, aeque colendae.

54) colendos] sic omnes illae Editt., praeter Editt. 1541. B., 1541. F., 1562., quae exhibent: et colendos.

55) esse] in Editt. 1564. L., 1569., 1581., 1591. deest.

56) In epist. ad Rom. 2, 15.

57) tacita] sic Editt. 1532., 1541., 1562.; ceterae Editt.: tacite.

58) natura fateri] Ed. 1541. F. corrupte: naturat faeri.

in his, qui sibi alicuius flagitii conscii sunt, cruciatus et terrores tanti mentem exagitant, ut adpareat divinam quandam vim esse, quae admissi sceleris pudere cogat, quaeque impendentis supplicii metum incutiat. Sunt igitur in humanis animis certae de moribus leges, quae tum privatam vitam regunt, tum constituere ac tenere respublicas, iudicia exercere et societatem hominum defendere docuerunt. Et ut fatemur [59]) nos divinitus conditos esse ac propagari, ita dubitare non debemus, quin e coelo in hanc vitam attulerimus illas vitae leges, et illos igniculos, qui et ostendunt honesta, et admonent semper praeesse numen, et inspectare omnia hominum consilia ac facta, deque sceleratis supplicium sumere solere. Paulus alicubi huiusmodi sententias veritatem Dei appellat [60]), cum vellet significare, has opiniones non errore quodam a maioribus per manus esse traditas, nec temere vel obrepsisse nobis, vel in animis haerere, sed a Deo [61]) mentibus nostris infixas esse ita, ut eiici aut erui nulla vi possint. Ego cum expendo autoritatem harum legum, et animadverto, quam religiose coli eas Deus postulet, commoveor profecto, et earum scriptoribus magis capior; agnosco enim non sine mente, ut ille ait, sine numine divûm, haec ab illis nobis vivendi praecepta tradita esse. Quare non satis intelligunt horum scriptorum consilia, qui non perspiciunt, unde tot honesta praecepta, tot graves sententiae manarint. De religione aliter docent nos Christianae litterae, sed de civilis vitae consuetudine, communibus naturae praeceptis parere nos Christus voluit. Neque vero nihil ad Christianum pertinet civilis vitae consuetudo. Non sunt igitur praetermittenda, si qua docti et periti homines ea de re monuerunt. Nullius autem philosophi commentarios Hesiodo praeferri velim [62]), tanta est et gravitas in docendo et simplicitas. Illi saepe, dum ad vivum omnia resecare student, dum odiose rixantur, al-

59) fatemur] sic Editt. 1532., 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1562., 1564. L., 1569., 1581., 1591. fateamur.

60) In epist. ad Rom. 1, 25. 3, 7. 15, 8. — Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. in marg. adscripta sunt: Leges naturae veritatem Dei Apostolus vocat.

61) a Deo] sic Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591.; Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1587. adeo.

62) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. apposita est nota margin.: Hesiodus omnibus philosophis praestat.

tercando veritatem amittunt. Nam ut alia omittam, plerique philosophorum Deum administratione[63]) rerum submovent, negantque ei res mortalium curae esse. Neque animadvertunt ab ipsa natura nos commoneri, esse aliquam mentem, quae haec humana regat, bonos servet, improbos puniat. Melius igitur Hesiodus, qui[64]) iniustitiae[65]) praeceptis flagitiosis gravissimas poenas interminatur, praemia bonis pollicetur. Venit mihi in mentem Luciani, qui, ut solet, per iocum cum Hesiodo expostulat[66]), cur, cum pollicitus sit se scripturum τάτ᾽ ἐόντα καὶ τὰ ἐσσόμενα, praesentia et futura, nihil tamen praedixerit, nulla rerum futurarum vaticinia reliquerit. Ego vero non tam vaticinari duco Chaldaeos illos, quos vocant, qui praedicunt, uter in alea, seu ludo talorum victurus sit, aut etiam qui tempestatum vices praevident, quam Hesiodum ex consiliis hominum exitus et casus coniectantem. Ea divinatio et[67]) ex certissimis orta causis est, et bono viro dignissima qua et multos alios et Platonem usum de Dionysio videmus, quando calamitosum tyrannidis exitum praedixit[68]). Neque aliud praedictionum genus ad vitam utilius est, cui si Nero, si Domitianus et plerique alii fidem potius adhibuissent, quam vanis promissis hariolorum[69]), in tantas calamitates non incidissent. Nos vero cum Hesiodum audimus commemorantem, quae supplicia improbis impendeant, non humana aliqua, sed divina voce nos a turpitudine absterreri, et ad virtutem colendam invitari existimemus.

Dixi de argumento prioris libelli, posterior ortus et occasus siderum, et pleraque φυσικὰ continet. Et quia solent in scholis quidam technici libelli de natura rerum proponi, quales sunt vel de sphaera commentarius[70]), vel Aristotelis μετέωρα, vel de coelo, videtur mihi in his etiam aliquis locus Hesiodo tribuendus esse, quia temporum vices, ortus siderum, dierum spatia, mira diligentia annotavit, videturque inter primos apud Graecos astronomiam attigisse. Nec eius artis contemnendus autor Aristoteli et Plinio visus est, qui aliquoties eius testimonium allegant[71]). Est autem cum omnium naturae partium, tum maxime coelestium motuum et siderum perliberalis cognitio. Nec mihi iniuria Plato dixisse videtur, non homines, sed suillum pecus esse, quicunque nullo eius artis studio tenentur[71a]). Nemo enim fuit unquam sanus homo, qui etiamsi alias artes hominum industria excogitatas esse iudicaret, non videret tantam esse astronomiae praestantiam, ut neminem nisi Deum autorem eius et repertorem faciendum putaret. Itaque et Manilius ethnicus scriptor negat potuisse fieri, ut res tam procul a nobis positae deprehenderentur, nisi hominum animis divinitus monstratae essent. Sic enim ait[72]):

> Quis foret humano conatus pectore tantum
> Invitis ut Diis cuperet Deus ipse videri?

Sensit enim quandam divinitatis[73]) similitudinem esse, illarum rerum notitiam potuisse consequi. Non libet autem hoc tempore utilitates huius artis enumerare; sunt enim propemodum infinitae, et quaedam ita sunt ob oculos positae, ut etiam ab indoctis cerni queant.

Cum igitur Hesiodus gravissimarum rerum praecepta contineat, et ad mores formandos, et

---

63) administratione] sic Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. ab administratione.

64) qui] sic Editt. 1532., 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1562., 1564. L., 1569., 1581., 1591. quia.

65) iniustitiae] sic Editt. 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1562., 1564. L., 1569., 1581., 1591. in iustitiae; utram lectionem Ed. 1532. habeat, dubium est eam ob causam, quod in non in eadem linea, sed in praecedentis fine posita est, quapropter et *in iustitiae* et *iniustitiae* legi potest; lineola divisoria (-) enim saepissime in hac Ed. omittitur.

66) Luciani disputatio cum Hesiodo, in Luciani Opp. ed. Schmid. Tom. VII. p. 256—265. — Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. apposita est nota margin.: Luciani expostulatio cum Hesiodo.

67) et] sic Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1562., 1564. A., 1570., 1587.; in Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. deest.

68) Haec spectare videntur ad Platonis epistolam VIII. (Opp. Ed. Henr. Steph. Tom. III. p. 353. B. C. — Ed. Bipont. Vol. XI. p. 155 sq.). — Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. apposita est nota margin.: Certum praedictionis genus.

69) hariolorum] illae Editt.: ariolorum.

70) Intelligendus est: Liber Ioannis de Sacro Busto de sphaera. Cum praefatione Ph. Melanth. Wittebergae 1531. 8. — Iterum edit.: Ioannis de Sacro Busto libellus de sphaera. Accessit eiusdem auctoris computus Ecclesiasticus, — cum praef. Ph. Mel. (In fine:) Vitebergae apud Io. Cratonem, anno M. DL. 8.

71) Hesiodus ab Aristotele laudatur e. c. in Physicae auscultationis l. IV, 1. et a Plinio Hist. Nat. XVIII, 24.

71a) Plat. de republ. lib. VII. (Opp. Ed. Steph. T. II. p. 535. E. — Ed. Bipont. Vol. VII. p. 170.).

72) Manilii Astronomic. lib. I. v. 28. 29.

73) quandam divinitatis] sic Editt. 1532., 1541. A., 1541. B., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587.; Editt. 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. divinitatis quandam.

vitam recte instituendam, et ad cognitionem rerum naturalium conducat, quis non dignissimum lectu iudicare queat?[74]) Ego vero etiam saepe relegendum et ad verbum ediscendum esse censeo. An si in excellentibus picturis contemplandis nunquam oculi exaturantur, sed quo diutius in eis haerent, eo magis admiratio videndique cupiditas crescit. Quis enim nostrum, quoties in templum venit, non toties resistit ad eas tabulas, quas ibi vel Durerus vel noster Lucas[75]) posuit, non idem accidat in egregio poemate considerando? Truncum ac caudicem illum profecto dicere nihil verear, cui satis est semel aut iterum excellens et ornatum carmen legisse. Proinde sicut apud Virgilium mirabili cupiditate ac laetitia intuetur coelo demissum clypeum Aeneas, et argumentum in eo caelatum diligenter considerat, cum quidem eum non modo operis varietas, sed etiam illa rerum futurarum praestigia et commovent[76]) et detinent, denique

> Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
> Miraturque, interque manus et brachia versat[77]).

Ita et vos nunquam satietas aut fastidium legendi Hesiodi capiat; sed in eum assidue oculos defigite, omnes locos diligentissime excutite, et sententias eius vobis ita familiares facite, ut, quoties aliqua de re deliberabitis, in mentem vobis illa honestissima praecepta veniant. Multum etiam sermo vester ab illo transferat ac mutuetur. Nos quidem quantum in hac ingenii atque eruditionis mediocritate praestare possumus, dabimus operam, ne quem poeniteat nobis enarrantibus hunc poetam operam dedisse. Dixi.

74) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. adscripta est nota margin.: Quare sit ediscendus Hesiodus.

75) De Albrecht Durero, pictore et chalcographo clarissimo 1471. Norimbergae nato, 1528. mortuo vide G. K. Nagler: Neues allgemeines Künstler-Lexicon T. III. p. 504—553. et K. B. Stark: Albrecht Dürer u. seine Zeit, in libro: Germania. Die Vergangenheit, Gegenwart u. Zukunft der deutschen Nation. Herausg. von einem Verein von Freunden des Volkes u. Vaterlandes. Eingeführt durch Ernst Moritz Arndt. Tom. I. (Leipz. 1851. 8.) p. 625 – 679. — De Luca Cranach, pictore et chalcographo maxime insigni 1472. Cronachi in agro Bambergensi nato, 1553. d. 16. Octob. Wimariae mortuo legas Nagler l. l. Tom. III. p. 176—188. et Chrn. Schuchardt: Lucas Cranach des Aeltern Leben und Werke. Nach urkundl. Quellen bearb. (Leipz. 1851. 12. mai.) 2 Partt.

76) commovent] sic Editt. 1532., 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1581., 1587., 1591.; Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1562., 1564. L., 1569. commonent.

77) Virg. Aen. VIII, 618. 619.

Alia Praefatio in Hesiodum Philippi Melanthonis[78]).

Quod in Plautina fabula histrio praefatur, iustam se rem venire oratum et facilem[79]), id ego multo rectius hoc in loco praefari possum, dum non ut ille ioculare adulterium in scenam adfero, sed gravissima vitae praecepta, quosdam etiam de natura rerum, de siderum ortu et occasu locos. Decrevi enim Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέρας enarrare. Id ego poema postulo, ut summa cura diligentiaque studeatis cognoscere. Qua in re, quam nihil iniquum aut indignum vobis, aut ab officio alienum flagitem, quamquam videre vos magna ex parte existimem, exponam tamen mei consilii rationem. Ego semper operam dedi, ut eos autores vobis proponerem, qui simul et rerum scientiam alerent, et ad parandam sermonis copiam plurimum conducerent[80]). Nam hae duae partes cohaerent, et sicut Horatius[81]) inquit, amici coniurarunt, ut altera alterius ope stet ac nitatur. Neque enim bene dicere quisquam, nisi pectus cognitione optimarum rerum instructum habeat, potest; et rerum scientia manca est, si lumen orationis adhibere non possimus. Et ut ad certa sidera nautae cursum omnem dirigunt: ita in his nostris studiis huc omnia referenda sunt, ut ad scientiam recte de moribus deque natura rerum iudicandi et explicandi res graviores, mediocrem quandam facultatem nobis paremus, utilem vero ad utrumque Hesiodum, quamquam rustici autorem carminis Quintilianus[82]) esse iudicavit.

Prior operis pars tota ἠθικὴ est, continens vitae ac morum leges, profuturas vobis ad consuetudinem vitae, et ad iudicandum de communibus humanitatis officiis; nam de religione non dico. Quod si putamus iurisconsultorum commentarios aut philosophorum disputationes discendas esse, ut in civilibus negotiis facilius per-

78) Sic haec praefatio est inscripta in Editt. 1541. B., 1541. F., 1564. L., 1569., 1581., 1591.; in Ed. 1557.: Alia praefatio in Hesiodum; in Editt. 1541. A., 1585., 1601., 1615., 1623., 1662 et s. a.: Praefatio in Hesiodum, Phil. Melanchthonis; in Editt. 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587.: In Hesiodum praefatio Phil. Melanchthonis.

79) Plauti Amphitruo. Prolog. 33.: Iustam rem et facilem esse oratum a vobis volo.

80) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. adscripta est nota margin.: Rerum scientia et copia sermonis coniuncta.

81) Horat. ars poet. 411.

82) Quintil. Institt. orat. V, 11.

spicere[83]) possimus, quid aequum, quid iniquum sit, et ex istorum litteris colligenda esse simulachra iustitiae, aequitatis aut aliarum virtutum censemus, iuvet eadem ab hoc poeta petere, ex quo permulta mutuati sunt illi ipsi legum scriptores et philosophi. Et est quaedam ex fontibus illa, si possis haurire, voluptas:

Nam quamquam sapor est (ut ait Ovidius[84])) oblata[85]) dulcis in unda,
Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae.
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quam de caelata sumere lance iuvat.

Nam et reliqui scriptores, qui morum praecepta et leges tradidere, propter infantiam et sermonis inopiam vim virtutis ac formam germanam non potuerunt nobis ob oculos ponere[86]). At Hesiodus expressam quandam imaginem vivis illustratam coloribus, nec adscititio vitiatam fuco, planeque talem, qualem Apellis color in tabulis, spectandam exhibet[87]).

Porro ut architecti tenent in animo inclusas certas formas aedificiorum, quas imitentur in aedificando, et ut insidet in mente pictoris species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigit: ita et nos oportet formam quandam virtutis animo insculpere, quam contemplemur, et in consilium adhibeamus, quoties de moribus deque hominum officiis iudicabimus, id ita fiet, si optimorum[88]) autorum praecepta diligenter cognoverimus, et ex illis certam quandam omnium officiorum rationem collegerimus. Et ut ferunt Zeuxem[89]), cum Helenam Crotoniatis pingere decrevisset, ex omni numero virginum eius urbis quinque delegisse, ad quarum exemplum Helenam pingeret, ita ex lectissimis autoribus debemus certam rationem virtutis excerpere, quae consilia omnia nostra[90]) regat et gubernet. Mihi autem inprimis ad eam rem utilis Hesiodus videtur, quia inter gnomologos scriptores citra controversiam principem locum tenet[91]). Neque enim nuda praecepta tradit, sed alias in encomiis virtutis, alias in insectandis vitiis commoratur, et quod officiosissimum est ad absterrendos animos hominum a turpitudine, graviter et religiose docet, divinitus bonos praemia pro benefactis ferre, improbos scelerum suorum poenas luere. Animadvertit enim prudentissimus vir, natura nos duci, ut statuamus numine quodam haec mortalia gubernari, esseque Deum iniuriae ultorem, et bonorum adsertorem.

Itaque multo gravius de moribus praecipit Hesiodus, quam philosophi ulli[92]), qui ceu gigantes in fabulis coelum excindere conati, Deum ab administratione rerum submovent, et religione animos hominum liberant. Diogenes[93]) dicebat Harpalum[94]), qui praedo felix illis temporibus habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret. Quanto φιλοσοφώτερον[95]) Hesiodus docet prope adesse Deos hominibus, ac videre malefacta nostra! Vos quaeso ametis hoc poema, et familiare vobis faciatis, quod quidem divinum esse, vel hoc argumento sit, quod ferunt Hesiodo pastori calamos a Musis donatos esse, quibus iam afflatus cecinit haec praecepta. Apparet ex Cicerone solitos olim sic pueros ediscere, ut certas preculas nostri pueri docentur. Et Graeci tanti

---

83) perspicere] sic Editt. 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591.; Editt. 1541., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1585., 1587., 1601., 1615., 1623., 1662., s. a.: prospicere.

84) Ovid. epist. ex Ponto III, 5, 17—20.

85) oblata] sic illae Editt. omnes; Ovid. Ed. Bipont.: adlata.

86) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. apposita est nota margin.: Forma virtutis germana in Hesiodo.

87) qualem Apellis color in tabulis, spectandam exhibet.] sic Editt. 1623., 1662.; Editt. 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587., 1615. qualem Apellis color in tabulis spectandam exhibet; Editt. 1541. A., 1585., 1601., s. a.: qualem Apellis color in tabulis spectandam exhibet; Editt. 1557., 1564. L., 1569.: qualis Apellis color in tabulis spectandam exhibet; Editt. 1541. B., 1541. F., 1581., 1591.: qualis Apellis (1541. F. Apelles) color in tabulis spectandum exhibet. — De Apelle pictore celeberrimo conf. Iul. Sillig: Catalogus artificum p. 60—75. et Pauly: Real-Encycl. d. class. Alterth. I. p. 596 sq.

88) optimorum] Ed. 1541. A. errore typogr.: optimarum.

89) Zeuxem] illae Editt.: Zeusem (Editt. 1581., 1591. Zeusum). — De hoc pictore nobilissimo vide Sillig l. l. p. 459—464.

90) nostra] Ed. 1557. errore typogr.: vostra.

91) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. in margine adscripta sunt: Hesiodus princeps inter gnomologos.

92) H. l. Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. exhibent notam margin.: [Hesiodus] Philosophis gravior.

93) Diogenes Cynicus, de quo conf. Pauly l. l. II. p. 1043—1045.

94) De huius Harpali, cui Alexander Magnus thesaurorum Persicorum custodiam crediderat, fraude nefaria vide Pauly l. l. III. p. 1070 sq.

95) φιλοσοφώτερον] Ed. 1557. errore typogr.: φιλεσοφώτερον.

fecere, ut in Helicone adservarint in plumbo descriptum poema.

Hactenus de prima Hesiodici [96]) carminis parte. Posterior magna ex parte φυσικὴ [97]) est, de natura terrae ac frugum, de tempestatibus, de siderum motibus, quarum rerum perliberalis et iucunda cognitio est. Nam cum hominum causa, et ad usus nostros, haec rerum natura condita et fabricata sit, flagitium est nolle [98]) totius pulcherrimam aedificii rationem contemplari, praesertim cum ea cognitio plurimum momenti adferat ad valetudinem conservandam, et ad plerasque alias vitae partes regendas. Quis est tam ferreus, quem, si in theatro sedeat, cum ludi fiunt, non aliquando incessat spectandi cupido? et cum nullum spectaculum, nulli ludi, plus voluptatis aut utilitatis adferre spectatori possunt, quam haec naturae varietas, mihi rectius viva cadavera quam homines videntur appellandi, hi, qui neque mentem, neque oculos ad naturae considerationem convertunt.

Postremo ad parandam scientiam bene dicendi, non parum confert Hesiodus; nam lectis verbis utitur, quae tempestive usurpata, et orationi dignitatem adferunt, et scientiae pondus addunt. Quantum putas accedit orationi gravitatis hac auxesi paene tragica, cum reges *δωροφάγους* appellat? quam grata compositio est *χειροδίκαι*! Sunt hoc genus sexcentae figurae, quas non libet hic enumerare, ne quid amittant gratiae ex integra oratione velut a corpore membra avulsa. Quid de tota orationis structura deque sententiarum figuris dicemus? quae tantopere probantur Fabio [99]), ut huic decernat in mediocri genere dicendi palmam; et princeps Latinorum poetarum Virgilius, et Ovidius lectissimos locos in sua opera transtulerint, iudicarintque non leve ornamentum inde accedere suis poematis. Reddet haud dubie et nostram orationem locupletiorem et uberiorem, nec male collocabit operam, si quis ad Graecum exemplar, ea quae nostri inde excerpserunt, contulerit; nam ita utriusque linguae proprietas certius deprehendetur, et figurae verborum et sententiarum animadversae clarius cernentur. Profuerit etiam, si locum aliquem floridiorem tuo Marte Latinis versibus exposueris, quae exercitatio dici non potest, quantum acuat iudicium, quantum item ad alendam sermonis copiam, et comparandam scientiam explicandi res obscuras faciat. Sed haec inter enarrandum obiter monebimus.

Quaerat aliquis, quid haec tota ratio discendi ad pietatem conducat? [100]) Est in promptu, quid respondeam, ad immutandam mentem, imbuendamque [1]) religione nihil conducit; nam id efficit coelestis spiritus per sacrum sermonem; sed ad cognoscendum [2]) sermonem sacrarum litterarum Graecis litteris opus est; deinde ut de sermone rectius iudicemus, et ut dogmata religionis enarrare et explicare, quoties poscit hoc publicus usus, possimus, varie subigendum est *ingenium*, et omnibus disciplinis excolendum. Nam ut neglectis filix innascitur agris, ita in ingeniis, nisi repurgentur elegantiore litteratura, velut inutiles herbae natae vim mentis omnem strangulant et enecant, ne aut pervidere res obscuras, aut publicare, et in apertam [3]) lucem proferre queant. Magna quaedam virtus est eloquentia, et, ut ille in tragoedia dixit, rerum domina [3a]), quo de obscuris rebus ordine ac dilucide dicamus. Ea nemini sine magno usu earum artium, quae humanitatis appellatione continentur, variaque exercitatione contingit. Haec mea ratio est, cur has artes profuturas etiam studiis religionis existimem, qua de re non dicam hic longius, ne videar *δὶς κράμβην* [4]), quod dicunt, adferre, cum alias hanc causam egerim. Vos autem, quantum possum, hortor, ut, quemadmodum initio dixi, constituatis ipsi vobiscum, quem fructum ex studiis petere vos conveniat, et ut eam ratio-

96) Hesiodici] sic omnes illae Editt., praeter Editt. 1564. L., 1569., 1581., quae habent: Hesiodi.

97) φυσικὴ] sic omnes Editt., praeter Ed. 1564. L., ubi legitur *φυσικὰ*, et Ed. 1557., quae exhibet: physica.

98) nolle] sic Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1564. L., 1581., 1591., 1601., 1623., 1662.; Editt. 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1569., 1570., 1585., 1587., 1615., s. a.: velle.

99) Fab: Quintil. Instit. orat. X, 1, 52.

100) Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. in margin. adscripta sunt: Quid conducant haec ad pietatem.

1) imbuendamque] sic Editt. 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1585., 1591., 1601., 1615., 1623., 1662., s. a.; Editt. 1541., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1587. imbuendaque.

2) cognoscendum] sic omnes illae Editt. excepta Ed. 1564. L., quae habet: agnoscendum.

3) apertam] Editt. 1541. B., 1541. F. errore typogr.: apertum.

3a) Hoc est dictum Euripidis in Hecuba 816. Ed. Barnes. et Ed. stereot. Lips. (775. Ed. Bothe.): *Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην.*

4) De proverbio: *Δὶς κράμβη θάνατος*, Crambe bis posita mors, conf. Erasmi Adag. chil. I. cent. V. prov. 38.

nem studiorum ingrediamini, unde plurimum utilitatis ad vos privatim et ad rempublicam redit.

Est aliquid, quo tendis, (inquit Persius[5])) et in quod
dirigis arcum,
An passim corvos sequeris[6]) testaque lutoque,
Securus quo pes ferat atque ex tempore vivis.

Ita mihi multi, postquam bonam vitae partem in studiis consumpserunt[7]), nondum expendisse videntur, quid agant, aut qua in re collocent laborem, quam messem a studiis expectent, ea vero non simplex insania est, atque, ut, dum diu didicere, nihilo certius de religione deque aliis rebus iudicent, quam vulgus, et si quando respublica vocem vel consilium eorum flagitat, tum vero magis muti sunt quam pisces. Verum ut viator primum constituet, quo habeat iter, ita nobis[8]) in studiis ante omnia erat de fructu studiorum deliberandum, postea ineunda ratio compendiaria peragendae fabulae. Ita cognoscendi legendique sunt[9]) scriptores omnes, ut de religione deque natura teneamus certum quiddam, quod promamus, quoties usus vitae poscit, et paranda est copia sermonis, qua possis, cum aliqua res controvertitur, explicare animi sensa. Hunc putate scopum studiorum vestrorum propositum esse, ad quem omnes cogitationes animorum vestrorum dirigatis. Dixi[10]).

5) Persii satira III, 60—63.

6) corvos sequeris] sic illae Editt.; Persii sat. Ed. Koenig.: sequeris corvos.

7) consumpserunt] sic omnes illae Editt., exceptis Editt. *1541. B.*, 1557., 1564. L., 1591., quae habent: consumserint. — Huic loco in Editt. 1559., 1564. A., 1570., 1587. adscripta est nota margin.: Finis studiorum certus proponendus.

8) nobis] sic illae Editt. omnes, praeter Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1564. L., 1591., in quibus legitur: vobis.

9) sunt] sic Editt. 1541. B., 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591., 1601., 1623., 1662.; in Editt. 1541. A., 1544., 1559., 1564. A., 1570., 1585., 1587., 1615., s. a. deest.

10) Dixi] sic omnes illae Editt., exceptis Editt. 1623., 1662., in quibus deest.

2. PROLEGOMENA.

Haec prolegomena, in quibus Melanthon poetae occasionem scribendi et argumenta librorum huius poematis proponit, inter eas commentarii editiones, quae mihi ad manus sunt, in his septem tantummodo inveniuntur: in Edit. 1532. (in qua enarrationi praefixa sunt), 1541. B., 1541. F., 1557., 1564. L., 1569., 1581., 1591. (in quibus praefationi adiuncta sunt).

Occasio poetae scribendi et argumenta librorum[1]).

Cum in enarrandis autoribus consilium scriptoris, et argumentum operis inprimis observari debeat, videamus nos quoque, quo consilio hoc poema ab Hesiodo conscriptum sit. Apparet vero Hesiodum suis populis, apud quos vixit, hoc poema composuisse, ut videlicet illis, recte vivendo, rationem aliquam, et tanquam leges civilioris et honestioris vitae praescriberet. In primo enim libro hortatur ad iustitiam colendam, traditque praecepta ad vitam praeclare instituendam, utilia et necessaria. In secundo autem libro[2]) agriculturae rationem describit, et monet esse laborandum. Nam otium saepe multorum malorum causa existere solet, et vix fieri potest, ut otiosi ab iniuriis abstineant. Itaque non tantum iustitiae, sed etiam laborandi praecepta tradenda existimavit Hesiodus. Est vero ibi complexus pulcherrimam temporis descriptionem, et totius fere anni dimensionem. Multa physica et astronomica, de tempestatibus, de ortu[3]) et occasu siderum[4]), aliisque rebus dignissimis cognitione adiunxit, quae quidem omnia imitatus est Virgilius in Georgicis[5]). Atque ob hanc causam non vulgare operae pretium eos esse facturos arbitror, qui, quae hoc loco apud Hesiodum traduntur, diligenter cum Virgilii locis contulerint[6]).

1) Sic haec prolegomena in illis 7 Editt. inscripta sunt.

2) De hac poematis partitione in Editt. recentioribus inusitata supra p. 165 sqq. diximus.

3) ortu] Ed. 1557. errore typogr.: ontu.

4) siderum] Ed. 1541. B. syderium.

5) Conf. Virgilius collatione scriptorum Graecorum illustratus opera et industria Fulvii Ursini. Antverpiae 1568. 8.

6) Atque ob hanc causam — contulerint.] haec desunt in Ed. 1532.

Traduntur autem haec, non eam tantum ob causam, ut arandi atque serendi idonea tempora noscamus et observemus, verum etiam, quia propter multa civilia officia certam anni et temporum descriptionem tenere oportet.

Porro Hesiodus videtur occasionem scribendi huius operis accepisse a fratris sui Persae iniuriis, a quo in divisione haereditatis suae fuerat defraudatus. Itaque sub istius persona omnes ad aequitatem et iustitiam hortatur. Sic enim inquit[7]:

Ὦ Πέρση, σὺ δὲ ταῦτα μετὰ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν[8]),
καί νυ δίκης ἐπάκουε, βίης δ' ἐπιλήθεο πάμπαν.
τὸν δὲ[9]) *γὰρ ἀνθρώποισι νόμον* etc.

Et alibi[10]):

Ὦ βασιλεῖς, ὑμεῖς δὲ καταφράζεσθε καὶ αὐτοὶ
τήνδε δίκην· ἐγγὺς γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἔοντες[11])
ἀθάνατοι λεύσουσιν[12]) etc.[13]).

7) Hesiod. Opp. et D. 274—276. (Editt. antiquior. et Gaisford. 272—274., Ed. Brunck. 250—252.).
8) *σῇσιν*] sic illae 7 Editt. et Gaisford.; Hesiod. Editt. Brunck., Goettling., Dübner. *σῇσι*.
9) *τὸν δὲ*] sic illae 7 Editt.; Hesiod. Editt. Brunck., Gaisford., Goettling., Dübn. *τόνδε*.
10) Hesiod. Opp. et D. 248—250. (Editt. antiquior. et Gaisford. 246—248., Ed. Brunck. 231—233.).
11) *ἔοντες*] sic illae 7 Editt.; Editt. Brunck., Gaisford., Goettling., Dübn. *ἐόντες*.
12) *λεύσουσιν*] sic vel *λεύσσουσιν* illae 7 Editt., Editt. Brunck., Gaisford. et al.; Editt. Goettl., Dübner. *φράζονται*.
13) Sic enim inquit — *λεύσουσιν* etc.] haec in Ed. 1532. desunt.

Caeterum fuit poeta Hesiodus sacerdos templi Musarum in Helicone monte Boeotiae et in Ascra pago, sita[14]) ad radicem eius montis, vixit. Scribit autem Pausanias[15]), suis temporibus Ascrae nihil nisi unam quandam turrim extitisse, seque Hesiodi opera insculpta in plumbo in Helicone vidisse. Item fuit posterior Homero centum annis Hesiodus, ut scripsit Suidas[16]), nec Ciceroni[17]) improbatur fuisse posteriorem. Totum opus *παραινετικὸν* est et morale, praesertim in primo libro. Et soliti erant Graeci hunc poetam ediscere, quemadmodum pueri nostri certas preces ediscunt. Quare aequum, ut studiosa iuventus, cum propter linguae cognitionem, tum civilia praecepta, ad vitam praeclare instituendam, cum primis utilia et necessaria, hunc poetam maxime amet, diligentissime legat ediscatque.

14) sita] sic Editt. 1564. F., 1569., 1581.; Editt. 1532., 1541. B., 1541. F. sitam; Ed. 1557. sito.
15) Pausan. IX, 31.
16) Suidas s. v. *Ἡσίοδος*: — *ἦν δὲ Ὁμήρου κατά τινας πρεσβύτερος, κατὰ δὲ ἄλλους σύγχρονος. Πορφύριος καὶ ἄλλοι πλεῖστοι νεώτερον ἑκατὸν ἐνιαυτοῖς ὁρίζουσιν· ὡς λβ' μόνους ἐνιαυτοὺς συμπροτερεῖν τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος.*
17) Cic. Cato. 15, 54.: Homerus qui multis ante Hesiodum seculis fuit. — Conf. Bernhardy: Grundriſs der Griech. Litt. P. II. p. 156—158.; Pauly: Real-Encycl. d. class. Alterth. III. p. 1268 sq.

8. IN HESIODI OPERA ET DIES ENARRATIONES PHILIPPI MELANTHONIS [1]).

Ex iis, quae supra p. 165 sq. diximus, intelligitur, huius enarrationis duodecim editiones in nostris manibus esse, videlicet hasce: Editt. 1532., 1541. B., 1541. F., 1557., 1562., 1564. L., 1569., 1581., 1591., 1601., 1623., 1662. — Editionem 1564. L. in hac enarratione solo annorum numero, sine littera apposita, significabimus, quoniam causa huius litterae in praefatione appositae, qua ab altera eiusdem anni distinguatur, in hac parte deest.

In Hesiodi Operum librum I.

Vers 1[2]). *Μοῦσαι Πιερίηθεν* etc.] Continet invocationem, quae cum laude Iovis coniuncta est. Precatur enim Musas, ut Iovem celebrent, ne statim in initio parum religiose Iovem

1) Sic in Ed. 1562. hic commentarius inscriptus est; in Ed. 1532. In Hesiodi Libros de Opere et Die, Enarrationes Phil. Melanch.; in Editt. 1601., 1623., 1662. Philippi Melanchthonis enarrationes luculentae in *Ἔργα καὶ ἡμέρας* Hesiodi; in Ed. 1541. B. Philippi Melanchthonis in Hesiodum enarratio; in Editt. 1581., 1591. Enarratio in Hesiodum, Philippi Melanchthonis; Editt. 1541. F., 1557., 1564., 1569. inscriptione h. l. carent.

2) Versuum numeros, quibus editiones 1532—1601. carent, [in Editt. 1623., 1662. numeri versuum et in textu et in hoc commentario sunt adscripti;] secundum Editt. Goettling. (Gothae et Erford. 1831. 8.) et Dübn. (Parisiis 1840. 8 mai.) adscripsimus, quibus inde a v. 1[illegible] aeque ac hi editores fecerunt, antiquiorum Editt. et [illegible] Gaisford. numeros diversos uncis inclusos adiecimus. [illegible] inde a v. 120., ubi in Editt. Goettl. et Dübn. inter v[illegible] *ἤσυχοι ἔργ'* etc. et *αὐτὰρ ἐπειδὴ* etc. versus *ἀφνειοὶ* [illegible] *λοισι, φίλοι μακάρεσσι θεοῖσι.* insertus est, usque ad v. 1[illegible] in antiquioribus Editt. et Ed. Gaisford. versuum numer[illegible] uno minor, et inde a v. 169., ubi in illis duabus inter v[illegible] *Ζεὺς Κρονίδης* etc. et *καὶ τοὶ* etc. iterum versus *τηλοῦ ἀ*[illegible] *ἀθανάτων· τοῖσιν Κρόνος ἐμβασιλεύει.* additus est. [illegible] Editt. antiquioribus et Ed. Gaisford. versuum numer[illegible]

compellare videretur. Postea tanquam placatum iam laudibus Musarum et ipsum invocat, precaturque, ut respiciat res humanas, et det mentem meliorem fratri. Et familiare est poetis invocationi encomium adiicere, quemadmodum Virgilius[3]);

Teque adeo quem mox quae sit habitura Deorum.

Musae a Graeco verbo[4]) *Μῶσαι* dictae sunt, quod proprie inquirere est, dichten[5]). Deinde per prosopopoeiam Deam quandam significat. *θεν*] Nota est adverbiorum[6]) de loco.

v. 2. *Δί'*[7])] Expletiva est.] *ὑμνείουσαι*] Id est, celebrantes, est activae significationis, quamquam aliqui neutraliter exponant: quae estis celebres aut inclytae. Graeci vero active exponunt. Utitur Hesiodus et alibi in Theogonia[8]), et Homerus in Hymnis[9]).

v. 3. *Ὄντε διὰ βροτοὶ* etc.] Repititio est, constans distributione rhetorica. Enumerat enim pias quasdam sententias de Deo, quae praeterquam quod natura insitae sunt sanis hominibus, tamen poetae retinuerunt honestos veterum sermones, quos dubio procul a filiis Noë et aliis patribus acceperunt, licet religionem et mores non item servaverint. Et constat Hesiodum ex vetustissimis fuisse, quo tempore nondum a philosophis hae patrum sententiae fuerant depravatae. Iam quid de Deo potuit sanctius dici, quam quod hoc loco dictum est ab Hesiodo, etiamsi vim religionis non noverat? Sic enim et nos in Cantico[10]): Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Et Aesopus cum rogaretur, quid ageret Deus: Sublimes, inquit, detrudit, et humiles elevat. Atque hoc Deo proprium est; neque enim potest pati superbos *φαντάζεσθαι* et omnia pro libidine agere.

v. 4. *ἕκητι*] adverbium ab *ἕκων* volens.

v. 3. 4. *φατοί τε· ῥητοί τ'*[11])] *φατὸς καὶ ῥητὸς* differunt perinde ut Latinis loquor et dico. Est enim *φατὸς*: de quo magna fama est.

v. 5. *ῥέα*[12])] *ῥα* est scandendum pro *ῥεῖα*. Nam brevis absorbet longam. Sic dixit Virgilius alvaria pro alvearia[13]).

v. 6. *ἀρίζηλον* eum vocant, qui dignus est aemulatione atque[14]) imitatione.

v. 7. *κάρφει*] Elegans metaphora est in hoc verbo, quod *ξηραίνει*, id est, desiccat significat, et *κάρφος*, siccum. arefactum et fissum lignum, ein span. Hac voce poeta subitam ruinam elatae mentis indicat.

v. 8. 9. *Ζεὺς ὑψιβρεμέτης....κλῦθι*] *Ἀποστροφὴ*[15]) est ad Iovem, qua precatur, ut se iuvet in Perse[16]) docendo. Sunt enim duae precationes in hoc exordio, quarum prior ad Musas, posterior ad Iovem instituta est. *Θέμιστας*[17])] praecepta sunt[17a]) de moribus.

v. 10. *Ἐγὼ δέ κε Πέρσῃ*[18])] Propositio est: Ego Persae consulam optima. *Τύνη*[19])] Iam *τύνη* potentialis particula ad *μυθησαίμην* referenda est, quasi dicat: Tum vera dixero fratri meo, ubi tu leges gubernaveris Iupiter, et adfueris mihi praescribenti praecepta de moribus. *Ἐτήτυμα*] pro *ἔτυμα* posuit, certa; significat enim *ἔτυμον* certum quiddam, inde *ἐτυμολογία*, quae docet, quid quaevis vox certo significet.

v. 11. *Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην*] Narratio. Orditur a generali sententia ad specialem per dis-

usque ad huius poematis finem duobus minor est quam in illis recentt. Editt. Multo magis versuum numerus Brunckianae editionis (*Ηθικη Ποιησις* sive Gnomici Poetae Graeci. Ad optimorum exemplarium fidem emendavit R. Fr. Ph. Brunck. Argentorati 1784. 8. min. p. 150—177. *Ησιοδου εργα και ημεραι*) ab illis recentt. differt; in hac enim 55 versus omissi sunt. Quamobrem hoc poema in Editt. Goettl. et Dübn. 828 versus, in Editt. antiquioribus et Gaisford. 826, in Ed. Brunckiana vero 773 continet.

3) Virg. Georg. I, 24.

4) verbo] in Editt. 1623., 1662. deest.

5) *Μοῦσα*, Dorice *Μῶσα* a verbo *μάω*, inquiro, excogito, derivatur etiam a Passovio.

6) adverbiorum] Ed. 1557. errore typogr.: adverbium.

7) *Δί'*] sic in textu Hesiodi legitur; Editt. 1532., 1541., 1562—1591. in hoc commentario integram formam *Δία* exhibent.

8) Theogonia] Editt. 1532., 1541. Theogenia. — Verbum *ὑμνέω* invenitur in hoc poemate v. 11. 33.

9) Illud verbum, quod in Hom. Il. et Od. non reperitur, in hisce Hymnorum locis legitur: II, 19. 158. 178, 190. 207. III, 1. VIII, 1. XIII, 2. XVIII, 27. XXVI, 19. XXX, 1.

10) In Cantico Mariae, Luc. I, 52.

11) Haec Hesiodi verba huic annotationi ipse praefixi.

12) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

13) Virg. Georg. IV, 34.

14) atque] sic omnes illae Editt., excepta Ed. 1541. B., ubi legitur: et.

15) *Ἀποστροφή*] sic Editt. 1532., 1541. B.; ceterae Editt.: Apostrophe.

16) Perse] Ed. 1532. errore typogr.: Persae.

17) *θέμιστας*] sic in textu legitur; Editt. 1532., 1541., 1562. in hoc comm. *θέμιστες*.

17a) sunt] in Editt. 1601 — 1662. omiss.

18) *Ἐγὼ δέ κε Πέρσῃ*] sic illae Editt. omnes in textu, in hoc autem commentario Editt. 1532 — 1591. pro *δέ κε* habent *δὲ καὶ*; Editt. Gaisf., Goettl., Dübn. *ἐγὼ δέ κε*, *Πέρση* (Vocat.).

19) Hanc Hes. vocem ipse adscripsi.

tributionem, et commemorat duplicem esse rationem rei familiaris augendae, alteram honestam, cum labore, industria et diligentia rem facimus; alteram turpem, cum per iniuriam et scelus cumulantur opes. Et quia in omni oratione ex aliqua occasione, ex facto aliquo, narrationes trahuntur, Hesiodo etiam occasionem praebuere fratris iniuriae. Itaque a litibus orditur. Sed ut gratiorem faciat orationem, non dicit simpliciter, alios per iniuriam ac lites quaerere pecuniam, alios industria ac labore, sed nomen litis transtulit etiam per metaphoram ad[20]) honestam artem, et duplicem contentionem esse dicit, alteram vituperandam, alteram dignam laude, ubi aliquis contendat cum aliis industria. Haec paronomasia multo venustiorem orationem facit. Saepe enim ad vicinas virtutes nomina vitiorum transferimus, aut econtra, ut cum pro sordido frugalem dicimus, pro prodigo liberalem etc. Submonet autem hoc poeta nos in omni genere laboris, non tantum aliorum exemplis accendi, sed etiam iuvari. Ideoque hanc contentionem tantopere probat, quia, si solus aliquid agas, erit infelix labor, frequentia autem iuvat. Sicut, si quis solus pingat, nunquam efficere tantum poterit, quantum efficeret, si aliorum exemplis adiuvaretur. Inde nata sunt ista: Unus vir nullus vir[21]). Et illud apud Homerum Iliados *κ.*[22]) *Σύν τε δύ' ἐρχομένω* etc. Et Cicero[23]) scribit discendo *συζήτησιν* vel primas partes tenere, hoc est, habere aliquem, quicum conferas, de quibus rebus velis, et versari in quadam frequentia discentium, ubi a multis de variis rebus admoneri possis. Sicut Ovidius ait de Ponto:

Scilicet ingeniis aliqua est concordia iunctis,
Et servat studii foedera quisque sui[24]).
Utque meis numeris tua dat facundia nervos,
Sic redit a nobis in tua verba nitor[25]).

v. 15. *Οὔτις τήν γε φιλεῖ βροτὸς* etc.] Sentit fato quodam concitari homines ad hoc genus contentionum. Nemo enim est, qui amat iniustitiam, licet et ratio reclamet, tamen sequimur. Viderunt nimirum prudentes viri, quid esset in natura hominis. Quare et Plato recte indicavit, cum ait rationem aurigam esse, equos esse affectus, qui et currum et aurigam rapiunt.

v. 17. *Νὺξ ἐρεβεννή.*] Per noctem incomprehensibilem quandam aeternitatem rerum intelligit.

v. 20. *ἀπάλαμνον*[26])] inertem significat, quasi dicas: sine manu, aut qui manus nulli operi admovet. *παλάμη* enim manum et opus ipsum apud Graecos significat.

v. 27. *Ὦ Πέρση, σὺ δὲ ταῦτα τεῷ* etc.] Subiecit exhortationem: Ergo tu amplectere contentionem honestiorem, non illam turpem. Est vero magna simplicitas, magna suavitas huius loci, et sic finis est honestae contentionis, nunc turpem describit. Et quia malum *contentionis* genus est, et turpe alteri invidere, omnibus modis fugiendum esse monet, addita dehortatione[27]), ut ne[28]) in mentem quidem veniat fratri velle in foro rixari, et malis artibus ditescere. Ratio est, quod infeliciter versatur circa conciones forenses, cui singulis temporibus sui proventus non adfuerint; nam hoc *ὡραῖος* significat.

v. 33. *Τοῦ κε κορεσσάμενος νείκεα*] Concessio ironica est: Quando ditatus es et abundas iam re familiari, nec animus a malo revocari potest, age, per me licebit, litiges quam diu voles. Et quamquam melius est litigare quam rapere, tamen mecum litigare non poteris, cum de meo nihil amplius rapere possis[29]), et res iam sit transacta.

v. 36. *αἵ τ' ἐκ Διός εἰσιν ἄρισται.*] Ita enim scripserunt sapientes viri, esse animis nostris innatam rationem aequi et boni.

v. 39. *Δωροφάγους*[30])] Donivoros, elegans epitheton est. Vocat autem reges praefe-

20) ad] Ed. 1541. B. errore typogr.: ac.

21) De hoc proverbio conf. Erasmi Adag. chil. I. cent. V. prov. 40.

22) Iliados *κ.*] sic recte omnes Editt. illae, praeter Editt. 1541. F., 1557., quae habent: Il. *η.* Legitur enim hic versus Hom. Il. X, 224.

23) Cic. ad Famil. XVI, 21.

24) Ovid. Epist. ex Ponto II, 5, 59. 60.

25) Ibid. II, 5, 69. 70.

26) *ἀπάλαμνον*] sic illae Editt. omnes; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. *ἀπάλαμον*.

27) dehortatione] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562., 1564., 1569., 1581., 1591.; Editt. 1541. F., 1557., 1601., 1623., 1662. hortatione.

28) ut ne] sic Editt. 1532., 1562—1591.; Editt. 1541., 1557., 1601—1662. ne.

29) possis] Ed. 1541. B. errore typogr.: possit.

30) *Δωροφάγους*] Ed. 1532. male: *Δοροφάγους*.

ctos singularum urbium, quemadmodum et Homerus. Quod autem munera facile quaevis expugnent, etiam Ovidius sensisse videtur, dum ait[31]):

Munera, crede mihi, placant[32]) hominesque Deosque,
Placatur donis Iuppiter ipse datis.

v. 40. *Νήπιοι οὐδὲ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς*] Epiphonema est superioris sententiae. Nam cum reprehendisset fratris avaritiam et rapacitatem, adiicit exclamationem: O stultos mortales, qui nesciunt satius esse modicas facultates iure partas habere, quam magnas opes scelere et iniuriis quaesitas! Et generaliter mediocritatem nobis commendavit hoc epiphonemate. Solet autem Hesiodus apologis, aenigmatis, allegoriis, et huiusmodi aliis figuris prae reliquis poetis libenter uti, quia figurate dicta acrius feriunt aures atque animum. Ideo et hic figurate mediocritatem laudat, cum ait: Dimidium plus esse toto, cum nihil aliud, autore Platone[34]) in Gorgia, et in libris de republica dicere velit, quam mediocritatem conservandam esse. Ut si quis dicat: Satius esse dimidio cibi uti, quam immodico cibo onerare stomachum. Sic satius est dimidium facultatum habere, quam ingentes opes, quae sine periculo retineri non possunt. Sic in moribus satius est esse cunctatiorem et timidiorem, quam esse supra modum audacem. Ad hunc modum de mediocritate praecipit et Horatius[35]):

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Sic Hesiodus hoc loco totum vocat id, quod est supervacaneum et superfluum, dimidium vocat mediocritatem. Et hanc quidem sententiam confirmat etiam sequens versus, qui plane oeconomicus est. Monet enim modicis facultatibus scienter et cum ratione quadam utendum esse, ita futurum esse, ut in angusta re familiari commodius vivas, quam alii in magnis opibus, quorum plerique sunt obaerati, aut sordidi, denique qui suis fortunis ipsi minime omnium fruuntur. Itaque et Virgilius ait[36]):

Laudato ingentia rura,
Exiguum colito.

Et de quodam tenui sene, qui tamen diligenter colebat suum hortulum[37]), ait[38]):

Regum aequabat opes animis.

Sed hoc Hesiodi praeceptum late patet: parvas et humiles res praestare magnis. Sic praestat vita tranquilla privatorum, regum vitae, sicut ille[39]) dicit:

Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo.

Saepe contemptae res plus utilitatis adferunt, quam ea, quae plurimi fiunt, ut Grammatica.

v. 41. *ἐν μαλάχῃ.*] Numerant malvam inter saluberrimas herbas, et inter eas, quae principatum in medicina veteri habuerunt; facit enim alvum bonam, et utiliter humectat. Plinius[40]) ait, adversus omnes morbos praesidium esse, si quis quotidie dimidium cyathum ex ea sorbeat. A molliendo nomen habet, pappel. Asphodelo in cibis usi sunt et veteres cum ficis; sed nunc tantum eius in medicina usus est, ad scabiem cum primis utilis. Latini albucum et hastulam vocant[41]), goldtwurtzel. Gellius sese hic praeter rem torquet.

v. 42. *Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι.*] Priusquam tradat praecepta, longam narrationem hic inseruit, in qua causam exponit, cur difficilius sit victum parare hoc tempore quam antea. Et longam quandam fabulam fingit: Iovem iratum misisse in terras Pandoram, quae tum[42]) id mali, tum omnes alias aerumnas secum attulerit. Est autem Pandora voluptas. Luxuria enim nunc[43]) multis rebus opus habet, augetque quotidie sumptus. Neque id modo ad-

31) Ovid. Art. amat. III, 653. 654.

32) placant] sic illae Editt. omnes; Ovid. Ed. Bipont.: capiunt.

33) οὐδὲ] sic Editt. 1532., 1541., 1562. in hoc commentar. et Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. in textu, in quo illae Editt. antiquiores omnes habent: οὐδ', Editt. 1557., 1564—1662. hoc etiam in comment. exhibent.

34) Plato de republ. V. (Opp. Ed. Steph. T. II. p. 466, c. — Ed. Bipont. Vol. VII. p. 38.) et de legg. III. (Opp. Ed. Steph. II. p. 690, e. — Ed. Bip. VIII. p. 134.) hoc Hesiodi dictum laudat.

35) Horat. Serm. I, 1, 106. 107.

36) Virg. Georg. II, 412. 413.

37) hortulum] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562.; Editt. 1541. F., 1557., 1564—1662. hortum.

38) Virg. Georg. IV, 132.

39) Horat. Epist. I, 7, 58.

40) Plin. Nat. Hist. l. XX. c. 84. Ed. Franz. (c. 21. antiquiorum Editt.).

41) Plin. l. l. XXI. c. 68. Ed. Franz. (c. 17. antiq. Editt.).

42) tum] sic omnes illae Editt. excepta Ed. 1557., quae habet: cum.

43) nunc] sic Ed. 1532.; in ceteris Editt. deest.

fert incommodi, sed etiam omnis generis morbos gignit. Sicut Horatius ait[44]):

Vides, ut pallidus omnis
Coena desurgat dubia; cum[45]) corpus onustum[46])
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una,
Atque affigit humo divinae particulam aurae.

M. Cicero in quinto libro Tusculanarum quaestionum[47]) docet, Promethea magnum quendam virum fuisse, in sapientiae studio versatum, item abditas et arcanas res in natura hominibus ostendisse. Hinc intelligi fabula potest: Iovem iratum ignem abdidisse. Veritas enim latet, seu, ut scribit Cicero[48]) Democritum dixisse, penitus abstrusa est in natura. Sed cum ostendisset Prometheus hominibus recta et honesta, tamen[49]) misit Iupiter Pandoram, hoc est, voluptatem, quae non sinit nos recta, etiam quae iam cognovimus, sequi. Ut apud Ovidium in Medea[50]):

Video meliora, proboque;
Deteriora sequor.

Nomen Prometheus significat deliberantem ante factum; Epimetheus deliberantem post factum. Itaque Prometheus vetat recipere voluptatem, hoc est, vel sapiens aliquis monitor, vel ipsa ratio. Epimetheus vero, hoc est, stultus, seu sensus non auscultans rationi, non obtemperat monitis; itaque noxiam voluptatem incautus recipit; sed sero recepisse poenitet. Est enim eventus stultorum magister. Et quemadmodum ictus piscator sapit, sic nos sero videmus, quantum mali nobis attulerint voluptates. Sicut et Horatius monet[51]):

Sperne voluptates; nocet empta dolore voluptas.

Est autem et forma narrationis observanda, quae quidem et fusior est, et valde molles versiculos habet, ordine exponens, primum, Promethea ignem furatum esse; deinde Pandoram factam, et in eo opificio longius commoratur; tertio missam esse Pandoram in has sedes; quarto receptam ab Epimetheo. Quinto numerat mala, quae secum attulit. Porro, ut hoc quoque obiter admoneam, non est semper in fabulis ratio quaerenda; sed satis sit aliquousque deprehendisse, quid significare poeta voluerit. Nam sicut in pictura rationes non semper sunt quaerendae, cur arborem sic pinxerit, cum aliquis montem pingere potuerit: ita nec in expositionibus fabularum ad amussim omnia sunt rimanda. Quod autem spes remansit in pixide, significat neminem tam desperatis rebus esse, quin aliquando speret. Unde etiam proverbium: Aegroto, dum vivit, spes est[52]). Nam quantumvis sint durae res, tamen spe levatur animus. Unde homines nati durum genus. Nam nulla est bestia, quae tantum perpetiatur, quantum homo. Euripides venustissime dixit, *οἰστέον καὶ ἐλπιστέον*[53]), id est, ferendum et sperandum.

v. 43. *Ῥηϊδίως γάρ κεν.*] Ad mores communes pertinet hoc, et respicit illuc[54]), quod vulgo[55]) dici solet: Quondam facile victus parabatur, olim erant modesti. Nam credo poetam voluisse significare cupiditatibus et vitiis difficiliorem vivendi rationem factam esse.

v. 48. *ἀγκυλομήτης.*] Qui vafer et astutus est, quod astuti obliqua consilia inveniant, et non meditentur vulgari ratione. *ἄγκυλον* enim, quod curvum et obliquum est, significat.

v. 58. *ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.*] Ita fere nobiscum agitur, atque ea est conditio rerum humanarum. Omnes errore tenemur atque illo delectamur. Ita sumus stulti, ut illae ipsae cupiditates, quae omnis generis mala secum trahunt, nos delectent.

v. 60. *Ἥφαιστον δ' ἐκέλευσε.*] Distributio est, ut oratio fiat copiosior; enumerat enim, quomodo Pandora sit condita, et quomodo singuli Dii in hanc mulierem aliquid contulerint; et significat poeta non unum esse genus voluptatis, quemadmodum ille[56]) ait:

Nemo repente fuit turpissimus. Accipient te
Paulatim.

---

44) Horat. Serm. II, 2, 76—79.

45) dubia, cum] sic illae Editt. omnes; Horat. Editt. Bentl., Doering. et Braunhard.: dubia? quin.

46) Editt. 1532—1591. tantum hos duos versus habent addito: etc.; Editt. 1601—1662. autem duos etiam sequentes exhibent.

47) Cic. Tusc. Quaest. V, 3, 8.

48) Cic. Acad. I, 12, 44. II, 10, 34.

49) tamen] sic Editt. 1532., 1541., 1562.; Editt. 1557., 1564—1662, tum.

50) Ovid. Metam. VII, 20. 21.

51) Horat. Epist. I, 2, 55.

52) De hoc proverbio conf. Erasmi Adag. chil. II. cent. IV. prov. 12.

53) Haec verba sic coniuncta in Euripidis tragoed. non inveni; *οἰστέον* legitur Orest. 767., Alcest. 742., Helen. 275., Ion 1260.

54) illuc] sic Editt. 1532., 1541., 1562., 1564., 1581.; Editt. 1591—1662. illud; Ed. 1557. ad hoc.

55) vulgo] Ed. 1557. errore typogr. vulgi.

56) Iuvenal. Sat. 2, 83. 84.

v. 66. *πόθον*] desiderium vehemens, id est, ut ametur vehementer. *γυιοκόρους.*] Ad satietatem usque arrodentes membra, deducunt a *γυῖον* et *κόρος.* Poterit autem hic locus copiae exemplo esse, cum sit simplex quaedam ubertas in hoc carmine, et oratio per gradus quosdam ascendat.

v. 67. *Ἐν δὲ θέμεν κύνεόν τε νόον.*] Impudentiam intelligit. Sic enim videtur in hominibus coopertis, et obrutis voluptatibus, quos nihil pudet. Nulla sunt flagitia tanta, quae non impune ipsis licere arbitrantur. Neminem metuunt, neque Deos, neque homines, non fas, non pietatem ullam curant. Leges vero, ad quas omnes ex aequo vivere par est, non pluris faciunt quam muscam elephantus Indicus. In summa, caninam impudentiam retinent, nec ullam honestatem spectant. Hanc impudentiam apud Homerum *in primo* Iliados[57]) exprobrat Agamemnoni *Achilles*, dum ait:

Οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

v. 68. *Ἑρμείην*[58]) *ἤνωγε*] Mercurium finxerunt nuntium Deorum, quod eius motus sit maxime admirabilis, et quod eius varia ratio sit in genituris[58a]).

v. 73. *καὶ πότνια Πειθώ*] Eloquentiae Dea est, quam Graeci peculiari templo et ceremoniis colebant. Horatius[59]):

Et[60]) bene nummatum decorat Suadela Venusque.

v. 82. *Δῶρον*[61]) *ἐδώρησαν, πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν.*] *Ἀλφηστὰς* indagatores exponunt; sed id accipiendum est in malam partem pro curiosis, quia sic sunt hominum ingenia, ut praesentia fastidiant, cupiant et adfectent alia. Sicut et pisces *ἀλφηστὰς* vocant, quia statim adnatare solent, si quid abieceris in piscinam. Porro gravissime ista curiositas reprehenditur apud Horatium Epistolarum libro primo[62]):

Optat ephippia bos, piger optat arare caballus.

57) Hom. Il. I, 225.

58) *Ἑρμείην*] sic Editt. 1541 — 1662. et Editt. Brunck., Gaisf.; Editt. Goettl., Dübn. *Ἑρμείαν*; Ed. 1532. in comment. errore typogr.: *Ἑρμήειν*, in textu autem *Ἑρμείην*.

58a) Hoc scholion in illis Editt. ante praecedens positum est.

59) Horat. Epist. I, 6, 38.

60) Et] sic illae Editt. omnes; Editt. Bentl., Doering., Braunh.: Ac.

61) *Δῶρον*] Ed. 1532. in hoc comment. errore typogr. *Δῶρων*.

62) Horat. Epist. I, 14, 44.

Et apud Martialem[63]):

Quod sis, esse velis, nihilque malis.

v. 83. *Αὐτὰρ ἐπεὶ δόλον αἰπὺν ἀμήχανον*] Mittitur iam Pandora ad Epimetheum, et recipitur. Sunt enim affectus nostri inexpugnabiles, ita ut iure illum possis fortem virum vocare, qui voluptatem superet. An non videmus maxima bella propter privatos affectus nasci? Ut de tot morborum generibus interim sileam, quos latenter interdiu et noctu sua sponte dicit irrepere. Est autem elegans prosopopoeia, qua fingit morbos obambulare tanquam animantia.

v. 105. *Οὕτως οὔτι*[64]) *που*[65])] Epiphonemate claudit sententiam.

v. 106. *Εἰ δ' ἐθέλεις, ἕτερόν τοι*[66]) *ἐγώ.*] Posteaquam hunc locum absolvit, cur tota hominum vita nunc calamitosior sit, atque olim fuit, aetates iam fingit. Neque aliud hoc commento significat, quam et naturam et mores subinde deteriores fieri. Sicut et Virgilius[67]):

Sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

Porro, quia hanc descriptionem aetatum Latini poetae imitati sunt, proderit hic observare, quomodo sententias Hesiodi expresserint. Nam ea collatio docebit nos, quomodo aut breves sententiae copiosius illustrandae sint, aut longiores sententiae breviter et significanter efferendae. Hesiodus uno versu dixit liberos vixisse, id Ovidius amplificavit ex causis, quia sine legibus[68]), sine iudiciis recte vivebant. Sic enim ait[69]):

Poena metusque aberant, nec verba minantia fixo
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat[70])
Iudicis ora sui; sed erant sine vindice tuti.

Et Virgilius 7. Aeneidos[71]):

Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,
Sponte sua veterisque Dei etc.

63) Martial. Epigr. X, 67, 12.

64) *οὔτι*] sic omnes illae Editt. et Editt. recentiores in textu; in hoc autem comment. Editt. 1532 — 1561. errore typogr.: *ὄντι*.

65) *που*] sic illae Editt. et Ed. Brunck.; Ed. Gaisf. *πῇ*; Editt. Goettl., Dübn. *πη*.

66) *τοι*] sic illae Editt. omnes in textu; in hoc comment. Editt. 1541. F., 1557., 1562. *τι*.

67) Virgilius] Ed. 1557. addit: „ait." — Virg. Georg. I, 199. 200.

68) sine legibus] haec in Ed. 1557. sunt omissa.

69) Ovid. Metam. I, 91—93.

70) timebat] sic illae Editt.; Ovid. Ed. Bipont.: timebant.

71) Virg. Aen. VII, 203. 204.

Item quod ait Hesiodus terram ultro fructum produxisse copiosum, id quoque pluribus versibus amplificavit Ovidius[72]) ex circumstantiis:

Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.

ἐκκορυφώσω[73])] Elegans metaphora est in verbo ἐκκορυφώσω[74]); significat enim κορυφόω accumulo, ἐκκορυφόω tanquam a summo vertice repeto, oben anheben.

v. 115. θαλίῃσι] ἑορταῖς exponunt. Vocant enim θαλίας sacras epulas, ἀπὸ τοῦ θάλλειν, id est, florere. Est autem non vulgare tranquillitatis et pacis encomium, quod dicit in conviviis delectatos fuisse sine omnibus malis, et suaviter omnibus convixisse.

v. 122. (121.) *Τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς*] Quidam dicunt Homerum ita Deum factum, et diu versatum fuisse inter homines. Et recte Cicero 2. de Legibus libro scripsit[75]): Cum omnium animi sint immortales, tum fortium ac bonorum esse divinos.

v. 137. (136.) *Ἡ, θέμις ἀνθρώποισι κατ' ἤθεα*] Veluti dicat iuxta proverbium: *νόμος καὶ χώρα*[76]), vel, sicut consuetum est singulis. Sunt enim alii aliarum gentium mores. Et *ἤθεα*, non mores tantum, sed loca etiam, in quibus consuevimus, significat, ut apud Homerum in fine Iliados ζ.[77]) et Iliados ι.[78]), ubi de apro loquitur. ᾗ particula posita est *ἀντὶ τοῦ καθώς*.

v. 138. (137.) *Ζεὺς Κρονίδης ἔκρυψε* etc.] Significat propter impietatem et neglectam religionem mortuos esse. Et securis hominibus timorem incutere debet, quod semper graves dederint[79]) poenas impietatis, qui non solum irreverenter de Deo senserunt, verum etiam debito honore defraudarunt.

v. 145. (144.) *'Εκ μελιᾶν.*] Fingit natos ex arboribus, ut significet duritiem et feritatem animorum, quia soboles imitatur naturam eorum, a quibus procreata est, ut Virgilius testatur[80]):

Sic canibus catulos similes, sic matribus[81]) hoedos.

Ideo et Dido, cum Aeneae immanitatem tribueret, negat a Diis ortum esse, sed ait[82]):

Duris genuit te in cautibus[82a]) horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.

v. 146. 147. (145 sq.) *Οὐδέ τι σῖτον ἤσθιον*[83])] Non ederunt frumentum, sed primi pecudes laniarunt, et carne vesci coeperunt, quod antea magnum nefas est creditum. Sic enim de bove aratore ait Varro[84]): Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sancierint[84a]), si quis occidisset. Et apud Homerum, cum socii Ulyssis boves Solis mactasse dicuntur[85]), intelligi debent boves aratores, quos violare impietas erat.

v. 147. (146.) *ἀλλ' ἀδάμαντος ἔχον.*] Pulchra descriptio virium corporis est, et volebat significare mirabilem duritiem in illorum *animis* fuisse, quod a civilibus discordiis, quae florentissimas respublicas evertere solent, impias manus non cohibuerint.

v. 156. (155.) *Αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ τοῦτο*] Iam ante dictum est hoc consilio aetatum differentias recenseri, ut describeret poeta, quomodo vitia hominum aucta sint. Adiecit autem tertiae aetati heroicam aetatem, quando Hercules, Iason et alii Argonautae vixerunt, qui propterea heroes et semidei dicebantur, quod naturae communi hominum nonnihil praestabant. Et Aristoteles scite vocavit heroicam virtutem, impetum quendam peculiarem in homine, supra communem hominum captum, sicut in Cicerone maior vis dicendi fuit, quam vulgus caperet, et in Hectore maior fortitudo quam in reliquum vulgus caderet.

v. 161. (160.) *πόλεμός τε κακὸς*] Aptissimum belli epitheton est. Nam si Ciceroni credimus, iniquissima etiam pax iustissimo bello praeferenda est.

---

72) Ovid. Metam. I, 101. 102.

73) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

74) ἐκκορυφώσω] Editt. 1532., 1541., 1562. in hoc comment. male: ἐκκορυφόσω.

75) Cic. de Legg. II, 11, 27.

76) Huic respondet nostrum proverbium: Ländlich, sittlich. Conf. Erasmi Adag. chil. IV. cent. III. prov. 25.: Mores hominum regioni respondent.

77) Hom. Il. VI, 511.

78) Iliados ι.] Ed. 1601. Iliados 1.

79) dederint] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562—1591.; Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662. dederunt.

80) Virg. Eclog. 1, 23.

81) matribus] Editt. 1541. B., 1562. errore typogr.: fratribus.

82) Virg. Aen. IV, 366.

82a) in cautibus] sic illae Editt.; Virg. Ed. Wagner. cautibus.

83) ἤσθιον] Editt. 1541. F., 1557., 1562. in hoc comment. male: ἴσθιον.

84) Varro de re rust. II, 5, 4. Ed. Schneider.

84a) sancierint] sic illae Editt.; Varro Ed. Schneid.: sanxerint.

85) Hom. Od. XII, 352 sqq.

v. 162. (161.) *Τοὺς μὲν ἐφ' ἑπταπύλῳ*] Heroica aetas continet Argonautas, et res gestas ad Theben, et Troianam historiam. Posteriora tantum tempora recenset. Vide de Thebano argumento Statium in 12 libris. Oedipus ille coniector et aenigmatum solutor, ut est in Andria Terentii[86]), duos filios habuit, Eteoclen et Polynicen, qui monomachia decertarunt de regno, cum iam Thebe[87]) erat obsessa[88]). Cadmus vero profectus ex Phoenicia, condidit primum has Thebas septem portarum in Boeotia. Septiportes dictae ad differentiam Thebarum Aegyptiarum, quae centiportes fuere.

v. 163. (162.) *μήλων*[89])] *μῆλα* pecudes, et postea synecdochicῶς opes significant. *Οἰδιπόδαο*[90])] *Οἰδιπόδης, ου, αο*, prima vox est, non patronymicum.

v. 171. (169.) *Ἐν μακάρων νήσοισι* etc.] De *fortunatis* insulis vide Plinium lib. 6. cap. 32.[91]) *et Solinum* in postremo capite[91a]). Sunt autem non procul a Mauritania.

v. 174. (172.) *Μηκέτ' ἔπειτ' ὤφελον*[92]) *ἐγὼ πέμπτοισι.*] Descriptio postremae et ferreae aetatis, quae pessimis praedita moribus est, id quod poeta[93]) voluit, cum ait:

Omne in praecipiti vitium stetit; utere velis.

Maiorum mores senes magis laudant, et recte quidem; nam semper degeneramus, et sic est in natura rerum, ut subinde omnia degenerent. Iam quoque boni viri queruntur de moribus adolescentiae, neque pater filiis similis, neque filii patribus, *παῦροι γάρ τοι παῖδες* etc., ut est apud Homerum[94]). Neque hoc tantum videre est in natura rerum aut in moribus, sed in omnibus rebus. Nam nemo negare potest olim Germanorum corpora fuisse robustiora ac proceriora multo, quam nunc sunt. Item semina a multis accepimus decrevisse, qui dicebant se pueros comperisse, multo maiora et meliora simul olim semina frumentorum et leguminum fuisse quam nunc sunt. Itaque non immerito conqueri Hesiodus videtur, quod in istam postremam aetatem et pessimos hominum mores inciderit. Et si istis melioribus quidem temporibus ad comparationem nostri seculi is rerum status fuit: in quam nos spem reservati simus senescente iam mundo et ingravescentibus hominum vitiis videmus.

v. 178. (176.) *Χαλεπὰς δὲ θεοὶ δώσουσι μερίμνας*] A *μεριμνάω* est, quod curo, sollicitus sum, significat, quemadmodum est in Evangelio[95]): Nolite solliciti esse, quid dicatis coram principibus. Nam sollicitudo et angustia prohibent fidem. Et sollicitum esse, est incredulum esse. Addit tamen mitigationem, et dicit, quod iis miscebuntur bona malis, quasi dicat: et rosa nonnunquam crescet inter spinas.

v. 183. (181.) *Οὐδὲ ξεῖνος ξεινοδόκῳ*] Eleganter hanc sententiam ad verbum fere expressit Ovidius, cum ait[96]):

Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.

Quod autem in decalogo[97]) de honore parentibus exhibendo est, hoc totidem hic fere verbis retulit Hesiodus. Neque dubium est illa ex sermone patrum accepta esse. Adde, quod lex naturae sit, honorare parentes. Est autem difficilius honorare parentes, id est, cedere illis, existimare de illis omnia bona, obedire etc., quam praestare opes. Itaque et promissio addita est: Ut sis longaevus super terram. Athenis capitale fuit *τρεπτήρια* non persolvere parentibus[97a]). Incredibilis quoque amor atque pietas erga senes parentes et volandi impotentes inest ciconiis; solus homo vitiatae naturae vitio renutricandi officium aut nunquam, aut aegre praestat.

v. 189. (187.) *χειροδίκαι*[98])] *χειροδίκας* violentos vocat, et quibus ius est in manibus, breviter, qui neque ius neque leges norunt, cuiusmodi descripsit Ovidius[99]):

Non metuunt leges, sed cedit viribus aequum,
Victaque pugnaci iura sub ense latent[100]).

86) Terent. Andr. 1, 2, 24.

87) Thebe] sic Editt. 1541., 1557., 1562., 1569., 1601 — 1662.; Editt. 1532., 1564., 1581., 1591. Thebae.

88) Hanc rem tractavit Euripides in Phoenissis.

89) Hanc Hes. vocem huic annotationi ipse praefixi.

90) Hanc etiam Hes. vocem ipse huic scholio adscripsi.

91) Plin. Nat. Hist. VI. c. 37. Ed. Franz. (c. 32. antiquior. Editt.).

91a) Solini Memorabil. c. 65.

92) ὤφελον] sic Editt. 1532 — 1569.; Editt. 1581 — 1662. et Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. ὤφειλον.

93) Iuvenal. Sat. 1, 149.

94) Hom. Od. II, 276.

95) Luc. 12, 11.

96) Ovid. Metam. I, 144. 145.

97) Exod. 20, 12.

97a) Petiti legg. Attic. lib. II. tit. IV. §. 14. 15. p. 240 sqq. Ed. Wesseling.

98) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

99) Ovid. Trist. V, 7, 47.

100) latent] sic illae Editt.; Ovid. Ed. Bipont.: iacent.

v. 191. (189.) *ὕβριν* posuit pro *ὑβριστὴν*, substantive pro adiective, quemadmodum et Homerus *ὕβριν ἀνέρα*[1]) pro *ὑβριστὴν ἀνέρα*. Et Latinis poetis scelus pro scelesto admodum familiare est.

v. 195. (193.) *Ζῆλος δ' ἀνθρώποισιν* etc.] Hactenus descripsit in genere mores cuiusque propemodum aetatis. Itaque iam redit ad primam propositionem de litibus, quas multa mala inter homines parere dicit. Posteaquam vero congerie quadam invidiae epitheta enumeravit, fingit Pudorem et Nemesin Deas reliquisse terras, hoc est, neque[2]) pudore bonos absterreri amplius a turpitudine, neque improbos metu vindictae. Nemesis enim indignationem significat, quae ulciscitur malefacta flagitiosorum. Alioqui Nemesis Dea est, quae significat illam fortunae speciem, quae irascitur iis, qui, cum res affluunt, nimis inflantur et insolescunt, quos deinde punit et deiicit rursum. Aristoteles[2a]) posuit inter virtutes illum impetum animi generosi, qui dolet rebus male gestis. Et Graeci omnes virtutes Deas fecerunt. Ovidius vero magis videtur ex Arato locum de iustitia sumpsisse quam ex Hesiodo, cum inquit[3]):

Victa iacet pietas etc.

Hos enim potissimum locos captavit, qui illustrari tractando poterant et nitescere in loco adhibiti.

v. 201. (199.) *Κακοῦ δ' οὐκ ἔσσεται ἀλκή*.] Id est, in tantum malitia hominum invalescet, ut plane nullum vel remedium vel auxilium hisce tantis malis expectandum sit (id enim *ἀλκὴ* significat). Et perspexerunt sapientes omnia in rebus humanis mala corrigi non posse, nec ius civile corrigit omnia. Multa enim toleranda et dissimulanda veniunt, non quod laudem mereantur, sed quod sine maximo incommodo e medio tolli nequeant. Quare posteaquam admodum rhetorice questus est de publicis moribus, et de perturbatione omnium rerum (fuit enim totus ille locus, querela temporum) commode nunc praecepta subiicit.

v. 202. (200.) *Νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσι*[4]) *ἐρέω φρονέουσι*] Propositio est: Tradam nunc praecepta regibus et magistratibus. Et priusquam perveniat ad paraeneses, narrat apologum, quo figurate significat, quales mores sint tyrannorum, quod[5]) nihil minus deceat quam vi grassari more bestiarum. Significat enim *αἶνος* sermonem tecte aliquid monentem de moribus. Unde et apologos *αἴνους* dixerunt. Aenigma vero est obscura significatio. *φρονέουσι καὶ αὐτοῖς*.] Correctio propositionis est, quasi dicat: Nunc monebo reges; sed fortasse frustra moneo, sicut olim luscinia accipitrem[6]). Nam veritas odium parit.

v. 203. (201.) *ἀηδόνα ποικιλόδειρον*.] Epitheton lusciniae est; habet enim variatum collum. Magis tamen ad vocem quadrare puto quam collum; hac enim cum primis excellit, quemadmodum et Plinius in illa describenda[7]) lusit.

v. 208. (206.) *Τῇ δ'*[8]) *εἶς ᾗ σ' ἂν ἐγώ περ ἄγω*.] Tyranni vox est plane proverbialis, de alterius vita pro libidine statuentis, quasi dicat: Quantumvis iusta sis et aequa postules, tamen penes me est ius de te statuendi, quid velim. Convenit cum illo Agamemnonis, quod est apud Homerum libro primo Iliados[9]):

Εἰ δέ κε μὴ δώησιν[10]), *ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι*[11]).

et alibi[12]):

Ὄφρ' εὖ εἰδῇς,
ὅσσον φέρτερός εἰμι σέθεν.

v. 210. (208.) *Ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλοι*[13]) *πρὸς κρείσσονας* etc.] Epiphonema seu epimythion huius fabulae est; sunt enim epiphonemata sententiae ex superioribus consequentes. Monet non esse contendendum cum praestantioribus. Nec enim fieri potest, ut potiatur victoria unquam, verum ad dedecus mala quoque pati cogi-

1) Has voces sic coniunctas apud Homerum non inveni.

2) neque] sic Editt. 1532., 1564 — 1591.; Editt. 1541 — 1562., 1601 — 1662. nec.

2a) Aristot. in l. *περὶ ἀρετῶν καὶ κακιῶν*.

3) Ovid. Metam. I, 149.

4) *βασιλεῦσι*] sic illae Editt. omnes in hoc comment., in textu autem aeque ac Editt. Brunck., Gaisf. *βασιλεῦσ'*; Editt. Goettl., Dübn. *βασιλεῦσιν*.

5) quod] sic Editt. 1532., 1541., 1562., 1601 — 1662.; Editt. 1557., 1564 — 1591. et quod.

6) Haec spectant ad Aesopi fabulam II, *Ἀηδὼν καὶ Ἱέραξ* inscriptam.

7) describenda] Ed. 1541. F. errore typogr.: describendo.

8) *δ'*] sic omnes Editt., excepta Ed. 1541. B., quae h. l. habet *δὲ*.

9) Hom. Il. I, 137.

10) *δώησιν*] sic Editt. 1532 — 1601.; Editt. 1623., 1662. *δώησιν*; Hom. Ed. Herm. *δώωσιν*.

11) *ἕλωμαι*] Ed. 1541. F. corrupte: *λωῖμαι*.

12) Hom. Il. I, 185. 186.

13) *ἐθέλοι*] sic illae Editt. omnes; Editt. Brunck., Gaisf. Goettl., Dübn. *ἐθέλῃ*.

tur. Qua sententia eleganter germanismum expressit: Er muss den spott zum schaden han [14]).

v. 213. (211.) *Ὦ Πέρση, σὺ δ' ἄκους* etc.] Adhortatio est: O Perse fuge iniuriam. Estque primum praeceptum. Nam in legibus naturae prima lex est: ne quem laedamus. Huiusmodi notitias, quae in omnibus sanis hominibus sunt, Graeci *προλήψεις* vocant. Et Paulus quoque ius naturae vocavit [15]). Plutarchus integrum librum scripsit *περὶ προλήψιος* [15a]). Et prodest scire, quantum videat ratio, deinde videre, quid desit ei, et ad quae pertingere nequeat. *δίκης* [16])] *δίκη* significat iustitiam, iudicium et vindictam. Quod Romani ius vocant, hoc Graeci *δίκην*. Germanica vox Recht plane sic [17]) usurpatur.

v. 214. (212.) *ἐσθλὸς* [18])] *ἐσθλὸν* pro forti exponendum censeo, ut sit sensus: Ne fortis quidem vir iniuriam perferre possit.

v. 216. (214.) *ἑτέρηφι*] pro *ἑτέρᾳ* [19]) Ionica *paragoge* est, sicut nos dicimus dicier pro dici.

v. 217. (215.) *Δίκη δ' ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει*] Ratio praecepti est, quare sit satius sequi iustitiam, quia ad bonum finem perduci non potest, si quis iniuria afficiat alium. Et quamquam iniusta saepe habeantur pro iustis, tamen fieri non potest, quin iustum cognoscatur tandem, et homines scelerati opprimantur. Nam ut veritas laborare potest, extingui non potest, ita nec iustitia. Atque hoc significare voluit, cum inquit [v. 218 (216).]: *ἐς τέλος ἐξελθοῦσα* [20]). *ἴσχειν* vero est praevalere, obtinere, den platz behalten.

v. 218. (216.) *Παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω*] Proverbialis locutio est, quae significat miserrimam esse prudentiam, quae ex malis nostris perdiscitur [21]). Commoratur autem longiuscule in collatione iustitiae et iniustitiae, ut metum incutiat hominibus, ne quid [22]) contra iustitiam faciant. Itaque [23]) et utriusque cum incommoda, tum commoda recenset, sicut in scriptura Deus minatur et pollicetur, bonis quidem, ut bene habeant, et ut res ipsorum sint incolumes; malis vero, ut, quia semel in animum induxerunt iniustitiae partes sequi, etiam fructus illa dignos auferant, hoc est, ut bello, latrociniis, seditionibus, tyrannorum saevitia, et omnibus malis affligantur.

v. 222. (220.) *Ἡ δ' ἕπεται κλαίουσα πόλιν τε καὶ* [24]) etc.] Suspicor *κατὰ* subintelligendum esse, ut sit sensus: Iustitia aere iam induta, ut cerni nequeat, per urbem et plateas incedens, dignas de iniustis poenas sumet; *ἕπεται* enim alioqui cum dativo construitur.

v. 225. (223.) *Οἳ δὲ δίκας ξείνοισι* etc.] Argumentum est a praemiis, quae iustos sequuntur. Nam cum nihil sit, quod aeque ad recte faciendum homines invitet atque spes commodi alicuius ob oculos posita, etiam principes hac ratione Hesiodus ad iustitiam et honestatem colendam accendi posse arbitratur. Et videri licet hoc in loco, quam pulchra sit in verbis amplificatio: urbs viret, populi florent, est pax, et illa quidem iuvenum alumna, praeterea dat magnam annonae ubertatem, quae omnia, si quis pro dignitate luminibus verborum exornaverit, facillime copiosam queat orationem efficere. Sunt autem inprimis pacis et belli epitheta observanda, quia bello nihil calamitosius, nihil fugiendum, nihil detestandum magis, in quo humanitatis studia frigent, bonae leges negliguntur, religionis aut nulla, aut perquam exigua cura est [25]). Itaque etiam [26]) exemplo esse potest Turcicum bellum immanissimum, quod multis iam annis christianam rempublicam indignis modis atque omnium miserrime afflixit. In pace vero pueri artibus bo-

14) han] sic Editt. 1541., 1557., 1568—1662.; Ed. 1532. hon; Ed. 1562. haben. — Conf. etiam: Wer den Schaden hat, darf für den Spott nicht sorgen, et alia, quae J. Eiselein in l. Die Sprichwörter u. Sinnreden des deutschen Volkes in alter und neuer Zeit (Freiburg 1840. 8.) p. 542. affert.

15) vocavit] sic Editt. 1541., 1557., 1562., 1601—1662.; Editt. 1532., 1564—1591. sic vocavit. — At *πρόληψις* vox in Novo Test. non occurrit. Quae h. l. de Paulo dicta sunt, ad Rom. 2, 14. 15. spectare videntur.

15a) Haec spectant ad Plutarchi librum adversus Stoicos; liber enim, cui titulus sit *περὶ προλήψεως*, inter eius scripta non invenitur.

16) Hanc Hes. vocem huic annotationi ipse praefixi.

17) plane sic] sic illae Editt. exceptis Editt. 1557., 1601—1662., quae habent: sic plane.

18) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse adscripsi.

19) *ἑτέρᾳ*] Editt. 1532., 1541. F., 1564—1591. male: *ἑτέρα*.

20) *ἐξελθοῦσα*] sic omnes illae Editt. (aeque ac Editt. recentt.) in textu; in hoc comment. autem omnes habent: *ἐλθοῦσα*.

21) perdiscitur] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562—1591.; Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662. proficiscitur.

22) quid] sic Ed. 1532.; in ceteris Editt. omiss.

23) Itaque] sic Editt. 1532., 1541., 1562.; Editt. 1557., 1564—1662. Ita.

24) *τε καὶ*] sic illae Editt. omnes et Ed. Brunck.; Editt. Gaisf., Goettl., Dübn. *καὶ*.

25) cura est] sic Editt. 1541. F., 1557., 1564—1662.; Editt. 1532., 1541. B., 1562. cura.

26) Itaque etiam] sic Editt. 1532., 1541., 1562., 1601—1662.; Editt. 1557., 1564—1591. Eius rei.

nis imbuuntur, neque est quicquam vel magnificentius vel admirabilius. Nam pacis tempore omnium harum rerum metu liberamur, quae in bello magno cum periculo et acerbissime ferre solemus. Eadem pacis commoda recenset Homerus in clypeo Achillis[27]), quae hoc loco Hesiodus.

v. 238. (236.) *Οἷς δ' ὕβρις τε μέμηλε* etc.] Antithesi quadam confert iniustorum poenas ad praemia iustorum. Sunt autem omnia illa nata ex legibus naturae, quia recta ratio dictat sceleratis et flagitiosis hominibus nullum malum fore impunitum, et mala non esse committenda. Quod autem mala committuntur, et designantur flagitia, etiamsi aliud moneat ratio, in causa sunt affectus, quibus vitiati sumus. *ὕβρις* contumeliam significat. Nam sic etiam iniuriam in legibus exponit iureconsultus.

v. 240. (238.) *Πολλάκι καὶ ξύμπασα*[28]) *πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ*[29])] Haec sententia totidem fere verbis est in Ecclesiaste [29a]). Saepe universa civitas mali viri poenam luit, ut tota Thuringia luit peccatum proditoris Munzeri[30]). Aeschines citavit hunc versum de perfidia Demosthenis[31]). Et Dominus in sacris litteris felicitatem ob Naaman Syriae dedisse dicitur[32]); mala vero omnibus ob peccata Manasse dedit[33]). *ἐπαυρεῖν* Latine dicitur luere peccata, quod nos rotundius efferimus, entgilt eyns mans, geneusst eyns mans[34]). Utrumque enim significat. Usus est Homerus libro primo Iliados[35]).

v. 243. (241.) *Λιμὸν ὁμοῦ*[36]) *καὶ λοιμόν*] Poetae constanter observarunt semper pestilitatem sequi caritatem annonae. Et nos experientia edocti sumus verissimum esse, quod dici solet *λοιμὸς*[37]) *μετὰ λιμόν*, id est, pestis post famem. Sic enim et superioribus annis in Italia contigit.

v. 251. (249.) *τρίβουσι*] Emphasis in ea voce est, qua poeta significat eiusmodi odio inter se mutuo accendi atque exasperari homines, ut, qui potentior sit, impotentiorem plane conterat, et ad nihilum redigat. Huius rei multa exempla extant apud eos, qui rixantur in foro. Ibi est videre, quantum malitia valeat humanae mentis, et quam furibundum reddat eum, qui semel conceptum in animo odium, in alterius perniciem summam, nullo tamen aut perquam exiguo suo commodo, ad finem perducere destinavit. Sed cum istis temporibus eiusmodi rerum status fuerit, nemini mirum videri debet[38]), quod de nostrorum temporum malis querimur.

v. 256. (254.) *Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη Διὸς*] Facit nunc prosopopoeiam, cum fingit iustitiam sedere iuxta Iovem, atque illum adhortari, ut iustis det praemia, de sceleratis vero sumat poenas. Illo gestu facit orationem crescere, alioqui idem diceret, quod dixerat supra; sed ne esset taediosum, fingit personam, quae loquatur.

v. 263. (261.) *Ταῦτα φυλασσόμενοι βασιλῆες*[39])] Apostrophe est ad iudices, ut recte iudicent, neque frustra est, quod haec saepius iterando inculcat. Nam eam esse humanae mentis malitiam, ut difficillime ad ea, quae recta sunt feratur, omnes passim viri sapientes viderunt Et subiecit gnomas aliquot, quas dubium non es ex legibus naturae tanquam ex fonte[40]) promanasse. Prior posita sententia mire convenit cum ista, quae in sacris litteris est: Incidit in foveam etc.[41]). Proxima est apud A. Gellium[42]).

v. 267. (265.) *νοήσας*[43])] *νοέειν* est intelligere seu animadvertere, proprie mercken.

v. 270. (268.) *Νῦν δ'*[44]) *ἐγὼ μήτ' αὐτὸς ἐ*[...] *ἀνθρώποισι*] *Ἄτοπον* argumentum, id est, a[...]

27) Hom. Il. XVIII, 478 sqq.

28) *ξύμπασα*] Ed. 1532. in textu et comment. et Ed. 1564. in comm. male: *ζύμπασα*.

29) *ἐπαυρεῖ*] sic illae Editt. omnes; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. *ἀπηύρα*.

29a) Eccles. 9, 18. (?)

30) De hoc Thoma Munzero conf. Seckendorf Commentar. de Lutheranismo Ed. 2. l. I. §. 118. 176. l. II. §. 3. 4.

31) Aeschinis orat. de falsa legatione p. 324. Ed. Reisk.

32) 2. Regg. 5, 1.

33) 2. Regg. 21, 11—15.

34) Vide Benecke: Wörterbuch zu Hartmann's Iwein p. 97. 142. s. hh. vv.

35) Hom. Il. I, 410., etiam Il. VI, 353. XI, 391. 572. XIII, 649. XV, 17. 316. XVIII, 302. XXIII, 340. Od. XVII, 81. XVIII, 106.

36) *ὁμοῦ*] sic omnes Editt. in textu; in comment. autem in Editt. 1541—1562., 1601—1662. omiss.

37) *λοιμὸς*] Ed. 1541. F. in hoc comment. male *λιμός*.

38) debet] Ed. 1541. F. debit.

39) *βασιλῆες*] sic illae Editt. et Editt. Brunck., Gaisf.; Edit[...] Goettl., Dübn. *βασιλεῖς*.

40) fonte] sic Editt. 1532., 1541., 1562., 1601—1662.; Edi[...] 1557., 1564—1591. fontibus.

41) Psalm. 7, 16. Prov. 26, 26. Ecclesiastes 10, 8. Eccl[...]siastic. 27, 29.

42) Gell. Noct. Att. IV, 5. ubi affertur ille v. 266.: *Ἡ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη*.

43) Hunc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

44) *δ'*] sic Editt. 1532—1564. in textu et comment., Edi[...] 1581, 1591. in comm.; Editt. 1569., 1601—1662. in te[...] et comm., Editt. 1581., 1591. in textu *δὲ*; Editt. Gais[...] Goettl., Dübn. *δή*.

absurdo, quasi dicat: Nihil referret, quales essemus, si non essent constitutae poenae et praemia. Atqui sunt poenae et praemia. Itaque multum refert. Idem argumentum est apud Aristophanem in Pluto[45]), ubi oraculum consulitur, quibus artibus senex filium instituat suum, ad virtutemne, an ad quaestuosas artes conferat. Et consultum est, *ὡς σφόδρ' ἐστὶ συμφέρον τὸ μηδὲν ἀσκεῖν ὑγιὲς ἐν τῷ*[46]) *νῦν χρόνῳ*. Ita hîc poeta dicit: Nolim ego iustus esse, neque filius meus, si noceret esse iustum, nec essent iustis proposita praemia. Ad hunc modum ratio diiudicare potest, multum referre, bonusne quis an malus sit, et si non queat videre causas, nec diiudicare, cur malis bene sit, et bonis male. Quemadmodum oculis colorem videt aliquis, licet nesciat, cur non aeque naso vel pedibus videat. Ita revera mente videt neminem esse laedendum, quantumvis causas, cur sic videat, ignoret. Atque hac de causa adiecit correctionem; sed haec non puto facturum Iovem.

v. 275. (273.) *Καί νυ δίκης ἐπάκουε, βίης δ' ἐπιλήθεο πάμπαν*] Argumentatur a natura hominis, et ius naturae describit, et dicit hominibus quasdam sententias esse insitas, seu divinitus inscriptas in animis, quae doceant nos recta. In bestiis non sunt eiusmodi sententiae, quae iudicent, quid sit faciundum[47]), immo est videre in his, quod omnia vi gerantur, cum hominibus iura constituta sint, coniungantur et regantur: ergo homines iure debent disceptare, vis beluina est. Paulus eas leges veritatem Dei appellat. Sunt autem hae fere: 1. Deum cole. 2. Neminem laedito. 3. Quia ad societatem facti sumus, ergo benefacito aliis, et pro beneficio redde gratiam, iuxta illas vulgares sententias: Manus manum lavat, digitus digitum[48]). 4. Certis legibus connubia esse coniungenda, et educandam sobolem et defendendam. 5. Civitates esse constituendas, parendum magistratui, et pacta servanda esse. Nam alioqui societas hominum non potest conservari, nisi fides servetur in contrahendo. 6. Sicut medicus praecidit[49]) aliquam partem corporis, ut servetur totum corpus, ita ut societatis humanae corpus conservetur, latrones tollendi sunt, et alii, qui violant societatem humanam. Ideo et bella geri oportet. 7. Et quia natura non est laedenda, nec offendenda societas, ideo in victu modus, et ordo in actionibus servandus est. Porro sicut divinis legibus scriptis obtemperare nos oportet, ita et his Deus nos vult obsequi. Et animadvertit in eos, qui eas violant, id quod illi cruciatus conscientia[50]) in flagitiosis testantur, qui, etiamsi nemo resciscat eorum facinus, tamen naturaliter metuunt impendentes poenas. Fit autem harum legum saepe mentio. Sic Iuvenalis[51]):

Numque aliud natura aliud sapientia suadet[52])?

v. 283. (281.) *νήκεστον*] id est, immedicabiliter, quasi dicas *νὴ*[53]) *ἄκεστον*. Est enim *νὴ* steritica particula, et *ἀκέω* significat medeor.

Et eleganter dixit [v. 284. (282.)] *ἀμαυροτέρη γενεὴ* posteritas, quae propemodum oblitteratur. Neque enim tantum sumitur supplicium de ipso, sed de[54]) ipsius etiam liberis; nam illi postea deterius habebunt. Sicut et Mose dicit, quod Deus sumat supplicium de his, qui mandata eius negligunt, in tertiam et quartam generationem[55]). Graeci hac de re libros scripserunt. Et extat libellus Plutarchi de his, qui sero puniuntur a numine[56]), et quaerit mirabiles rationes. Eius verba haec sunt: Plus est divina negotia considerare homines existentes, quam de musicis disputare, qui non sunt musici, et de re militari, qui eius rei imperiti sunt[57]).

v. 286. (284.) *Σοὶ δ' ἐγὼ ἐσθλὰ νοέων ἐρέω*] Hortatur ad laborem nunc poeta, ductum argumentum a natura virtutis. Nam ita proponit laborem, ut sit coniunctus cum virtute et iu-

45) Aristoph. Plut. 32 sqq.

46) τῷ] Ed. 1532. errore typogr.: τὸ.

47) faciundum] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562.; ceterae Editt.: faciendum.

48) *χεὶρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλός τε δάκτυλον*, Eine Hand wäscht die andere; conf. Erasmi Adag. chil. I. cent. I. prov. 33., Eiselein l. l. p. 276.

49) praecidit] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562.; Ed. 1541. F. praescidit; Editt. 1557., 1564—1662. praesciudit.

50) conscientiae] in Editt. 1541. F., 1557., 1601 — 1662. deest.

51) Iuvenal. Sat. 14, 321.

52) Numque .... suadet?] sic illae Editt.; Iuven. Ed. Ruperti: Nunquam .... dicit.

53) νὴ] in Ed. 1557. omiss.

54) de] in Ed. 1541. B. omiss.

55) Exod. 20, 5. 34, 7.

56) Hic liber inscriptus est: *περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων*.

57) Plutarchi verba l. l. c. 4. hic latine reddita haec sunt: *πλέον γάρ ἐστι τοῦ περὶ μουσικῶν ἀμούσους, καὶ πολεμικῶν ἀστρατεύτους διαλέγεσθαι, τὸ τὰ θεῖα καὶ δαιμόνια πράγματα διασκοπεῖν, ἀνθρώπους ὄντας*.

stitia. Estque egregia haec sententia. Mala et improbitas ubique prae foribus sunt. Vel, peccare proclive est et facile, sed non est tam facile recta facere. Hunc locum imitatus est ille, qui litteram Pythagorae descripsit. Et Ovidius inquit[58]):

Publica virtutis[59]) per mala facta via est.

v. 290. (288.) *Μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ'*[60]) *αὐτήν*] Oportet enim, ut, quod iustum est, simplex, planum et perspicuum sit; nam et veritatis oratio simplex est, et rectum sibi per omnia constat. Ergo quoties aliquid proponitur, de quo inter sapientes viros non convenit, illud falsum sit necesse est.

v. 291. (289.) *Εἰς ἄκρον ἵκηται*[61])] Duplex lectio est. Sunt enim, qui *ἵκηαι*, sunt rursus, qui *ἵκηται* legant. Quod si legas *ἵκηται*, tunc impersonaliter erit exponendum.

v. 293. (291.) *Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει*[62])] Prior *γνώμη* fuit, virtutem esse coniunctam cum labore, quod labore ad virtutem perveniatur. Nunc secundam proponit de diversitate ingeniorum. Citat hunc versum Aristoteles primo libro Ethicorum[63]). Et Livius interpretatus est hunc locum paene ad verbum in Fabio et Minutio: Saepe ego audivi milites eum primum esse virum, qui ipse consulat, quod in rem sit; secundum eum, qui bene monenti obediat; qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenii esse. Minutii verba sunt[64]).

v. 298. (296.) *Ἀλλὰ σύ γ' ἡμετέρης μεμνημένος αἰὲν ἐφετμῆς*] Haec est demum de labore propositio: Labora, ut possis effugere famem. Et argumentatur a locis honestatis, quod et Diis et hominibus sint chari homines solertes. Oderunt autem semper Dii ignavos. Addidit quoque similitudinem, qua vitam inertium fucis comparat. Sunt autem fuci degeneres apes, estque genus insecti, simile quidem apibus, sed ingenio dissimile, illi sunt, qui mel apibus absumunt, cum ipsi non laborent. Et sic etiam Plinius meminit lib. 11. cap. 11.[65]). Aristoteles lib. 9. de natura animalium inquit[66]): Vesparum aliae carent aculeo ut fuci, aliae autem habent.

v. 304. (302.) *κοθούρας*[67])] *κόθουρος* nomen venit a *κεύθω*, quod abscondo, occulto significat, et *οὐρὰ* cauda. Non enim exerunt aculeum sicut apes.

v. 306. (304.) *Σοὶ δ' ἔργα φίλ' ἔστω μέτρια κοσμεῖν*] Repetit propositionem cum insigni commendatione laboris.

v. 314. (312.) *Οἷος ἔησθα*] positum est pro *ὅμοιος εἶ*[68]). *θα* vero adiecticium est complendi versus gratia adpositum.

v. 315. (313.) *ἀεσίφρονα*[69]) *θυμόν*] Hesychius *ματαιόφρονα* exponit, *ὁ κούφας ἔχων τὰς φρένας*.

v. 317. (315.) *Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ* etc.] Occupationes adiecit. Fortasse turpe tibi videtur laborare. Atqui non est turpe laborare praesertim egenti[70]). Citatur proverbialiter hic versus, mendicos debere esse impudentes; verum haec neutiquam Hesiodi sententia est. Est enim duplex verecundia, bona scilicet, et minus bona. Prodest in loco pudor; obest, si quis hoc ignaviam suam praetexat. Neque aliud hoc loco pudorem vocat, quam quod Virgilius[71]) dixit: Degeneres animos.

v. 320. (318.) *Χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά, θεόσδοτα*] Est in omnium ore haec sententia: Male parta male dilabuntur, honeste parta durant apud haeredes. Sunt enim *θεόσδοτα*, id est, divinitus data.

v. 321. (319.) *Εἰ γάρ τις καὶ χερσὶ βίῃ μέγαν ὄλβον*] Duo genera iniuriae facit, quibus

58) Ovid. Trist. IV, 3, 76.

59) virtutis] sic illae Editt.; Ovid. Ed. Bipont.: Virtuti.

60) *ἐπ'*] sic illae Editt. et Gaisf.; Editt. Goettl., Dübn. *ἐς*.

61) *ἵκηται*] sic (= Editt. Goettl., Dübn.) Editt. 1562., 1581., 1591., 1601. in textu et comment.; Editt. 1541., 1557., 1564., 1569., 1623., 1662. in comm., in textu autem Editt. 1541. F., 1557., 1623., 1662. (= Ed. Gaisf.) *ἵκηαι*, Editt. 1564., 1569. *ἵκηται*; Ed. 1532. in comm. *ἵκηται*, in textu *ἵκηαι*.

62) *νοήσει*] sic illae Editt. et Gaisf.; Editt. Goettl., Dübn. *νοήσῃ*.

63) Aristot. Ethic. Nicom. I, 4, 7. laudantur vss. 293—297. huius poematis.

64) Haec verba leguntur Liv. XXII, 29.

65) lib. 11. cap. 11.] sic recte Ed. 1541. B., in hoc enim capite Plinius de fucis disserit; Editt. 1532., 1562—1581. lib. 11. cap. 16. (in hoc cap. dicit de tertio genere mellis et quomodo apes probentur); Editt. 1541. F., 1601—1662. lib. 11. cap. 6. (in hoc cap. enarrat, qui ordo naturae in apibus sit); Ed. 1557. lib. 21. cap. 6.

66) Aristot. Hist. anim. IX, 41.

67) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

68) *εἶ*] sic omnes illae Editt. excepta Ed. 1541. B., quae habet: *εἶς*.

69) *ἀεσίφρονα*] sic (= Editt. Goettl., Dübn.) illae Editt. in textu et comm., praeter Editt. 1541. B. et 1541. F., quae in comm. habent: *αἰσίφρονα*. Ed. Gaisf. *ἀεσίφρονα*.

70) egenti] Ed. 1541. B. errore typogr.: agenti.

71) Virg. Aen. IV, 13.

duplices artes parandi victus intelligit. Sunt qui manus in alienas facultates iniiciunt, et vi rapiunt, hos raptores nominare licebit. Alii per fraudem et periuria ditescere cupiunt, quorum magna ubique copia est. Hi sunt, qui lingua praedantur, id est, mendaciis.

v. 325. (323.) Ῥεῖά τέ μιν[72]) μαυροῦσι θεοὶ] Validissimum argumentum est, quo absterrentur homines a malefactis, videlicet metu poenarum. Atque ea est secunda pars circumductionis, qua absolvit sententiam.

v. 327. (325.) Ἶσον δ᾽ ὅς θ᾽ ἱκέτην, ὅς τε ξεῖνον κακὸν ἔρξει[73])] Sequitur catalogus praeceptorum de variis officiis. Idem, inquit, est flagitium hospitem laedere et supplicem. Maximi namque olim hospitale ius fiebat. Et nota est historia de Campano illo et Romano milite[74]). Multa hospitalitatis mentio fit apud Homerum. *Nec hominis* vocabulo digni sunt, qui eam non ex animo praestant peregrino et egenti. Et Iupiter ξένιος dictus est, quod in eius tutela sint hospites. Unde est illud Virgilii[75]):

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur, etc.

Apud Homerum Odyss. ζ[76]) Nausicaa puella dicit, quantopere sint Iovi curae hospites et supplices, cum ait:

Πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεῖνοί τε πτωχοί τε· δόσις δ᾽ ὀλίγη τε φίλη τε.

Ἔρξει[77])] Metathesis est. Venit enim a ῥέζω, ῥέξω in futuro.

v. 328. (326.) ἀνὰ δέμνια βαίνοι[78]).] Tmesis.

v. 329. (327.) παρακαίρια.] importuna, flagitiosa dicuntur.

v. 330. (328.) Ὅς τέ τευ ἀφραδίῃς etc.] Et sacra scriptura horrendum supplicium iis minatur, qui pueros laedunt. Est enim alioqui ea aetas obnoxia malo. Bis autem peccant, qui laedunt orphanos. τεῦ] pro τινός. Dorice.

v. 331. (329.) κακῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ.] Antithesi[79]) quadam praecepta decalogi refert. Nam cum in decalogo doceamur, parentes esse honorandos, eamque ob causam addita sit promissio: nihil praecipitur hic aliud quam non esse contumelia et probris afficiendos. Itaque et promissioni, quae est in praeceptis, Hesiodus comminationem opponit, quod Iupiter tandem pro iniustis operibus asperam retributionem sit compensaturus. Est autem elegans metaphora ἐπὶ γήραος οὐδῷ, id est, in limine senectae. Atque[80]) hoc imitati sunt poetae Latini[80a]).

v. 336. (334.) Κὰδ δύναμιν δ᾽ ἔρδειν ἱέρ᾽ ἀθανάτοισι] Praeceptum est de faciendis sacris. Et vocabant libationes, quando in sacris fundabatur aut offerebatur vinum. Quemadmodum Aeneas apud Virgilium in 1.[81]), cum primum ad Didonem venerat. A σπένδω libo, quod est leviter degusto [v. 338 (336).] σπονδὴ venit. Κὰδ δύναμιν dictum est pro κατὰ δύναμιν[82]), secundum potentiam; id est, pro viribus.

v. 341. (339.) Ὄφρ᾽ ἄλλων ὠνῇ κλῆρον] Hoc est, ut aliorum iuves rem familiarem, possessionem etc. Ad hunc modum etiam Christus in Evangelio monet[83]), ut simus pauperes, quo aliis possimus dare, non ut accipiamus. ὠνῇ propter versum, o in ω mutatum est.

v. 342. (340.) Τὸν φιλέοντα ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ᾽ ἐχθρὸν ἐᾶσαι.] Adiicit quaedam praecepta liberalitatis, sed tamen alieniora a primis illis iustitiae gradibus, sicut et[85]) Cicero in Officiis[86]) facit. Nec est impium, quod inimicum omittendum esse monet, cum et Salomon eius rei meminerit[86a]), cavendum tamen, ne nostro vitio accidat. Φιλεῖν non amare tantum significat, sed etiam hospitio accipere, et comi-

72) Ῥεῖά τέ μιν] sic Editt. 1629., 1662.; Editt. 1532—1591. Ῥεῖά τε μιν; Ed. 1601. et Ed. Brunck. Ῥεῖα τε μιν; Ed. Gaisf. ῥεῖα τέ μιν; Editt. Goettl., Dübn. ῥεῖα δέ μιν.

73) ἔρξει] sic illae Editt. et Brunck., Gaisf.; Editt. Goettl., Dübn. ἔρξῃ.

74) Haec historia narratur a Livio XXV, 18.

75) Virg. Aen. I, 731.

76) Hom. Od. VI, 207. 208.

77) Conf. not. 73.

78) βαίνοι] sic illae Editt.; Editt. Brunck., Gaisf. βαίνει; Editt. Goettl., Dübn. βαίνῃ.

79) Antithesi] Ed. 1541. B. errore typogr.: Anthesi.

80) Atque] Ed. 1541. B. errore typogr.: Atqui.

80a) E. c. Firmic. 3, 1.

81) Virg. Aen. I, 736. 737.

82) dictum est pro κατὰ δύναμιν] haec in Ed. 1557. desunt.

83) Conf. Matth. 19, 21. Marc. 10, 21. Luc. 6, 20 sqq. 18, 22.

84) o] Ed. 1532. ex o.

85) et] in Editt. 1541. F., 1557. deest.

86) Cic. Offic. I. c. 14 sqq. et II. c. 15. de liberalitate disserit.

86a) Eiusmodi dictum apud Salomonem non inveni.

ter tractare, ut: Χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

v. 343. (341.) Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν ὅςτις σέθεν ἐγγύθι ναίει.] Admonet vicinum studiose colendum esse. Cum enim tota nostra vita ad societatem comparata sit, nemo ignorat, quam ingens bonum sit bonum habere vicinum. Nec poeta hanc sententiam temere multis rationibus amplificavit, ubi vicinorum et cognatorum sedulitatem in negotiis obeundis et officiis praestandis ita confert, ut quam longissime cognatos, si opus sit alieno auxilio, vicini antecellant. Id quod et Cassitae apologus apud A. Gellium[87]) indicat, ubi cognati multo minus faciunt quam vicini. Nec Themistoclem fugit, quod, cum praedium venditurus erat, etiam hoc per praeconem addendum censuit, quod haberet bonum vicinum.

v. 349. (347.) Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος etc.] Aliud praeceptum de mutuo persolvendo, et citatur hic locus in Officiis a Cicerone, ubi de gratitudine scribit[88]). Item in Claris oratoribus[88a]) fere citatur hic versiculus, ubi dicitur de reddenda gratia, nec est ullum vulgarius ingratitudine vitium in toto orbe, licet Deus impunitum non sinat. Nam et Salomon dicit: Non recedet malum de domo ingrati[89]). Εὖ] χρονικῶς exponi debet, quemadmodum supra quoque; est enim subiunctiva particula, ut sit sensus: si mutuo sumpseris, alterum εὖ abundare videtur. Nam ita solent iterare has particulas, ut Homerus quoque. μετρεῖσθαι] passive exponendum, pro dimensum accipere, vel mutuo accipere, du solt dir wol lassen messen. Suidas[90]) dicit μετρεῖν, non tantum mensurare vel mutuo dare, sed etiam mutuo accipere significare. Docet autem natura ipsa gratitudinem, et illa lex naturalis vere divina est, etiamsi non esset praescripta. Et cum nulla tam immanis belua sit, in qua non sit sensus gratitudinis, praestandum est maxime, ut nec homo ab hac sit alienus. Quid enim aliud sibi volunt exempla leonis et draconis, quam ut gratitudinem nobis commendent, sive ea vera sive ficta sint, nihil tamen aliud quam gratitudinem ob oculos his proponere viri sapientes voluerunt. Et qui gratias pinxerunt, pro una fingunt geminas redire. Una enim dat, geminae referunt.

v. 353. (351.) Τὸν φιλέοντα φιλεῖν, καὶ τῷ etc.] Commendat nobis amicitiam illa sententia. Iam cum nonnulli adeo morosi sint, ut plane abhorreant a societate, et nullum animal propius homine ad illam accedat, addam etiam quod plures nec habere nec colere possimus (nec enim ex quovis[91]) amicitia constat, sed ex similibus natura) recte Hesiodus praecepisse iudicandus est, cum doceat[92]) non quosvis in amicitiam recipiendos, et danti esse dandum, non danti, id est, sordido nequaquam. Et quamquam hae sententiae paulo gentiliores cum ipsa lege naturae pugnare videantur, ut indicat Plato in Gorgia[92a]), tamen quia beneficium est compensandum, nec omnes iuvare possumus, nemini dubium esse poterit certos quosdam esse iuvandos. Non autem sic obligaris illi, qui nihil de te meritus est, ut obligaris benemerito, quia naturaliter sic obligati sumus, ut reddamus officium, quemadmodum et iureconsultus ait obligari πρὸς ἀντίδωρα.

v. 356. (354.) Δὼς ἀγαθή, ἅρπαξ δὲ κακή[93])] Liberalitatis praeceptum est. Quamquam autem nullae leges cogant hominem ad liberalitatem praestandam, ipsa tamen humanitas obtinet et cogit nos, ut benefaciamus bonis viris, et communem societatem iuvemus. Quapropter et cum virtute ita comparatum esse videmus, ut boni viri, etiamsi multa liberalitatis officia praestent, semper tamen laeti et hilares sint[94]). Contra mali, etiamsi multa habeant, nunquam tamen tranquillam et pacatam conscientiam a furiis obtineant, ut vel hoc nomine doceremur liberalitatem plurimi esse faciendam, non tam aliorum causa, quorum inopiam nostra liberalitate sublevamus, quam nostra quoque, quod animi tranquillitatem istinc concipimus et possidemus.

87) Gell. Noct. Att. II, 29.
88) Cic. Offic. I, 15, 48.
88a) Cic. Brutus 4, 15.
89) Prov. 17, 13.
90) Suidas s. v. πέτρησον hunc versum Hesiodi laudat.

91) quovis] Ed. 1541. F. errore typogr.: quosvis.
92) doceat] sic Editt. 1532., 1541., 1562., 1601—1662.; Editt. 1557., 1564—1591. docet.
92a) Plat. Gorg. (Opp. Ed. Steph. T. I. p. 479 sqq. — Ed. Bipont. Vol. IV. p. 71 sqq.).
93) κακή] Ed. 1557. in hoc comm. errore typogr.: κακί.
94) sint] sic omnes illae Editt. exceptis Editt. 1541. F., 1557., quae habent: sunt.

v. 360. (358.) *ἐπάχνωσεν*[95])] *παχνόω* significat gelidum facio.

v. 361. (359.) *Εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρόν*[96]).] Ad multa[97]) utilis erit haec sententia. Verum non inepte ad studia litterarum referri queat. Commendat autem diligentiam et assiduitatem nobis. Est enim iucundum praesenti copia frui, et semper aliquid habere prae manu. Et quamquam nemo adeo dives sit, qui non alterius egeat, neque quisquam adeo doctus, qui non opus habeat alieno adminiculo ad litteras, tamen turpissimum est, quotidie velle emendicare, nec posse *οἰκόσιτος* vivere.

v. 363. (361.) *αἴθοπα λιμόν·*] id est, nigram famem ab effectu dixit, quemadmodum Homerus frequenter *αἴθοπα οἶνον*[98]). Sunt enim famelici nigri, et fames solet nigriores[99]) reddere. Hunc graecismum imitati sunt Germani, qui dicunt, der schwartz hunger. *Αἴθωψ*] significat faciem comburens.

v. 368. (366.) *Ἀρχομένου δὲ πίθου*[100]) *καὶ λήγοντος κορέσασθαι*] Praeceptum est de parsimonia. Cum res est abunde, maiores sumptus facere potes, estque humanitatis hoc. Verum nihil proderit tum primum velle comparcere, ubi patrimonium est amissum. Nam odiosa est in fundo parsimonia, iuxta versum:

Nil iuvat amisso claudere septa grege.

Rursus cum res abunde suppetunt, non decet eiusmodi sumptus facere, ut nihil reliquum facias; id enim prodigalitatis, non liberalitatis esset. Sed memineris iuxta Salomonem[101]) ita derivare fontes tuos foras, ut tamen horum dominus maneas. In summa, poeta utraque extrema liberalitatis fugienda monet, ut neque sis prodigus neque sordidus.

v. 370. (368.) *Μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω.*] Aliud praeceptum: Mercenarii sunt benigne tractandi. Et debes sufficientem[102]) mercedem solvere iis, quos conduxisti, ita illi vicissim operam dabunt, ut respondeant in laborando.

v. 371. (369.) *Καί τε κασιγνήτῳ γελάσας*] Egregia sententia: Non temere fidendum ulli[103]). Nemini fidas, nisi quicum modium salis absumpseris[104]). Item cum fratre iocans adde testem. Quod si in ioco adhibendus testis, quanto magis in rebus seriis! Epitheton est in participio *γελάσας*, quasi dicat: Vide, ne verba, quae iocando dixeris, invertantur tibi, itaque teste convenit cum fratre iocari.

v. 372. (370.) *Πίστεις δ' ἄρα*[105]) *ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι*] Id est, credendum est et non credendum. Utile cum primis praeceptum, quodque imis sensibus reponendum est. Illi enim potissimum experiuntur, quae[106]) vis sit huius sententiae, qui versantur in rebuspublicis et gravioribus causis, praesertim periculosis temporibus. Nec Graeci frustra monuerunt *μέμνησο ἀπιστεῖν*. Nam si propter fucatam amicitiam vix fratri est adhibenda fides, quantum aliis fidendum sit, facile aestimari potest.

v. 373. (371.) *Μηδὲ γυνή σε νόον πυγοστόλος*] Praeceptum est de scortis; probat enim Hesiodus coniugium. Nam de eo infra dicit. *Πυγοστόλος*] composita dictio est, quasi dicas: ornans nates, a *πυγή* et *στέλλω*. *Σὲ νόον*] te mentem, id est, tuam mentem. Utuntur enim primitivis pro derivativis.

v. 375. (373.) *φιλήτῃσι*[107])] *φιλήτης* Hesychio *κλέπτης καὶ λῃστής ἐστι*, ab *ὑπὸ* et *ἅλω* composita dictio, *φιλητής* vero amator.

v. 376. (374.) *Μουνογενὴς δὲ παῖς σώζοι*[108]).] Oeconomicon hoc praeceptum est, quo non aliud admonemur, quam iuxta vetus pro-

---

95) Haec Hes. vox huic scholio in solis Editt. 1601—1662. praefixa est.

96) *ἐπὶ σμικρόν.*] sic illae Editt.; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dubn. *ἐπὶ σμικρῷ*.

97) multa] sic omnes illae Editt. praeter Editt. 1532., 1541. B., ubi legitur: multas.

98) Hom. Il. I, 462. IV, 259. V, 341. XVI, 226. 230. et al.

99) nigriores] sic Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662; Editt. 1532., 1541. B., 1562—1591. nigridiores.

100) *πίθου*] Ed. 1541. F. in hoc comm. male: *πίθον*.

101) Prov. 5, 16.

102) sufficientem] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562.; ceterae Editt.: sufficienter.

103) Conf. similia in libris: Die Sprichwörter u. sprichwörtl. Redensarten der Deutschen gesamm. v. W. Körte (Leipz. 1837. 8.) p. 434 sq. et Eiselein l. l. p. 601.

104) De hoc prov. vide Erasmi Adag. chil. II. cent. I. prov. 14.

105) *δ' ἄρα*] sic (= Ed. Gaisf.) Editt. illae omnes (praeter Ed. 1562., quae habet *δὲ ἄρα*) in textu; in comment. autem *δ'* in Editt. 1532—1562., 1601—1662. omissum est; Ed. Brunck. *δ' ἄρα*; Editt. Goettl., Dübn. *δ' ἄρ τοι*.

106) quae] sic omnes illae Editt., excepta Ed. 1532., quae habet: qualis.

107) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

108) *σώζοι*] sic illae Editt. et Brunck.; Editt. Gaisf., Goettl., Dübn. *εἴη*.

verbium: Oculo domini saginari equum [109]). Est enim primum (secundum Catonis sententiam) in re rustica bene colere. φερβέμεν.] Ionicus infinitivus est.

v. 378. (376.) Γηραιὸς δὲ θάνοις etc.] Duplex sensus horum versuum est. Prior ratio est, quo maior liberorum grex relinquitur, hoc felicius procedere rem familiarem. Sic enim et Germani proverbio locum fecimus [109a]). Altera est, quod res domestica non unius tantum opera potest augeri. Si quidem unus vir nullus vir [110]), ut habet proverbium.

v. 381. (379.) Σοὶ δ' εἰ πλούτου θυμὸς ἐέλδεται.] Conclusio generalis est, quae continet laudem assiduitatis et industriae. Assiduitate ditesces, inquit, sis sedulus in opere tuo, et ditesces iuxta versiculum:

Gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo [111]).

In Hesiodi librum secundum enarratio Phil. Melanthonis [1]).

Priore libello praecepta de moribus tradita sunt. Secundus liber [2]) continet praecepta agriculturae. Et quamquam discendae Graecae linguae causa enarratur hic autor, tamen si quam utilitatem et rerum cognitio, quae hic docetur, adferet [2a]), non verba tantum, sed res etiam consideremus et discamus.

Quondam proderant haec Hesiodi praecepta agricolis, quia, quo quidque tempore facerent, hinc discebant; nobis plus prosunt physica et astronomica, quae adspersa sunt. Nam saepe causas naturales tempestatum et aliarum rerum commemorat. Porro etiam totius anni tempora discernit per insignium siderum ortus et occasus. Ita docet totam rationem et varietatem ortus et occasus [3]). Primum autem perliberalis et valde honesta cognitio est omnium astronomiae partium et dignissima bono viro. Sicut Ovidius testatur, cum ait [4]):

Felices animae [5]) quibus haec cognoscere primum [6])
Inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter vitiisque iocisque [7])
Altius humanis exeruisse caput.

Secundo necessaria est cognitio coelestium motuum, quia oportet nos in rebus publicis habere descriptionem anni et mensium, quae si non haberentur, nulla posset memoria praeteritarum rerum haberi, et multae praesentes res intempestive fierent. Et Deus praecepit ob eam causam astra observari, cum dicit: erunt in annos [8]). Hic vero libellus Hesiodi ita scite totum annum metitur, ut, si fastos non haberemus, ex Hesiodo confici possent. Et quidem haec fere tota vetus astrologia fuit.

Tertio magnas adfert utilitates, quia ex cognitione coelestium motuum, tempestates annorum, fertilitas et sterilitas praevideri possunt, ut licuit animadvertere anno abhinc tertio, ubi propter vim aquarum multis locis corrupta seges est. Ideo et Moses ait: Erunt in signa, tempora et annos [9]), id est, diversitatem temporum sidera efficiunt, ut alias aestus sit maior, alias frigus acrius, alias maior siccitas, alias magis uvidus aer sit.

v. 383. (381.) Πληϊάδων [10])] Pleiades manipulus est septem stellarum in tergo Tauri, quae conspiciuntur noctu fere per totam hiemem. Porro, noctu conspici est oriri χρονικῶς, ut apud Ovidium [11]):

Quatuor autumnos [12]) Pleias orta facit.

Sub initium Maii cum sole subvehuntur mane supra terram, id est, oriri κοσμικῶς. Mense Iunio prodeunt, ita ut mane conspician-

109) Hoc prov. affertur etiam ab Eiselein l. l. p. 45: Das Auge des Herren füttert das Pferd wol.

109a) Conf. Je mehr Kinder, je mehr Glücks. — Viel Kinder, viel Vaterunser; viel Vaterunser, viel Segen, in l. Die deutschen Volksbücher gesammelt von K. Simrock Bd. V. (Frankfurt a. M. 1846. 8.) p. 259. nr. 5615. et nr. 5613.

110) De hoc prov. conf. Erasmi Adag. chil. I. cent. V. prov. 40. et Eiselein l. l. p. 140.

111) Hic versus ab Eiselein l. l. p. 605. Ovidio tribuitur; at equidem solam priorem eius partem: „Gutta cavat lapidem“ in Epist. ex Ponto IV, 10, 5. inveni.

1) Sic haec enarrationis pars in omnibus illis Editionibus est inscripta.

2) Lib. I. continet versus 1—382. (al. 380.), lib. II. versus 383—764. (al. 381—762.); vid. p. 165 sqq.

2a) adferet] sic Editt. 1532—1601., Editt. 1623., 1662. adfert.

3) Ita docet — et occasus.] haec in Ed. 1557. desunt.

4) Ovid. Fast. I, 297—300.

5) animae] sic illae Editt.; Ovid. Opp. Ed. Bipont. et Fast. ed. Gierig habent: animos.

6) primum] sic illae Editt.; Ovid. Editt. Bipont. et Gierig: primis.

7) iocisque] sic illae Editt.; Ovid. Editt. Bipont. et Gierig: locisque.

8) Genes. 1, 14.

9) Genes. l. l.

10) Hanc Hes. vocem h. l. ipse adscripsi.

11) Ovid. Epist. ex Ponto I, 10, 28.

12) autumnos] Ed. 1541. B. errore typogr.: autumuus.

tur, idque vocant oriri ἡλιακῶς[13]), paulo ante solis ortum conspici. Ideo Hesiodus ait messem instare, cum oriuntur Pleiades, videlicet ortu Heliaco. Novembri mane sub terram descendunt, cum noctu conspectae sunt, id est, occidere κοσμικῶς. Id vero tempus sementi faciendae idoneum iudicant agricolae. Ideo Virgilius dixit[14]):

Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur,
Debita quam sulcis committas semina etc.

Id est, mane occidant, quod fit hieme. Sed ubi citius hiems est, citius serunt, ut in Germania, id quoque praecipit Virgilius[15]):

Dum sicca tellure licet[16]), dum nubila pendent.

Dicuntur Pleiades, quod sit plurium coniunctarum stellarum proprius coetus. Latini Vergilias dixerunt, quod in vere oriantur, Atlantis filiae finguntur, et credo Atlanti eum honorem haberi, quod docuerit astronomiam. Poetae trisyllabon faciunt πληϊὰς; in soluta vero oratione dissyllabon est pleias. *Ἐπιτελλομενάων.*] α Ionica dialecto interposita est.

v. 385. (383.) *Αἳ δήτοι*[17]) *νύκτας τε καὶ ἤματα τεσσαράκοντα.*] Quod dicit quadraginta dies noctesque latere Vergilias, sic accipe, a Maio subvectas supra terram interdiu non cerni, propter vicinitatem solis, magna parte aestatis, noctu vero sub terra sunt. Post menses duos mane cernuntur, ubi longius iam sol discesserit a Tauro. Deinde mense Octobri post matutinum occasum noctu rursus cernuntur. Neque est sic accipiendum, quod post occasum matutinum, post autumnum lateant; nam ita noctu cernerentur. Nunc poeta nec notu, nec interdiu conspici dicit. Id fit in aestate, dum sol propius Taurum versatur.

v. 386. (384.) *Κεκρύφαται.*] tertia persona est praeteriti passivi, ut apud Homerum in 2. Iliados *ἐπιτετράφαται*[18]). Addunt enim Iones[19]) *ται* tantum ad praeteritum activae vocis. *περιπλομένου ἐνιαυτοῦ*] *πέλομαι*[20]) existo; inde *περιπλομένος*, et est perpetuum anni epitheton. Gellius diligenter hanc vocem reddit lib. 3. cap. 16. pro decurrente ad finem anno, et non circumacto iam[21]) anno.

v. 388. (386.) *Οὗτός τοι πεδίων πέλεται νόμος* etc.] Elliptica oratio est; vult enim dicere: Illis, qui prope mare habitant, quique valles concavas etc. haec lex servanda est.

v. 389. (387.) *ἄγκεα*[22])] *ἄγκος* palustrem terram significat.

v. 391. (389.) *Γυμνὸν σπείρειν* etc.] A signo describit rursus tempus arationis et messis. Est autem arandum[23]) ante maximam saevitiem hiemis. Et commode adiecit adhortatiunculam. Vide, ut res tua in tempore conficiatur, ne cogaris aliena vivere quadra.

v. 393. 394. (391 sq.) *Ὥς τοι ἕκαστα ὥρι' ἀέξηται*[24]).] Verbo singularis numeri nomen pluralis numeri adiunxit, quod Graecis familiare est. *Πτώσσω*] Id est, trepide peto alienas aedes.

v. 398. (396.) *Ἔργα τάτ' ἀνθρώποισι*] Causa, quare sit laborandum: Quia homo factus et ordinatus est ad labores. Neque frustra est, quod hoc tam sedulo inculcat et urget poeta. Nam praeterquam quod Dei voluntas est laborare, etiam hoc significare poeta voluit, non posse fieri, ut quis honeste vivat, nisi simul laboret. Et quemadmodum maximae res dilabuntur per discordiam, ita quoque per socordiam ac negligentiam, ut saepe usu venire videmus. Sunt enim, qui, tametsi non magnos faciant sumptus, nec dilapident rem familiarem, tamen socordia ad extremam paupertatem rediguntur. *διετεκμήραντο*[25])] *διατεκμαίρομαι* est ordino, constituo.

v. 405. (403.) *Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε.*] Primus versus huius libri continebat propositionem, complectens summam agricultu-

13) De his terminis astronomicis veterum conf. L. Ideler: Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie. Tom. I. p. 51—53.

14) Virg. Georg. I, 221. 222[?].

15) Virg. Georg. I, 214.

16) licet] Ed. 1557. errore typogr.: lucet.

17) *δήτοι*] sic Editt. 1532., 1541., 1562., 1564., 1601., 1622[?].; Editt. 1557., 1569—1591., 1662. et Brunck., Gaisf. *δή τοι*; Editt. Goettl., Dübn. *δ' ἤτοι*.

18) Hom. Il. II, 25. 62[?].

19) Iones] Ed. 1541. B. errore typogr.: Ioannes.

20) Sic recte Editt. 1622[?]., 1662.; Ed. 1601. male: *πέλομαι περιπλομένου ἐνιαυτοῦ*]; in Editt. 1532—1591. Hesiodi voces *περιπλομένου ἐνιαυτοῦ*, ad quas haec annotatio pertinet, omissae sunt.

21) iam] sic Ed. 1532[?].; in ceteris Editt. deest.

22) Hanc Hes. vocem huic annotationi ipse adscripsi.

23) arandum] Ed. 1541. F. errore typogr.: arandam.

24) *ἀέξηται*] Editt. 1541[?]. F., 1557[?]. in comment. male: *ἀέξεται*.

25) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

rae, messis videlicet et arationis. Nunc narrationem contexit, quae generalia quaedam praecepta continet de constituenda re familiari.

v. 406. (404.) *Κτητήν, οὐ γαμετήν.*] Aristoteles oeconomiam suam incepit ab hoc versu[26]), et refert ad uxores, cum ancillam intelligat poeta. Nam post de uxore loquitur. Est elegantissimus locus de coniugio in Xenophonte[27]), quem Columella optimis et praestantissimis verbis expressit in praefatione XII.[28]) libri. *Κτητῆς*] ancillam emptam significat et non nuptam.

v. 407. (405.) *Χρήματα δ' εἰν οἴκῳ.*] Commendat ordinem et curam in re domestica hoc praeceptum. Columella enim nihil magis prodesse dicit, quam si servetur ordo. Vetus, inquit, est proverbium: Paupertatem certissimam esse, cum alicuius indigeas, uti eo non posse, quia ignoretur, ubi proiectum iaceat, quod desideratur. Itaque in re familiari laboriosior est negligentia quam diligentia[29]). Sic accidit in nostris studiis. Sunt qui multas sententias tenent; sed cum est dicendum et stylus exercendus, nullae prorsus veniunt in mentem. Quid sit in causa, dictum est.

v. 409. (407.) *Ἡ δ' ὥρη παραμείβηται.*] Oportet agricolam diligenter observare occasionem, quia non levis iactura est in mutuo accipiendo; dum enim mutuum petis, perdis temporis occasionem.

v. 410. (408.) *Μηδ'*[30]) *ἀναβάλλεσθαι ἐς τ' αὔριον*] Sunt haec communia praecepta de non cunctando. Recte Ovidius in hanc sententiam dixit[31]):

> Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

ἔνηφιν[32])] *ἔνη* significat postremum mensis diem; significat item tertiam lunam seu perendinum diem, ut apud Aristophanem (quem Suidas citat):

> *Θάρσει, καταπεύξῃ, κἂν ἔνης ἔλθῃς*[33]).

ἀντὶ τοῦ εἰς τρίτην[34]).

v. 414. (412.) *Ἦμος δὴ λήγει μένος*] Secundum praeceptum est de aratro faciendo, et quando caedenda sit materia ad rem rusticam. Orditur autem a chronographia.

v. 415. (413.) *Καύματος ἰδαλίμου*[35])] *Ἰδάλιμον καῦμα τὸ ἱδρωποιὸν* exponunt, id est, aestus, qui sudorem ciet.

v. 416. (414.) *Μετὰ δὲ*[36]) *τρέπεται βρότεος χρώς*] Id est, remisso aestu respirat corpus. Nam propter aestum et calorem corpus prorsus torpet, neque homines solum ita afficiuntur, verum etiam inanimata.

v. 417. (415.) *Δὴ γὰρ τότε Σείριος ἀστὴρ* etc.] Sirius stella est in ore canis maioris, quae cum leone supra terram subvehitur, sicut Lucanus in 10. testatur[37]):

> Qua[38]) mixta Leonis
> Sidera sunt Cancro, rapidos qua Sirius ignes
> Exerit etc.

Deinde ubi sol accesserit Scorpium, mane aliquantisper ante solem, supra terram subvehitur Heliaco ortu. Deinde orto sole statim labitur sub terram. Ideo dicit Hesiodus: nocte frui Sirium, id est, mane aliquantisper ante solis ortum supra terram emergere, at non commorari diu post solis ortum supra terram. Nomen Sirius a *σειριάω* factum est, quod inflammare, arefacere significat.

v. 420. (418.) *Ἦμος*[40]) *ἀδηκτοτάτη πέλεται*] Describit commodum tempus secandi ligna. Durant enim haec longo tempore, nec sunt obnoxia corrosioni. Hoc significat *ἀδηκτοτάτη*, id est, incorruptissima, *α δήκω*, id est, mordeo, quae non mordetur a vermibus.

---

26) Aristoteles Oeconom. I. 2. et Polit. I. c. 2. (al. c. 1.) non hunc, sed versum proxime praecedentem *Οἶκον μὲν πρώτιστα* etc. laudat.

27) Xenoph. Oeconom. c. 7 sqq.

28) XII.] sic recte omnes illae Editt., excepta Ed. 1557., ubi legitur: 13.

29) Vetus est — diligentia] haec sunt verba Columellae de re rust. XII. 2, 3. Ed. Schneider.

30) *Μηδ'*] sic Editt. 1623., 1662. (= Brunck, Goettl., Dübn.) in textu et comment.; Editt. 1532—1601. in textu *μὴ δ'*, in comment. (= Ed. Gaisf.): *μηδ'*.

31) Ovid. Remed. amor. 94.

32) Hanc Hes. vocem huic annotationi ipse praefixi.

33) Sic hic versus Aristophanis Eccles. 796. Ed. stereot. Lips. citatur a Suida s. v. *ἔνη*. Apud Aristoph. Ed. laud. pro *καταπεύξῃ* legitur *καταθήσεις*.

34) *ἀντὶ — τρίτην*] haec sunt verba Suidae, quibus vocem *ἔνης* explicat.

35) Haec Hes. verba huic scholio ipse adscripsi.

36) *δὲ*] sic omnes Editt. in textu; Editt. 1532., 1541. B. in comment. *δ'*.

37) Lucan. Pharsal. X, 210—212.

38) Qua] Ed. 1557. Quia.

39) sole] Ed. 1541. B. errore typogr.: solis.

40) *Ἦμος*] sic illae Editt. et Brunck., Gaisf.; Editt. Goettl., Dübn. *ἦμος*.

v. 423. (421.) *Ὅλμον μὲν τριπόδην*[41])] Per *ὅλμον τριπόδην*, mortarium trium pedum intelligere videtur. Suspicor enim talibus mortariis usos esse pro molis.

v. 426. (424.) *δεκαδώρῳ*[42])] *δῶρον* Graeci appellant palmum, quod munerum datio *δῶρον* appelletur. Id autem semper geritur per manus palmi. Vitruvius[43]) libro secundo.

v. 427. (425.) *γύην*] Id est, dentale, vocant lignum, cui vomer inseritur, quod, tanquam artus continent corpus humanum, sic dentale contineat vomerem.

v. 429. (427.) *Πρίνινον*] Id est, iligneum; est enim validissimum.

v. 430. (428.) *Εὖτ' ἂν Ἀθηναίης.*] Cererem vocat Athenaeam, quod ipsa Athenienses, atque adeo omnes homines de frugibus docuerit. Potest tamen etiam vel ad Erichthonium vel ad *Triptolemum* referri. *ἐλύματι*[44])] *ἔλυμα*, id est, *buris*, lignum longum est, cui insertum est dentale. Locum Virgilii 1. Georg. cum hoc confer, qui sic incipit[45]):

Continuo in silvis magna vi flexa domatur.
In burim etc.

v. 432. (430.) *Δοιὰ δὲ θέσθαι ἄροτρα.*] Indicat patremfamilias oportere bene instructum esse, ne quis casus per inopiam supellectilis remoretur rusticum laborem.

v. 433. (431.) *Αὐτόγυον*] vocant, cum vomer est insertus dentali.

v. 434. (432.) *ἄξαις*] ab *ἄγω* venit, quod in praesenti in usu non est.

v. 435. (433.) *ἀκιώτατοι*[46])] *ἄκιον*, quod non arroditur a vermibus, non sentiens illos vermes. *κὶς* enim vermis ligni est. *Δάφνης.*] Plinius numerat quoque illa ligna inter ea, quae cariem nesciunt[47]).

v. 436. (434.) *Βόε δ' ἐνναετήρω* etc.] Cuiusmodi boves conveniat agricolam habere.

41) Haec Hes. verba huic scholio ipse praefixi.

42) Hanc etiam Hes. vocem huic scholio ipse adscripsi.

43) Vitruvius] sic Editt. 1562., 1623., 1662.; ceterae Editt. Victruvius. — Vide Vitruv. de architectura II, 3.

44) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

45) Virg. Georg. I, 169. 170.

46) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

47) Plin. Nat. Hist. XVI, c. 78. Ed. Franz. (c. 40. antiquior. Editt.).

v. 441. (439.) *Τοῖς δ' ἅμα τεσσαρακονταετὴς*] Habes hoc loco praeceptum de ministro, qua hunc aetate[48]) et moribus praeditum esse oporteat. Etsi tantum in ministro requirit Hesiodus, ut iuvenem bobus praeficere noluerit, quanto minus ecclesiasticis et rebuspublicis praeficeret! *Ὀκτάβλωμον.*] id est, octo morsuum, ita tamen, ut unum frustum habeat binos morsus. *βλωμὸς* morsum significat.

v. 446. (444.) *καὶ ἐπισπορίην ἀλέασθαι.*] Hoc Virgilius in 1. Georg. imitatus est hunc in modum[49]):

Dum sicca tellure licet etc.

Nam sera satio obest, neque secunda satio tantum commodi habet, quantum tempestiva illa, cum robusta farra seruntur[50]).

v. 447. (445.) *ἐπτοίηται*[51])] *πτοίειν* aut *πτοιέειν* est percelli et tanquam attonitum reddi, gaffen.

v. 448. (446.) *Φράζεσθαι δ' εὖτ' ἂν*] Hactenus supellectilem rusticam et familiam agricolae pertractavit; sequitur nunc, quando sit arandum[52]), et quoties sit arandum. Porro poetae fingunt grues avolare in meridionalem regionem, in Aegyptum videlicet, ubi belligerantur cum Pygmaeis, ut est apud Homerum Iliad. lib. 3.[53])

Αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον[54]) *ὄμβρον.*

Verum[55]) Albertus[55 a]) scribit non esse fabulosum, sed quod sint ibi monstra quaedam similia[56]) hominibus. Imitatus est hunc quoque locum Hesiodi Virgilius in 1. Georg.[57]).

v. 451. (449.) *Κραδίην δ' ἔδακ' ἀνδρὸς*] Id est, terret eum, cui non sunt boves, propterea quod iam instat tempus postremae arationis. In dictione *ἀβούτεω* longa brevem concipit, ut saepe supra.

48) aetate] Ed. 1532. errore typogr.: aetatae.

49) Virg. Georg. I, 214.

50) seruntur] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562—1591.; Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662. serantur.

51) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

52) sit arandum] sic omnes illae Editt. excepta Ed. 1541. B., quae habet: arandum sit.

53) Hom. Il. III, 4.

54) *ἀθέσφατον*] sic recte Editt. 1557., 1564—1662.; Editt. 1532., 1541., 1562. *ἀτέσφατον*.

55) Verum] in Ed. 1557. deest.

55 a) Alberti Magni de animalibus lib. XXIII. c. 24. (Opp. [Lugd. 1651. Fol.] Tom. VI. p. 639.) de Pygmaeis dicit.

56) similia] sic omnes illae Editt. praeter Ed. 1532., ubi legitur: similes.

57) Conf. Virg. Georg. I, 207. 375.

v. 453. (451.) *Ῥηΐδιον γὰρ ἔπος εἰπεῖν.*] Negligentiam et inscitiam rusticorum taxat, qui non considerant, quibus opus habeant, sed in alienam opem semper sunt intenti, id quod miserrimum est. Est autem iucundum cum primis in hoc carmine,] *σχῆμα προκαταλήψεως*[58]), quo confutat eorum rationem, qui obiicere poterant: Si quid desiderabimus in re familiari nostra, poterimus ab alio mutuo petere. Et respondet eadem opera posse petere et negare aliquem.

v. 454. (452.) *ἀπανήνασθαι*[59])] Ab *ἀπὸ* et *ἀναίνομαι* compositum *ἀπανήνασθαι*[59a]), et significat denegare.

v. 456. (454.) *Νήπιος, οὐδὲ τόγ' οἶδ'* etc.] Id est, ignorat, quot[60]) lignis opus sit. Nam magna congerie bonorum lignorum opus est ad fabricandum currum.

v. 458. (456.) *Εὖτ' ἂν δὴ*[61]) *πρώτιστ'* etc.] Totus ille locus ad arationem pertinet, et est adhortatio, ut statim admoveant manum operi, non tantum famuli, sed et ipse paterfamilias. Addit deinde signa et circumstantias, qualis terra sit aranda, sicca scilicet et humida. Columella in hanc sententiam inquit: Neque succo careant, neque abundent uligine[62]). Ita Hesiodus iubet siccam et humidam arare, id est, non lutosam, et tamen madefactam. Meminerunt quoque huius praecepti Plinius et Theophrastus[62a]).

v. 462. (460.) *Εἴαρι*[63]) *πολεῖν, θέρεος*] Praeceptum est de reliquis arationibus. Pingue solum solet quater arari, bis solem bis frigora sentit, sicut est solum Italicum. Qui vero tenuius solum habent, ter arant. Prima aratio est proscissio. Secundo arant mense Iunio ante solstitium, Latini iterationem, nos brachen vocamus. Postremo ante sementem aratur, hoc Latini tertiationem vocant.

v. 463. (461.) *Νειὸν δὲ σπείρειν ἔτι* etc.] Adiecit praeceptum, quod intervalla sint facienda agris, quibus interspirent et quiescant; sunt enim multo feraciores, si permiseris intervalla, quam sine intervallis. Estque hic locus commendatio novalis. Nam cum terra quotannis ferendo non sit defatigata, nec penitus exhausta, fit, ut copiosiorem fructum ferat et gratior quoque sit. Est autem novale (teste Plinio) quod alternis annis seritur[64]). Operae pretium faceret studiosus puer, si, quae sunt in primo Georg. Virgilii[65]), cum hoc loco contulerit, ita sine negotio Hesiodi sententiam poterit adsequi.

v. 464. (462.) *ἀλεξιάρη*] Id est, pellens execrationem; solent enim agricolae maledicere, quando fructus ex sententia non proveniunt. Sic Hercules *ἀλεξίκακος* dictus est, quod depulerit mala hominibus, et fuerit domitor monstrorum.

v. 465. (463.) *Εὔχεσθαι δὲ*[66]) *Διὶ χθονίῳ* etc.] De sacris faciendis praeceptum: Admonet superos esse precandos, ut hominum studia et labores bene fortunent. Idem facit Virgilius et Xenophon magnifice in Oeconomia[67]). Quidam per terrenum Iovem intelligi putant Plutum; ego vero eum puto, qui gubernat et regit[68]) terrena.

v. 466. (464.) *ἱερὸν*] Id est, aram. Alludit enim ad Eleusinia Cereris sacra, quae Athenis fiebant, et vocabantur mysteria. Videntur autem mihi fuisse conspirationes et foedera, quibus se adstrinxerant ad civilia officia cives, hoc potest colligi ex Cicerone, ubi de Eleusiniis sacris disputat[69]). Erant autem maiora et minora sacra, et haec sub autumnum fiebant. Porro fingunt Cererem, cum per orbem quaereret filiam, humaniter ab Atheniensibus receptam esse, et ideo illis hanc gratiam reddidisse.

v. 467. (465.) *Ἀρχόμενος τὰ πρῶτ'*[70]) etc.] Circumstantia est, quomodo sit arandum; nam supra dixit, quando et quoties sit arandum.

v. 469. (467.) *Ἔνδρυον*] lignum significat, quod est proximum temoni, alioqui cor arboris

58) *προκαταλήψεως*] sic Editt. 1601—1662.; Editt. 1532., 1541., 1562—1591. *προκαταλείψιος*; Ed. 1557. *προκαταλείψεος*.

59) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

59a) *ἀπανήνασθαι*] sic Editt. Brunck., Goettl., Dübn.; Editt. 1532—1662. et Gaisf. *ἀπανῄνασθαι*.

60) quot] sic Editt. 1532., 1601., 1623.; ceterae Editt.: quod.

61) *δὴ*] sic illae Editt.; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. *δὲ*.

62) Colum. de re rust. II, 4.

62a) Plin. Nat. Hist. XVIII, c. 49. (al. c. 19.). — Theophrast. Eres. de causis plantar. III, 20. (al. 25.) Ed. Schneider.

63) *Εἴαρι*] sic illae Editt.; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. *ἔαρι*.

64) Plin. Nat. Hist. XVIII, c. 49. Ed. Franz. (c. 19. antiquior. Editt.).

65) Conf. Virg. Georg. I, 71.

66) *Εὔχεσθαι δὲ*] sic omnes Editt., excepta Ed. 1541. F., quae in textu *Εὔξεσθαι δὲ*, in comment. *Εὔχεσθαι γὲ* habet.

67) Xenoph. Oeconom. 5, 19 — 6, 1. Ed. Thieme.

68) regit] Ed. 1541. B. errore typogr.: regat.

69) Conf. Cic. de Legg. II, 14, 36.

70) *τὰ πρῶτ'*] sic illae Editt. et Brunck., Gaisf.; Editt. Goettl. Dübn. *ταπρῶτ'*.

hac voce significatur. *Μεσάβοιον.*] integrum est, poeta *μεσάβον* fecit; Iulius Pollux lorum esse dicit, quod boves iugo alligat[71].

v. 470. (468.) *πόνον ὀρνίθεσσι τιθείη*] Illa fuit absolutio sententiae; est autem soloecum hoc, quod a Graecis fieri solet. In arando debet subsequi aliquis, qui scamna, id est, maiores glebas confringat. Virgilius[72]):

Multum adeo. rastris glebas qui frangit inertes
Vimineasque trahit crates etc.

Et Plinius[73]): Crate dentata, vel tabula aratro annexa, quod vocant lirare[74]), operientes[75]) semina. Haec descriptio agriculturae non convenit cum nostra. *μακέλην*[76])] *μακέλη* dicitur eyn hacken[77]) vel bicke. *Δικέλη* eyn karst. Virgilii locum de occatione[78]) huc refer.

v. 471. (469.) *Εὐθυμοσύνη*[79]) *γὰρ ἀρίστη* etc.] Epiphonema est: Crede mihi, multum commodi adfert industria. Homo ignavus vix unquam ditescet. Solet autem sic poeta subinde spargere sententias de diligentia, quod sine ea nemo quicquam laude dignum efficere potest.

v. 473. (471.) *ἀδροσύνη*[80])] *Ἁδρὸν*[81]) *μέγα. παχὺ* Hesychius[81a]) exponit, nos feyst, fruchtbar. Et est sensus: Si ita fregeris glebas, ubi ita subegeris solum, spicae multa ubertate, seu (ut Columella dixit) pinguedine nutent ad terram. Elegans pictura seu *ὑποτύπωσις* huius carminis, qua rem ita describit, ut oculis plane subiiciat.

v. 474. (472.) *Εἰ· τέλος αὐτὸς ὄπισθεν Ὀλύμπιος.*] Egregia haec sententia est, quam nemo negare potest ex patrum religione promanasse[82]), ac veluti per manus traditam esse. Convenit enim cum primo decalogi praecepto, quo iubemur Deum honorare, ac illi fidere. Timemus, cum impia[83]) fiducia nostri relicta, omnem spem in Deum collocamus, hoc unum cogitantes, ne in rebus prosperis insolescamus, contra in adversis deiiciamur.

Ad hunc modum Hesiodus agriculturam, et quicquid est laborum nobis commendat. Vult, ut pro se quisque acriter in laborem animum intendat, verum finem laborum et, ut nos vocamus, benedictionem non nisi a Deo expectet. Quod si ille laboribus nostris affulserit, ac gratam auram commoda tempestate adspiraverit, nemini dubium esse debet, quin suum quoque labores assequantur finem et huiusmodi felix messis proveniat, ut (quemadmodum hic dicit poeta) sit utendum omnibus vasis repurgatis, quibus diu non sis usus.

v. 477. (475.) *πολιὸν ἔαρ.*] Id est, canum ver. Epitheton veris, quod adhuc ab hieme et pruinis canescit. *Εὐωχέων*] cum *ω* in antepenultima scribendum est; concipit autem rursus longa brevem, ut saepe iam supra.

v. 479. (477.) *Εἰ δέ κεν ἠελίοιο τροπῆς ἀρόῃς*[84]] Aliud praeceptum est, videlicet quod tempus sit vitandum, nec est, quod ordo in praeceptis te magnopere moretur. Poteris enim per te fingere tibi vel hunc vel alium ordinem, sitque hoc secundum praeceptum. *Τροπὰς* Graeci omnes conversiones vocant. Estque *τροπὴ χειμερινὴ καὶ θερινὴ*, id est, solstitium aestivum et hibernum, quod Latini raro solstitium, sed brumam vocarunt, *ἀπὸ τῆς βραχείας ἡμέρας*, ut Servius[85]) ait. Vocant etiam aequinoctia conversiones, quia tunc sol quasi convertit se et incipit descendere. Ita in conversione hiberna, quando sol longissime distat propter obliquitatem, tunc vertit se, et incipit ascendere, quia

71) Pollucis Onomast. I. c. 13. §. 252. Ed. Dindorf.

72) Virg. Georg. I, 94. 95.

73) Plin. Nat. Hist. XVIII, c. 49, 3. Ed. Franz. (c. 20. antiquior. Editt.).

74) lirare] sic Ed. 1541. B. et Plinii Editt. antiqq. et recentt.; Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1564., 1601—1662. lerare; Editt. 1569., 1581., 1591. levare.

75) operientes] sic illae Editt. omnes et Plinii Editt. Basil. 1525. Fol., Basil. 1545. Fol., Francof. 1599. Fol.; Editt. Franz. et Sillig. operiente (quae lectio etiam in Ed. 1599. in marg. affertur).

76) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

77) hacken] sic Editt. 1532., 1541., 1562.; Editt. 1557., 1564., 1569., 1601—1662. hacke; Editt. 1581., 1591. harke.

78) occatione] Editt. 1562., 1569. errore typogr.: occasione.

79) εὐθυμοσύνη] sic omnes illae Editt.; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. εὐθημοσύνη.

80) ἀδροσύνη] sic Editt. 1601—1662. et Editt. recentt.; Editt. 1532—1591. ἀδροσύνη. — Haec vox, ad quam hoc scholion pertinet, in solis Editt. 1601—1662. ei praefixa est.

81) ἁδρὸν] Editt. 1601—1662. τὸ ἁδρὸν; Editt. 1532—1591. ἀδρὸν.

81a) Hesychius s. v. ἁδρόν.

82) promanasse] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562—1591.; Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662. manasse.

83) Timemus, cum impia] sic omnes illae Editt. excepta Ed. 1541. B., quae habet: Timemus cum, impia.

84) τροπῆς ἀρόῃς] sic omnes illae Editt.; Editt. Brunck., Gaisf. τροπαῖς ἀρόῃς; Ed. Goettl. τροπῇς ἀρόῃς; Ed. Dübn. τροπῇς ἀρόσῃς.

85) Serv. in Virg. Aen. II, 472.

est statio solis. Ideo monet non esse arandum sub brumam.

v. 482. (480.) *Οἴσεις δ' ἐν φορμῷ* etc.] Extenuatio est: Domum portabis, non vehes, opus erit tibi calatho, non onusto plaustro; habebis enim multum culmorum, et parum granorum. *Φορμὸς* dicitur quicquid consutum est, *φόρμιον* stragulum factum ex iuncis, ein decken, hinc Phormio parasiti nomen[86]).

v. 483. (481.) *Ἄλλοτε δ' ἀλλοῖος Ζηνὸς νόος αἰγιόχοιο*] Tertium praeceptum. Alio tempore sunt aliae tempestates, aliquando citius, aliquando serius serendum, ut sinent tempestates, quia nonnunquam differt Iupiter tempestatem, et quando nos felicissimum annum speramus, tunc deploratissimum experimur. Ergo Iovi committenda huius rei cura, ut perficiat ex sua sententia, quae volet.

v. 485. (483.) *Εἰ δέ κεν ὄψ' ἀρόσῃς* etc.] Quartum praeceptum de sera aratione. Sin autem sero araveris, hoc poterit esse remedio, et verna aratio tum felix esse poterit, si pluerit ad tertium usque diem, ita ut pluvia neque superet ungulam bovis, neque destituat, in summa, ut impleat vestigia. Nam tum terra permadefit, et verna satio nihil infirmior fit autumnali. Et quia humor est principium vitae, ideo fit, quod humor tam facile non laedit[87]) quam siccitas.

Est autem pulchra periphrasis veris, cum inquit [v. 486 (484).] *ἦμος κόκκυξ κοκκύζει.* Cuculus enim veris tempus adesse cantu suo praenuntiare solet. Et principes Saxoniae hunc morem habent, ut, qui prior arcu percusserit cuculum, aureum habeat.

v. 491. (489.) *Ἐν θυμῷ δ' εὖ πάντα φυλάσσεο.*] Admonet rursus diligentiae; solet enim poeta subinde morales sententias adspergere, praecipue de sedulitate, cuius usus et vis in omnes vitae partes sese[88]) extendit. Nam ut res diligentia crescunt, ita socordia decrescunt. Iam cum nemo sit, quemadmodum Quintilianus inquit, qui non labore et diligentia sit aliquid consecutus, quae pravitas humanae mentis est, aut quae vecordia oscitantiam magis, quae dedecori hominibus est, quam diligentiam, ex qua nomen dignitasque paratur, velle amplecti? In studiis litterarum homines docti socordia multa dediscunt, ut est videre in Cicerone et Hortensio. Recte itaque Hesiodus facit, quod tam diligenter sedulitatem hominibus[89]) commendat.

v. 493. (491.) *Πὰρ δ' ἴθι*[90]) *χάλκειον θῶκον* etc.] Monet arationis tempore et cum negotia sunt expedienda, conventicula et alias nugas relinquendas esse. Atque hunc locum, quia perutilis est, quibusdam circumstantiis amplificavit. Prior est, quod, quamvis nos simus cessatores, tamen tempus minime cesset aut ferietur. Eam sententiam deinde repetit et auget ab effectu famis. Si quidem tempus consumis, quod in opere faciundo sumere tibi potuisses, fiet, ut ignavia te in hieme deprehendat, et fortiter cogaris esurire. Quod si famem vitare non poteris, certum est, quod in valetudinem adversam incides et maxime in dolorem pedum. Solet autem frigus naturaliter tumorem afferre, quia sanguis frigore coagulatur. Aristoteles prima sectione Problematum scribit fame diutina laborantibus pedes intumescere[91]). Huc alludit Hesiodus, cum iubet cavere, ut fame tumefactum pedem demulcere nos oporteat[92]) *Χάλκειον θῶκον*] aeneam sedem, id est[93]), tabernam vocat; erant enim consessus in officinis ferrariis. *ἐπ' ἀλέα.*] in locis calidis exponi potest, quamquam suspicor mendum esse in tono, ut sit *ἀλεῷ* scribendum ab *ἀλέομαι* evito; verum nolo quicquam mutare. Usus est autem et supra[94]) *ἐπὶ* cum accusativo in ista significatione, dum ait: *ἐπ'*[95]) *ἀπείρονα γαῖαν*; *ἀλεὸν* vero locum tepidum in aprico situm significat. *λέσχην*[96])] *λέσχαι* quondam dictae sunt conven-

86) Phormio parasitus est persona primaria comoediae Terentii, quae Phormio inscribitur.

87) laedit] sic Ed. 1532.; ceterae Editt.: laedat.

88) sese] sic omnes illae Editt. excepta Ed. 1557., ubi legitur: se.

89) hominibus] sic omnes illae Editt. praeter Ed. 1532., quae habet: homini.

90) δ' ἴθι] sic omnes illae Editt. in textu; in comment. autem Editt. 1541. F., 1557., 1562. ἴθι, Ed. 1569. δ' ἦθι.

91) Aristot. Problem. I, 5.

92) nos oporteat] sic Editt. 1532., 1541., 1562., 1601.; Editt. 1623., 1662. errore typogr.: non oporteat; Editt. 1557., 1564—1591. cogamur.

93) id est] in Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662. omiss.

94) Scil. v. 487 (485).

95) ἐπ'] sic recte Editt. 1623., 1662. (sic enim in illo v. legitur); ceterae Editt.: ἐπὶ.

96) Haec Hes. vox in solis Editt. 1601—1662. huic scholio est praefixa.

ticula philosophorum, deinde, quia[97]) inter ipsos de rebus levissimis plerumque agitabatur, factum est, ut λέσχαι dicerentur vulgo nugae. Suidas[98]) Homerum citans, inquit: λέσχας ἔλεγον δημοσίους τινὰς τόπους, ἐν οἷς σχολὴν ἄγοντες ἐκαθέζοντο πολλοί. Ὅμηρος[99]):

οὐ θέλεις[100]) εὕδειν χαλκήιον ἐς δόμον ἐλθών,
ἠέ που ἐς λέσχην.

v. 498. (496.) *Πολλὰ δ' ἀεργὸς ἀνὴρ* etc.] Ignaviae effectum prosequitur. Indigens vir multa mala concipit in animo; fieri enim non potest, ut mens hominis plane sit otiosa; itaque varios dolos ac fraudes excogitant hi, qui rerum inopia laborant. Unde Columella recte dixisse iudicandus est, dum inquit: Homines nihil agendo male agere discunt. Nihil enim usquam quicquam scelerum est, neque ulla quantumvis pessima flagitia designantur, quae non ex ignavia, veluti ex fonte promanant. Huius rei passim in omnibus civitatibus, pagis et vicis plura exempla, quam numerari queant, a circulatoribus et decoctoribus eduntur, qui, dum inanem spem (ut Hesiodus vocat) nimis diu fovere, tandem ad furta, latrocinia, et sacrilegia animum applicant. Quare ut haec flagitia e medio tollantur, solus labor remedio esse poterit. Est enim per laborem aditus ad[1]) virtutem, per desidiam vero ad omnia genera flagitiorum non aditus tantum, sed rectissima via.

v. 502. (500.) *Δείκνυε δὲ δμώεσσι, θέρευς.*] Spargit rem in personas, atque ita a[2]) temporis circumstantia auget. In media aestate certa opera praescribe. Sequitur ratio: quia non semper aestas erit[3]). Haec sententia speciem proverbii habet, qua monemur occasionem temporis non esse negligendam. Et nota est fabula de formica et cicada[4]). Quin et Germani vulgari dicto cessatorum socordiam notamus, cum dicimus: Post gratum solis calorem, ingratum frigus experiemini. θέρευς] pro θερεος Dorice.

v. 504. (502.) *Μῆνα δὲ Ληναιῶνα.*] Amplificatio est a temporis descriptione longiori; describit enim hiemem, et est similis locus apud Virgilium in Georgicis[5]) copiosissime tractatus. *Ληναιών*] mensis Brumalis est, partim cadens in Decembrem, partim in Ianuarium. Luna Graecis menses faciebat[6]), non civilis ordinatio aut sol. Porro ληναιῶνα Ianuarium esse apparet ex Gaza[7]), qui ait: ληναιῶνα δὲ καὶ αὐτὸς ᾔδει[8]) Ἰανουαρίον ὄντα. Id est, Lenaeona[9]) autem et ipse norat Ianuarium esse. Lenaea[9]) enim Bacchi feriae, et Pythia sub id tempus agebantur, cum vini primitias libabant. Commentarius in Equites Aristophanis[9a]) continet, adolescentes eo tempore solitos fuisse circumvehi, qui de plaustris convicia iaciebant. *βουδόρα.*] frigora vocat, quae adurunt et excoriant boves; sunt ea autem in mense Decembri, cum maxima vis Aquilonis sentitur, cui Germani a frigore nomen fecerunt, cum vocant eyn schinden[10]) hengst, quasi dicas excoriatorem boum, δέρω Graecis excorio significat.

v. 506. (504.) *Πνεύσαντος Βορέαο δυσηλεγέες.*] A circumstantiis rem tractat, videlicet unde spiret Boreas, et quid soleat fieri, cum spiret. Spirat autem per Thraciam, quia ad septentrionem Graecis Thracia sita est. Multas quercus, altas abietes de monte deiicit in vallem ad terram. Deinde auget ab habitu animantium. Etiam ferae saevitiam hiemis ferre non possunt, quas natura muniit, quanto minus nos! δυσηλεγέες] scilicet glacies, id est, molestae, a δὺς καὶ ἀλέγω, curo, quod adferant molestam curam.

---

97) quia] Ed. 1541. B. errore typogr.: qui.

98) Suid. s. v. λέσχαι.

99) Hom. Od. XVIII, 328. 329.

100) οὐ θέλεις] sic Editt. 1532—1601; Editt. 1623., 1662. οὐδὲ θέλεις; Suid. ed. Bernhardy, in textu οὐκ ἐθέλεις (in annotat. crit. adscripsit, legendum esse οὐδ' ἐθέλεις); Hom. ed. Herm. οὐδ' ἐθέλεις).

1) ad] Ed. 1541. F. errore typogr.: id.

2) a] sic Editt. 1532., 1541. B.; in ceteris Editt. deest.

3) De hoc proverbio conf. Erasmi Adag. chil. IV. cent. III. prov. 66.

4) Aesop. fab. CXCV.

5) Virg. Georg. I, 299 sqq.

6) De hoc lunari anno conf. Ideler: Handbuch der mathemat. u. technischen Chronologie Tom. I. p. 66 sq. 256 sqq. eiusque lib.: Historische Untersuchungen über d. astronom. Beobachtungen der Alten p. 175 sqq.

7) Gazae lib. de mensibus fol. 150b. Ed. Ald. (1525. 8. min.)

8) ᾔδει] sic recte Editt. 1532., 1601—1662.; ceterae Editt. ἤδει.

9) Lenaeona ... Lenaea] illae Editt.: Linaeona ... Linaea. — Conf. de hoc mense et festo Wachsmuth: Hellen. Alterthumsk. Ed. 2. Tom. II. p. 486. 580. 784 sq.

9a) Schol. in Aristoph. Equit. 541.

10) schinden] sic omnes illae Editt., exceptis Editt. 1541. 1562., quae habent: schind den.

v. 516. (514.) *Καί τε δι' αἶγα ἄησι.*] Caprae epitheton est hirsutam esse. Virgilius in 3. Georg.[11]) testatur capras valde obnoxias esse frigori.

v. 518. (516.) *Τροχαλὸν δὲ γέροντα τίθησι.*] Distributione quadam hiemis incommoda recenset, et aptissime dicit incurvum senem Boreae iniuriis obnoxium, quod haec aetas omnium maxime gaudeat sole et fugiat frigus, unde notum est illud: Et apricos meminisse senes[12]). Periphrasticῶς autem virginem innuptam descripsit, quod opera aureae Veneris ignoret. Estque diligenter observandum, quod innuptae non prodibant in publicum, sed adservabantur domi. Sed haec cantilena non grata admodum foret nostratibus puellis.

v. 522. (520.) *λίπ'.*] Apocope est pro *λιπαρῷ ἐλαίῳ*, id est, pingui oleo. Nam postrema syllaba abiecta est.

v. 523. (521.) *Ἤματι χειμερίῳ, ὅτ' ἀνόστεος*] In hac descriptione hiemis et polypi piscis mentionem facit. Cuius haec natura est teste Plinio, lib. 9. cap. 29.[13]), ut fame laborans sibi pedes arrodat, quo maxima hiemis saevitia notatur. Et quia vehementer frigore laeditur, latet plurimum in antro suo, nec egreditur piscatum, unde colligi quoque potest in frigidioribus aquis non esse. Per aestatem convehit et reponit victum, perinde ut formica, testis est Theophrastus[13a]). Sunt autem polypi multae species. Verum maxime cum illis cognatus esse videtur, quos Albertus[14]) Raias vocavit (die rochen). Piscis magnus est, habens octo pedes, in quibus duo extremi pedes cotyledones habent, id est, concavitates, quibus nititur et affigit se his, quae prehendit. Unde in Aulularia Plautus[15]) ait de avaris:

Ego istos novi polypos, ubi, quid tetigerunt[16]), tenent.

Athenaeus multos autores citat, qui scripserunt fame laborantem polypum in cavernis brachia sua rodere[17]), cui sententiae et Oppianus[18]) et Albertus[18a]) suffragantur. Sed Athenaeus[19]) et Plinius[20]) putant id accidere polypo a congris. Hesiodus vero hanc speciem *ἀνόστεον* vocat, quod spinam non habeat, sed cartilaginem pro spina. Dicunt illum venari pisces mira industria, cum alioqui sit animal timidum. Verum ita comparatum est, ut illi consilio polleant natura, quibus robur est negatum.

v. 527. (525.) *Ἀλλ' ἐπὶ κυανέων ἀνδρῶν* etc.] Id est, sol vertitur supra populum nigrorum hominum. Intelligit autem Aethiopes, qui sunt in Africa, quorum etiam nunc quidam sub imperio Caroli Caesaris sunt. *κυάνεον* Graeci vocant, quod nos caeruleum, lasur, estque metalli genus, metaphorice pro obscuro et atro. Est autem sensus: Sol volvitur super meridionales homines, nec diu moratur supra nostrum hemisphaerium, videlicet Graeciae.

v. 529. (527.) *Καὶ τότε δὴ κεραοὶ* etc.] Adhuc in hiemis descriptione commoratur. Cornutae ferae et non cornutae lugubriter frendentes per silvas fugiunt.

v. 530. (528.) *μυλιόωντες*[21]]) *Μύλη* dentem molarem significat, a quo fit verbum *μυλιάω*[22]), quod significat dentes incutio, strideo propter frigus, *ο* littera interposita est. *δρύα*[23]]) loca arboribus consita sunt. Hesychius per *ι* scribit.

v. 533. (531.) *Γλάφυ*] pro *γλαφυρὸν* apocope est, et significat specum et concavitatem petrosam. *Τότε δὴ τρίποδι βροτῷ ἶσοι*] Est hoc loco poeta delectatus aenigmate Sphingis[24]). Nam senes solent in baculum incumbentes demisso capite incedere, et terram inspicere. Unde et silicernii dicti sunt[25]). His similes esse dicit

---

11) Virg. Georg. III, 298 sq.

12) Persii Sat. V, 179:
Aprici meminisse senes. etc.

13) Plin. Nat. Hist. IX. c. 46. Ed. Franz. (c. 29. antiquior. Editt.).

13a) Theophrast. Eres. fragm. XII, 3. Ed. Schneider.

14) Albert. Magn. tract. de animalibus, lib. XXIV. (Opp. Tom. VI. p. 659.) de raycheis disserit.

15) Plaut. Aulul. 2, 2, 21.

16) ubi, quid tetigerunt] sic illae Editt.; Plaut. Ed. Bipont.: qui sibi quicquid tetigerint.

17) Athen. l. VII. c. 102. Ed. Schweighaeuser., (p. 316. e. Ed. Casaub.).

18) Oppian. Halyeut. II, 244.

18a) Albert. Magn. l. l. (Opp. T. VI. p. 658.)

19) Athen. l. l. (p. 316. f. Ed. Casaub.).

20) Plin. Nat. Hist. IX. c. 88. Ed. Franz. (c. 62. antiquior. Editt.).

21) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

22) *μυλιάω*] sic recte omnes illae Editt., praeter Ed. 1541. B., quae habet *μυλιόω*, et Ed. 1601., in qua legitur *μυλιαίω*.

23) *δρύα*] sic illae Editt. omnes; Editt. Brunck., Gaisford., Goettl., Dübn. *δρία*.

24) Conf. Pauly: Real-Encycl. des class. Alterth. VI. p. 1377. et V. p. 875.

25) Fulgent. Expos. Serm. ant. 8. Silicernios dici voluerunt senes incurvos, quasi iam sepulcrorum suorum silices adspicientes. Unde Cincius Alimentus Hist. de Georg. Leont. scribit dicens: Qui dum iam silicernius sui finem temporis exspectaret, etsi morti non potuit, tamen infirmitatibus insultavit. Vid. Gesneri thes. s. h. v.

feras, cum penuria victus laborantes propter nivem, undique per silvas discurrunt.

v. 535. (533.) νίφα] rursus Apocope est pro νιφάδα, frequens Homero.

v. 536. (534.) Καὶ τότε ἕσσασθαι etc.] Versatur per omnes circumstantias corporis, et monet propter frigus arcendum, crasso panno et multis pilis intertextis utendum esse. Graeci vero usi sunt admodum honesto vestitu, quemadmodum et reliqui honesti populi Romani et Iudaei. Pallio usi sunt supra tunicas. χιτὼν vero vestis interior erat.

v. 538. (536.) κρόκα] Accusativus est pro κροκίδα, et significat id, quod subducitur, eyn eintrag [26]). apud Pollucem in libro de vestibus [27]).

v. 539. (537.) ἵνα τοι τρίχες ἀτρεμέωσι] id est, ne horreat corpus nimio frigore.

v. 545. (543.) ἀλέῃν] ab ἀλεύεσθαι, ut habeas quiddam, quod arceat pluviam.

v. 547. (545.) Ψυχρὴ γάρ τ' ἠὼς] Enumerat iam causas pluviae. Quemadmodum enim vapor ex olla in operculo repercussus in aquam resolvitur: sic vapor ex terra in nubibus repercussus in aquam resolvitur et deinde decidit. Humectat autem aer sata et arva, itaque addit [28]) conveniens epitheton [v. 549. (547.)] πυροφόρος. Postea, quid ventus sit, dicit, nimirum nubium agitatio.

v. 559. (557.) Τῆμος θ' ὥμισυ βουσὶν [29])] Bobus adservandum esse dimidium pabulum, viro vero ut supersit aliquid in noctem scilicet. Nam Graeci homines tantum coenabant et largius quidem.

v. 560. (558.) ἐπίῤῥοθοι [30])] ἐπιῤῥόθειν accurrere significat.

v. 561. (559.) Ταῦτα φυλασσόμενος etc.] Absolvimus hactenus descriptionem hiemis; nunc autem veris descriptionem hoc caput continet. Estque primum signum, quando Iupiter sexaginta dies, id est, duos menses, Ianuarium videlicet et Februarium confecerit, post brumam vel conversionem solis, tum stella Arcturus nuntia veris primum apparere incipit. Est autem Arcturus stella sub zona Bootae, oritur chronico ortu, id est, vespere initio veris, quando sol ingressus est Arietem.

v. 568. (566.) Τόνδε [31]) μέτ' ὀρθρογόη] Aliud est signum venientis veris. Vide Ovidium in sexto Metamorphoseos [32]), quare hirundo dicta sit Pandionis filia. Comperi autem latere hieme hirundines in nido suo tanquam mortuas. Proinde non puto avolare eas. Totam hiemem habent secum recentia ova. Reviviscunt autem sub aestatem. Quare iudico mirabile quoddam opus esse ac imaginem resurrectionis nostrorum corporum.

v. 570. (568.) Τὴν φθάμενος οἴνας] Summa huius loci est, quod tempore veris sint amputandae vites, nec sit expectandum, donec maior aestus advenerit. Turgent enim tunc in palmite gemmae, nec potest esse sine periculo, si tunc putentur vites. οἴνας] dicunt significare palmites, vocabulum vetus est, apud iuniores ἄμπελος in usu.

v. 571. (569.) Ἀλλ' ὁπόταν [33]) φερέοικος] Hoc praecepto messis tempus describit. Quando aestus, inquit, coeperit esse vehementior, ita ut quaerant humidiora loca testudines, tum [34]) falx erit acuenda et seges demetenda. Est autem omnino tempestivior messis Graecis quam nobis. Sunt enim illi magis ad orientem et meridiem quam nos. Quare variant haec praecepta, nec ad singulas regiones accommodari possunt. φερέοικος] Epitheton testudinis est; dicitur enim domiporta, quod aedes suas circumferat. Nota est fabula de testudine [35]), quae sola domi remansit, cum reliqua animantia omnia suavissimis epulis Iovis accipiebantur [36]).

v. 572. (570.) σκάφος] instrumentum est rusticum apud Pollucem [37]).

---

26) eintrag] sic omnes Editt., excepta Ed. 1532., ubi legitur: intrag.

27) Polluc. Onomast. VII, 14, 63 sq. Ed. Dindorf.

28) addit] sic omnes Editt., praeter Ed. 1532., quae habet: addidit.

29) θ' ὥμισυ βουσὶν] sic omnes illae Editt.; Editt. Brunck. et Dübn. θὤμισυ βουσὶν; Ed. Gaisford. θὤμισυ βοῦσ'; Ed. Goettl. τὤμισυ βοῦσ'.

30) Haec Hes. vocem huic scholio ipse adscripsi.

31) Τόνδε] sic illae Editt. et Editt. Brunck., Gaisford.; Editt. Goettl., Dübn. τὸν δὲ.

32) Ovid. Metam. VI, 426—676.

33) ὁπόταν] sic illae Editt.; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. ὁπότ' ἂν.

34) tum] sic omnes illae Editt., excepta Ed. 1532., quae habet: iam.

35) Aesopi fab. LXXIX. Ζεύς inscripta.

36) accipiebantur] sic omnes Editt. illae, excepta Ed. 1557., ubi legitur: acciperentur.

37) Pollux varias huius vocis affert significationes, vide I. §. 88. 92. II, 85.; inter instrumenta rustica autem, de quibus l. X. c. 29. disserit, §. 129. σκαφίον et §. 130. σκαφίδες memorat.

v. 574. (572.) *Φεύγειν δὲ σκιεροὺς θώκους*] Vides, quam non possit poeta sedulitatis oblivisci. Prohibet enim tempore messis somnum ad multam lucem esse protrahendum[38]), quod eo tempore reponenda sunt[38]), quibus in hieme fruamur. Iam qui ad auroram atque in medios id temporis dies stertere voluerit, miseram profecto vitam trahet, ubi hiems sui memoriam nobis in animum semel coeperit revocare, ibi tum licebit experiri verissimum esse cicadae et formicae apologum. Plurimum et venustatis et utilitatis haec sententia habebit, si quis ad studia litterarum traduxerit, cum illa cessatorem minime requirant, et qui in multam lucem quotidie stertat. Adiecit deinde, ceu gnomas quasdam, optimos versus, quibus matutina opera hominibus commendat, et dicit auroram tertiam operis partem absolvere. Item eos, qui mane surgunt, plurimum promovere, quoscunque labores susceperint. Postremo etiam boves facilius ferre matutina opera quam meridiana. Experiuntur etiam studiosi bonarum litterarum, Auroram Musis esse amicam. Quare diligenter has sententias observent et meditentur hi, qui animum ad litteras applicuere, quique parentum et amicorum expectationi[39]) aequissimae[40]) satisfacere volent.

582. (580.) *Ἦμος*[41]) *δὲ σκόλυμός τ' ἀνθεῖ*] Aestatis a solstitio descriptio. Primum ponit prognosticum maximi aestus, deinde quid faciendum sit. Graeci post ver statim incipiunt messem. Deinde sequitur solstitium aestivale, tunc nos habemus messem. *σκόλυμος*] carduus dicitur flore purpureo, quo nomine et reliquae species censentur, ut sunt paliuri, chamaeleones, acanthi. Vide Plinium lib. 20. cap. 23.[42]) et lib. 22. cap. 22.[43]) de carduo: Venerem stimulare in vino, Hesiodo et Alcaeo[43a]) testibus, qui florente ea cicadas acerrimi cantus esse, et mulieres libidinis avidissimas, virosque pigerrimos in Venerem scripsere.

v. 587. (585.) *ἐπεὶ κεφαλὴν καὶ γούνατα*] Ratio, quare hoc tempore viri debilissimi sint, et mulieres lascivissimae, quia calor resolvit totum corpus hominis, ergo laeduntur magis aestu quam frigore viri.

v. 589. (587.) *καὶ βίβλινος οἶνος*] A Biblia regione Thraciae[44]) Biblinum vinum dictum esse Athenaeus scribit lib. 1.[45]). Testatur autem dulce fuisse, atque a Siculis Pollium vinum dictum esse. Et Homerus non uno loco testatur Thraciam nobilia vina habuisse.

v. 590. (588.) *Μᾶζά τ'*] Libum lacteum intelligit ex recenti lacte, sive lac coagulatum. Nostri homines, puto, vocant eyn zieger. Deficiunt autem lacte, nisi mulgeantur, caprae iuxta Virgilium[46]):

Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra;
Laeta magis pressis manarint ubera[47]) mammis.

Item caprae vincunt copia lactis oves, laudaturque lac caprarum plus in libo quam ovium. Poterit et haec huius loci sententia esse, quia sub autumnum statim admittuntur caprae ad conceptum, et deinde deficiunt. Utere igitur, dum potes. *σβεννυμενάων*] Aeolica dialectos est, cum α sit interposita, quasi dicas extinctarum aut non lactantium.

v. 591. (589.) *Καὶ βοὸς ὑλοφάγοιο κρέας*] Vitulinam carnem intelligit, quae non improbatur sana esse homini. Caeterum enixae bovis carnem non laudat poeta.

v. 592. (590.) *πρωτογόνων*[48])] Illa enim caro est valde laudata, quod facilis sit concoctu. Estque in aestate istis cibis utendum, qui facile concoqui possunt. Itaque et huius mentionem hic facit poeta. *αἴθοπα*[49]) *οἶνον*] Vel a calore dixit, quod adurit faciem, vel a colore. Laudantur enim magis aestate, rubra vina, quod

38) protrahendum . . . . sunt] sic omnes illae Editt. praeter Ed. 1557., quae habet: protrahere . . . . sint.

39) expectationi] Ed. 1557. addit: de se.

40) aequissimae] sic omnes Editt. excepta Ed. 1541. B., quae habet: aequissime.

41) *Ἦμος*] Editt. 1541. F., 1557., 1564. in comment. *ἦμος*, Ed. 1581. ibid. *ὅμος*.

42) lib. 20. cap. 23.] sic secundum antiquiores Plinii Editt., recte Editt. 1532., 1541., 1562—1591.; Editt. 1557., 1601—1662. lib. 12. cap. 23. — secundum Ed. Franz. lib. 20. c. 99. Conf. etiam lib. 21. c. 56. eiusd. Ed. (c. 16. antiq. Editt.).

43) lib. 22. cap. 22.] sic Editt. 1532., 1601—1662.; ceterae Editt.: lib. 22. cap. (numero capitis omisso). In hoc cap. 22. antiquior. Editt. (c. 43. Ed. Franz.) leguntur verba h. l. allata: „Venerem — scripsere."

43a) Alcaei reliq. ed. Matthiae fr. XXVIII. a. p. 29 sq.

44) Thraciae] in Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662. deest.

45) Athen. l. I. c. 56. Ed. Schweigh. (p. 31. a. Ed. Casaub.)

46) Virg. Georg. III, 309. 310.

47) manarint ubera] sic illae Editt.; Virg. Ed. Wagner: manabunt flumina.

48) *πρωτογόνων*] Ed. 1541. F. male *πρωτογόνον*, Ed. 1557. *πρωτογόνου*.

49) *αἴθοπα*] Editt. 1532., 1541. F. *αἶνοπα*.

pinguiora sunt et magis alant corpus. Caetera tenuiora sunt et facilius penetrant.

v. 594. (592.) *Ἀντίον εὐκραέος ἀνέμου*[50]) etc.] Inter caeteras voluptates non postrema est, si quis in aestate sub umbra gratam auram captet, ita ut faciem versus leviter susurrantem ventum vertat. Intelligit autem hoc loco Zephyrum, quod Euri, Boreae et Zephyri aestate[51]) sint temperati. Auster vero plerumque noxius est, tam aestate quam hieme. Erit maior haec voluptas, si adfuerint rivuli perpetuo scaturientes, quibus semper multum delectati sunt poetae.

v. 595. (593.) *ἀθόλωτος*] *καὶ ἄθολος*, qui sit sine limo, aut qui non sit lutulentus.

v. 596. (594.) *Τρὶς ὕδατος προχέειν*] Consuetudinem Graecorum observabis, qui nunquam merum vinum soliti erant bibere, verum semper vinum aqua diluebant, ut testatur Athenaeus lib. 10., qui hanc consuetudinem diluendi vini fuisse dicit, ut ad duos vini cyathos, quinque aquae adderent, alicubi et ad quatuor vini cyathos, duos aquae. Ex Menandro citat Athenaeus[52]):

Καί τοι πολύ γ' ἔσθ' ἥδιον, οὐ γὰρ ἂν πότε
ἴπιον τρεῖς[53]) *ὕδατος, οἴνου δ' ἓν μόνον.*

Sic Athenaeus[54]): *Καὶ Διοκλῆς*[55]) *ἐν Μελίσσαις·*

Πῶς δὲ καὶ κεκραμένον
πίνειν τὸν οἶνον δεῖ; Μετὰ τέτταρα καὶ δύο.

Ἡ δ' οὖν[56]) *κρᾶσις αὕτη, παρὰ τὸ ἔθος οὖσα, ἐπέμνησε τάχα καὶ τὴν θρυλλουμένην παροιμίαν·*

Ἢ πέντε πίνειν ἢ τρία, ἢ καὶ τέσσαρα[57]).

ἢ γὰρ δύο πρὸς πέντε πίνειν, φησὶ[58]), *δεῖν ἢ ἕνα πρὸς τρεῖς.*

Apud Locrenses erat capitale vinum bibere iis, qui erant in magistratu, nisi medicus iussisset. Item Romani adolescentes non erant soliti vinum bibere ante vicesimum annum, et Scythice bibere dicebant merum bibere, quasi barbare, ut quibus sint robora validiora. Sic bibit apud Homerum Polyphemus Odysseae *ι*[59]). *Προχέειν*] Infinitivus pro imperativo, sic [v. 596. (594.)] *ἴεμεν.*

v. 597. (595.) *Δμωσὶ δ' ὑποτρύνειν*[60]) *Δημήτερος*] Servavit hunc ordinem poeta, ut a vere describeret, quicquid singulis anni temporibus fieri conveniret, nunc subiicit praeceptum de tritura, quae fit in mense Augusto, cum mane ortu Heliaco paulisper ante solem emergens Orion cernitur. Virgilius[61]):

Et medio tostas aestu terit area fruges.

Addit locum, in quem sit reponenda area, nimirum qui sit ventis expositus, et quia fruges debent torreri a sole, ergo necesse est locum esse expositum soli. Eadem verba sunt in Varrone de re rustica[62]), quae hic sunt: Area, inquit, sublimiori loco, qua[62a]) perflare possit ventus. Alii intelligunt area bene aequata. Solebat enim cylindro aequari, ut est apud Virgilium[63]), necubi impingerent. Verum Varro[64]) rotundam esse dicit, hunc ego sequor. Usi sunt equis aut bobus in trituratione, qui tabulas trahebant, et ita excutiebant grana. Unde illud est in sacris litteris: Bovi trituranti non obligabis os[65]).

v. 600. (598.) *Μέτρῳ δ' εὐκομίσασθαι*[66])] Monet mensurandas esse fruges, ut sciat agricola, quantum ex agro redeat.

---

50) *εὐκραέος ἀνέμου*] sic illae Editt.; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. *ἀκραέος Ζεφύρου.*

51) aestate] sic omnes illae Editt. excepta Ed. 1541. B., quae habet: aestati.

52) Athenaeus l. X. c. 28. Ed. Schweigh. (p. 426. c. Ed. Casaub.) citat quidem duos versus ex Menandri Heroë; sequentes vero versus non sunt Menandri, sed ex Anaxilae Nereo ab Athenaeo l. l. afferuntur. — De hoc Attico auctore comoediarum, quarum nonnisi tituli et singula fragmenta supersunt, conf. Fabricii Biblioth. Gr. II. p. 412 sqq. Meineke Quaest. scenicc. III. p. 44 sqq. et Pauly: Real-Encyclop. d. class. Alterth. I. p. 466.

53) *τρεῖς*] sic illae Editt. et al.; Athen. Ed. Schweigh. *τρὶς.*

54) Athen. l. l. (p. 426. d. Ed. Casaub.).

55) De hoc poeta Atheniensi, ex cuius comoediis nihil nisi tituli sex comoediarum (quarum una *Μέλιτται* inscripta fuit) et singula fragmenta supersunt, conf. Meineke Hist. crit. comicc. Att. p. 251 sq. et Pauly l. l. II. p. 1082 sq. nr. 2.

56) *οὖν*] Ed. 1662. errore typogr.: *οὔ.*

57) *ἢ τρία, ἢ καὶ τέτταρα.*] sic illae Editt. omnes; Athen. Ed. Schweigh.: *ἢ τρί', ἢ μὴ τέτταρα.*

58) *φησὶ*] sic illae Editt.; Athen. Ed. Schweigh.: *φασί.*

59) Odyss. *ι.*] sic recte Editt. 1532., 1623., 1662.; ceterae Editt. male: Odyss. 1. — Vid. Hom. Od. IX, 346 sqq.

60) *ὑποτρύνειν*] sic illae Editt.; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. *ἐποτρύνειν.*

61) Virg. Georg. I, 298.

62) Varro de re rust. I, 51.

62a) qua] sic illae Editt.; ap. Varron. Ed. Schneider. legitur: quam.

63) Virg. Georg. I, 178.

64) Varro l. l.

65) 1. Cor. 9, 9.

66) *δ' εὐκομίσασθαι*] sic illae Editt.; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. *δ' εὖ κομίσασθαι.*

v. 602. (600.) *Θῆτ' ἄοικον*[67]) *ποιεῖσθαι*] Conducendum suadet mercenarium aliquem, qui possit rebus domesticis vacare, qui non habeat multa, quae sibi ipsi domi agat. Fieri enim non potest, ut multa simul bene agere possimus, inquit Xenophon. Eadem ratio habenda ancillae, ut non habeat liberos. Subiecit deinde praeceptum de cane, quem vocamus custodem rei familiaris. In hoc alendo admonet sumptibus non esse nimium parcendum, quia observet[68]), ne fures clanculum intrent in aedes domini, ac surripiant quippiam. Graeci trifariam canes distinguunt, idque ab officiis; sunt enim *ἰχνευτικοὶ*, quos nos indagatores vocamus, canes venatici, nobilibus et divitibus admodum grati, qui venationi operam dant. Sunt rursus qui *οἰκουροὶ* vocantur, quasi dicas custodes aedium. Agunt enim excubias prae foribus, et de his Hesiodo hoc loco sermo est. In tertio gradu sunt *Μελιταῖα κυνίδια*, id est, Melitaeae catellae, nulli rei utiles, praeterquam quod in deliciis sunt praedivitum matronis. Unde etiam in proverbium abiere[69]) de delicatis.

v. 604. (602.) *καρχαρόδοντα*] a sono factum esse videtur epitheton canis. Sunt enim asperrimis dentibus, et omnium firmissime retinent, quae sunt semel intra fauces recepta. *φείδεο*] *ου* in *εο* mutatum, et rursum *εο* in *ου*, si sit opus. Est enim eadem ratio dissolvendi, quae contrahendi.

v. 605. (603.) *ἡμερόκοιτος*] qui interdiu dormit et noctu obambulat, quod fures solent. Suidas piscem et furem significare ait[70]).

v. 606. (604.) *Χόρτον δ' ἐςκομίσαι καὶ συρφετὸν*[71])] Quod de cane dixit, idem de bobus et mulis intelligi debet. Neque enim convenit parum liberalem esse erga eos, quorum opera in colligendo victu plurimum sis usus. Monet itaque Hesiodus in annuum victum paleas et foenum comportari deberi[72]), quibus hoc quoque subindicat, agricolam non oportere studiosum esse tantum frumenti, sed etiam aliarum rerum viliorum; fere fit enim, ut[73]), qui res in speciem nullius pretii negligat, et res maioris pretii sensim incipiat fastidire et amittere. Et notus est senarius:

Εἰ μὴ φυλάσσῃς τὰ μικρ', ἀπολεῖς τὰ μείζονα.

v. 608. (606.) *Δμῶας ἀναψύξαι φίλα γούνατα*] Feriandum esse a labore non tantum homini, verum etiam pecori. Sunt enim recuperandae vires, alioqui nemo tam ferreus esse poterit, qui sufficeret continuis laboribus, iuxta illud Nasonis[74]):

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Haec reparat vires, fessaque membra levat[75]).

Et sacrae litterae praecipiunt ferias esse habendas a labore, quas qui negligerent avaritia exagitati, indignos esse benedictione Dei. Et nos docemur experientia haud temere ad ullam frugem adspirare eos, qui in praescribendis laboribus admodum sunt liberales, et in supputando victu et otio a labore[76]) plus aequo tenaces. *ἀναψύξαι*] scilicet fac, aut ut sit infinitivus pro indicativo, refice, recrea famulos. Et quia genua fessis labant, et fatigatio maxime in his sentitur, ideo dixit famulis chara genua esse reficienda.

v. 609. (607.) *Εὖτ'*[77]) *ἂν δ' Ὠρίων καὶ Σείριος*] Posteaquam ordine descripsit anni partes, et quid singulis fieri debeat, nunc subiicit caput de autumno et vindemia. Hunc ordinem Columella imitatus est et Plinius aliquando. Oritur Arcturus mane cum Libra mense Septembri, quo tempore mane medio coelo sunt Orion et Canis non procul ab occasu, tum est vindemia facienda. Addit descriptionem factitii vini, in qua rationem faciendi uvas passas complexus est. Vide Plinium[78]) et Columellam[79]). Coquunt pri-

67) *Θῆτ' ἄοικον*] sic Editt. 1532—1591. in textu et comment. et Ed. 1601. in comm.; Editt. 1623., 1662. in textu et comm. et Ed. 1601. in textu *Θῆτα ἄοικον*; Editt. illae 4 recentt. *θῆτά τ' ἄοικον*.

68) observet] sic Editt. 1541., 1557., 1562., 1601—1662.; Editt. 1532., 1564—1591.: observat.

69) De hoc proverbio conf. Erasmi Adag. chil. III. cent. III. prov. 71. et chil. IV. cent. IV. prov. 54.

70) Suidas s. h. v. alteram tantum affert significationem: ὁ κλέπτης.

71) *συρφετὸν*] sic Editt. 1569—1662. et Editt. recentt.; Editt. 1532—1564. *συφερτὸν*.

72) debere] sic omnes illae Editt. excepta Ed. 1541. B., quae habet: deberi.

73) ut] in Ed. 1532. deest.

74) Ovid. Heroid. ep. IV, 89. 90.

75) levat] sic illae Editt.; Ovid. Ed. Bipont.: novat.

76) a labore] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562—1591.; in Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662. desunt.

77) *Εὖτ'*] Ed. 1557. in textu et comment., Editt. 1562., 1569., 1581., 1591. in textu, Ed. 1564. in comm. *εὖ τ'*.

78) Plin. Nat. Hist. XXIIII. c. 12. Ed. Franz. (c. 1. antiquior. Editt.).

79) Colum. XII, 16.

num uvas aliquantisper sole, postea exprimunt vinum et in lacum subiiciunt.

v. 613. (611.) *συσκιάσαι*] a *σὺν* et *σκιάζω* compositum. Intelligit autem ex aprico in locum non expositum soli auferendas esse.

v. 614. (612.) *πολυγηθέος*] Epitheton Bacchi, quasi dicas laetificantis. Exhilarat[80]) enim vinum homines, et nota sunt Bacchi encomia apud poetas, quae huc spectant, ut Virgilius[81]):

Adsit[82]) laetitiae Bacchus dator.

Αὐτὰρ ἐπὴν δὴ etc.] Redit ad arationem et ad hiemem. Sunt vero ea repetenda, quae supra de aratione diximus. Nam pro qualitate et natura soli proscinditur ager. Feracius solum ut minimum ter arari solet. Iam mense Octobri mane cum Tauro occidunt Pleiades et Hyades, item Orion; sed principio noctis rursum apparent. Pleiades sunt in postrema parte Tauri, *Hyades vero* in fronte, quas Latini Suculas vocarunt. Atque ita absolvit poeta annum, quid in vere, quid in aestate, quid in autumno, quid post autumnum, quid hieme faciendum sit. Nunc de navigatione praecepta quaedam subiicit, quia fuit illis familiare devehere fruges et merces, quemadmodum etiam alicubi in Homero videre est. Constabat autem veterum negotiatio potissimum in permutatione[83]) mercium, et ideo Hesiodus praecepta tradit.

v. 618. (616.) *Εἰ δέ σε ναυτιλίης δυσπεμφέλου*] Prohibet sub autumnum esse navigandum, cum Pleiades occidunt propter tempestatem maris; insaniunt enim venti, et quemadmodum Virgilius ait[84]):

Qua data porta ruunt.

Caeterum post de aestiva navigatione dicet, et hanc probat, Orion insequentis gestum exprimit in ipsas Pleiades, ideo dixit [v. 619. 620. (617 sq.)] *Πληϊάδας φεύγειν*. His gestibus amplificat orationem. *Δυσπεμφέλου*] Epitheton navigationis est. Sentiunt enim, quam sit periculosum et difficile in alieno elemento versari, qui aliquando sese credidere fluctibus. Hanc vocem compositam esse puto a *δὺς καὶ πέμπω*, vel quod aegre remittat afflictos, vel quod saepe non remittat navigantes. Varia quaeritur etymologia huius vocis, sed tamen non sunt usque adeo anxie quaerendae, quod tantum ad docendum compositae sint.

v. 620. (618.) *ἠεροειδέα πόντον*] quia[85]) habet speciem aëris.

v. 624. (622.) *ἐπ' ἠπείρου*] in continentem, id est, littoralem[86]) terram. Inde Epirus.

v. 626. (624.) *χείμαρον*[87])] aquam ex imbre collectam.

v. 628. (626.) *νηὸς πτερὰ*[88])] remos intelligit.

v. 629. (627.) *Πηδάλιον*] gubernaculum navis, clavum.

v. 630. (628.) *ὡραῖον πλόον*] Scilicet cum iam ver exactum est.

v. 633. (631.) *Ὥςπερ ἐμός τε πατὴρ καὶ σὸς, μέγα νήπιε Πέρση*] Exemplum adiecit Hesiodus patris, quo ostendit, quatenus probari queat navigatio, et dicit paupertate patrem fuisse compulsum, quae nihil non hominem experiri doceat, quod instituerit mercaturam. Nemo enim eos laudat, qui cum beate possent in patria vivere, ultro se periculis exponunt. Et Hesiodus negat ex Asia profugisse parentem sicut plerique cives, qui propter invidiam ex opibus conflatam in tuto manere non poterant, non, inquit, illa causa fuit, sed victum quaerebat.

v. 635. (633.) *καὶ τῇδ' ἦλθε*] Significat hic[89]) se in Ionia natum. Magnum mare vocat Aegeum mare. Aeolicam Cumam ideo vocat, quia Aeoles eam condiderunt. Sita est in littorali Asia.

v. 637. (635.) *ἄφενος*] divitias significat, proprie tamen reditus, qui quotannis redeunt, sive annui reditus; fingunt autem venire ab *εἷς, ἑνός*.

v. 638. (636.) *Ἀλλὰ κακὴν πενίην, τὴν Ζεὺς ἄνδρεσσι δίδωσι*] Hic locus ad providentiam pertinere videtur, cum dicit, Iovem hominibus dare

80) Exhilarat] Ed. 1532. errore typogr.: Exhilerat.

81) Virg. Aen. I, 734.

82) Adsit] sic Editt. 1532—1591. et Virg.; Editt. 1601—1662. Adsis.

83) in permutatione] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562.; ceterae Editt.: permutatione.

84) Virg. Aen. I, 83.

85) quia] sic Editt. 1532—1601.; Editt. 1623., 1662. qui.

86) littoralem] Ed. 1541. B. errore typogr.: litteralem.

87) *χείμαρον*] Ed. 1541. F. in textu et comment. et Ed. 1557. in comm. male: *κείμαρον*.

88) *πτερὰ*] Ed. 1557. in comment. errore typogr.: *πιτερὰ*.

89) hic] in Ed. 1557. omiss.

paupertatem, quia saepe accidit, ut etiam boni et optimi viri sint pauperes. Hunc locum Aristophanes in Pluto diligentissime prosequitur, apud quem, quae opus sunt ad hanc rem, requiras.

v. 639. (637.) *Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος*] Describit nunc patriam suam poeta, et dictum est iam saepe fuisse pagum ad radices Heliconis, ubi habitaverit Hesiodus, et quod Pausanias scribat ipsum fuisse in Helicone sacerdotem Phoebi et Musarum [90]). Non incommode hic versus *παροιμιακῶς* possit usurpari, in quo eiusmodi [91]) laudes patriae suae enumerat, ut nulla fere anni parte commendari queat: Hieme, inquit, mala est, aestate difficilis et incommoda, breviter nunquam bona. Ovidius [92]) huius facit mentionem.

Esset perpetuo sua quam vitabilis Ascra
Ausa est agricolae Musa docere senis.

v. 641. (639.) *Τύνη δ', ὦ Πέρση, ἔργων* [93])] Cum in omni re temporis ratio habenda sit: tu vide o Perse, ut suo quaeque tempore facias; alia enim aliis temporibus conveniunt.

v. 643. (641.) *Νῆ' ὀλίγην αἰνεῖν*] Locus rhetoricus est, utitur vero antithesi, in qua aliquamdiu commoratur, et commendat nobis denuo mediocritatem, et dicit non frustra esse, si quis magnum quaestum facere velit, ut onerarias naves sibi comparet, et fieri non posse, quin ex copiosa merce, copiosum quoque et magnum fructum quis auferat, tamen si quis rem ipsam recta via secum reputet, is procul dubio deprehendat res parvas plus solidae habere voluptatis ac securitatis, quam res in speciem magnas. Est enim omnibus in rebus tutior mediocritas. Vocamus autem auctuarias, breves et minores naves, in quibus homines vehi solent tempestate ingruente; onerarias vero maiores, in quibus onera deportantur.

v. 647. (645.) *λιμὸν ἀτερπῆ* [94])] famis proprium epitheton. Nam, ut dici solet, praeter se ipsam caetera omnia edulcat fames. Et Homerus eleganter ventris importunitatem describit in Odyssea [95]).

v. 648. (646.) *Δείξω δέ* [96]) *τοι μέτρα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης*] Occupationem adiecit. Tradam tibi praecepta nautica, tametsi non bene peritus sim rei nauticae. Si volueris debitum effugere et iniucundam famem, ostendam tibi modum, quando commodum sit navigare, et quando non commodum, licet navigationis peritus non sim. *πολυφλοίσβοιο*] ficticia vox est, qua usus poeta per antonomasiam pro stridenti mari; *φλοισβὸς* [97]) enim nihil significat.

v. 649. (647). *σεσοφισμένος* [98])] peritus. Nam *σοφίζομαι* est doceo. Inde Sophista simpliciter doctorem significat. Deinde ubi illi se verterunt in inanem ostentationem, vocabulum coepit in vitio esse, sicut Tyrannus.

v. 651. (649.) *Εἰ μὴ ἐς Εὔβοιαν ἐξ Αὐλίδος*] Subsequitur nunc occupationem historiola, in qua commemorat, quomodo victor extiterit carminibus in Chalcide [99]), et Musis suis in Helicone victoriale praemium dedicarit [100]), ut dignum erat homine poeta. Aulis civitas littoralis est in Boeotia, non procul ab Helicone, neque procul fuit ab Aulide in Euboeam. Convenerunt autem Graeci in Aulide, cum essent profecturi in Phrygiam. Vide Iphigeniam Euripidis [1]). Chalcis [2]) est urbs celebris in Euboea, hodie Nigropont [3]) vocant, non multo ante a Turcis magna vi expugnata [4]). Apparet sane Hesiodum Homero po-

---

90) Haec apud Pausaniam IX, 30. 31. 38., ubi de Hesiodo dicit, non inveni.

91) eiusmodi] sic Ed. 1532.; ceterae Editt.: huiusmodi.

92) Ovid. ex Ponto epist. IV, 14, 31. 32.

93) *ἔργων*] Ed. 1557. in comment. errore typogr.: *ἔργον*.

94) *λιμὸν ἀτερπῆ*] sic illae Editt. omnes et Ed. Gaisf.; Editt. Brunck., Goettl., Dübn. *ἀτερπέα λιμόν*.

95) Conf. Hom. Od. XII, 329 sqq. — Hoc scholion in omnibus illis Editt. sequenti, quod ad v. 648. pertinet, postpositum est.

96) *δέ*] sic Editt. 1532—1591.; Editt. 1601—1668. et Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. *δή*.

97) *φλοισβὸς*] sic omnes illae Editt. pro *φλοῖσβος*, quae vox strepitum, fremitum significat; quapropter *πολύφλοισβος* multum s. magnum strepitum efficiens, minime ficticia vox est.

98) *σεσοφισμένος*] sic omnes illae Editt. et Ed. Gaisf.; Editt. Goettl., Dübn. *σεσοφιμένος* (in Ed. Brunck. hic versus et 13 subsequentes omissi sunt).

99) Chalcide] sic recte Editt. 1601—1662.; Editt. 1532, 1541. F., 1557—1591. Calchide; Ed. 1541. B. Chalchide. — De hoc certamine poetico in Chalcide habito conf. Bernhardy: Grundriss d. Griech. Litt. P. II. p. 156 sq. et Pauly: Real-Encycl. d. class. Alterth. T. III. p. 1269.

100) Vid. Pausan. IX, 31.

1) Videlicet Euripidis Iphigenia in Aulide.

2) Chalcis] sic Editt. 1601—1662.; ceterae Editt.: Calchis.

3) Nigropont] sic omnes illae Editt. pro: Negroponte.

4) Haec urbs a Turcis expugnata est A. 1470., vide J. v. Hammer: Geschichte d. Osman. Reiches Tom II. p. 98 sqq.

steriorem centum fere annis fuisse[5]), proinde cum eo in hoc certamine non certavit.

v. 657. (655.) *τρίποδ' ὠτώεντα*[6])] id est, tripoda auritum, Athenaeus[7]) autor est tripodas significare pocula, nonnunquam mensas, et sellas quoque. Puto eum hic loqui de poculo, quod aures habere soleat et tres pedes. Vocant autem Graeci ansas aures, quemadmodum Germani quoque.

v. 658. (656.) *ἀνέθηκα*] id est, reposui, consecravi, vel dedicavi, hinc *ἀνάθημα*.

v. 659. (657.) *ἐπέβησαν*] nam *βιβάζειν* est statuere, et tanquam gressus regere; usus est Homerus in secundo Iliados[8]).

v. 662. (660.) *Μοῦσαι γάρ μ' ἐδίδαξαν*[9])] Significat divinitus esse doctos poetas, quod hi, qui egregium quiddam in poetica efficere voluerint, opus habeant furore poetico divinitus inspirato, quem furorem recte *φυσικὰς ἀρετὰς* dixerunt. Et Homerus elegantissime huiusmodi iudicium in homine, et hunc motum, qui existit in heroicis animis, auream catenam coelo[10]) demissam[11]) esse dixit, significans singularem quandam vim supra captum communem vulgi divinitus dari.

v. 663. (661.) *Ἤματα πεντήκοντα μετὰ τροπὰς* etc.] Aliud caput de aestiva navigatione, quam probat et dicit sub finem aestatis tempore calido esse navigandum; tum enim non facile perire homines, nisi aliquo singulari malo pereant.

v. 669. (667.) *Ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε*] Proverbialis est hic versiculus et valde pius, quo admonemur bonitati divinae adscribendum, si quem prosperum successum rebus nostris videmus, atque hoc nomine gratias Deo quoque agere, ne ingratitudine nostra offensus finem imponat bonitati erga nos, ac deserat, quos prius fuerat amplexus et tutatus. Rursus si quando mole multorum malorum premimur, non ita frangi oportere et deiici animo, ut speremus Deum facile finem impositurum omnibus istis malis. In hanc sententiam apud Homerum gravissime multa dicuntur. Potest et proverbialiter in eos accommodari, qui omnia possunt.

v. 674. (672.) *Μὴ δὲ*[12]) *μένειν οἶνόν τε νέον καὶ* etc.] Adiecit praeceptum dignum memoria, videlicet tempestive esse redeundum domum. Nam oculus domini pascit equum, ut dicit solet. Et est haec causa, quare melius sit illam navigationem ante autumnum conficere, quia non solum novum vinum soleat remorari institutam navigationem, verum etiam autumnales imbres et tempestates quotidie impendentes, et quod saevissimi flatus austri ut maxime tum insaniant. Itaque minime tutum est tum se velle mari committere, et commodam navigationem propter pocula novi vini intermittere.

v. 675. (673.) *χειμῶν' ἐπιόντα*] Tempestatem sequentem, vel impendentem, sic quoque in oratione dominica, et *ἐπιόντα*[13]) dies dicitur dies impendens et subsequens. Notus ventus est pluvialis, *νοτὶς* enim humorem significat.

v. 678. (676.) *Ἄλλος δ' εἰαρινὸς πέλεται πλόος* etc.] Praeceptum est de verna navigatione, quam a signo describit. Quando erumpunt primum, inquit, ex ramis aut arboribus germina[14]) aut flores, idque quantum est vestigium cornicis, tum est mare meabile. Addit tamen correctionem, qua deinde pervenit in locum communem, quod omnia obediant pecuniae, fateor mare esse navigabile verno tempore; atqui ego laudare non possum propter variam tempestatem et pericula, quae navigantibus ita instant, ut aliquis difficillime effugiat malum. In causa est stultitia humanae mentis, qua etiam ipsum petimus coelum, neque quicquam inaccessum relinquimus.

v. 686. (684.) *Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται,* etc.] Gnomica sententia est[15]), qua rationem

---

5) Conf. Bernhardy l. l. II. p. 156—158., Pauly l. l. III. p. 1268 sq.

6) *ὠτώεντα* sic Editt. 1564—1662. (= Editt. Gaisf., Goettl., Dübn.) in textu et comment., et Editt. 1532., 1537., 1562. in textu; in comm. autem hae 3 Editt. et Ed. 1541. B., atque Ed. 1541. F. in textu et comm. *ὠτόεντα*.

7) Athen. l. VI. c. 18—20. Ed. Schweigh. (p. 230—232. Ed. Casaub.).

8) Hom. Il. II, 234.

9) *ἐδίδαξαν*] Ed. 1532. in comment. errore typogr.: *ἐδίδασαν*.

10) coelo] Ed. 1581. errore typogr.: calo.

11) demissam] sic omnes illae Editt., excepta Ed. 1541. F., quae habet: dimissam.

12) *Μὴ δὲ*] sic illae Editt. omnes; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. *μηδὲ*.

13) *ἐπιόντα*] Editt. 1532., 1541. F., 1557. in comment. *ἐπίουσα* (in textu autem recte *ἐπιόντα*).

14) germina] sic recte Editt. 1532., 1541., 1562.; ceterae Editt.: gramina.

15) Hanc sententiam Erasmus quoque in Adag. affert chil. II. cent. III. prov. 89.

complectitur, cur homines in tantam stultitiam incurrant, et dicit hoc pecuniam posse, quam homines pluris faciunt quam animam. Late patet huius sententiae vis, in qua explicanda multum operae doctissimi quique cum Latinorum, tum Graecorum sumpsere. Et paucissimi sunt, qui expendant, in quanta mala funesta pecunia miseros ducat.

v. 689. (687.) *Μὴ δ'*[16]) *ἐνὶ νηυσὶν ἅπαντα βίον*] Id est, ne semel adducas in discrimen, quicquid est rerum tuarum, nec omnia navibus committas, sed retine quaedam, et viliora impone, ne, si navem fregeris, de toto victu periclitéris. Generaliter vero mediocritatis laudem continet, quam qui servant, nec nimium ditescere student, fit, ut semper habeant, unde vivant, cum alii, qui omnia in quaestum producunt de tota re familiari vel augenda vel amittenda incertam aleam fortunae cogantur subire.

v. 692. (690.) *Δεινὸν δ' εἴ κ' ἐπ' ἅμαξαν*[17])] Adiecit similitudinem ab onusto plaustro ductam. Perinde enim, ut si quis supra currum, immensum onus ponat, cuius molem axis sustinere nequeat, fieri non potest, quin cum magno dispendio omnia onera imposita dissipentur: ita in navigatione quoque usu venire, ut nimium multa vehendo periculum accersant, et nihil perficiant[18]).

v. 694. (692.) *Μέτρα φυλάσσεσθαι*] Concludit nunc epiphonemate generali, et dicit modum esse servandum. Et quia supra de mediocritate multa diximus, repetat ea, qui volet. *Καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος*] Occasio sive opportunitas optima in omnibus rebus[18a]).

v. 695. (693.) *Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν*] Praeceptum de coniugio: Tempestive ducas uxorem, dum adhuc vires integrae sunt et florent, non in extrema senecta, quando effoetae frigent in corpore vires. Plato et Aristoteles de hoc tempore disputarunt[19]); nam circiter trigesimum annum sunt confirmatae vires et maturuerunt.

v. 698. (696.) *τέτορ'*] duale est, et significat quatuor. Iulius Pollux exponit pro quatuordecim[19a]), et quinto pro decimo quinto anno, id est, quinto supra decimum. Aristoteles et Plato constituerunt puellae decimum octavum annum nubendi. Praecipit[20]) autem Hesiodus adolescentulam esse ducendam, ut castos mores imbibere queat et adsuescere ad mores mariti, quod frustra expectet quis[21]) ab anu. Ibi enim nulla similitudo morum est, ergo nec ulla amicitia, et tamen oportet, ut sit similitudo quaedam vitae in coniugio, quia iureconsultus dicit esse individuam societatem. Aristoteles recenset in Oeconomo hunc versum[22]).

v. 701. (699.) *μὴ γείτοσι χάρματα γήμῃς*] Id est, ne vicinis gaudia et ludibria ducas propter tuum infortunium et malum, nempe mala uxore. Et *χάρματα* exponunt ludibria, hoc est, ne iocus fias, quod talem duxeris uxorem. Nam vicini cuiusque produnt ingenium.

v. 702. (700.) *Οὐ μὲν γάρ τοι*[23]) *γυναικὸς* etc.] Commendat bonam mulierem hic versus, quam etiam sacrae litterae non vulgariter praedicant.

v. 704. (702.) *Δειπνολόχης*] commessatrice, quae passim adeat convivia. Suidas *δειπνολόχον* exponit *κλεπτοτρόφον*[24]). *ἤγ'*[25]) *ἄνδρα*

16) *Μὴ δ'*] sic illae Editt. omnes in textu et (praeter Editt. 1623., 1662.) in comm.; Editt. Brunck., Gaisf., Goettl., Dübn. et Editt. 1623., 1662. in comm. *μηδ'*.

17) *ἐπ' ἅμαξαν*] sic Editt. 1532 — 1557. in textu et comment., et Editt. 1562., 1564. in comm. et Editt. 1581., 1591. in textu; Editt. 1581., 1591. in comm. et Editt. 1601 — 1662. in textu et comm. *ἐπ' ἅμαξαν*; Editt. 1562., 1564. in textu aeque ac Editt. recentt. *ἐφ' ἅμαξαν*.

18) perficiant] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562.; ceterae Editt.: proficiant.

18a) Hoc Hesiodi dictum Erasmus laudat in Adag. chil. I. cent. VII. prov. 70.

19) Plato de Legg. IV. (Opp. Ed. Steph. T. II. p. 721. b. — Ed. Bipont. Vol. VIII. p. 195.) ait: *γαμεῖν δὲ, ἐπειδὰν ἐτῶν ᾖ τις τριάκοντα, μέχρις ἐτῶν πέντε καὶ τριάκοντα.* — Aristoteles de hist. animal. V. c. 12. Ed. Schneider (vulgo c. 14.) et VII, 1. 6. de aetate hominum ad coitum matura, et quamdiu homo possit procreare, disserit.

19a) Pollux in Onomast. I. 58. Ed. Dindorf. hoc Hesiodi dictum: *ἡ δὲ γυνὴ τέτορ' ἡβῴη*, sic explicat: *τέτταρα καὶ δέκα ἔτη λέγει, προςαριθμουμένων τῶν δέκα.* etc.

20) Praecipit] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562., 1601 — 1662.; ceterae Editt.: Praecepit.

21) expectet quis] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562.; ceterae Editt.: quis expectet.

22) Aristoteles in Oecon. l. I. c. 4. Ed. Bekker. non hunc v. 698., sed proxime sequentem sic recenset: *Εὖ δ' ἔχει καὶ τὸ τοῦ Ἡσιόδου,*
παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ἵνα ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς.

23) *γάρ τοι*] sic Editt. 1532 — 1569. in textu et comment. et Editt. 1581., 1591. in comm.; Editt. recentt. et Editt. 1581., 1591. in textu *γάρ τι*.

24) *κλεπτοτρόφον* (i. e. furem ciborum)] sic recte (= Suid. s. h. v. Ed. Bernhardy) Editt. 1601 — 1662.; Editt. 1532 — 1591. *κλεπτοτρόχον*.

25) *ἤγ'*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1562., 1564. in textu et comment., et Editt. 1541. B., 1601 — 1662. in comm.; Editt. 1569., 1581., 1591. in textu et comm. et Editt. 1601 — 1662. in textu, aeque ac Editt. Gaisf., Goettl., Dübn. *ἥτ'*; Ed. Brunck. *ἥ τ'*.

καὶ ἴφθιμον[26])] Efficit, ut etiam validus vir ante tempus senescat, uritque sine face, id est, clam, etiamsi foris nihil appareat. Vocat[27]) autem crudam senectam[28]), quae tempestiva est. Sic Virgilius[29]):

Cruda Deo viridisque senecta[30]).

Galenus in libro de conservanda valetudine[30a]) dicit esse triplicem senectutem, primam vocari crudam, et qui in ea sunt *ὠμογέροντας* dici. Secunda est circiter annum sexagesimum; qui in ea sunt, *γέροντας* dicimus. Tertia est decrepita; qui eam attigerit, *πέμπελον* vocamus.

v. 705. (703.) *Εὕει*] exsiccat, urit etc. Dicitur etiam *αὕει* utrumque est apud Homerum[31]).

v. 706. (704.) *Εὖ δ' ὄπιν ἀθανάτων μακάρων*] De religione: Cole Deos religiose et observanter. Ita enim omnia prospere succedent. *ὄπις* curam et respectum significat proprie.

v. 707. (705.) *Μὴ δὲ*[32]) *κασιγνήτῳ ἶσον*] Hoc praeceptum plenum humanitatis est, et significat nullam amicitiam, nullam necessitudinem praeponendam esse sanguinis coniunctioni. Cicero lib. 1. ad Atticum[33]): Posteaquam a fratre discessi, neminem pluris quam te facio. Est vero a natura et divinitus homini inspiratum, nullam esse sanctiorem coniunctionem quam fraternam. Quod si vero alium tibi adiunxeris, tunc vide, inquit, ne statim te seiungas ab illo, quia non multum conducit novos amicos habere.

v. 709. (707.) *Μὴ δὲ*[34]) *ψεύδεσθαι γλώσσης χάριν.*] Hoc est, ne prae te feras benevolentiam simulatam, nec aliud sentias et aliud dicas. Haec est germana expositio, nec est ita accipiendum, ut *χάριν χρημάτων* intelligas, sed ne simules, ne prae te feras linguae quandam gratiam, ne benignitatem linguae ementiaris.

v. 710. (708.) *ἤ τι ἔπος εἰπὼν* etc.] Si quis aut verbis offendet alium, aut manibus vim inferet, memor sit, quod retalietur iniuria multipliciter. Nullum enim malum impunitum.

v. 711. (709.) *Εἰ δέ κεν αὖθις*[35]) etc.] Aliud praeceptum: Sitne admittendus denuo is, qui amicitiam violaverit, et cupiat nobiscum redire in gratiam. Respondet esse recipiendum, quod satius sit redire in gratiam cum amico veteri, quam novos subinde amicos adiungere.

v. 714. (712.) *σὲ δὲ μή τι νόον κατελεγχέτω*[36]) *εἶδος.*] Tuam mentem ne coarguat vultus, id est, ne vultus prae se ferat iracundiam et simultatem, sed vide, ut ex animo eiicias omnem memoriam pristinarum iniuriarum, nulla sit significatio offensi animi. In summa, sanciatur ex animo *ἀμνηστία*. Nam nihil illiberalius, nihil inhonestius est quam simultatem alere, estque alienum ab omni humanitate. Nulla unquam fuit tanta coniunctio hominum, quae non offensi aliquid senserit. Et cum Ovidius[37]) dicat Orestem cum Pylade in gratiam redisse[38]), nemo eiusmodi illiberalis ingenii sit, ut propter inveteratum odium, viam amico in gratiam redeundi praecludat. Hoc praeceptum diligenter inculcat Hesiodus, quod amicitia sit necessaria in rebus humanis. Sumus enim nati ad societatem. Ergo qui aufert amicitiam, aufert societatem. Et Marcus Cicero inquit: Neque coelo, neque aqua, neque aere nos uti frequentius quam amicitia. *σὲ δὲ μή.*] accusativus pro dativo Attice.

v. 715. (713.) *Μὴ δὲ*[39]) *πολύξεινον μὴ δ'*[40]) *ἄξεινον* etc.] Utraque extrema liberalitatis fu-

26) *ἴφθιμον*] sic Editt. 1557 — 1662. et Editt. recent.; Editt. 1532., 1541. *ἴφθημον*.

27) Vocat] Ed. 1557. errore typogr.: Vocant.

28) Haec spectant ad Hes. v. 705. (703.): *ὠμῷ γήραϊ*.

29) Virg. Aen. VI, 304.

30) senecta] sic illae Editt.; Virg. Ed. Wagner senectus.

30a) Galenus de sanitate tuenda lib. V. in fine (Opp. ed. Kühn Tom. VI. p. 379 sq.).

31) Homerus utitur verbo *εὕειν* Il. IX, 468. XXIII, 33. Od. II, 300. IX, 389. XIV, 75. 426. et verbo *αὕειν* (incendere) Od. V, 490.

32) *Μὴ δὲ*] sic Editt. 1532., 1557., 1562., 1581., 1591. in textu et comment., Ed. 1541. F. in textu, Editt. 1541. B., 1564., 1569., 1601. in comm.; Editt. 1623., 1662. in textu et comm., et Editt. 1564., 1569., 1601. in textu, atque Editt. recent. *Μηδὲ*; Ed. 1541. F. in comm. *Μὴ δ'*.

33) Conf. Cic. ad Att. I, 17, 5.

34) *Μὴ δὲ*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1562., 1601. in textu et comm., Ed. 1541. B. in comm., Editt. 1569., 1581., 1591., 1623., 1662. in textu; Ed. 1564. in textu et comm., Editt. 1569., 1581., 1591., 1623., 1662. in comm., et Editt. recent. *Μηδὲ*.

35) *αὖθις*] sic illae Editt. et Editt. Brunck., Gaisf.; Editt. Goettl., Dübn. *αὖτις*.

36) *κατελεγχέτω*] Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1562. in comment. errore typogr.: *καταλεγχέτω*.

37) Ovid. Remed. Am. 589 sq.

38) redisse] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562.; Editt. 1541. F., 1557., 1564 — 1662. rediisse.

39) *Μὴ δὲ*] sic Editt. 1562 — 1591. in textu et comm., Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1601. in textu; Editt. 1532., 1541., 1557. in comm. *Μή δε*; Editt. 1623., 1662. in textu et comm., Editt. 1564., 1601. in comm. et Editt. recent. *Μηδὲ*.

40) *μὴ δ'*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1562., 1581 — 1601. in textu et comm., Ed. 1541. B. in comm.; Editt.

gienda esse monet. Est enim prodigus, et exhaurit facultates omnes, qui crebro vult convivari. Contra sordidus est, qui nemini de suis communicat, et qui suum ipse defraudat genium. Ex prodigalitate homines decoctores veniunt, qui involant in bona aliena; ex sorditate[41]) inhumanitas nascitur, ut neminem amicum habeas.

v. 716. (714.) *Μὴ δὲ*[42]) *κακῶν ἕταρον* etc.] Admonet malorum consuetudinem esse fugiendam; corrumpunt enim bonos mores colloquia prava. Proveniunt autem duo mala ex malorum commercio, primum, quia nos induimus mores istius, quicum vivimus. Secundo etiam famam propriam prostituimus, quia, etiamsi non corrumpatur aliquis, tamen homines iudicant nos corrumpi, quia et proverbium dicit: Claudo vicinus claudicat et[43]) ipse brevi[44]). Ergo malorum consuetudo est vitanda. *μὴ δ'*[45]) *ἐσθλῶν νεικεστῆρα.*] Id est, ne facias convicium bonis, quia virtus est honore afficienda. Sunt autem pessimi omnium hominum, qui egregiae virtuti non tantum honorem meritum auferunt, verum etiam de virtute bene meritos conviciis proscindunt. Huiusmodi conviciatorem principum et bonorum virorum describit Homerus Iliados lib. β.[46]). Et consolari debet bonos, quod impossibile sit in benefactis invidiam effugere, quemadmodum nec corpus umbram potest declinare.

v. 717. (715.) *Μηδέ*[47]) *ποτ' οὐλομένην πενίην* etc.] Congeries quaedam praeceptorum est. Docet autem hoc loco nemini exprobrandam esse paupertatem, ratio est, quod sit donum Dei esse divitem vel pauperem. Graviter profecto dictum. Sunt enim, qui hinc[48]) laudem ingenii captant et magni viri haberi volunt, si pauperes et miseros non solum prae se contemnant, verum etiam conviciis proscindant. Hos admonet Hesiodus, ut perpendant calamitosum esse, non in nostris viribus, sed in fortuna situm esse. Itaque non est liberalis ingenii calamitatem exprobrare cuiquam. Neque enim in nostris viribus est, ut abundemus, et quotidie experientia condiscimus, aliis laborantibus nihil, aliis dormientibus, omnia conficere Deos. Qui plurimum laborant, egent plerumque, et contrarium apparet in iis, qui non laborant. *οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον.*] Graeci apponunt plura epitheta sine coniunctione. *Τέτλαθ'*] sustineas, ausis etc.

v. 719. (717.) *Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος.*] Generalis haec sententia est. Linguae thesaurus inter homines optimus. Nam sermo vincit omnes opes, et quicquid est admirabile in rebus humanis. Verum ita solet evenire, ut, quo res melior, eo frequentiori quoque in abusu sit. Recte itaque dicit poeta: Parcae linguae magnam gratiam esse, hoc est, quae in loco loquitur, quae non solet effutire quidlibet sine delectu et ratione. Et garrulitas non tam alios quam ipsos autores laedit.

v. 722. (720.) *Μὴ δὲ*[49]) *πολυξείνου*[50]) *δαιτὸς δυςπέμφελος* etc.] Aliud praeceptum, debere nos aliquid conferre in publicum, quia nos vicissim multa accipimus a magistratibus, hic sensus convenire huic loco videtur, quem[51]) transtulit poeta ad convivium, ubi ut parvo sumptu multi aluntur, ita etiam in rebuspublicis parvo sumptu, parvo tributo nobis comparamus pacem. Potest et hic sensus esse, ut, si quando amici et cognati conveniunt, non simus sordidi, sed ut libenter et nostra conferamus ad publicum convivium. Nam parvo sumptu magnum lucrum emitur, dum collatione multorum apparatur splendidius. *δυςπέμφελος*] a *δύς* et *πέμπω*, difficilis, morosus, quasi dicas: aegre mittens, der nit gern gibt. Supra[52]) dixit *ναυτιλίης δυςπεμφέλου.*

1623., 1662. in textu et comm., Ed. 1564. in textu et Editt. recent. *μηδ'*; Ed. 1564. in comm. *μήδε.*

41) sordiditate] sic Editt. 1532—1562.; ceterae Editt.: sorditate.

42) *Μὴ δὲ*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1562., 1569—1601. in textu et comm., Editt. 1541. B., 1564. in comm.; Editt. 1623., 1662. in textu et comm., Ed. 1564. in textu et Editt. recent. *Μηδὲ.*

43) et] in Editt. 1532., 1601—1662. deest.

44) De hoc proverbio conf. Erasmi Adag. chil. I. cent. X. prov. 73. et chil. III. cent. II. prov. 49.

45) *Μὴ δ'*] sic Editt. 1532—1562., 1569—1601.; Editt. 1564., 1623., 1662. et Editt. recent. *Μηδ'.*

46) Hom. Il. II, 211 sqq., ubi Thersites, turpis et maledicus homo, describitur.

47) *Μηδέ*] Ed. 1569. in comm. errore typogr.: *Μηγέ.*

48) hinc] in Ed. 1532. deest.

49) *Μὴ δὲ*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1562., 1601. in textu, Editt. 1569—1591. in textu et comm.; Editt. 1532—1562. in comm. *Μήδε*; Editt. 1564., 1623., 1662. in textu et comm., Ed. 1601. in comm. et Editt. recent. *Μηδὲ.*

50) *πολυξείνου*] Editt. 1532., 1541., 1562. in comm. *πολυξένου.*

51) quem] Ed. 1541. F. errore typogr.: quam.

52) Videlicet v. 618. (616.).

v. 724. (722.) *Μηδέ*[53]) *ποτ' ἐξ ἠοῦς Διῒ λείβειν.*] Hactenus leges tradidit, quae ad mores pertinent; iam tradet ceremonias, id est, ritus sacrorum; fuit enim hic poeta sacerdos. Sunt autem illi ritus symbola quaedam, id est, allegoriae, ut in Mose: Bovi trituranti ne obligaveris os[54]), significatur, quo animo in illos esse debeamus, quorum opera utimur, atque ita gratitudinis illo gestu admonemur erga homines. Non enim bobus, sed hominibus scribebatur lex. Ad hunc modum et de his praeceptis iudicandum est. Nunquam ab aurora, id est, mane Iovi libes nigrum vinum manibus illotis. Significat sacra reverenter esse tractanda, et ut non solum foris corpus, verum etiam animum a contagione vitiorum abluant. Haec re vera ex patribus sumpta sunt. Allusit et Virgilius ad eam consuetudinem, quod illotis manibus non tractabant sacra antiquitus, dum ait[55]):

> Donec me flumine vivo
> Abluero.

Et Hector apud Homerum ex pugna rediens negat id ipsum sibi licere[55a]).

v. 727. (725.) *Μὴ δ'*[56]) *ἀντ' ἠελίοιο*[57]).] Aliud: Adversus solem ne meito. Verecundiam et pudorem commendat nobis hac[58]) sententia, ut discamus honestos et magnos viros reverenter esse tractandos.

v. 731. (729.) *Ἑζόμενος δ' ὅγε* etc.] Commoratur in praecepto verecundiae, et recenset aliquot ritus, qui adhuc apud Turcos durant. In Turcica enim lege ingens flagitium designari credunt, si quis in publico cacaret aut mingeret. In lege Mosi quoque mandatum erat, ne quis cacaret in castris[59]). Est autem non minus religiosum Turcis, ut sedentes mingant quam nostro poetae. Unde apparet Mahometen[60]) veteres quosdam ritus inutiles suis posteris pro iustitia, quae coram[61]) Deo est, reliquisse.

v. 732. (730.) *εὐερκέος*[62])] *εὐερκὴς* dicitur id, quod bonum septum habet.

v. 733. (731.) *Μὴ δ'*[63]) *αἰδοῖα γονῇ πεπαλαγμένος* etc.] A congressu uxoris ne sacra accedas. Admonet rursus verecundiae, ut sacra pure peragantur. Intelligit autem sacra, quae Diis domesticis fiebant. Habebant enim omnes in vestibulo aras quasdam, quibus soliti sunt imponere Vestam, in cuius tutela res erat familiaris. Facit huius Deae mentionem alicubi Virgilius[64]).

v. 735. (733.) *Μὴ δ'*[63]) *ἀπὸ δυςφήμοιο τάφου* etc.] Ab hilariore convivio, et non a tristibus sacris accedendum esse ad uxorem, quod ex humido nascuntur et aluntur[65]) omnia animantia, et ideo Venus ex mari orta. *Δυςφήμοιο*] ominoso et infausto, a *δυςφημέω*.

v. 737. (735.) *Μηδέ*[66]) *ποτ' ἀενάων ποταμῶν* etc.] Poetae senserunt vim quandam numinis esse infusam in omnes res, itaque et omnibus fluminibus suos Deos finxerunt, qui illa agitarent et moverent, ob quam causam et sacra illis fecerunt. *ὅς ποταμὸν διαβῇ κακότητι,*] hoc est, qui tam profana mente est, ut contemnat hanc religionem, is feret infortunium a Diis.

v. 742. (740.) *Μὴ δ'*[63]) *ἀπὸ πεντόζοιο θεῶν* etc.] Non esse ungues praecidendos in convivio. *πεντόζοιο*] a manu quinque ramorum.

v. 744. (742.) *Μηδέ*[66]) *ποτ' οἰνοχόην τιθέμεν.*] Nunquam pone lagenam supra poculum; non satis constat, quid voluerit significare hoc symbolo[67]).

v. 746. (744.) *Μὴ δὲ*[68]) *δόμον ποιῶν* etc.] Id est, Spartam, quam nactus es, orna. In quo-

53) *Μηδέ*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1562., 1564., 1623., 1662. in textu et comm., Editt. 1541. B., 1557., 1601. in comm., atque Editt. recent.; Editt. 1569—1591. in textu et comm. *Μὴ δὲ*; Editt. 1557., 1601. in textu *Μή δέ*.

54) 5. Mos. 25, 4.

55) Virg. Aen. II, 719. 720.

55a) Hom. Il. VI, 266.

56) *Μὴ δ'*] sic Editt. 1532—1562., 1569—1601.; Editt. 1564., 1623., 1662. et Editt. recent. *Μηδ'*.

57 *ἠελίοιο*] sic illae Editt. et Editt. Brunck., Gaisf.; Editt. Goettl., Dübn. *ἠελίου*.

58) hac] sic Editt. 1532., 1564., 1569.; ceterae Editt.: haec.

59) 5. Mos. 23, 12—14.

60) Mahometen] sic illae Editt. pro: Muhammedem.

61) coram] Ed. 1541. F. errore typogr.: curam.

62) Hanc Hes. vocem huic scholio ipse praefixi.

63) *Μὴ δ'*] sic Editt. 1532—1562., 1569—1601.; Editt. 1564., 1623., 1662. et Editt. recent. *Μηδ'*.

64) Virgilius Vestae mentionem facit Georg. I, 498. IV, 384. Aen. I, 292. II, 296. 567. V, 744. IX, 259.

65) nascuntur et aluntur] sic Ed. 1532.; Editt. 1541. B., 1562., 1564., 1569., 1591. nascantur et aluntur; Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662. nascantur et alantur.

66) *Μηδέ*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1557. in comm., Editt. 1562—1662. in textu et comm. et Editt. recent.; Editt. 1532., 1541. F., 1557. in textu et Ed. 1541. B. in comm. *Μή δέ*.

67) symbolo] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562—1591.; Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662. loco.

68) *Μὴ δὲ*] sic Editt. 1532—1562., 1569—1591.; Editt. 1564., 1601—1662. et Editt. recent. *Μηδὲ*.

cunque vitae genere versaris, in illud incumbe, nec cogita, quo pacto subinde mutes tuam functionem. Ita fiet, ut assiduitate et diligentia ad frugem pervenias, quod non fiet, si tibi non constiteris, et ex alio vitae genere subinde in aliud transferaris. Malum omen est, si crocitet cornix, ut apud Virgilium [69]):

Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix.

v. 747. (745.) *λακέρυζα*] pro *κελάρυζα*, id est, garrula, stridula, arguta, proprium epitheton cornicis, a *κελαρύζω*, quod significat resono.

v. 748. (746.) *Μὴ δ'* [70]) *ἀπὸ χυτροπόδων* etc.] Ex ollis non sacrificatis ne capias cibum, id est, ne edas, priusquam dixeris precationem. Elegans cum primis et pium hoc praeceptum est, neque dubium, quin a patribus sanctissimis sit desumptum. Apud Homerum nunquam pocula sumunt, nisi prius libaverint [71]). Eandem consuetudinem et apud Virgilium Dido servat [72]).

v. 753. (751.) *Μὴ δὲ* [73]) *γυναικείῳ λουτρῷ.*] Commendat rursus verecundiam. Deinde admonet sacra non esse illudenda, quod semper poenas impietatis dederint, qui religiones contempserunt.

v. 757. (755.) *Μηδέ ποτ' ἐν προχοῇ* etc.] Non esse perturbandos fontes. Nam si honor est habendus bonis rebus, etiam fontibus debetur suus honor, ex quibus bibimus. Quare et hi in fontes recte immingere dicuntur, qui sacram doctrinam commaculant.

v. 761. (759.) *Φήμη γάρ τε κακὴ πέλεται.*] Significat nullam famam omnino perire et non esse omnino de nihilo, quod vulgo fertur, quemadmodum et ille dixit:

Sed nequit ex nihilo volucris [74]) prorumpere [75]) fama,
Et partem veri fabula quaeque tenet.

Locus Virgilii in 4. Aeneidos [76]) hinc desumptus, cum ait:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum.
Mobilitate viget viresque acquirit eundo etc.

Homerus fingit quoque Famam Deam esse et nuntiam Iovis, lib. 2. Iliad. [77]):

Μετὰ δέ σφισιν Ὄσσα δεδήει,
Ὀτρύνουσ' ἰέναι, Διὸς ἄγγελος.

69) Virg. Eclog. I, 18.

70) *Μὴ δ'*] sic Editt. 1532—1562., 1569—1591. in comm., Ed. 1601. in textu; Editt. 1532—1562., 1569—1591. in textu: *Μή δ'*; Editt. 1564., 1623., 1662. in textu et comm., Ed. 1601. in comm. et Editt. recent. *Μηδ'*.

71) Conf. Ev. Feithii Antiquitatum Homericarum libri IV. Ed. nova. Argent. 1743. 8. l. I. c. 8. §. 2. p. 53 sq.

72) Virg. Aen. I, 736 sq.

73) *Μὴ δὲ*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1562., 1601. in textu et comm., Editt. 1541. B., 1569—1591. in comm.; Editt. 1564., 1623., 1662. in textu et comm., Editt. 1569—1591. in textu, atque Editt. recent. *Μηδὲ*.

74) volucris] Ed. 1541. F. errore typogr.: volueris.

75) prorumpere] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562—1591.; Editt. 1541. F., 1557., 1601—1662. consurgere.

76) Virg. Aen. IV, 174. 175.

77) Hom. Il. II, 93.

In Hesiodi Dies [1]).

Tradit discrimina dierum, qui fausti vel inauspicati sint, item alia aliis diebus licere. Quaedam vero discrimina ad causas naturales referri possunt, quaedam sunt ex superstitionibus. Sunt autem eatenus discrimina servanda, quatenus causae naturales cogunt. Superstitio vero praeter causas naturales est, et ex impietate profecta. Esset vero insania non habere naturae rationem, cum illa nobis usui sit, et nostra causa a Deo condita. Itaque discrimina dierum nata sunt aliqua ex parte, ex adspectibus, quibus luna intuetur solem, sicut medicorum critici, septimus, quartus decimus, vigesimus primus. Nam quadrati adspectus cient pugnam naturae cum morbo, sed superstitiosa observatione aucta sunt. Nam inde apparet non esse certam rationem discriminis dierum apud Hesiodum, quod ait, aliis alios dies probari. Primus dies sacer est. Sunt enim omnia initia sacra. Quartus item sacer, quia eo die prodit a coitu luna, et videri potest sacer, quia principium est conspiciendae lunae. Septimum diem vacuum facit, quia luna distat a sole quarta parte Zodiaci [2]), qui adspectus quadratus dicitur, et est inauspicatus. Nonus et octavus dies uti-

1) Sic haec commentarii pars in omnibus illis Editt. est inscripta.

2) Zodiaci] Ed. 1541. F. errore typogr.: Zodaici.

les praedicantur crescentibus, et recte quidem. Etenim humores alit crescentia lunae. Undecimus et duodecimus varie laudantur [3]), quia trigono adspectu solem luna intuetur, eum adspectum vocant beneficum [4]).

v. 765. (763.) *Ἤματα δ' ἐκ Διόθεν.*] Proponit poeta se dicturum de observatione dierum iuxta ordinationem divinam, qui sint auspicati dies et qui inauspicati. Orditur a prima mensis die, quam dicit optimam esse. Et enumerat congerie quadam, quid eo die populus agere consueverit. Solebant autem in feriis labores mercenariorum expendere, atque pro his numerare et pascere quoque. Item in feriis conveniebat populus, ut iudicaretur, doceretur de religione, et ut mores formarentur. Tum scenici ludi fiebant, qui vice concionum fuerant. Et hi ritus ad res politicas et non physicas referendi sunt; pertinent enim ad mores, ex quibus sumpti sunt, et non ad res naturales.

v. 770. (768.) *ἔνη*] Prima dies est, *ἔνας ἀρχὰς* veteres magistratus. De hac voce copiose Suidas [5]).

v. 775. (773.) *πείκειν*] proprie de ovibus dicitur, et significat tondere. *ὄϊς*] pro *ὄϊας* [6]).

v. 777. (775.) *τῇ*] pro *ταύτῃ*, scilicet duodecima die. *ἀεροιπότητος*] in aere pendentis, vel pedes in aerem elevantis, epitheton araneae.

v. 778. (776.) *ὅτε τ' ἴδρις σωρὸν ἀμᾶται.*] hoc exponunt de formica, sed haud scio, an recte.

v. 780. (778.) *Μηνὸς δ' ἱσταμένου* etc.] Absolvit iam primum, quartum, septimum, octavum, nonum, undecimum et duodecimum diem, quos vero omisit, vult videri [7]) medios. Iam prosequitur in enumerando, et dicit cavendum esse, ne [8]) sementem faciamus tredecima die. Est autem optima ad alendas atque educandas plantas. Quod autem sationi tredecimum diem ait obesse, propter immodicum humorem fit. Vetant enim sementem facere in solo humidiore iusto. Contra plantas serere praecipiunt pluviis, etiam tempestatibus. Plinius [9]): Arborum radices luna plena operito [10]). Ex Plinio illa facile possunt intelligi.

v. 782. (780.) *Ἕκτη δ' ἡ μέσση μάλα* [11]) etc.] Decima sexta dies valde incommoda est plantis, quia sicut tredecima dies utilis erat plantis, quod tum luna prope erat plena, et humor redundabat, inutilis vero sationi, ut dictum est, ita decima sexta dies decrescente iam luna inutilis est et incommoda plantis, utilis vero maribus gignendis. Nam ex humido semine femellae, ex sicciore puelli nascuntur. Et decrescente luna semen minus humidum est quam crescente.

v. 784. (782.) *οὔτ' ἄρ* [12]) *γάμον ἀντιβολῆσαι.*] Id est, non est utile puellis, ut tum contrahant nuptias, quia a plenilunio coepit iam humor deficere. Et addidit quaedam pastoralia officia, quod illud tempus sit bonum castrationi, quod hoc tempore conveniat stabula pastoralia

---

3) laudantur] sic Editt. 1532., 1564—1591.; Editt. 1541., 1557., 1601—1662. laudatur.

4) Hoc prooemium in hanc alteram poematis partem in Editt. 1532—1601., 1623., 1662. legitur; in Ed. 1611. supra p. 165 sq. descripta pag. 727 sq. exhibetur in eandem partem hocce Melanthonis prooemium ab illo diversum:

Praefatio Phil. Mel. in librum Hesiodi de discrimine dierum 1535.

Superstitiosa observatio est, quae nec mandatum Dei habet, nec causam in natura physicam, nec politicam in civili consuetudine, ut observatio tripudii avium. Nulla enim est physica aut politica causa, quae significet cladem exercitui, propterea quod non saltent aves. Sed observationes, quae habent aut mandata Dei, aut causas naturales seu politicas, non sunt superstitiosae, sed opus Dei in natura ordinatum, sicut divinitus in natura aliud tempus est constitutum sationi, aliud messi; item, non possunt eodem tempore exerceri iudicia, disci religiones, arari rus, exerceri negotiationes: ita critici dies non sunt superstitiosi, sed habent in natura causam, quia videlicet luna septimo die pervenit ad signum, quod habet contrariam naturam ei signo, in quo fuerat primo die. Ita pleraeque observationes medicorum habent causas physicas, ut in incisione venae, in dandis pharmacis, in conceptu aut partu. Ita et in secandis lignis experimur ligna putrescere, si secentur crescente luna, quia humor tunc augetur. Ita hoc loco observatio dierum tradita ab Hesiodo non per omnia superstitiosa est, sed in aliquibus (l. l. errore typogr.: alia quibus) monstrari possunt causae vel politicae vel naturales. Nam primus dies sacer, quia initia sunt Deo dicata, et oportet esse certos dies festos, in quibus conveniant homines vel religionis vel iudiciorum causa. Praeterea hic dicit de cedenda materia decrescente luna, id certe habet physicam causam. Sed observationes istae, ut in aliis rebus, ita etiam in temporibus superstitione augeri solent. Ideo non potest reddi omnium observationum causa.

5) Suidas] illae Editt.: Suida. — Suidae. Lex. s. v. *ἔνη*.

6) *ὄϊας*] sic recte Editt. 1541., 1557., 1562., 1601—1662.; Editt. 1532., 1564—1591. *ὄϊες*.

7) videri] sic Editt. 1541. F., 1557., 1564—1662.; Editt. 1532., 1541. B., 1562. videre.

8) ne] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562.; ceterae Editt.: ut.

9) Plin. Nat. Hist. XVIII, c. 75. Ed. Franz. (c. 32. antiquior. Editt.).

10) operito] sic Editt. 1532., 1541. B., 1562—1581. et Plin. l. l.; Editt. 1541. F., 1557., 1591—1662. aperito.

11) *μάλα*] sic illae Editt.; Editt. recent. *μάλ'*.

12) *ἄρ*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1557—1564. in textu et comm., Editt. 1591—1662. in comm., et Editt. recent.; Ed. 1541. B. *ἄρ'*; Editt. 1569., 1581. in textu et comm., Editt. 1591—1662. in textu *αὖ*.

munire, quod sit bonus dies gignendis maribus; postremo quod aptus sit dies convicia dicere, mendacia proferre, blandos sermones miscere, et arcana colloquia habere. Quae omnia ad quadratum adspectum pertinere videntur.

v. 790. (788.) *Μηνὸς δ' ὀγδοάτῃ* etc.] Hoc tempore caprum et bovem castrare convenit.

v. 792. (790.) *Εἰκάδι δ' ἐν μεγάλῃ* etc.] In vigesima die dicit prudentem virum nasci, et qui bona indole praeditus sit. *ἵστορα*] eum vocat, qui multa scit et vidit. Hinc *ἱστορία*, quasi dicas: inspectio, et *ἱστορεῖν* coram intueri et colloqui.

v. 794. (792.) *κούρῃ δέ τε τετρὰς*] Id est, Puellae gignendae est bona decima quarta. Nam tum luna abundat humore. Et hac die (inquit), hoc est, in oppositione convenit boves, canes et mulos cicurare. Nam quando abundant humore, necesse est esse mitiora animantia, quia lumen lunae est gelidum magis et calor temperatior.

v. 795. (793.) *εἰλίποδας*] quasi dicas: curvantes et[13]) trahentes pedes, qua voce Homerus libenter utitur[14]).

v. 797. (795.) *πεφύλαξο δὲ θυμῷ* etc. et

v. 799. (797.) *Ἄλγεα θυμοβορεῖν, μάλα* etc.] Quartam[15]) diem a fine mensis, et decimam quartam[15]) improbat, haud dubie, quia tum oppositio, tum interlunium laedunt corpora. Ideo dicit *θυμοβορεῖν,* quia consumunt animum. Qui laborant cholericis[16]) morbis, ad postremam quartam magis languent, phlegmatici vero contra. Et postremos illos dies in luna vocant cholericos[16]) dies, quod concitent in corporibus siccos humores.

v. 800. (798.) *Ἐν δὲ τετάρτῃ μηνὸς ἄγεσθαι*[17]) etc.] In quarta die mensis ducenda est uxor et observanda auguria et diiudicanda. Est autem metathesis in [v. 801. (799.)] *ἔργματι* nomine, quod a *ῥέζω* venit.

v. 802. (800.) *Πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι.*] Quintas monet esse fugiendas, videlicet primam quintam, decimam quintam, et vicesimam quintam. De qua re cum nulla sit naturalis ratio, contenti ea simus, quae de religione est. Per id enim tempus obambulant Furiae, et expetunt poenas a sceleratis hominibus.

v. 805. (803.) *Μέσσῃ δ'*[18]) *ἑβδομάτῃ Δημήτερος*] Absolvit praeceptiones de dierum discriminibus; quae vero nunc sequuntur, ex quibus rationibus nata sint, dixi paulo ante. Itaque nunc monet poeta frumentum esse ventilandum non crescente, sed decrescente luna, qui humor incommodus laedit frumentum, ariditas vero prodest. Quare manifesta ratio est ex usu rerum, cur fruges a plenilunio iubeat[19]) ventilare, quia sub id tempus excitantur venti et aura siccior est. Prodest autem importari frumentum siccius; nam madidum statim corrumpitur importatum. Dictum est autem supra, quod Varro praecipiat aream fieri debere rotundam[20]).

v. 807. (805.) *Ὑλοτόμον τε ταμεῖν θαλαμήϊα* etc.] Aliud praeceptum: Faber secato ligna ad thalamum media septima, id est, decrescente luna. Diximus autem supra ex Plinio, quod materia decrescente luna caedenda sit[21]), quod illa firmior sit, quae vero crescente caeditur, illico putrescit. In quarta videlicet die incipe glutinare naves fragiles, quod rectius fit, cum aura est humidior.

v. 810. (808.) *Εἰνὰς δ' ἡ μέσση ἐπιδείελα*[22]) etc.] Nona dies media, id est, decima nona meridiana melior dies scilicet est. *ἐπιδείελα* est adverbium pluralis numeri, sicut *πρῶτα*. *δείελον* crepusculum[23]) vocant, *δειλινὸς* et *δείελος* meridianus, et meridianum tempus *δειλινὸν* vocant.

v. 811. (809.) *Πρωτίστη δ' εἰνὰς πάντ' ἀπήμων*[24]) etc.] Prima nona[25]) dies, scilicet a principio mensis, prorsus innocua est, propter geminum adspectum, cum sol abest a signis.

13) et] sic Editt. 1532., 1541. B.; ceterae Editt.: vel.

14) Vid. e. c. Hom. Il. IX, 462. XV, 547. XXI, 448. XXIII, 166.

15) Quartam .... decimam quartam] sic Editt. 1532., 1541., 1562., 1601—1662.; Editt. 1557., 1564—1591. Quartum .... decimum quartum.

16) cholericis .... cholericos] sic recte Editt. 1557., 1564—1662.; Editt. 1532., 1541., 1562. colericis .... colericos.

17) *ἄγεσθαι*] sic illae Editt. et Editt. Brunck., Gaisf.; Editt. Goettl., Dübn. *ἄγεσθ'*.

18) *Μέσσῃ δ'*] sic omnes illae Editt. et Editt. recent. in textu; Editt. 1541., 1562. autem in comm. *Μέσσῃ δὲ*.

19) iubeat] Ed. 1541. F. errore typogr.: iubent.

20) Varro de re rustica I, 51. Ed. Schneider.

21) Vid. Plin. Nat. Hist. XVIII, c. 75. Ed. Fraus. (c. 32. antiquior. Editt.).

22) *ἐπιδείελα*] sic illae Editt. et Editt. Brunck., Gaisf.; Editt. Goettl., Dübn. *ἐπὶ δείελα*.

23) crepusculum] Ed. 1532. errore typogr.: crespulum.

24) *πάντ' ἀπήμων*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1562., 1601. in comm., Ed. 1564. in textu et comm.; Editt. 1532., 1541. F., 1557. in textu: *παντaπήμων*; Editt. 1569—1591., 1623., 1662. in textu et comm., Editt. 1562., 1601. in textu, atque Editt. recent. *πανaπήμων*; Ed. 1541. B. *πάντ' ἀπήμον*.

25) nona] Ed. 1541. B. errore typogr.: nova.

Haec dies utrisque gignendis accommodata. Et nunquam prorsus mala dies est, videlicet, si aliquid ea die facias, quod conveniat.

v. 814. (812.) *Παῦροι δ' αὖτ'* [26]) *ἴσασι* etc.] Pauci sciunt vigesimam nonam optimam mensis, et loquitur de biduo ante *ἕνην καὶ νέαν*. Est enim tum bona dies ad aperiendum dolium, item boves, mulos et equos aptare iugo. Ad haec bona dies est demittere navem in altum, quia sub id tempus est temperatissima et tranquilla aura.

v. 815. (813.) *Ἄρξασθαι πίθου.*] Graecismus est pro aperire dolium.

v. 818. (816.) *Παῦροι δέ τ' ἀληθέα κικλήσκουσιν* [27])] Id est, Pauci certum sciunt, quae dies praestet [28]); pauci recte servant hoc dierum discrimen.

v. 819. (817.) *Τετράδι δ' οἶγε πίθον*] Media quarta, id est, decima quarta dolium aperi, *quod haec* dies prae omnibus sacra sit.

v. 820. (818.) *Παῦροι δ' αὖτε μετ'* [29]) *εἰκάδα* etc.] *Ἔλληψις* est, nam ad dies referri debet, ut sit sensus: Pauci post vigesimam mensis optimam probant sequentes dies. Iam et tempestatum et corporum maximae [30]) mutationes fiunt principio postremae quartae, quod observando poteris discere.

v. 822. (820.) *Αἵδε* [31]) *μὲν ἡμέραι εἰσίν.*] Epilogus praeceptorum est: Aliae dies sunt hominibus magna utilitas, aliaeque sunt ancipites; *μετάδουπον* enim sonat promiscue. Est igitur diligenter considerandum, quid religio praecipiat, deinde quid oriatur ex causis naturalibus, ut si luna sit in signo illo, quod dominatur membro alicui, id membrum naturali de causa vetant tangendum esse ferro, ita de reliquis sentiendum. Quod autem non ex vera religione, neque de certa causa naturali fit, illud superstitio est.

v. 823. (821.) *ἀκήριοι, οὔτι* [32]) *φέρουσαι.*] Politianus videtur vertisse: emortuos dies [33]). E: Homerus somnia vocat *ἀκήρια*, quasi dicast inania.

v. 824. (822.) *Ἄλλος δ' ἀλλοίην αἰνεῖ.*] Hic videmus Hesiodum non ubique secutum certam rationem, sed in plerisque superstitionem et consuetudinem hominum.

v. 825. (823.) *Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη* etc.] Mirae sunt vices rerum, et natura tam multipliciter nos laedit, quam iuvat.

v. 826. (824.) *Τάων εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος* etc.] Bene ille habebit, qui servaverit quidem dierum discrimina. Adiecit tamen correctionem, quod alii alias probent ac laudent. Verum iste inculpabilis erit Diis, id est, ille non peccabit, qui suo quaeque die fecerit, et qui auguria, id est, signa et transgressiones observat, hoc est, qui non violabit ea, quae religiose et utiliter constituta sunt. Nam Dii favent iis, qui natura recte utuntur.

---

26) *αὔτ'*] sic illae Editt.; Editt. recent. *αὖτε*.

27) *κικλήσκουσιν*] sic illae Editt.; Editt. recent. *κικλήσκουσι*.

28) praestet] sic recte Editt. 1532., 1564—1591.; Editt. 1541—1562., 1601—1662. praestat.

29) *μετ'*] sic illae Editt. in textu atque Editt. recent.; Editt. 1532., 1541. F. in comm. *μέτα*; Editt. 1511. B., 1557., 1601. in comm. *μέτ'*.

30) maximae] sic Editt. 1541. F., 1557., 1564—1662.; Editt. 1532., 1541. B., 1562. maxime.

31) *Αἵδε*] sic Editt. 1532., 1541. F., 1557., 1562., 1569—1662. in textu, et Editt. recent.; Editt. 1532., 1541. B., 1562., 1569—1591., 1623., 1662. in comm. *Αἳ δὲ*; Editt. 1541. F., 1557., 1601. in comm., Ed. 1564. in textu et comm. *Αἱ δὲ*.

32) *οὔτι*] sic illae Editt.; Editt. recent. *οὔ τι*.

33) Angelus Politianus (vulgo Bassus), proprie Angelus Ambrogini, a. 1454. in urbe Monte Pulciano natus, a. 1494. Florentiae mortuus, scriptor illius temporis celeberrimus, praeter alia multa scripsit etiam Rusticum carmen in Hesiodi et Virgilii Georgica (Basil. 1518. 4.), ad quod haec Melanthonis verba spectare videntur. Conf. Bouginé: Handb. d. allgem. Litterargesch. Tom. I. p. 585. et Sam. Baur: Neues Histor.-Biogr.-Literar. Handwörterbuch. Tom. IV. p. 444 sq.

LIII. PH. MEL. INTERPRETATIO ALIQUOT LOCORUM HESIODEI POEMATIS INSCRIPTI OPERA ET DIES.

Eiusdem poematis Hesiodi, quod integrum enarravit, Operum et Dierum, Melanthon etiam hos quatuor locos latinos fecit:

1. (ex lib. I.) v. 240—247. (al. 238—245., Brunck 223—230.) *).
2. (ex eodem lib.) v. 289—292. (al. 287—290., Br. 265—268.).
3. (ex eod. lib.) v. 293—297. (al. 291—295., Br. [v. 294. omisso] 269—272.).
4. (ex lib. II.) v. 486—490. (al. 484—488., Br. 456—460.).
5. (ex eod. lib.) v. 761. 762. (al. 763. 764.; Br. 708. 709.).

---

*) Vide supra p. 192 sq. notam 2.

EX HESIODI OPERIBUS ET DIEBUS LOCI QUINQUE
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

1. Operum et Dierum v. 240—247.

Huius loci interpretatio latina Melanthonis invenitur

a. in eius Operum Basileens. Tom. V. p. 334 sq. inscripta: „Ex Hesiodo." integro huius loci textu graeco addito;

b. in Vincentii Ed. Epigrammatum Mel. fol. N 2[b];

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 556. nr. 153., ubi aeque ac apud Vincentium sic est inscripta: „Versus Hesiodi, quos Aeschines oraculum nominat," primo huius loci versu graeco adscripto.

d. in huius Corp. Ref. Vol. XVII. p. 912 sq. (et in libro illic in Prolegomm. laudato), ubi interpretationi orationis Aeschinis contra Ctesiphontem inserta est, quapropter h. l. omittitur (conf. p. 121 sq. nota **).).

2. Operum et Dierum v. 289—292.

Huius loci interpretatio Mel. exstat:

a. in eius Opp. Basil. Tom. V. p. 335. inscripta: „Aliud ex Hesiodo." integro huius loci textu graeco praefixo;

b. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. O 6[a], inscripta: „Ex Hesiodo." primo huius loci versu graeco adiecto;

c. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 556. nr. 152. iisdem inscriptionis et textus verbis praefixis.

Virtutem voluere Dii sudore parari,
Longa via[1]) est ac ardua, quae perducit ad illam,
Inque aditu primo longe est asperrima, sed cum
Veneris ad[2]) summum facilis iucundaque fiet.

3. Operum et Dierum v. 293—297.

Huius loci duae interpretationes Mel. exstant, quarum altera magis ad fidem verborum facta, praefixa inscriptione „Ex Hesiodo" et integro huius loci textu graeco, invenitur:

a. in hoc libro: *Farrago aliquot Epigrammatum Philippi Melanchthonis, et aliorum quorundam eruditorum Opusculum sane elegans et novum. Haganoae per Iohannem Secerium. An. M. D. XXVIII., Mense Ianuario.* 11 pl. 8.

b. in Melanth. Oper. Basil. Tom. V. p. 353.

---

1) via] sic recte (= Hesiodi οἶμος) Vincent. et Corp. Ref. X.; Opp. Basil. errore typogr.: vita.

2) ad] sic Vincent. et Corp. Ref. X.; Opp. Basil.: in.

c. in Grathusii collectione Epigrammatum Mel. fol. L 5[b].
d. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. K 8[a].
e. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 483. nr. 14.

Altera liberior serius facta legitur
a. apud Grathusium l. l. fol. L 5[b].
b. apud Vincentium l. l. fol. K 8[a]—8[b].
c. in Scriptorum publice propositorum a gubernatoribus studiorum in Academia Wittebergensi Tomo III. (Witteb. 1568. 8.) fol. 258[b].
d. in hoc Corp. Ref. l. l., ubi, aeque ac apud Grathusium et Vincentium, illam interpretationem proxime sequitur.

Omnia per sese qui praevidet optimus ille est;
Proximus ille tamen, qui paret recta monenti;
Sed qui non sapit ipse, nec audit recta monentem,
Invida[3]) ei mentem misero natura negavit.

Aliter (paraphrastice) redditum:

1. Qui nullo monitore potest facienda videre,
Quaeque decent, quaeque eventus in fine secundos
Sunt tandem paritura, suisque obtemperat ipse
Consiliis, mores vera ratione gubernans,
Anteit hic alios virtute et laudibus omnes.

2. Sunt alii minus ingenio plerique sagaces,
Qui parere tamen curant meliora monenti,
Laudandos inter recte numerantur et isti.

3. Sed qui nec sapit ipse, nec audit recta monentes,
Nec patitur frenos, nec legum vincula curat,
Sed pronus sequitur, quo traxit caeca libido,
Hic malus ac odio dignus ducatur, et idem
Accerset poenas sibi tandem, et tristia damna.

3) Invida] sic Opp. Basil., Grath. et Vinc.; Corp. Ref. X. Invita.

4. Operum et Dierum v. 486—490.

Hic locus a Melanthone latine redditus reperitur
a. in Mel. Oper. Basil. Tom. V. p. 335. inscripta: „Ex Hesiodo."
b. in Grathusii collectione Epigramm. Mel. fol. M 8[b], inscripta: „Hesiodus Lib. II. ἐργ. καὶ ἡμέρ:"
c. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. M 3 iisdem verbis inscripta;
d. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 556. nr. 151. iisdem verbis inscripta.

In omnibus his libris integer huius loci textus graecus interpretationi est praemissus.

Cum cuculus raucum querna super arbore cantum[4])
Ingeminat, laetusque novi ver nuntiat anni,
Continuo e coelo foecundus depluet[5]) imber.
Si largo[6]) ille boum vestigia flumine replet,
Clara diem terris dum quartum aurora revexit,
Irrigat, atque siti morientes recreat herbas.

5. Operum et Dierum v. 761. 762.

Horum versuum interpretatio Mel. exstat
a. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. P 3[a];
b. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 553. nr. 145., ubi aeque ac apud Vincentium sic inscripta est: „Ex oratione Demosthenis de corruptela in legatione";
c. in eiusdem Corp. Vol. XVII. p. 871. (et in Editt. illic in Prolegomm. allatis) initio loci ex Demosthenis oratione de falsa legatione, a Mel. latine redditi, eamque ob causam h. l. omittitur.

4) Cum cuculus raucum querna s. a. cantum] sic Vinc. et Corp. Ref. X.; Opp. Basil.: Cum rauco gugulus querna s. a. cantu; Grath.: Cum cuculus rauca quercu s. a. cantum.

5) depluet] sic Opp. Basil.; Grath.: defluat; Vinc. et Corp. Ref. X.: defluit.

6) largo] sic Opp. Basil.; Grath., Vinc. et Corp. Ref. X.: large.

LIV. PHIL. MEL. INTERPRETATIO DUORUM LOCORUM EX SOPHOCLIS TRAGOEDIIS.

A poetis epicis ad tragoediarum scriptores transgrediens primum Melanthonis interpretationem latinam duorum locorum ex duabus Sophoclis tragoediis, *Antigone* et *Aiace*, afferam, quarum alteram, Antigonen, a. 1534. interpretatus est, id quod ex eius ad Camerarium epistola m. Oct. huius anni scripta cognoscitur*) et a Mylio in Chronologia scriptorum Mel. ad hunc annum fol. C 5b commemoratur. Utrum autem integram hanc tragoediam, an unum tantummodo locum eius interpretatus sit, nescio; nam praeter locum illico afferendum hucusque, quod scio, nihil ex hac interpretatione prodiit.

---

*) In hac epistola Melanthon Camerario praeter alia scribit: „Antigonen Sophoclis, abs te editam atque illustratam, non solum nunc interpretor, sed ago etiam." (Vid. huius Corp. Reform. Vol. II. p. 792.) Hic locus ansam praebuisse videtur ad hanc interpretationem inter eius libros referendam. Inter hos enim refertur in Zedleri l.: Grosses vollständiges Universal-Lexicon aller Wissenschaften u. Künste Vol. XX. (Halle u. Leipz. 1739. Fol.) p. 431., ubi ad a. 1534. praeter sex alios libros etiam hic memoratur: „6. Antigone Sophoclis a Camerario edita übersetzt."

---

a. EX ANTIGONE SOPHOCLIS LOCUS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Antigon. v. 175—190. Ed. Brunck. (Sophoclis tragoediae VII. ed. R. Fr. Ph. Brunck. Tom. II. Argent. 1786. 8.).

Huius loci duae Melanthonis interpretationes exstant quarum altera invenitur

a. in Grathusii collectione Epigrammatum Mel. fol. M 5., inscripta: „Iambica ex Antigone Sophoclis";

b. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. lib. III. fol. L 8., iisdem verbis inscripta;

c. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 541. nr. 119. A. iisdem verbis inscripta, quibus praecedit altera inscriptio: „Ex Antigone Sophoclis, ubi exponitur dictum Biantis: ἄρχα τὸν ἄνδρα δείξει."

d. in huius Corp. Vol. XVII. p. 872 sq. (et in Editt. in Prolegomm. illic laudatis) in loco ex Demosthenis oratione de falsa legatione a Mel. verso; quapropter hanc quidem interpretationem h. l. omittimus (vide supra p. 121 sq. notam **).).

Altera eiusdem loci interpretatio exhibetur

a. a Vincentio l. l. fol. P 1, sic inscripta: „Ex Antigone Sophoclis, ubi exponitur dictum Biantis Ἄρχα τὸν ἄνδρα δείξει, citante Aristotele in V. ἠθικῶν, aliter redditum quam supra lib. III."

b. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 542. nr. 119. B., inscripta: „Idem locus ex Sophocl. Antigone."

Non penitus ullius voluntas perspici
Potest, priusquam admotus ad rempublicam
Fungi magistratu atque imperiis coeperit.
Ego, hunc virum pronuntio esse pessimum,
Qui civitatem consilio regens suo,
Non dicere audet optimas sententias,
Tacensque veritatem dissimulat metu,
Et anteferre amicum patriae solet.
Testor supremi numen immensum Iovis,
Si quid malum impendere patriae videro,
Me civibus daturum id esse libere,
Nullum mihi foedus erit cum patriae hostibus,
Haec salva tuetur et salutem civium
In hac amicos stante quaerant singuli,
Illam videre qui florentem, gaudeant.

b. EX AIACE SOPHOCLIS LOCUS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Aiac. v. 1081—1083. Ed. Brunck (in eodem Tomo supra allato).

Huius loci interpretatio reperitur

a. in Vincentii Ed. Epigrammatum Mel. fol. A 2b—3a inscripta: „Ex Sophocle", integro huius loci textu graeco addito;

b. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 542. nr. 120. iisdem inscriptionis et textus graeci verbis praemissis.

Ubi petulanter facere quod libet licet,
Legumque vox et ira vindicis Dei
Ridentur, ac inane nomen est pudor:
Magno ruet ventis secundis impetu,
Mox in profundum mersa tota civitas.

LV. PHIL. MEL. INTERPRETATIO HECUBAE EURIPIDIS.

A Sophocle ad Euripidem transimus, cuius omnes, quae nunc exstant, tragoedias, praeter unam Electram, Melanthon latinas fecit*). Haec autem interpretatio non ab eo ipso est edita, sed ex eius praelectionibus adnotata, Xylandri cura prodiit primum a. 1558. sic inscripta:

Euripidis Tragoediae, quae hodie extant, omnes, Latinè soluta oratione redditae, ita ut uersus uersui respondeat. E praelectionibus Philippi Melanchthonis. Cum praefatione Guilielmi Xylandri Augustani. Basileae, apud Ioannem Oporinum. — (In fine:) *Basileae, ex officina Ioannis Oporini, Anno M.D.LVIII. Mense Augusto.* 8. 63¾ plagg. litt. *α*, a—z, A—O (¾ pl.), aa—zz, Aa—Cc sign. 8 foll. non num., 586 pagg., 1 fol. album, 428 pagg., 1 fol. non num., 1 fol. album. (fol. *α* 2—6. Guil. Xylandri praefatio ad Ioannem Baptistam Heinzellium Basileae 4. Kal. Sept. 1558. scripta; fol. L 7—8. Euripidis vita, G. Xylandro autore; pag. 1—53. Euripidis Hecuba, G. Xylandro interprete; p. 54—122. Euripidis Orestes; p. 122—194. Phoenissae; p. 194—251. Medea; p. 251—309. Hippolytus coronatus; p. 310—355. Alcestis; p. 356—406. Andromache; p. 407—455. Supplices; p. 456—525. Iphigenia in Aulide; p. 526—586. Iphigenia in Tauris; 1 fol. alb.; p. 1—40. Rhesus; p. 40—91. Troades; p. 92—146. Bacchae; p. 147—175. Cyclops; p. 176—234. Heraclidae; p. 235—304. Helena; p. 304—371. Ion; p. 371—428. Hercules furens. Omnes has tragoedias, prima excepta, Melanthon interpretatus est. Cuique tragoediae argumentum est praefixum. Fol. penult. parte antica Clausulam typogr. cont., pars eius postica et fol. ult. vacant.)**)

Haec igitur editio septendecim tragoedias a Melanthone versas continet***), quibus Xylander Hecubam, quae quidem itidem a Melanthone versa, in collectaneis s. apparatu huius Ed. vel neglecta vel amissa erat, de suo addidit. Quadriennio fere elapso Xylander hanc Melanthonis translationem correctiorem auctioremque iterum edidit sic inscriptam:

Euripidis Tragoediae, quae hodie extant, omnes, Latine soluta oratione redditae, ita ut uersus uersui respondeat. E praelectionibus Philippi Melanthonis. Cum praefatione Guilielmi Xylandri Augustani, qua ostendit quantum haec editio priori praestet. Francofurti, apud Ludouicum Lucium 1562. 8. 65 plagg. litt. a (½ pl.), b—z, A—Z, Aa—Vu (½ pl.) sign., 4 foll. non num., seqq. pagg. habent numeros 17—1049, ult. pag. non num. vacat. (fol. a 2ᵃ—4ᵇ Xylandri praefatio ad lectorem; pag. 17—22. Euripidis vita, a Guil. Xylandro conscripta; p. 23—27. Catalogus earum Euripidis tragoediarum, quas ab ipso scriptas praeter 19. illas hodie superstites, ex bonis autorib. qui ex ijs uersus et testimonia citant, intelleximus; p. 28—29. Euripidis Hecubae argumentum, G. Xy-

---

*) Melanthon huno poetam anno 1540. in schola enarravit.

**) Haec Ed., quam ex Biblioth. regia Stuttgard. in manibus habeo, memoratur etiam a Fabricio in Biblioth. Graeca Ed. IV. cur. Harles. Vol. II. p. 273., a Beckio in recensione Codd., Editt. et Verss. (Euripidis tragoediae fragmenta epistolae ex Ed. Ios. Barnesii recusa. Lips. 1778—1788. 3 Tomi. 4. mai. Tom. III. p. XVII.), a Schweigero Handbuch der class. Bibliogr. Tom. I. p. 120. et Hoffmanno Lex. bibliogr. Tom. I. p. 214.

***) Fabricius l. l. verbis Xylandri in praefat. alterius Ed., ubi conqueritur de incuria eorum, quibus translationis Basileam perferendae partes eo tempore, quo curabat primam Ed., mandarat, in errorem inductus est. Hanc enim Ed. principem h. l. sic affert: *Eurip. Tragoed. quae hodie exstant, latine soluta oratione ad verbum redditae — e praelectionibus Phil. Melanchthonis cum praefatione Guil. Xylandri.* Basil. 1558. 8. „exceptis tamen Hecuba, Iphigenia, Ione, Hercule et Electra." Iphigenia, Ion atque Hercules a Melanthone translatae, quamvis illorum eas Basileam perferentium incuria mancae, in hac Ed. vere adsunt, et sola Hecuba ab eodem versa deest, cuius loco Xylander suam dedit interpretationem; Electram vero, quippe quae a. 1545. 8°. demum a Victorio Romae primum in lucem edita est (conf. Hoffmann. l. l. p. 213. et illius Victorii ad Nicolaum Ardinghellum Cardin. epistola huic tragoediae praefixa in Euripidis tragoediarum octodecim Edit. Basileensi, quae per Io. Hervagium 1551. m. Sept. 8°. prodiit), Melanthon nunquam interpretatus esse videtur.

landro interprete, p. 30—79. Hecuba Phil. Melanchthone interprete; p. 80—147. Orestes; p. 147—217. Phoenissae; p. 217—273. Medea; p. 273—329. Hippolytus coronatus; p. 329—376. Alcestis; p. 376—425. Andromache; p. 425—472. Supplices; p. 473—539. Iphigenia in Aulide; p. 539—600. Iphigenia in Tauris; p. 600—639. Rhesus; p. 639—690. Troades; p. 690—743. Bacchae; p. 743—770. Cyclops; p. 771—812. Heraclidae; p. 812—880. Helena; p. 880—944. Ion; p. 944—1000. Hercules furens. Hae 18 tragoediae omnes a Melanthone sunt translatae, argumentis praemissis, quorum primum Xylander interpretatus est. Ut haec Ed. etiam tunc paucis annis ante repertam Electram, non a Melanthone versam, complecteretur, Xylander Stiblini huius tragoediae interpretationem (sine argumento) p. 1000—1049. adiecit*); ult. pag. non num. vacat.)**)

Haec igitur Ed. continet XVIII tragoedias Euripidis a Melanthone translatas, quia ad XVII tragoediarum interpretationem Mel., quam Ed. princeps praebet, in hac etiam Hecubae interpretatio Melanthonis (loco Xylandri interpretationis huius tragoediae illic datae) accessit, eiusque translatio Iphigeniae, Ionis et Herculis, in priore Ed. incuria quorundam manca, in hac altera Ed. integra exhibetur.

Ut totius huius operis originem et quantum laboris et diligentiae Xylander in hoc contulerit, lector ex eius ipsius verbis compertum habeat, ex prioris Ed. praefatione eam partem, quae ad Euripidem pertinet, et alterius Ed. praefationem integram h. l. afferimus:

*Ad Amplissimum Virum, Ioannem Baptistam Heinzellium P. Consulem inclytae Reipublicae Augustanae prudentissimum, dominum suum, Guilielmi Xylandri Augustani Praefatio****)*.

Ad Euripidis editionem redeo. Ac videor mihi iam videre morosos quosdam, qui me aliis surripere, quae aliis deinde offeram, clamitent, plagiique insimulent: quorum sane vel error minuendus est, vel reprimenda impudentia. Ego si mihi totum hoc opus vindicem, palam invadere in bona aliorum deprehendar; neque enim Xylandri est haec, sed Philippi Melanchthonis (quem honoris et observantiae causa nomino) e praelectionibus adnotata versio. Dedicandae autem huius potestatem optimo mihi iure sumo. Non dicam nunc alios idem impune et facere, et fecisse; neque id proferam, librum sine praefatione, quae alicuius Maecenatis patrocinio commendaretur, edendum non fuisse; mihique Oporinum, virum optime de me meritum, id negotii dedisse, etsi haec ipsa apud aequum iudicem poterant sufficere. Hoc et affirmo, et possum demonstrare, tanto mihi hoc opus labore stetisse, ut non minus mihi integrum id dedicare fuerit, quam si totum ipse convertissem Euripidem; atque haud scio, an eadem id efficere molestia, et temporis impensa potuissem. Ita erant negligenter omnia scripta, tam multa interpolata, omissa, perversa, ut persuasum habeam, ne mediocriter quidem eruditum quemquam laudi sibi huius versionis titulum ducturum fuisse, nedum nomini Melanchthonis responderet. Itaque diligenter contuli omnia cum Graeco, distinxi, emendavi, omissa (ut erant multis locis multi etiam integri versus) adieci, perversa librarii oscitantia correxi; in summa, Augiae cum stabulo res mihi fuit. Quod non aliorum culpandorum causa, sed mei officii rationes ut redderem, refero. Denique Hecubam, quae deerat, nescio quo pacto vel neglecta vel amissa, de meo addidi, conversam, ut potui in tanta iniquitate temporis et negotiorum concursu, fideliter. Itaque ergo non tam aliena quam nostra tibi, Consul patriae prudentissime, offero, tuoque nomini laudatissimo inscribo; quibus autem nominibus confidam tibi gratum fore hoc nostrum qualecunque munus, iam nunc referam. Primum Euripides quantus sit autor, quantique eum Plato, Aristoteles, Plutarchus, Cicero, aliique in utraque lingua optimi et summi scriptores fecerint, diuturno et diligenti studio ipse ita cognitum habes, ut noctuam Athenas mittere opus mihi non sit. Illud quidem

---

*) Haec interpretatio depromta est ex hocce libro: *Euripides Poeta, Tragicorum princeps, in Latinum sermonem conuersus, adiecto e regionè textu Graeco: cum annotationibus et praefationibus in omnes eius Tragoedias: autore Gasparo Stiblino. Accesserunt, Iacobi Micylli, De Euripidis uita, ex diuersis autoribus collecta: item, De Tragoedia et eius partibus προλεγόμενα quaedam. Item, Iohannis Brodaei Turonensis Annotationes doctiss. nunquam antea in lucem editae. Ad haec, Rerum et uerborum toto Opere praecipuè memorabilium copiosus Index.* (Infra haec Insigne typogr.) *Herodotus: Κύκλος τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων περιφερόμενος, οὐκ ἐᾷ ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχεῖν. Basileae, per Ioannem Oporinum.* — (In fine:) *Basileae, ex officina Ioannis Oporini, Anno salutis humanae M. D. LXII. Mense Martio.* Fol. Sign. a—z, A—Z, Aa—Tt terniones. 845. pagg. et $12^1/_2$ foll. non num. (pag. 2. Bernardi Fabri in Euripidem G. Stiblini Epigramma; p. 3—11. G. Stiblini praefatio ad Principem Ferdinandum Romanorum Imperatorem 22. Oct. 1559. scripta, cui adiunxit praefat. ad lectorem, praeterea carmen in omnes Euripidis Tragoedias et epistolam graecam ad Io. Oporinum; p. 12—665. Euripidis Tragoediae XIX. graece et lat. cum annotatt. Stiblini; poetae p. 666—667. Eman. Moscopuli (sic) brevis de vita poetae expositio; p. 668—679. Euripidis vita atque de tragoedia et eius partibus *προλεγόμενα* quaedam, Iac. Micyllo autore; seq. pag. non num. Bapt. Sapini epist. ad Franc. Maunium Archiepisc.; p. 680—845. [Ss 1ᵃ] Io. Brodaei in Euripidem annotationes; fol. Ss 1^b—Tt 7^a Rerum et verborum in Euripide, et G. Stiblini Schollis praecipue memorabilium, Index; fol. Tt 7^b Clausula typogr.) Hic liber, qui etiam ab Hoffmanno l. l. p. 198. affertur, in Bibl. acad. et senat. Lips. et in meis libris est.

**) Haec Ed. in Bibl. acad. Gottingensi et in meis libris est. — Fallitur ergo Morhofius in Polyhist. litter. l. libr. VII. cap. II. nr. 7. p. 1037. existimans, a Melanthone nunquam conversum esse Euripidem.

***) Sic Xylandri praefatio editionis principis a. 1558. inscripta est. — Priores eius $2^1/_2$ paginas, quippe quae nihil continent, quo haec editio illustretur, omisi.

in promptu est, Euripidem philosophiam e scholis in scenam abduxisse, arreptaque e fabulis et historiis materia, to tius humanae vitae rationes oculis hominum mira simul cum oblectatione proposuisse. Quod si singillatim ac pe partes iubear demonstrare, equidem posse non desperem; sed opus novum mihi nasceretur. Hos satis sit dixiss nullum esse in philosophia caput, quod ad humanae vitae institutionem faciat, cuius non et praecepta, et exempl insignia his ipsis in superstitibus eius (equidem de magno numero perpaucis) extent tragoediis. Disputat quide de Diis, de fato seu causis rerum humanarum, de necessitate, de vicissitudine rerum et incertitudine varie, sed it ut variis personis diversas sententias tribuat. Quo qui non respiciunt, ii magnam secum in autorum gravium scrip inscitiam adferentes, propter ea vel laudant vel damnant scriptorem, quae illi ne per febrilia quidem somnia a animum accidissent. Alioquin multa invenies piissime dicta: quale est illud initio Hippolyti, Deum suos cultores cu rare, contemptores opprimere. Et quid sanctius illo Electrae dicto:

— Quod nunc auxilium petam,
Nobis Deus quando miseris irascitur? *)

Quod si Christiani interdum secum reputarent, magis de placanda numinis ira, quam novis ea**) peccatis exasperan cogitarent. Iam qui rerum caducarum χυκεῶνα, et humanas miserias apud Euripidem quasi in speculo cernit, cu sibi remedium adversus haec mala, et praesidium esse in Dei invocatione***) auxilioque cogitat, qui non ad pietate vitaeque innocentiam excitetur? De felicitate autem, qualis hominum in terra viventium esse potest, Solonis ill dictum****) ubique inculcat, successibusque non esse fidendum docet. Quam pulcre ostendit Theseus Adrasto † vanum esse, quod homines de Diis querantur, plura eos mala quam bona dedisse; sed ipsos sua imprudentia in r adversas et perniciem ruere! Disputat in eandem sententiam argute Phaedra ††), voluptatum specie homines sedu ut mala bonis praeferant. Multa sunt huiusmodi de supplicio, quod Deus malis tandem irroget, cum virtus et ip demum suum inveniat praemium. De reipublicae administratione non uno loco disseritur: de cuius optima for Theseus praeclare contra Creontis praeconem verba facit Supplicibus, quae adducere et longum est, neque nece sarium. Quid hoc Menoecei se pro patria devoventis dicto †††) potest excogitari magis vel pium, vel rebus pub cis salutare?

Si quilibet quantam queat, tantum boni
In publicum, patriaeque conferat suae:
Mox pauciora civitatibus mala,
In posterum res accidentque prosperae.

Verum hoc mehercle, sed nimis quam rarum. Neque bellicae rei praecepta omisit. In Rheso tria ducum inge depinguntur: temerarium Rhesi, successui nimium fidens Hectoris, cautum Aeneae. Sed (ut dixi) quot capita (lo communes vocant) sunt philosophiae moralis, quot res ad vitam communem dirigendam utiles, tot in uno Euripi thesauri latent, hoc est, innumeri: tamque latus patet pulcerrimarum sententiarum, et sapientissimorum dictor campus, ut praestet lectorem eo remittere, ubi ipsa iudicium moratur et distinet copia. Praetereo nunc, qua eius vis, quantus in dicendo ornatus, quae in poesi et quam admirabilis oeconomia. Neque enim institui laud in praesentia Euripidem, qui se ipsum ita commendat, ut semel diligenter lectus, ad saepius repetendam sui lecti nem mirifice invitet et alliciat. Quamobrem tantum autorem te, vir Amplissime, sibi patronum poscentem, non d bito, quin facile sis in tuam clientelam accepturus. Deinde cum Philippo ita usus sis olim praeceptore, ut et pe petua eum tu observantia colas, et ipse te plurimi faciat: equidem mihi persuadeo, fieri non posse, quin ex o cina eius profectum hoc opus, etiam hoc ipso nomine sis gratum habiturus. Postremo facit hoc summus tuus e rempublicam litterariam amor, notus ille, et suo cum commodo cognitus plurimis, ut, quicquid laboris ad eam aug dam suscipitur, id omne tibi acceptum esse sciamus. Erit itaque T. A. opera, quam impendi in hanc edition tanto gratior, quanto iustius erat te, cum studia mea diu multumque incredibili benevolentia fovisses, autorit consilioque tuo promovisses, liberalitateque adiuvisses, fructum aliquem collocatorum in me beneficiorum percipe Itaque cum in magnam spem venirem, fore hanc meam industriam usui multis, qui vel Graecum legere Euripid non possent, vel perdiscendae linguae gratia conferre Graeca cum Latinis cuperent: cogitavi, declarandi grati an ergo hunc tuae, Consul prudentissime, Amplitudini commendandum Euripidem, qui simul et meae in te pieta et in rempublicam litterariam studii esset argumentum. Accipe igitur, praesidium et ornamentum patriae clari mum, a nobis hoc qualecunque munusculum eo animo, quo te esse erga omnes honestarum artium studiosos quibus meum nomen profiteor) expertum habeo: speraque me effecturum, ut patriae, et tua aliorumque, qui

*) Hic locus legitur in Eurip. Oresta.

**) ea] Ed. 1558. male: eam

***) Invocatione] Ed. 1558. male disiunctim: in vocatione.

****) Haec spectant ad Solonis cum Croeso disputationem de fortuna humana, quae legitur apud Herodot. I, 30—32. c etiam ibid. c. 86.

†) In Eurip. Supplicibus.

††) In Eurip. Hippol. coron.

†††) In Eurip. Phoeniss. 1022—1025. Ed. Barnes.

natus foverunt meos, in me beneficia Reipublicae et Maecenatibus meis utilitati laudique esse intelligantur. Valeat T. A. eamque Deus reipublicae suisque diu incolumem servet. Basileae, IIII. Kal. Septemb. Anno Salutis 1558.

Ad candidum Lectorem, Xylandri praefatio, editionis huius rationem ostendens).*

Quadriennium iam fere elapsum est ab eo tempore, quo Philippeam Euripidis tragoediarum translationem Basileae ita adornavi, ut cum aliqua, et quidem meo arbitrio non poenitenda utilitate studiosorum ederetur. Qua de re cum dictum sit utcunque satis ea epistola, qua eam editionem amplissimo viro D. Ioanni Baptistae Heinzellio, Cos. Augustano dedicavimus: plura hic non addam. Enimvero cum typographus divenditis exemplaribus novam editionem moliretur, mecumque ea de re communicaret: tametsi eram varie occupatus, malui tamen honestum eius conatum, bonumque publicum etiam meo cum incommodo dispendioque adiuvare, quam suspicionem proditi officii de me excitare. Itaque operam, quam potui, in hoc dedi, ut non denuo tantum typis describeretur Philippeus Euripides, sed et correctior auctiorque in lucem prodiret. Primum enim interea Hecubam Latine ex ore D. Philippi Melanthonis exceptam nactus Oporinus noster, mihi (quod in reliquis factum ostendi tragoediis) praebuit castigandam et concinnandam. Feci hoc non illibenter, et qui ante, opus ne esset ἀκέφαλον, Hecubam de meo praeposueram, nunc Philippeam vobis, mea sublata, exhibeo, ut (quantum eius fieri potuit) una oratio ubique, unus sit stylus. Nam meam quidem perire facile fero. Iphigeniam quoque Tauricam, Ionem, et Herculem furentem, priori editione incuria eorum, quibus Basileam eas perferendi partes mandaramus, interceptas, ita ut aliunde corrogari tantisper debuerint, integras nunc damus, optimaque fide a nobis emendatas. Ac ne quod Euripideum, quod quidem ad nos perlatum esset, drama hic desideraretur, Stiblinianam interpretationem Electrae in fine addi curavimus. Constat enim Electram eam esse Euripidis genuinam; et ita constet, ut mirer esse, qui, nescio quibus coniecturis inducti, de eo dubitare malint, quam iis, quae doctissimus homo Petrus Victorius, cum eam proferret in lucem**), perhibuit, acquiescere, praesertim cum et quae ex ea in Lysandro Plutarchus***) refert, hic extent, et ad verbum reperiantur, quae non ita pauca, ut dubitandi locum relinquant, λόγῳ πδ. citat Stobaeus****). Vitam quoque Euripidis a me olim conscriptam diligenter amplificavi, id quod gratum esse debet Phileuripideis. Quin et indicem comportavi earum tragoediarum, quas ut ab Euripide scriptas a fide dignis autoribus nominari memineram: cum quidem nomina tantum, et frustula earum aliqua ad nos vetustas et incuria maiorum, iniuriaeque temporum transmiserint. Ei catalogo addet alia, qui inveniet; nos enim obiter modo hoc egimus. Haec (si recte iudico) neque contemnenda est addita ad superiorem editionem accessio: et quam grato utique animo et optima mente excipient ii, quos sua ingenuitas docet ex alienis laboribus sua capere quo decet modo commoda. Neque enim operae pretium existimo iis respondere hoc loco, qui pro pueris et rudioribus institutas huiusmodi optimorum scriptorum versiones vel contemnunt, vel criminantur etiam. Satius esse puto, hoc in genere fidem iis adhibere, qui suo emolumento experti testantur, praesertim his, qui viva docentis voce destituuntur, huiusmodi opellam mirifice prodesse. Non nego, multo splendidius atque accuratius Euripidem potuisse in Latinum sermonem transscribi, quam hac nostra editione, adeoque omnium, quas ego viderim, sit factum. Imo etiam hortor, adeoque obtestor eos, quibus hoc eruditionis et otii suppeditat, ut Euripidem ita civitate Romana donent, ne quid Graecum porro in eo, extra sermonis nativi incomparabilem venustatem atque maiestatem, desideretur. Hoc qui praestabit, is summo sibi omnes bonarum litterarum studiosos beneficio, maxime omnium eos, qui Graece non audiunt, devinxerit, remque perenni dignam laude atque gloria confecerit. Verum idem interim D. Philippi consilium (ad quod nos rationes nostras hic accommodare necesse habuimus) non damnaverit, qui ita interpretari dignatus est divinum poetam, ut ad ipsa quoque vocabula consideranda atque cognoscenda quasi manu lectorem in Graecae linguae exercitatione tirocinium aliquod depositurum deduceret. Qui vero iam rudium putant rationem non esse habendam: iis cogitandum mando, vellentne eo tempore, quo ipsi erudiri primum coeperunt, eundem iis, per quos profecerunt, fuisse animum. Et vero ut nunc sunt res, ut studia, ut industria: haud scio, an fideles praeceptores vel inprimis hoc suis agere debeant lucubrationibus, ut rudioribus aut praeceptorum ope destitutis quocunque modo ad eruditionem adspirandi viam patefaciant. Sed haec hic satis†).

Huic Melanthonis interpretationi XVIII tragoedias Euripidis continenti una tantum praecessit, quae easdem XVIII trag. complectitur, nempe ***Rudolphi Collini***, Scholae Tigurinae Professoris, cuius versio, sed ipso inscio, sub ficto ***Dorothei Camilli*** nomine primum Basileae 1541. 8. prodiit, iterumque ibidem 1558. 8. addita XIX. tragoedia Electra††).

---

*) Sic Xylandri praefatio alterius editionis a. 1562. est inscripta. Hanc praefationem h. l. integram damus.

) Anno 1545., vide supra p. 279 sq. notam *). — De Stibliniana Euripidis interpretatione supra p. 281 sq. nota *) diximus.

***) Plut. vita Lysandri c. 15.

****) Stobaeus in Florileg. Serm. 84. antiquior. Editt. (Serm. 86. §. 4. Ed. Gaisford.) locum Electrae Euripidis affert.

†) His verbis finitur Xylandri in alteram editionem huius libri praefatio.

††) Huius interpretationis editio princeps, quae in meis libris est, sic est inscripta:
Euripidis poetae antiquissimi ac sapientissimi, Tragicorum uerò (ut Plato et Aristoteles testantur) omnium principis, cuiusque singulos uersus singula se testimonia M. Cicero putare ait, Tragoediae XVIII. singulari nunc primum diligentia ac fide per Dorotheum Camillum et Latio donatae, et in lucem editae. Quarum catalogum uersa statim pagella reperies. Adiecimus quoque de Poëtae uita, et scribendi ratione quae-

— Ex horum duorum, ***Melanthonis*** et ***Collini*** interpretationibus quatuor tragoediae Hecuba, Iphigenia in Aulide, Medea, Alcestis permultis autem in locis variatae iterum prodierunt in hocce libro:

> ***Tragoediae selectae Aeschyli, Sophoclis, Euripidis. Cum duplici interpretatione Latina, una ad verbum, altera carmine. Ennianae interpretationes locorum aliquot Euripidis.*** (Haec sequitur Insigne typogr.: Arbor, cuius aliquot rami abscissi sunt, inscriptis verbis: Noli altum sapere.) ***An. M. D. LXVII. Excudebat Henr. Stephanus, illustris viri Huldrichi Fuggeri typographus.*** **16. 2** foll. non num., pag. **1—279.** [litt. a—z, aa sign.], **5** pagg. albae, pag. **1—955** [litt. A—Z, A—Z, Aa—Pp sign.], ult. pag. alba. Fol. **2.** indicantur: Autores sequentium interpretationum. ***Eurip. Trag. Hecubae*** et ***Iphig. in Aul.*** interpretatio carmine, Erasmi est; interpr. ad verbum, partim ex Phil. Mel. praelectionibus, partim ex Dorotheo Camillo [i. e. Collino] collecta, sed multis in locis recognita. ***Medeae*** et ***Alcest.*** interpretatio carmine Georgium Buchananum habet autorem; altera eosdem qui modo nominati fuerunt. — ***Soph. Trag.*** Aiacem, Elect., Antig. carm. redd. etc. — ***Aesch. Trag.*** Prometheum vert. etc. (p. **1—117.** Erasmi interpretatio metrica Hecubae et Iphigeniae in Aulide, epistola nuncup. ad Guilielmum Archiepisc. Cantuar. cuique praemissa; p. **118—128.** De tragoedia et comoedia; p. **129—213.** Ge. Buchanani interpr. metrica Medeae et Alcestis, praefatione cuique praefixa; p. **214—279.** Ge. Rotalleri interpr. metr. Soph. Aiacis flagelliferi, Antigones et Electrae; **5** pagg. albae; p. **1—109.** Euripidis Hecuba Graeca, cum interpretatione Latina ad verbum; p. **110.** vac.; p. **111—261.** Euripidis Iphigenia in Aulide, cum interpretatione Latina ad verbum; p. **262.** vac.; p. **263—383.** Euripidis Medea, cum interpretatione Latina ad verbum; p. **384.** vac.; p. **385—483.** Euripidis Alcestis, cum interpretatione Latina ad verbum; p. **484.** vac.; p. **485—851.** Soph. Aiax flagellifer, Electra, Antigone c. interpr. Lat. ad verb., p. **852.** vac.; p. **853—943.** Aeschyli Prometheus vinctus c. interpr. Lat. ad verb.; p. **944—955.** Ennii interpretationes quorundam Hecubae Euripidis versuum; p. **956.** vac.) Illarum quatuor Euripidis tragoediarum interpretatio Latina ad verbum facta, textui e regione apposita, ex Melanthonis et Collini interpretationibus ita quasi conglutinata est, ut alias cum illa, alias cum hac consentiat, alias ab utraque differat, maiori autem ex parte cum Melanthonis interpretatione quam cum Collini congruere videatur. Haec Ed. in Bibliotheca acad. Halens. asservatur.

Ab illa ***Melanthonis*** latina interpretatione, quam ***Xylander*** edidit, ea, quae a ***Barnesio*** textui graeco e regione apposita est*), tam parum differt, ut haec illius nova editio vere iudicanda sit, quamquam Melanthonis auctoris ab hoc editore nusquam mentio est facta. Eadem iterum ex aliqua parte mutatam repetiit ***Musgravius*****). Ma-

---

dam ex Emanuele Moschopulo, Thoma Magistro, Suida, alijs. Basileae. — (In fine:) *Basileae, ex officina Roberti Winter. Anno M. D. XLI. mense Augusto.* 8. 66 plagg. litt. α, a—z, A—Z, Aa—Tt sign., 528 foll. non num. (fol. α 1b Tragoediarum XVIII. Euripidis, quae hoc in volumine continentur, Catalogus; fol. α 2a—4b Em. Moschopuli de vita Poëtae expositio, eiusque explanatio de Idolo; fol. α 4b—6a Thomae Magistri ipsius Poëtae et Fabulae argumenti explicatio; fol. α 6b Epigrammata in Euripidem; fol. α 7a—8a Euripidis vita ex Suida et R. Volaterrano; fol. α 8b vac.; fol. a 1a—Tt 8a Euripidis tragoediae XVIII. latine, argumento cuique praefixo. Post finem Herculis furentis legitur Clausula typogr.; fol. Tt 8b Insigne typogr.: Minerva armata.). — Altera editio hunc habet indicem: *Euripidis Tragicorum omnium Principis, cuiusque singulos versus singula se testimonia M. Cicero putare ait, Tragoediae XVIII. Latine nunc denuo editae, ac multis in locis castigatae, Dorotheo Camillo interprete. Adiecimus quoque de Poetae vita, et scribendi ratione quaedam ex Emanuele Moschopulo, Thoma Magistro, Suida, aliis. Basileae.* — (In fine:) *Bernae in Heluetiis, Mathias Apiarius excudebat, expensis Io. Oporini* 1550. 8. In hac Ed. XVIII. tragoediis in indice memoratis in fine addita est *Electra* a *Stiblino* versa aliis typis expressa, vid. l. Die Merckwürdigkeiten der Königl. Biblioth. zu Dressden. Tom. II. p. 437. — Praeter has duas huius interpretationis Editiones Fabricius l. l. Vol. II. p. 272. affert tertiam: Francof. 1562. 8.; de hac vero valde dubito, suspicor enim, hanc esse alteram Editionem interpretationis Melanthonianae, quam ipse etiam pag. seq. memorat.

*) Haec Ed. sic est inscripta: *ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ Σωζόμενα ἅπαντα. etc. Euripidis Quae Extant Omnia: Tragoediae nempe XX, Praeter ultimam, Omnes Completae: Item Fragmenta Aliarum plusquam LX Tragoediarum; Et Epistolae V. Nunc primum et ipsae huc adjectae: Scholia demum Doctorum Virorum in Septem Priores Tragoedias, — Collecta et Concinnata ab Arsenio. Praemittitur Euripidis Vita. — Scholia Vetera et Latina Versio, omniaque adeo multo quam antehac Emendatiora. Accedit Index — Operâ et Studio Iosuae Barnes. Cantabrigiae — MDCXCIV. Fol.* — Haec Ed. repetita est Lipsiae, sic inscripta: *Euripidis Tragoediae Fragmenta Epistolae ex Editione Iosuae Barnesii nunc recusa et aucta appendice observationum e variis doctorum virorum libris collecta Tomus I. Lipsiae sumtu E. B. Svikerti CIƆIƆCCLXXVIII.* Eiusd. Ed. Tom. II. inscript.: *Euripidis — recusa. Accedunt Fragmenta ex recensione Samuelis Musgrave. T. II. Ibid. CIƆIƆCCLXXIX.* Eiusd. Tom. III. inscript.: *Euripidis — recusa. Tom. III. continens Samuelis Musgravii notas integras in Euripidem. Accedunt — Scholia auctiora — et Index verbor. cop. Curavit Christ. Dan. Beckius. Ibid. CIƆIƆCCLXXXVIII.* 4. mai.

**) In hac Ed.: *ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ. Euripidis quae extant omnia. Tragoedias superstites ad fidem Vett. Editt. Codicumque — MSS. recensuit: Fragmenta Tragoediarum deperditarum collegit: Varias Lectiones Insigniores Notasque perpetuas subjecit: Interpretationem Latinam secundum probatissimas lectiones reformavit: Samuel Musgrave. Accedunt Scholia Graeca in Septem priores Tragoedias — recusa. 4 Voll. Oxonii MDCCLXXVIII.* 4. mai. (Vol. IV. cont. Interpretationem Latinam Tragoediarum superstitum et Scholia Graeca in VII prior. Tragg.) — Haec Ed. recusa est Glasguae sic inscripta: *ΑΙ ΤΟΥ ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΤΡΑΓΩΔΙΑΙ ΣΩΖΟΜΕΝΑΙ. Euripidis Tragoediae quae supersunt, ex recensione Samuelis Musgravii. 10 Tomi. Glasguae: excudebat Andr. Foulis. M. DCC. XCVII.* 8. In hac altera Ed. interpretatio lat. textui graeco e regione apposita est.

iori autem ex parte mutata est a *Fixio* *). Quam ob rem etiam has editiones recentiores, quas omnes in manibus habeo, praesertim in locis non mutatis contuli. — Cum *Xylandri* editiones versuum numeris omnino careant, hos ex Ed. *Barnesiana*, quamquam in versuum divisione saepius ab illis Editt. differt, adscripsi, et praeterea stropharum partitiones atque alias quasdam inscriptiones ex eadem addidi uncis inclusas.

Praeter hanc XVIII tragoediarum Euripidis interpretationem Melanthonis integram, etiam aliquot locorum Euripidis interpretationes partim in eius carminibus, partim in eius interpretatione quarundam orationum graecarum prodierunt, videlicet horum quatuor vel quinque locorum:

1. Phoeniss. vs. 472—475. Ed. Barnes. (v. 469—472. Ed. Witzschel. Ed. stereot. Lips. ap. Tauchnit. 1841. 12°.)

Huius loci interpretatio lat. Mel. inscripta: „Euripides in Phoenissis" invenitur

a. in Melanthonis Oper. Basil. Vol. V. p. 333. loco graeco integro praefixo;

b. in Vincentii Ed. Epigrammatum Mel. fol. O 4b — 5a primo versu graeco huius loci praemisso;

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 550 sq. nr. 138. primo versu graeco aeque ac apud Vincent. praemisso.

2. Phoeniss. vs. 531—533. Ed. Barnes. (v. 528—530. Ed. Witzschel.)

Huius loci interpretatio Mel., inscripta „Iocaste apud Euripidem ad filium Eteoclem", una cum textu graeco exstat

a. in Grathusii collectione Epigrammatum Mel. fol. L 6b;

b. in Vincentii Ed. horum Epigramm. fol. L 1a;

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 561 sq. nr. 166.

3. Phoeniss. fragm. IX, 7—9. Ed. Musgrave) (fragm. IV, 7—9. Ed. Witzschel. Eurip. Opp. Tom. IV. p. 276.)**

Haec interpretatio a verbis: „Si quis malorum gaudet commercio" incipiens, legitur

a. in Grathusii collect. Epigr. Mel. fol. M 5a;

b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 7a;

c. in huius Corp. Reform. Vol X. p. 550. nr. 187. in quibus libris hic locus inscriptus est: „Euripides in Phoenissis" (verba graeca non sunt adscripta);

d. in Melanthonis interpretatione loci insignis ex Demosthenis oratione de falsa legatione, in huius Corp. Ref. Vol. XVII. p. 871.

4. Erechthei fragm. I, 1—60. Ed. Musgrave*) (fragm. XVII, 1—55. Ed. Witzschel. Eurip. Opp. T. IV. p. 214—216.).**

Huius fragmenti tragoediae deperditae Euripidis interpretatio Mel. reperitur:

a. in Grathusii collect. Epigr. Mel. fol. M 2a—3b;

b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 5a—6b, ubi aeque ac apud Grathusium sic est inscripta: „Versus Euripidis, qui in Lycurgi oratione contra Leocratem recitantur, sic sunt redditi latine." (textu gr. omisso.);

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 592—594. nr. 221. sic inscripta: „Versus Euripidis in Lycurgi oratione contra Leocratem." (sine textu gr.);

d. in Melanthonis interpretatione huius orationis Lycurgi, in huius Corp. Ref. Vol. XVII. p. 961—963.

5. Locus ex Euripide (?).

Huius loci, qui in eadem Lycurgi oratione citatur et cum Valckenario ad Eurip. Hippolit. p. 198. Euripidi solet assignari, interpretatio Mel. „Iratus ad poenam" etc. exhibetur

---

*) In hac Ed.: *ΕΥΡΙΠΙΔΗΣ. Euripidis Fabulae. Recognovit, latine vertit, in duodecim fabulas annotationem criticam scripsit, omnium ordinem chronologicum indagavit Theobaldus Fix. Parisiis, Editore Ambrosio Firmin Didot. M DCCC XLIII.* 8. mai. — De versione lat. in praefatione haec dicit: „*Versionem veterem latinam* a Barnesio et Musgravio correctam, clarissimo Editori et nostratium studiis obsecutus, ita refingere studebam, ut non sententiam solum, sed ipsam conformationem graecae orationis quam accuratissime referret. Quae quum per se recta mihi quoque esse ratio videatur, nimium tamen, quod in *Hecuba* cernitur, graeca sectandi et prorsus assequendi studium, paullo etiam minus referre Euripidem censebitur, quam reliquarum fabularum translatio, paullo illa in singulis liberior, si summam rei spectes, strictior et accommodatior. Iam ob textum multimodis mutatum et rectiorem, quam nostrum saeculum aperuit, tragicorum intelligentiam vetus versio tam frequenter tamque assidue mutanda erat, ut eius in dimidia parte fabularum vix vestigia restent, et nostra exierit propemodum nova."

**) Vide Ed. Barnes. Lipsiae recusam supra p. 287 sq. nota *) laudatam Tom. II. p. 466.

***) Vide Ed. Barnes. Lips. modo laudatam Tom. II. p. 442.

a. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. M 1^b—2^a;

b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 4^b—5^a, in utroque libro sic inscripta: „Versus qui recitantur in oratione Lycurgi contra Leocratem", integro textu gr. praefixo;

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 591. nr. 220. inscripta: „Versus in oratione Lycurgi contra Leocratem", addito textu gr.;

d. in Melanthonis interpretatione huius orationis l. l. Vol. XVII. p. 959.

Horum quinque locorum duos priores sequenti integrae Phoenissarum interpretationi Melanthonis in fine adiungemus, reliqui autem, quippe qui in Vol. XVII. huius Corp. reperiuntur, omittemus (vide supra p. 121 sq. notam **).).

Denique praeter has interpretationes Melanthon tres *prologos* in Euripidis tragoedias scripsit:

1. in Hecubam, 2. in Rhesum, 3. in Cyclopis exordium.

1. *Prologus in Euripidis Hecubam.*

Hic invenitur in his libris:

a. *Farrago aliquot Epigrammatum Philippi Melanchthonis, et aliorum quorundam eruditorum Opusculum sane elegans et novum. Haganoae per Iohannem Secerium. An. M. D. XXVIII., Mense Ianuario.* 8. 11 plagg.*)

b. *Melanthonis Opera.* (5 Tomi. *Basileae M.D.XLI.* Fol.) Tom. V. p. 331.

c. *Prologi aliquot, olim scenicis actionibus praemissi, exhibitis in Academia Vitebergensi. Quibus adiuncti sunt recentes aliquot. Vitebergae excusi apud haeredes Georgii Rhaw. Mense Septembri.* 1554. 8. min. 4 plagg. litt. A—D sign., 32 foll. non num., ult. pag. vac. Hic liber continet *Melanthonis prologum in Militem Plauti* et *in Andriam Terentii*; Camerarii prol. in Andriam, in Eunuchum, in Adelphos, duos in Phormionem; *Melanth. prol. in Phormionem Terentii, prol. in Hecubam Euripidis, prol. in Thyestem Senecae*; Micylli prol. in Adelphos, in Andriam; Angeli Politiani in Menechmos Plauti; Eberi prol. in Andriam, eiusd. actum prologi vice praemissum comoediae Captivorum Plauti 1553., eiusd. alium in Senecae Hippolytum 1554.; Melanthonis carmen de oppido Torga, eiusd. interpretatio lat. elegiae Solonis; Petri Lotichii Secundi carmen in speciem conspectam in aere supra oppidum Isenberg 1553.**) — Prologus in Hecubam Eurip. in hoc libro fol. A 8. legitur.

d. *Philippi Melanthonis Epigrammatum libri tres collecti ab Hilbrando Grathusio Uffleniensi. Vitebergae excudebat Petrus Seitz. Anno M. D. LX.* 8., ubi hic prologus fol. K 6 invenitur.

e. *Reverendi et Clariss. Viri Philippi Melanthonis Epigrammatum libri sex recens editi studio et opera Petri Vincentij Vratislauiensis. Witebergae Anno M. D. LXIII.* 8., in quo libro hic prologus fol. K 1^b—2^a exhibetur.

f. Huius *Corporis Reform. Vol. X.*, in quo hic prologus p. 499. nr. 46. recusus est.

2. *Prologus in Euripidis Rhesum.*

Hic prologus Mel. legitur

a. in Vincentii Ed. Epigrammatum Mel. fol. S 1^b;

b. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 670. nr. 389.

3. *Prologus in exordium Cyclopis tragoediae Euripidis.*

Hic prologus tantum exstat in Grathusii Collectione Epigrammatum Mel. fol. L 1. sic inscriptus: „In exordium tragoediae Euripidis, quae inscribitur Cyclops incerti auctoris."

Hos prologos his tribus tragoediis in fine annectemus.

---

*) Sic haec collectio, quam hucusque non vidi, in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 468 sq. affertur.

**) Hos Prologos ex Biblioth. regia Dresdensi in manibus habeo.

EURIPIDIS HECUBA

PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE[1]).

Ex Prolegomenis apparet, huius tragoediae interpretationem Melanthonis in sola Ed. Francof. 1562. inveniri; interpretatio enim huius tragoediae, quam Ed. Basil. 1558. continet, non Melanthonis est, sed Xylandri. Illam praesertim cum Ed. Barnes. contuli, ex qua versuum numeros, quibus Xylandri editiones carent, stropharumque partitiones et alias quasdam inscriptiones addidi, easque uncis inclusi, ut lector cognoscat, has deesse in Xylandri editionibus. — Signum („), quo in Editt. Xylandri et Barnesii, aeque ac in Eurip. Ed. Basileensi 1551. 8°. (qua Melanthon usus esse videtur), insignia Euripidis dicta notantur, in hac Ed. ubique retinui.

1) Sequenti interpretationi in Ed. 1562. a Xylandro hoc praemittitur argumentum ex graeco editionis Basileensis Eurip. a. 1551. 8° versum, quod etiam suae interpretationi huius tragoediae in Ed. 1558. praefixit:

Euripidis Hecubae argumentum, Guilielmo Xylandro Augustano interprete.

Capta Troia Graeci cum inde solvissent, ad oppositam in Thracia Cherrhonesum appulerunt, cui Polymestor imperabat. Ibi honorarium Achilli tumulum excitaverunt, in Troia sepulto. Caeterum commoratis aliquot ibi dies, quos rebus suis constituendis dabant, atque iam abituris, Achillis imago super tumulum apparuit, et eorum discessum inhibuit, postulans ut sibi praemii loco darent filiam Priami Polyxenam, quae ei ante a patre eius fuerat pacta cuiusque gratia erat a Paride et Deiphobo sagittis confixus, peracturo sponsalia Priamo. Itaque Graeci beneficia eius memoria repetentes, honoremque hunc eius virtuti deferentes, Polyxenam ad sepulcrum herois immolandam decreverunt. Miserunt porro Ulyssem Laertae filium ad matrem puellae Hecubam, ut et puellam adduceret, et matri facunda (cuius erat rei artifex) oratione persuaderet, ne filiae amissione se affictaret. Ulysses ubi eo accessit, Polyxenam offendit suo conatui opitulantem, matrique persuadentem, magis sua ex re fore, ut moriatur, quam vitam se indignam toleret. Mactata filia, ancillam suam ad littus misit Hecuba, aquam, qua cadaver Polyxenae ablueretur, allatum. Haec Polydorum ibi iacentem reperit. Etenim Polymestor cognito Troiam esse captam, puerum hunc occiderat, atque in mare abiecerat, ut ipse aurum possideret, quod una cum puero Priamus pater eius clam miserat superioribus temporibus, cum iam imminere Ilio periculum sentiret. Erat autem ea vis auri, quae ad restituendum Priami genus posset suppeditare. Hunc Polydorum itaque in littore iacentem ancilla ut invenit, peplo involutum ad Hecubam attulit. Quae cum cadaver Polyxenae esse putaret, nondum revelatum: simul atque Polydorum esse intellexit, magnum dolorem animo concepit; Polymestorem vero ut ulcisceretur, hoc astu est usa. Communicata prius cum Agamemnone sententia, ancillam suam ad Polymestorem mittit, eum cum liberis eius ad se accersens, cum eo de re necessaria se communicaturam indicans. Hic inscius Polydori cadaver in littore repertum, simulque aliis inductus fraudibus, praesto adfuit. Hecuba ideo vocatum dicere, uti thesauros, quos ipsa Ilii abscondisset, ei indicaret: hominem in tabernaculum suum introducere, nimirum ibi rem apertura, ac alias item datura, quas secum Troia attulisset, pecunias. Erat intus abdita mulierum ingens copia: harum auxilio Hecuba intro adducti oculos excludere, liberosque eius necare. Rei indicio inde ad Agamemnonem delato, cum de nece Polydori multa fingeret Polymestor, Hecuba coram convicit, eum auri causa, non eorum, quae praetendebat, puero manus attulisse: iudicavitque secundum ipsam Agamemno.

Scena fabulae fingitur esse in Cherrhoneso Thracica, quae est e regione Troiae sita. *Chorus* constat captivis Troianis mulieribus, quae Hecubae ferunt auxilium.

Personae in fabula sunt hae:

Polydori umbra	Ulysses
Hecuba	Talthybius
Chorus Troadum captivarum	Ancilla Hecubae
	Agamemnon
Polyxena	Polymestor.

Inchoat autem tragoediam Polydori umbra.

HECUBA.

Polydori umbra.

Venio defunctorum latebram et caliginis portas
Relinquens, ubi Pluto seorsim habitat a caeteris Diis,
Polydorus, Hecubae filius, filiae Cissei
Priamique patris, qui me, postquam Troianorum urbem
Periculum haberet hasta cadere Graeca,
Metuens clam emisit ex Troiana terra,
Polymestoris ad domum Thracii hospitis,
Qui optimam Cherrhonesiam[2]) tabulam
Seminat, equestrem populum regens hasta.
Multum vero cum me auri emittit oculte
Pater, ut, si quando Ilii muri caderent,
Viventibus sit filiis non inopia victus.
Minimus natu vero eram filiorum Priami; quapropter et me ex terra
Clam emisit; neque enim ferre arma,

2) Cherrhonesiam etc.] sic h. l. et in seqq. cum Barnesio scripsimus = Χεῤῥονησίαν; Ed. 1562. Cherronesiam etc.

Neque hastam potis eram puerili brachio.
Quamdiu quidem igitur terrae recta stabant propugnacula,
Turresque illaesae Troianae erant terrae,
Hectorque frater meus feliciter rem gerebat hasta:
Alimentis, quasi quispiam surculus, crescebam miser.
Cum vero Troia, Hectorisque periit
Anima et paternus focus eversus est,
Ipse vero ad aram Deo aedificatam cadit
Mactatus Achillis a filio crudeli:
Interficit me auri infelicem gratia
Hospes paternus; et cum interfecisset, in procellas maris
Abiecit, ut ipse aurum in domo haberet.
Iaceo autem in littore interdum in maris aestu
Multis circuitibus undarum circumlatus,
Indefletus, insepultus, nunc vero propter matrem charam
Hecubam prosilio corpore relicto meo,
Tertiam iam lucem versans in alto,
Quamdiu in terra Cherrhonesia
Mater mea infelix ex Troia adest.
Omnes vero Graeci naves tenentes, quieti
Sedent in littore huius Thraciae terrae.
Pelei namque filius super tumulum apparens
Continuit Achilles totum exercitum Graecum
Versus domum dirigentes marinum remum.
Petit vero sororem ille meam Polyxenam
Tumulo charam victimam et honorarium ut accipiat;
Et potietur hoc, neque indonatus amicis
Erit a viris. Fatum vero impellit
Mori sororem meam hac ipsa die.
Duorum vero liberorum duo cadavera adspiciet
Mater, meumque et huius infelicis puellae.
Apparebo enim, ut sepulturam infelix consequar,
Ancillae ante pedes in undis.
Hoc enim apud inferos potentes exoravi
Tumulo potiri, et in manus matris incidere.
Quod ad me attinet, quantum volebam, consequi
Erit; anui vero ex pedibus secedam
Hecubae; profert enim ipsa ex scena pedem
Agamemnonis, phantasma metuens meum.
Ah mea mater, quae ex regiis aedibus
Servilem diem vidisti, quam agis infeliciter!
Quantum bene olim, quasi aequo libramine trutinans te,
Corrumpit Deorum aliquis a priori felicitate.
Hecuba. Ducite o filiae anum[2a]) ante domum,
Ducite erigentes conservam nunc
Troianae vobis, ante vero reginam.
Accipite, gestate,
Deducite, attollite meum corpus
Senili manu apprehendentes.
Et ego curvo scipione manus
Annixa, accelerabo tardigradum
Gradum articulorum addens.
O fulgur Iovis, o tenebrosa nox,
Quid tandem excitor de nocte sic
Terroribus, spectris? o veneranda terra
Nigras alas habentium mater somniorum,
Abominor nocturnam visionem,
Quam de filio meo,
Qui servatur in Thracia,
De Polyxenaque chara
Filia per somnium vidi.
Vidi enim terribilem speciem.
Didici, cognovi.
O terreni Dii, servate filium meum,
Qui solus, domus ancoraque meae
Nivalem Thraciam incolit
Hospitis paterni sub custodia. Erit aliquid novum,
Veniet quoddam carmen lugubre ad priores luctus.
Non unquam mea mens sic indesinenter
Horruit metu.
Ubi tandem divinam Heleni animam,
Aut Cassandrae adspiciam o Troianae mulieres,
Ut mihi interpretentur somnia?
Vidi enim pictam cervam
Lupi cruento ungue mactatam,
Ex meis genibus avulsam per vim
Miserabiliter; et hic terror mihi
Venit super summum tumuli verticem
Spectrum Achillis.
Petebat vero munus, calamitosarum
Quandam Troianarum mulierum.
A mea igitur, a mea hoc filia
Avertite Dii, supplico.
Chorus. O Hecuba, sedulo ad te dissolvi me,
Heriles scenas relinquens,
Ubi sorte distributa sum[2b]) et ordinata,

2a) anum] sic (= Eurip. *τὴν γραῦν*) Editt. recent.; Ed. 1562. male: annum.

2b) sum] sic (= Eurip.) Editt. recent.; Ed. 1562. sunt.

Serva ex urbe abacta
Troiana, hastae acie,
Capta bello ab Achaeis.
Nihil de malis ablevans,
Sed nuntii onus portans
Grande, ubique o mulier praeco dolorum.
Nam in Graecorum pleno concilio
Dicitur decretum esse, tuam filiam Achilli
Victimam fieri. Tumulum namque cum ascendisset,
Scis, quomodo aureis apparuit cum armis,
Pontigradas vero continuit rates
Secundum vela rudentibus
Suffultas, subnixas,
Haec clamans:
Quo sane Graeci
Meum tumulum proficiscimini
Inhonoratum relinquentes?
Magnae vero contentionis orta est tempestas.
Sententia vero processit diversa in Graecorum
Exercitu bellicoso: illis quidem, ut daretur
Tumulo victima, illis vero non videbatur.
Erat vero quidem tuum studens bonum,
Fatidicae Bacchae qui habet
Thalamum, Agamemnon.
Thesidae vero rami Athenarum
Duorum sermonum rhetores erant,
Sententia autem una conveniebant
Achilleum tumulum coronandum esse
Sanguine virenti. Cassandrae vero
Torum non dicebant Achilleiae
Praeponendum esse unquam hastae[3]).
Studia vero sermonum controversorum
Erant paria quodammodo, priusquam versutus
Rhetor suaviloquus gratiam populi captans,
Laertiades persuadet exercitui,
Non optimum Graecorum omnium
Serviles propter victimas repellere,
Ne quis dicat apud Proserpinam
Stans ex mortuis,
Quod ingrati Graeci erga Graecos
Mortuos pro Graecis
Troiae ex campis discesserint.
Veniet vero Ulysses modo non iam,
Puellam avulsurus tuis a mammis,
Exque anili manu abducturus.
Sed vade ad templa, abi ad altaria,
Accide Agamemnonis supplex ante genua,
Invoca Deos, eos, qui sunt in coelo,
Eosque, qui sunt sub terra. Aut enim te preces
Prohibebunt, orba ne sis
Filia misera; aut oportet te adspicere
Ad tumulum cadentem cruentantem
Sanguine virginem ex aurifero
Collo, flumine atro.
Hecuba. Hei ego misera! quidnam vociferabor?
Quam vocem, quem luctum,
Infelix, ob miseram senectutem,
Servitutem hanc non tolerandam,
Non ferendam. Hei mihi, mihi!
Quis defendet me? quae gens?
Quae vero urbs?
Interiit senex, interierunt liberi.
Qua, an hac, an illac
Ibo? ubi sedebo? ubi quis Deorum
Aut daemonum auxiliator?
O mala, quae attulistis Troianae mulieres,
O tristia, quae attulistis mala!
Extinxistis, perdidistis: non amplius mihi
Vita grata in luce.
O calamitose sis dux mihi
Pes, sis dux anui
Ad hanc aulam! o filia, o nata
Afflictissimae matris,
Egredere, egredere e domo, audi matris
Vocem, o filia, ut agnoscas,
Qualem, qualem
Audio famam de tua vita.
Polyxena. Ah mater, mater, quid clamas? quid novi
Nuntians ex aedibus me quasi avem
Cum terrore evocasti?
Hec. Hei mihi filia!
Pol. Quid me appellas ominosa voce, prooemia mihi mala?
Hec. Hei hei tuae vitae!
Pol. Eloquere, ne celes diu.
Metuo, metuo mater:
Quid tandem ingemiscis?
Hec. O filia, filia
Miserae matris[4])!
Pol. Quid hoc nuntias?
Hec. Mactare te Graecorum communi

3) Huic versui in margine Ed. 1562. adscripta est annotatio: id est, virtuti. metalepsis.

4) O filia — matris] haec h. l. in duos versus disiuncta in Ed. Barn. in uno versu leguntur.

Urget ad tumulum sententia
Pelidae soboles[5]).
Pol. Hei mihi mater quid nuntias?
Immensa mala.
Indica mihi, indica mihi, mater.
Hec. Loquor, filia, tristem famam:
Nuntiant Graecorum decretum esse calculo
Tua de, heu mihi, vita[6]).
Pol. O nefaria patiens, o omnino infelix,
O miserrimae mater vitae:
Qualem, qualem rursus tibi calamitatem tristissimam
Infandamque excitavit quispiam daemon!
Non amplius tibi filia haec, non amplius sane
Servituti miserae misera simul serviam.
Catulum enim me tanquam, aut montipastam
Vitulam misera miseram
Videbis, manu avulsam
Tua, decollatamque Plutoni
Terrae[6a]) missam sub tenebras:
Ubi cum mortuis infelix iacebo[7]).
Et te quidem mater o misera
Deploro multiplicibus luctibus:
Meam vitam, probrum et cladem
Nihil deploro. Sed mori mihi
Casus melior contigit.

[*Ulysses. Hecuba*[8]).]

Chorus. Et quidem Ulysses venit celeritate pedis
O Hecuba, novum quoddam ad te significaturus verbum.
Ul. O mulier existimo quidem te scire sententiam exercitus
Calculumque firmum; attamen dicam.
Visum est Graecis filiam tuam Polyxenam
Mactare ad rectum tumulum Achillei sepulchri.
Nos vero comites et adductores puellae
Ordinarunt esse. Sacrificii vero praefectus
Sacerdosque statutus est huius filius Achillis.
Scis igitur, quid facies? neque avellaris vi,
Neque ad manuum certamen congrediaris mecum.
Agnosce vero vires et praesentiam malorum
Tuorum. „Sapientem etiam in malis oportet sapere.
Hec. Ah ah, instat (ut videtur) certamen ingens,
Plenum gemituum, neque lachrymarum inane.
Et ego enim non mortua sum, ubi me oportuerat mori,
Neque perdidit me Iupiter; nutrit vero, ut videam
Malis mala alia maiora[8a]) infelix ego.
Si vero licet servis liberos
Non acerba neque cor mordentia
Quaerere: te quidem interrogari oportebit,
Nos vero audire, qui quaerimus haec.
Ul. Licet, interroga; tempus enim non invideo.
Hec. Scis, quando venisti Ilii explorator
Lacero habitu, et deformis, et ab oculis
Mortis guttae tuam stabant in genam?
Ul. Novi. Non enim extremum pectoris attigit mei[9]).
Hec. Agnovit vero te Helena, et soli nuntiavit mihi?
Ul. Meminimus in periculum venientes magnum.
Hec. Attigisti vero genua mea humilis existens?
Ul. Ut immoreretur in tua veste manus mea.
Hec. Servavi sane, emisique ex terra?
Ul. Ut videam lucem solis hanc.
Hec. Quid sane dicebas servus meus existens tum?
Ul. Multorum sermonum inventa, ut non morerer.
Hec. Num igitur sceleratus es hisce consiliis,
„Qui ex me bene passus es, qualia dicis te passum esse:
„Facis vero nihil nobis bene, male vero quantum potes?
„Ingratum vestrum genus[10]), quicunque populares
„Sectamini honores[11]): utinam non cognoscamini mihi:
„Qui amicos laedentes nihil curatis,
„Ut multitudini ad gratiam dicatis aliquid.
„Verum qualenam sophisma hoc praetexentes,

---

5) Pelidae soboles] his in margine Ed. 1562. adscriptum est nomen: Pyrrhus.

6) Nuntiant — vita.] hi duo versus in Ed. Barn. textui graeco congruenter sic dispositi sunt:
Nuntiant, Argivorum decretum esse
Calculo de tua mihi vita.

6a) Terrae] sic (= Eurip. γᾶς) Editt. recent.; Ed. 1562. Terra.

7) Ubi — iacebo.] hic vs. in Ed. Barn. sic est disiunctus:
Ubi cum mortuis
210 Infelix iacebo.

8) Hanc et sequentes inscriptiones uncis inclusas ex Ed. Barn. addidi.

8a) maiora] sic (= Eurip. μεῖζον') Editt. recent.; Ed. 1562. minora.

9) Huic loco in margine Ed. 1562. adscripta sunt verba: non leniter insedit animo.

10) His verbis in marg. Ed. 1562. adscripta est vox: Ingratitudo.

11) Iuxta haec verba in marg. Ed. 1562. leguntur: Popularis aurae studium.

Adversus hanc puellam calculum tulerunt mortis.
Utrum fatum ipsos induxit homines interficere
Ad tumulum, ubi mactare boves magis decet?
An eos, qui ipsum interfecerunt, vicissim interficere volens
Adversus hanc Achilles iure intendit mortem?
Atqui nullum ipsi haec fecit malum.
Helenam illum petere oportet sepulchro victimam;
Illa enim perdidit ipsum ad Troiam ducens.
Si vero captivam oportet aliquam eximiam mori
Pulchritudine excellentem: non nostrum hoc;
Helena enim forma est praestantissima,
Iniuste faciens nobis nihil minus deprehensa est.
Hoc quidem iuste certo sermone.
Quae vero rependere oportet te, repetente me,
Audi. Tetigisti meam, quemadmodum dicis, manum:
Et hanc anilem accidens genam.
Vicissim attingo tua haec eadem ego,
Gratiamque reposco priorem et supplico tibi,
Ne meam filiam ex manibus auferas,
Neque interficiatis. Interfectorum satis est.
Hac gaudeo et obliviscor malorum,
Haec pro multis est mihi consolatio,
Civitas, nutrix, baculus, dux viae.
„Non victores oportet imperare, quae non decent:
„Neque eos, qui feliciter agunt, putare, quod feliciter agent semper[12]).
„Et ego enim eram olim, sed nunc non amplius sum.
„Universam vero felicitatem dies una mihi eripuit.
Sed o charum mentum, verearis me,
Miserere; vadens vero ad Graecorum exercitum
Admone, quam interficere ignominiosum
Mulieres (quas primum non interfecistis)
Ab altaribus avellentes, sed miserti estis.
Lex enim inter vos et liberis aequa
Et servis de sanguine[13]) posita est.
Porro dignitas, etiamsi male dicas, tua
Persuadebit. Sermo enim ab ignobilibus profectus,
Et praeditis autoritate[13a]), idem, non idem valet[14]).
Chor. Non est sic dura hominis natura,
Quae luctuum et longarum complorationum
Audiens fletus, non possit eiicere lachrymas.
Ul. O Hecuba doceare, neque per iram
Me benedicentem infensum fingas in animo.
Ego quidem tuum corpus, per quod felix fui,
Servare paratus sum, et non aliter dico.
Quae vero dixi apud omnes, non negabo:
Troia capta viro primario exercitus
Tuam filiam dandam esse victimam postulanti.
In hoc enim laborant multae urbes,
Quando quis bonus et promptus existens vir,
Nihil aufert prae ignavis amplius.
Nobis autem Achilles dignus honore, o mulier,
Mortuus pro terra Graeca honestissime vir[15]).
An non hoc turpe est, si vidente quidem amico
Utimur; cum vero interiit, non utimur amplius?
Agedum quinam dicat quis, si iterum appareat
Exercitusque collectio, hostiumque certamen:
Utrum certabimus, an consulemus vitae,
Mortuum videntes non habitum in honore?
Atqui mihi quidem viventi de die,
Etsi pauca habeam, omnia sufficient.
Sepulchrum autem optarim honoratum
Meum videre[16]). In longum enim haec gratia.
Si vero miseranda passam te dicis: haec vicissim audi a me.
Sunt apud nos non minus infelices
Aniculae mulieres aut senes anus, quam tu,
Sponsaeque praestantissimis sponsis orbatae,
Quorum iste obruit corpora Troianus pulvis.
Sustine haec. Nos vero si male statuimus
Honorare fortem, inscitiae rei erimus.
Vos barbari vero neque amicos pro amicis
Ducitis, neque honeste mortuos

---

12) Huic loco in Ed. 1562. apposita est annotatio margin.: Vices rerum.

13) His in marg. Ed. 1562. adscripta est vox: Caedes.

13a) praeditis autoritate] sic scripsi (= Eurip. τῶν δοκούντων); Ed. 1562. non praeditis autoritate.

14) Huic loco in Ed. 1562. adiecta est nota margin.: „Autoritas, vide Gellium XI, 4." In hoc cap. Gellius disserit, quem in modum Q. Ennius versus Euripidis Hecubae 293—295. aemulatus sit.

15) Huic loco in Ed. 1562. apposita est nota margin.: Honor virtuti habendus.

16) Iuxta haec in marg. Ed. 1562. leguntur: Fama post mortem.

Admiramini[17]). Itaque quidem Graecia feliciter agit,
Vos vero sustinetis similia vestris consiliis.
Chor. Ah ah servum: quam malum est natum esse.
Sustinet, quae non oportet, per vim victus.
Hec. O filia, mei quidem sermones in aerem
Irriti sunt frustra proiecti de tua caede.
Tu vero si maiorem potentiam quam mater habes,
Da operam, omnes et velut lusciniae os
Sonos emittens, ne priveris vita.
Procide vero miserabiliter huius Ulyssis ad genu,
Et persuade (habes vero occasionem; sunt enim liberi
Et huic), tuae ut misereatur viae[18]).
Polyxena. Video te, o Ulysses, dextram sub veste
Occultantem manum, et faciem retrorsum
Vertentem, ne tuum attingam mentum.
Bono animo esto; effugisti meum supplicem Iovem:
Quoniam sequar te et necessitatis gratia,
Et mori volens. Si vero non velim,
Ignava apparebo et amans vitae mulier.
Quid enim me oportet vivere, cui pater quidam erat rex
Phrygum omnium? Hoc mihi primum vitae.
Deinde nutrita sum sub spe optima
Regibus sponsa, aemulationem non parvam nuptiarum
Habens, ad cuius domum focumque adventura essem;
Domina vero infelix Troianis eram
Mulieribus, virginesque inter spectanda,]
Similis deabus, praeter mori solum.
Nunc vero sum serva. Primum quidem hoc nomen
Mortem amare facit, non consuetum existens.
Deinde fortassis dominos saevos in animo
Possem consequi, quicunque argento me emet
Hectoris et aliorum multorum sororem,
Adigens me vero ad panificium in aedibus
Verrereque domum et radiis textoriis insistere
Tristem agentem diem me coget.
Lectum vero meum servus emptitius aliquis
Contaminabit, regibus antea digna iudicata.
Non ita; relinquam ab oculis liberam
Lucem hanc, inferis offerens meum corpus.
Duc igitur me Ulysses, et confice me ducens.
Neque enim spei neque alicuius opinionis video
Fiduciam apud nos, quod unquam feliciter agere me oporteat.
Mater, tu vero nobis nihil impedimento sis
Dicendo aut neque faciendo. Consentiaris vero mihi
Mori, priusquam turpia non pro dignitate consequar.
„Quicunque enim non consuevit gustare mala,
„Fert quidem, dolet vero collum supponens iugo;
„Mortuus vero esse possit felicior
„Quam vivens[19]). Vivere enim non honeste magna calamitas.
Chor. „Magna nota et insignis[19a]) inter homines est,
„A bonis natum esse[20]), et in maius procedit
„Nobilitatis nomen apud eos, qui digni sunt.
Hec. „Honeste quidem dixisti filia; sed huic pulchro
„Moeror adest. Si vero oportet Pelei
Rem gratam fieri filio et reprehensionem fugere
Vos, o Ulysses, hanc quidem non interficite;
Nos vero ducentes ad bustum Achillis
Confodite, ne parcatis; ego peperi Paridem,
Qui filium Thetidis sagittis feriens interemit.
Ul. Non te, o anus, ad moriendum Achillis
Spectrum a Graecis, verum hanc petivit.
Hec. Vos vero me cum filia una interficite,
Et bis tantum poculum sanguinis fiet
Terrae, mortuoque haec postulanti.
Ul. Satis puellae tuae mors; non addenda
Alia ad aliam; utinam ne hanc deberemus!
Hec. Multa quidem necessitas filiae commori me.
Ul. Quomodo? Non enim novi dominos, quos habeam.

17) Huic loco in marg. Ed 1562. adscripta est vox: Barbaries.

18) Euripides h. l. habet τύχην, quam vocem Editt. Barnes., Musgrav. et Fixii vertunt: fortunae.

19) Huic loco in marg. Ed. 1562. adscripta sunt: Mors miserorum.

19a) nota et insignis] sic (= Eurip.) Editt. recent.; Ed. 1562. vota et insignes.

20) His verbis in marg. Ed. 1562. adscripta est vox: Ingenuitas.

Hec. Ut hedera quercui, sic huic adhaerebo.
Ul. An non obtemperabis te sapientioribus?
Hec. Hanc quidem volens filiam non dimittam.
Ul. Sed neque ego ipsam hanc abeo hic relinquens.
Pol. Mater ausculta mihi, et tu, fili Laertis,
Concede parentibus iure commotis ad iram.
Tu vero, o misera, cum potentibus ne pugna.
An vis cadere in terram, ac sauciare tuum
Senile corpus, per vim protrusa?
Et indecenter tractari a iuvenili brachio
Male tractata? quae patiaris tu nequaquam. Non enim decet.
Sed o chara mihi mater dulcissimam manum
Porrige, et genam iunge genae,
Quoniam nunquam iterum, sed nunc postremum
Lucem circulumque solis adspiciam.
Finem accipe iam meorum colloquiorum.
O mater, quae me peperisti, abeo ad inferos.
Hec. O filia, nos vero in luce serviemus.
Pol. Expers connubii, expers nuptiarum, quibus me conveniebat potiri.
Hec. Miseranda tu filia; infelix vero ego mulier.
Pol. Illic vero apud in feros iacebo absque te.
Hec. Hei mihi! quid faciam? ubi finiam vitam?
Pol. Serva moriar, patre cum sim libero.
Hec. Nos vero quinquaginta orbae sane liberis.
Pol. Quid tibi ad Hectorem aut senem dicam maritum?
Hec. Nuntia omnium miserrimam me.
Pol. O pectora et mamillae, quae me nutrivistis suaviter.
Hec. O infaustae filia miserae fortunae.
Pol. Vale, o mater, vale Cassandraque mea.
Hec. Valeant alii, matri vero non est laetitia.
Pol. Et in equestribus Thracibus Polydore frater.
Hec. Si vivit modo, dubito vero; adeo per omnia infeliciter ago.
Pol. Vivit, et morientis oculum claudet tuum.
Hec. Mortua sum ego certe ante mortem prae miseriis.
Pol. Aufer me, o Ulysses, circumponens caput vestibus.
Nam priusquam macter, contabefacta sum in corde
Luctibus matris, hanc insuper tabefacio fletibus.
O lux; alloqui enim tuum nomen licet mihi.
Nil mihi de te partis est, nisi quantum temporis ad gladium
Incedo interea et tumulum Achillis.
Hec. Heu mihi! deficio, solvuntur mihi membra.
O filia, attinge matrem, extende manum,
Da, ne relinquas me orbam liberis; perii, o amicae.
Sic Lacedaemoniam sororem Geminorum
Helenam videam. Per pulchros enim oculos
Turpissime Troiam cepit felicem.

[*Strophe* 1.][21]).

Chor. O aura, marina aura,
Quae pontigradas portas
Celeres naves per fluctus paludis,
Quonam me miseram vehes,
Cui serva ad domum
Possessa veniam?
An Doricae in littus terrae?
An Phthiadis? ubi pulcherrimarum
Aquarum patrem
Dicunt Apidanum campos pinguefacere[22]).

[*Antistrophe* 1.]

An in insulam maritimo
Remo missam miseram,
Miseram vitam habentem in domo?
Ubi primitiva palma
Laurusque sacros porrexit
Ramos Latonae charae
Partus recreationem divini[23])?
Cum Deliensibus puellis
Dianaeque deae
Auream vittam arcusque celebrabo cantu[24])?

[*Strophe* 2.]

Aut Palladis in urbe
Pulchrum currum habentis[24a]) Minervae

21) Stropharum, Antistropharum et Epodon versibus in Ed. Barn., praeter continuos totius tragoediae numeros, plerumque peculiares etiam adscripti sunt; hos alteros omisimus.

22) Dicunt — pinguefacere.] hic versus in Ed. Barn. in hos duos est disiunctus:
10 Dicunt Apidanum
11 Campos pinguefacere?

23) Huic loco in Ed. 1562. adscripta est nota margin.: Deli periphrasis.

24) Auream — cantu?] hic quoque vers. in Ed. Barn. in duos disiunctus est:
10 Auream vittam,
11 Arcusque celebrabo cantu?

24a) habentis] sic Barn., Musgr.; Ed. 1562. habenti.

In crocea veste
Iungam currui equos
In variis pingens
Croceis floribus sericis tapetibus?
Aut Titani[25]) ad posteritatem,
Quam Iupiter ignea abstulit
Flamma Saturnius?

[*Antistrophe 2.*]

Heu mihi liberorum meorum,
Heu mihi parentum terrae-
que, quae fumo concidit
Incensa, victa hostiliter
A Graecis. Ego vero in
Peregrina terra iam vocabor
Serva, relinquens Asiam
Europae ministram,
Mutans cum inferis thalamos[26]).

[*Talthybius, Chorus, Hecuba.*]

Talth. Ubi reginam olim existentem Ilii
Hecubam inveniam, o Troianae puellae?
Chor. Illa prope te tergum habens in terra,
O Talthybie, iacet involuta vestibus.
Talth. O Iupiter! quid dicam? utrum te homines respicere?
An opinionem temere hanc obtinere frustra,
Falso existimantes esse Deorum genus?
Fortunam[27]) vero omnia mortalia gubernare?
An non haec fuit regina abundantium auro Phrygum?
An non Priami eximie beati uxor?
Et nunc urbs quidem universa eversa est hasta,
Ipsa vero serva anus, orba liberis in terra
Iacet pulvere foedans calamitosum caput.
Ah ah! Senex quidem sum, attamen mihi mori
Contingat potius quam turpi implicer casu aliquo.
Surge, o infelix, et elevatum
Latus eleva, et prorsus canum caput.
Hec. Age. Quis ille corpus meum non sinit
Iacere? Quid moves me, quisquis es, afflictam?
Talth. Talthybius venio Danaidarum minister,
Agamemnone mittente, o mulier, post te.
Hec. O charissime, numnam et me insuper mactare ad tumulum,
Iuxta decretum Graecorum venisti? Quam chara diceres!
Properemus, laboremus. Duc me, o senex.
Talth. Tuam filiam mortuam ut sepelias, o mulier,
Venio vocans te. Mittunt vero me
Gemini Atridae et populus Achaicus.
Hec. Heu mihi! quid dicis? non sane quasi morituras
Venisti ad nos, sed significaturus mala?
Periisti, o filia, a matre avulsa;
Nos vero orbae liberis in posterum, o misera ego!
Quomodo vero ipsam confecistis? numnam reverentes?
An ad saevitiam processistis ut hostem, o senex,
Interficientes? dic, quamvis non dicturus iucunda.
Talth. Duplices me postulas lachrymas effundere, o mulier,
Filiae tuae miseratione: nunc quidem nuntians mala,
Madefaciam hunc oculum, et cum sepelietur, quae periit.
Aderat quidem tota turba Achaici exercitus
Plena ad tumulum, tuae filiae ad mactationem[28]).
Accipiens vero Achillis filius Polyxenam manu
Statuit in summo tumulo; prope vero ego
Delectique Achaeorum praecipui iuvenes
Saltum vitulae tuae cohibituri manibus
Sequebantur; plenum vero in manibus accipiens poculum
Totum aureum fundebat manu filius Achillis
Libationes mortuo patri. Significat vero mihi,
Silentium Graecorum universo ut denuntiarem exercitui.
Et ego adstans dixi in medio haec:
Tacete vos Graeci, tacitus universus sit populus;
Sile, tace; tranquillam autem constitui turbam.
Ipse vero dixit: O fili Pelei, pater vero meus,
Accipe libationes hasce propitiabiles
Mortuos elicientes; veni vero, ut bibas nigrum
Puellae purum sanguinem, quem tibi damus
Exercitusque et ego; placatus vero nobis sis.
Solveque puppes et retinacula

25) Huic voci in marg. Ed. 1562. apposita est annotatio: Vide Suidam in Titanis terra.

26) His verbis in Ed. 1562. in marg. adscripta est haec explicatio: „Quasi dicat: Ego pro marito sum habitura mortem. Mors mihi erit convivium nuptiale."

27) Haec vox in marg. Ed. 1562. repetita est.

28) H. l. Ed. 1562. exhibet notam margin.: Narrat exitum Polyxenae.

Navium, da nobis felicemque ab Ilio
Reditum, ut consequamur omnes in patriam venire.
Tantum dixit. Omnis autem simul precatus est exercitus.
Mox auro ornatum ensem capulo accipiens
Extraxit vagina; electis autem Graecorum exercitus
Adolescentibus innuit virginem apprehendere.
Ipsa vero ut sensit, hunc significavit sermonem:
O meam qui excidistis Argivi urbem,
Volens morior, ne quis attingat corpus
Meum. Praebebo enim cervicem robusto pectore.
Liberam vero me, ut libera moriar,
Per Deum relinquentes interficite. Apud manes enim
Servam vocari, regina cum sim, pudet me.
Populi vero admurmurabant. Et Agamemnon rex
Dicebat, ut dimitterent virginem adolescentes.
Illi vero ut celerrime audiverunt summam vocem,
Dimiserunt, ubi et summum erat imperium.
Et postquam audivit dominorum sermonem,
Apprehendens vestes ex summo humero,
Rupit ile circa medium iuxta umbilicum,
Mamillasque ostendit, pectoraque quasi statuae
Pulcherrima, et flectens ad terram genu,
Dixit omnium miserabilissimum sermonem:
Ecce hoc si quidem pectus, o iuvenis,
Ferire cupis, ferito; si vero sub collo
Volueris, adest cervix parata.
Ille vero non volens et volens prae commiseratione puellae
Secat ferro spiritus meatus.
Fontes vero fluebant. Haec vero iam moriens, tamen
Magnam providentiam habuit, decenter ut caderet,
Et occultaret, quae occultare oculos virorum convenit.
Postquam vero emisit spiritum letali ex mactatione,
Nemo eundem habebat Graecorum laborem;
Sed alii eorum mortuam ex manibus
Frondibus conspergebant; alii vero implent pyram
Ramos adferentes pineos. Qui vero nihil adferebat,
Ab adferente talia audiebat convicia:
Stas, o ignavissime, ad honorem huius puellae,
Neque vestem neque ornatum in manibus habens?
Non vadis aliquid daturus eximiae praeditae virtute,
Et secundum animam praestantissimae? Talia vero de tua dicebant
Filia mortua. Felicissimam matrem liberorum vero te
Omnium mulierum, infelicissimam video.
Chor. Saeva quaedam clades Troianis incensa est,
Patriaeque meae. A Diis necessarium est hoc.
Hec. O filia! non scio, ad quod respiciam malorum
Multis praesentibus. Cum enim attingam aliquod,
Aliud non sinit me. Avocat vero ab illo rursus
Moeror quis alius, successor malorum in malis.
Et nunc tuam quidem ne gemam cladem,
Haud queam expungere ex mente;
Hoc vero rursus valde mitigasti nuntiata mihi
Generosa. „Non igitur mirum, si terra quidem mala,
„Nacta bonum coelum divinitus,' fertilitatem fert;
„Bona vero frustrata eis, quae conveniebat consequi,
„Malum praebet fructum. Inter homines vero semper
„Malus nihil aliud quam malus,
„Bonus autem bonus; neque prae calamitate
„Ingenium perdit; sed bonus est semper.
„Numnam parentes differunt, aut educationes?
„Habet quidem aliquid momenti, educatum esse honeste,
„Doctrinam honestatis. Illud vero si quis bene didicerit,
„Novit quoque turpe, ex regula honesti [28a]) cognoscens.
Et haec quidem mens eiaculata est frustra.
Tu vero vade, et indica Argivis haec,
Ne attingat meam quisquam, sed arceant multitudinem
A filia: „In infinito enim exercitu

28a) honesti] sic (= Eurip. τοῦ καλοῦ) Editt. recent.; Ed. 1562. honeste.

„Indomita turba, nauticaque licentia,
„Violentior igne. Malus vero habetur, qui non aliquid facit mali.
Tu autem accipiens urnam antiqua ministra
Intingens adfer huc marinae aquae,
Ut filiam lavacris postremis meam,
Sponsam sine sponso, virginemque non virginem
Lavem. Exhibebo, ut digna est? unde?
Non possum; faciam, ut possum. Quid autem agam?
Ornatum colligens a captivis mulieribus,
Quae mihi assistentes in tentoriis
Habitant, si quaepiam paulo ante dominos
Latens, habet quoddam furtum ex sua domo.
O species aedium, o olim felix domus,
O plurima tenens pulcherrimaque, felicissimeque liberis
Priame, anusque ego mater liberorum,
Quam ad nihil devenimus, illo elato spiritu
Priori spoliati? Deinde tamen tumescimus[29]):
„Quispiam nostrûm divitibus in domibus,
„Alius vero inter cives pretiosus vocatus.
„Haec nihil sunt, quam inania curarum consilia,
„Linguaeque iactantiae. Ille vero felicissimus est,
„Cui de die in diem nihil accidit mali.

[*Strophe.*]

Chor. Mihi oportebat infelicitatem,
Mihi oportebat cladem accidere,
Idaeam quando primum sylvam
Alexander abietinam
Secabat
Mare per tumidum navigaturus,
Helenae ad concubitum, quam pulcherrimam auricomus
Sol radiis suis adspicit. [*Antistrophe.*] Labores enim et laboribus[30])
Necessitates validiores undique circumdant.
Publicum ex privata amentia
Malum Simoenticae terrae
Exitiale venit, calamitasque ab aliis.
Iudicata est vero lis, quam in Ida
Iudicavit inter tres beatorum
Filias vir pastor,

[*Epodus.*]

Ad bellum, ad necem et mearum
Aedium exitium.
Gemit vero et aliqua circa
Late fluentem Eurotam
Lacaena lachrymis confecta domi puella[31]).
Canum et in caput mater
Liberis mortuis ponit
Manum laniatque genam
Cruentum unguem reddens lacerationibus[32]).

[*Ancilla, Chorus, Hecuba.*]

Anc. O mulieres, Hecuba ubinam est infelicissima,
Quae omnes vincit viros et muliebrem progeniem
Calamitatibus? Nemo coronam ei praeripiet.
Chor. Quid vero, o misera, tuo de lingua ominosa clamore?
Ut nunquam dormiunt tristia tua praeconia.
Anc. Hecubae offero hunc dolorem. In malis vero
Non facile hominibus laeta dicere ore.
Chor. Atqui vadens contingit ex aedibus
Haec. Opportune tuis apparet verbis.
Anc. O prorsus infelix, et adhuc magis quam dicam,
Domina, periisti, et non amplius adspicis lucem,
Sine liberis, deiecta marito, eiecta urbe, prorsus perdita.
Hec. Non novum dixisti, scientibus vero probrum dicis.
Sed quid? cadaver hoc mihi Polyxenae
Venis adferens, cuius nuntiata est sepultura
Omnium Achaeorum manu studium habere?
Anc. Illa nihil novit; sed mihi Polyxenam
Deplorat; nova vero mala non attingit.
Hec. Heu mihi miserae! utrum Bacchicum caput

---

29) Huic versui in marg. Ed. 1562. adscripta sunt verba: Res humanae.

30) Sol — laboribus.] hic versus in Ed. Barn. disiunctus est in hos duos:
9. Sol radiis suis adspicit.
Antistrophe.
1. Labores enim et laboribus.

31) Lacaena — puella.] hic vs. in Ed. Barn. sic divisus est:
5 Lacaena lacrymis confecta
6 Domi puella.

32) Cruentum — lacerationibus.] hic vs. in Ed. Barnes. sic in duos disiunctus est:
10 Cruentum unguem
11 Reddens lacerationibus.

Vatidicae huc Cassandrae fers?
Anc. Viventem dixisti; mortuum vero non deploras
Hunc. Sed adspice corpus nudatum mortui,
Si tibi apparebit miraculum et praeter spem.
Hec. Heu mihi! video quidem filium meum mortuum
Polydorum, quem mihi Thrax servabat in domo vir.
Perii infelix, non amplius sum sane.
O fili, fili, hem hem incipio numeros
Bacchicos, ex daemone affligente
Quae recens cognovi haec mala [33]).
Anc. Cognovisti cladem filii, o misera tu?

[*Strophe* 1.]

Hec. Incredibilia, incredibilia nova, nova adspicio [34]):
Alia ab aliis mala malis incidunt.
Neque unquam absque luctu, absque gemitu [35])
Dies me tenebit.
Chor. Horrenda, o misera, horrenda patimur mala.

[*Strophe* 2.]

Hec. O fili, fili miserae
Matris, quo fato moreris?
Quo infortunio iaces?
A quo hominum interfectus?
Anc. Non scio; in littore eum inveni marino.
Hec. Abiectum, an interfectum cruenta hasta?
Anc. In arena plana
Maris ipsum eiecit marina procella.

[*Strophe* 3.]

Hec. Heu mihi, ah ah!
Intelligo somnium oculorumque meorum
Visionem (Non me transiit spectrum)
Atris alis quam adspexi
De te, o fili, non amplius existente Iovis in luce.
Chor. Quisnam ipsum interfecit, potesne tu intelligens somnia dicere?

[*Strophe* 4.]

Hec. Meus hospes Threicius eques,
Ubi senex pater deposuit illum occultans [36]).
Chor. Heu mihi! quid narras? aurum ut haberet, postquam interfecisset?
Hec. Infanda, detestanda ultra omnem admirationem,
Non pia neque tolleranda; ubi ius hospitum?

[*Strophe* 5.]

Ah scelerate vir, quam laniasti
Corpus ferreo secans ense,
Membra huius pueri, neque misertus es! [37])
Chor. O infelix, quam te afflictissimam mortalium
Daemon posuit, quicunque est tibi infensus.
Sed, video enim ipsius domini corpus
Agamemnonis, posthac taceamus, o amicae.

[*Agamemnon, Hecuba.*]

Agam. O Hecuba, quid cunctaris filiam tuam occultare sepulchro
Veniens, sicut Talthybius nuntiavit mihi,
Ne attingeret tuam quisquam Argivorum puellam?
Nos utique sinimus, neque attingimus;
Tu vero otiosa es, ut mirer equidem.
Venio vero accersens te. Quae illic enim, bene
Acta sunt, si quid tamen horum est bene.
Hem, quem virum hunc in tabernaculis video
Mortuum ex Troianis? non enim Graecorum, vestes

---

33) Bacchicos — mala] hi duo versus in Ed. Barnes. in unum coniuncti sunt sic:
Bacchicos, ex daemone affligente quae recens cognovi mala.

34) Huic versui in Ed. 1562. adscripta est nota margin.: Nulla calamitas sola.

35) Alia — gemitu] hi duo versus in Ed. Barnes. disiuncti sunt in hos quatuor:
Alia ab aliis
Mala malis incidunt,
Neque unquam absque luctu,
Absque gemitu,

36) *Hec.* Meus — occultans.] hi quoque 2 vs. in Ed. Barnes. in quatuor sunt disiuncti sic:
Hec. Meus hospes
Threicius eques,
Ubi senex pater
Deposuit illum occultans.

37) Ah scelerate — misertus es!] hi 3 vs. in Ed. Barnes. disiuncti sunt in hos sex:
Ah scelerate vir,
Quam laniasti
Corpus, ferreo
Secans ense
Membra huius pueri, neque misertus es!

Corpus involventes nuntiant mihi.
Hec. Infelix (me ipsam enim dico dicens te)
Hecuba, quid faciam? utrum procidam ad genua
Agamemnonis, aut feram tacite mala?
Agam. Quid mihi in faciem tergum obvertens tuum
Ploras? quod actum est vero, non dicis? quis est hic?
Hec. Sed si me servam hostemque ducens
A genibus repelleret, dolorem possemus addere.
Agam. Non sum vates, ut non audiens
Possim investigare tuorum viam consiliorum.
Hec. An ratiocinor quidem ad id, quod inimicum est,
Magis mentem, ipso existente neutiquam inimico?
Agam. Si quidem me vis harum nihil scire rerum,
Ad idem venis. Etenim nec ego audire volo.
Hec. Haud possum absque hoc me ulcisci
De liberis meis; quid volvo haec?
„Audere necesse est, sive consequar, sive non consequar.
Agamemnon, supplico tibi per haec genua,
Et tuam barbam dextramque felicem.
Agam. Quam rem quaerens? utrum liberam
Vitam consequi; facile enim est tibi.
Hec. Non sane. „Malos ulciscens
„Vitam universam servire volo.
Agam. Et sane quid nos in auxilium vocas?
Hec. Nihil horum, quae tu putas, o rex.
Vides cadaver hoc, propter quod effundo lachrymas?
Agam. Video; sed futurum non possum scire.
Hec. Hunc olim peperi et portavi sub cingulo.
Agam. Est vero quispiam hic, o misera, tuorum liberorum?
Hec. Non ex illis, qui mortui sunt ex filiis Priami sub Ilio.
Agam. Anne aliquem alium peperisti, quam illos, o mulier?
Hec. Inutiliter quidem, ut apparet, hunc, quem adspicis.
Agam. Ubi vero existens contingebat, quando peribat urbs?
Hec. Pater ipsum ablegavit metuens, ne moreretur.
Agam. Quonam existentium tunc separatus liberorum solum?
Hec. In hanc regionem, ubi inventus est mortuus.
Agam. Ad virum, qui rex est huius Polymestorem terrae?
Hec. Huc missus est acerbissimi auri custos.
Agam. Moritur vero a quo? et quod genus mortis consecutus est?
Hec. Quonam ab alio? Thracius ipsum perdidit hospes.
Agam. O infelix! numnam argentum amavit accipere?
Hec. Talia sunt, postquam calamitatem cognovit Troianorum.
Agam. Invenisti vero ubi ipsum, an quis attulit mortuum?
Hec. Haec incidens in eum marino in littore.
Agam. Hunc quaerens? an laborans alium laborem?
Hec. Aquam abierat allatura ex mari Polyxenae.
Agam. Cum interfecisset, ut apparet, abiecit hospes.
Hec. Fluctuaturum in mari utique sic dissecans corpus.
Agam. O misera tu propter immensas calamitates!
Hec. Perii, et nihil reliquum est, Agamemnon, malorum.
Agam. Ah ah! Quae ita infelix nata est mulier?
Hec. Non est, nisi infelicitatem ipsam diceres.
Sed propter quas causas circa tuum cado genu,
Audi. Si quidem iusta tibi pati videar,
Boni consulam; si vero contrarium, tu mihi sis
Ultor viri, impientissimi hospitis,
Qui neque eos, qui sub terra sunt, neque eos, qui supra,
Veritus, perpetravit facinus impientissimum:
Communi mensa saepe potius mecum,
Hospitalitatisque numerum primum inter meos amicos
Consecutus vero, quae conveniebat, et accipiens consilium
Interfecit, ac sepultura (si occidere omnino voluit)
Non dignatus est, sed abiecit marinum.
Nos quidem igitur servae et imbecilles sane,
„Sed Dii validi sunt, et illis dominans
„Lex. Iuxta leges enim Deos censemus,
„Et vivimus iniustis et iustis definitis.

„Quae lex ad te progressa si corrumpetur,
„Et non poenam dabunt, qui hospites
„Interficiunt, aut Deorum sacra audent capere:
„Non est quicquam inter homines aequabile.
Haec igitur inter turpia numerans, revereare me,
Miserere nostri, ac quasi pictor seorsim stans
Vide me, et adspice, qualia habeo mala.
Regina eram olim, sed nunc serva tua;
Felix multa sobole olim existens, nunc vero annis orbataque liberis simul,
Exul, deserta, afflictissima hominum.
Heu mihi miserae, quo a me subducis pedem?
Videor effectura esse nihil, o misera ego.
„Quid tandem mortales alias quidem artes.
„Elaboramus omnes, ut oportet, et inquirimus,
„Suadelam vero reginam solum inter homines
„Non quidem praeter caeteras ad finem studemus
„Mercedes dantes discere, ut liceat olim
„Persuadere, quae quis vellet, et consequi simul?
Quomodo igitur posthac quis sperare possit acturum se esse bene?
Illi quidem tot liberi non amplius sunt mihi.
Ipsa vero ad turpitudinem captiva proficiscor,
Fumum vero urbis hunc eglomerantem in altum video.
Atqui fortasse quidem sermo inanis hic sit
Venerem praetendere; attamen dicetur.
Ad tuum latus filia mea cubat
Vates, quam vocant Cassandram Troiani.
Ubi iucundas iam noctes ostendes, o rex,
Aut in lecto charorum amplexuum
Gratiam quam habebit filia? pro illa vero ego?
„Ex tenebris enim nocturnisque amplexibus
„Illecebrisque simul hominibus multa gratia[38]),
Audi sane nunc: mortuum hunc vides?
Huic bene faciens affini tuo
Feceris, unus me sermo deficit adhuc.
Utinam mihi fieret vox in brachiis
Et manibus et coma et pedum ingressu,
Aut Daedali artibus, aut Dei alicuius,
Ut omnia simul tuis adhaerescerent genibus
Plorantia, exprimentia omnis generis sermones.
O domine, o maximum Graecis lumen
Obtempera: porrige manum huic anui
Ultricem, etsique nihil ea est: sed tamen.
„Boni enim viri est iustitiae auxiliari,
„Et malos punire ubique semper[39]).
Chor. „Mirandum est, mortalibus ut omnia accidunt,
„Et necessitates leges definiunt,
„Amicos efficientes ex antea inimicissimis,
„Inimicosque ante benevolentes facientes[40]).
Agam. Ego te et tuum filium et fortunas tuas,
O Hecuba, per misericordiam manumque supplicem habeo:
Et vellem Deorum gratia, impium hospitem
Et iustitiae gratia hanc tibi dare poenam:
Si quo modo videar, ut tibi bene sit efficere,
Exercituique non videar in Cassandrae gratiam
Thraciae regi hanc struere caedem.
Est enim, quatenus metus incidit mihi.
Virum hunc amicum ducit exercitus,
Mortuum vero, hostem. Si vero tibi charus
Hic est, privatum est hoc, non publicum exercitui.
Haec expende; nam volentem quidem me habes
Tibi opem ferre et promptum ad auxiliandum,
Tardum vero, a Graecis si criminabor.
Hec. „Heu, non est mortalium, qui sit liber.
„Aut pecuniarum enim servus est, aut fortunae,
„Aut multitudo eum urbis, aut leges scriptae
„Urgent, ne utatur pro arbitrio moribus.
Postquam vero metuis, multitudinique nimium tribuis,
Ego te faciam hoc liberum metu.
Sis conscius quidem, si quid struam mali
Adversus eum, hunc qui interfecit; simul agas vero nequaquam.
Si vero ex Graecis tumultus aut auxilium
Patiente viro Thracense, qualia patietur
Apparuerit quoddam: cohibe, non prae te ferens meam gratiam.
Quod ad alia vero attinet, confide; cuncta ego ponam probe.

38) H. l. in marg. Ed. 1562. adscriptum est nomen Deae, ad quam haec spectant, „Venus."

39) H. l. in Ed. 1562. nota margin.: Iustitia.

40) H. l. in Ed. 1562. nota margin.: Vices.

Agam. Quomodo igitur? Quid facies? utrum gladium manu
Accipiens anus virum barbarum interficies?
Aut venenis, aut ope quanam?
Quae tibi aderit manus? unde habebis amicos?
Hec. Tecta occultant haec Troianarum mulierum turbam.
Agam. Captivas dicis, Graecorum praedam?
Hec. Cum illis hunc meum homicidam ulciscar.
Agam. Et quomodo mulieribus in viros erit robur?
Hec. Est quiddam potens multitudo, cum insidiisque insuperabile.
Agam. Saevum quidem, sed sane femininum reprehendo genus.
Hec. Quid vero? An non mulieres interfecerunt Aegypti filios?
Et Lemnum funditus viris vacuarunt?
Sed ut fieri oporteat, hanc mihi relinque rationem,
Mitte vero mihi hanc tuto per exercitum
Mulierem. Et tu Thracio accedens hospiti
Dic: Vocat te regina olim sane Ilii,
Hecuba, (tua vero non minus quam ipsius causa)
Et filios, quoniam oportet et filios scire sermones
Hos ex illa. Recens vero interfectae
Polyxenae differ Agamemnon sepulturam,
Ut isti duo frater et soror prope una flamma
Duplici cura matris occultentur terra.
Agam. Erunt haec sic; etenim si esset exercitui
Navigatio, non potuissem hanc tibi praebere gratiam.
Nunc vero, non enim mittit secundos flatus Deus,
Manere necesse est, navigationem expectantes tranquillam.
Fient autem feliciter. Omnibus enim est commune hoc,
Et peculiariter unicuique et urbi, malum quidem
Malum aliquid pati, bonum vero feliciter agere.

[*Strophe* 1.]

Chor. Tu quidem, o patria Troia,
Ex urbibus inexpugnabilibus non amplius diceris,
Talis Graecorum nebula circumfundit te[41]),
Hasta sane hasta excidens.
Coronam vero abrasa es
Turrium, circum vero fuliginosi
Fumi macula miserrima denigrata es.
Misera: non amplius in te incedam.

[*Antistrophe* 1.]

Media nocte perii,
Quando a coena somnus suavis[42])
In oculos spargitur.
A cantu vero et sacris
Conviviis desinens
Maritus in thalamis iacebat,
(Hastile vero in clavo suo)
Nautarum non amplius videns multitudinem
Per Troiam Iliacam incedentem.

[*Strophe* 2.]

Ego vero comam religatis
Mitris componebam
Aureorum speculorum
Adspiciens rotundos radios,
Adstans ad lectum, ut ruerem in torum.
Per vero tumultus transivit urbem,
Vociferatio vero erat per urbem Troianam
Haec: O filii Graecorum, quando sane,
Quando Iliacam speculam
Excidentes[42a]) ibitis in patriam?

[*Antistrophe* 2.]

Lectum charum una veste induta
Relinquens, Dorica ut puella,
Venerandam accedens
Nihil effeci Dianam infelix.
Abducor vero mortuum videns maritum
Meum marinum per pelagus,
Urbemque adspectans a longe, postquam
Redeuntem navis movit pedem,
Et me a terrae abduxit finibus Iliacae.
Misera, exanima concidi prae dolore,

---

41) Ex urbibus — circumfundit te,] hi 2 vs. in Ed. Barn. disiuncti sunt in hos tres:
2 Ex urbibus inexpugnabilibus
3 Non amplius diceris. talis Grae-
4 corum nebula te circumfundit,

42) suavis] in Ed. Barn. haec vox in sequentem versum transposita est.

42a) Excidentes] sic (= Eurip. πέρσαντες) Editt. Barn., Musgr.; Ed. 1562. Excindentes.

[*Epodos.*]

Geminorum duorum Helenam sororem,
Idaeumque pastorem
Exitiosum Parim execrationi dans, quoniam me[43])
Terra ex patria perdidit.
Expulit me ex aedibus coniugium[44]), non coniugium,
Sed daemonis affligentis quaedam calamitas.
Quam non pelagus reducat rursum,
„ Neque patriam veniat in domum.

[*Polymestor, Hecuba.*]

Polym. O charissime virorum Priame, charissima vero
Hecuba, lachrymas fundo te intuens, urbemque tuam
Hancque iam primum mortuam natam ex te.
„Ah, nihil est unquam firmum, neque certa opinio,
„Neque rursum bene agentem, non acturum male.
„Miscent vero ea Dei antrorsum et retrorsum[45])
„Tumultum imponentes, ut per inscitiam
„Colamus illos. Sed haec quidem quid attinet
Lugere conferentia nihil ad priora mala?
Tu vero, si quid reprehendis meam absentiam,
Quiesce; contingit enim, ut in mediis Thraciae finibus
Abessem, quando venisti huc; sed postquam adveni,
Iam pedem extra domum tollenti mihi
Ad idem haec coincidit ancilla tua
Dicens sermones, quos audiens veni.
Hec. Pudet me intueri te contra,
Polymestor, in tantis positam malis,
Cui conspecta sum feliciter agens. Pudor me tenet,
In hoc fato cum sim, ubi nunc sum,
Neque queam adspicere te rectis pupulis.
Sed hoc ipsum non putabis esse odium erga te,
Polymestor. „Praeterea vero causa quaedam et lex est
„Mulieribus, viros ne adspiciant ex adverso.
Pol. Et mirum sane nullum, sed quis usus tibi mei?
Propter quod negotium evocasti meum ex aedibus pedem?
Hec. Privatum mei ipsius sane quiddam ad te volo
Et liberos dicere tuos; ministros vero mihi
Separatim iube ab his abstinere domibus.
Pol. Discedite[45a]); in tuto enim haec solitudo,
Amica quidem nobis es tu, amicus vero mihi hic
Exercitus Achaeorum. Sed te indicare convenit,
Quid oporteat feliciter agentem non agentibus bene
Amicis facere. Nam paratus sum ego.
Hec. Primum quidem dic, filium, quem ex mea manu
Polydorum exque patris in domibus habes,
An vivat? alia deinde te interrogabo.
Pol. Maxime, ex illa quidem felix es parte.
Hec. O charissime, quam bene et digne te loqueris!
Pol. Quid itaque vis secundo scire ex me?
Hec. An matris suae memor est aliquid mei?
Pol. Et huc quidem ad te occulte quaerebat currere.
Hec. Aurum vero salvum est, quod venit ex Troia habens?
Pol. Salvum in domibus quidem meis custoditum.
Hec. Serva nunc illud, neque concupisce ea, quae sunt cognatorum.
Pol. Minime; perfruar praesentibus, o mulier.
Hec. Scis igitur, quae dicere tibi et liberis volo?
Pol. Non scio: tuo hoc significabis sermone.
Hec. Sit, ametur filius a te, ut tu nunc mihi amaris.
Pol. Quid rei est, quod et me et liberos scire oportet?
Hec. Auri veteres filiorum Priami defossiones.
Pol. Haec sunt, quae vis filio significare tuo?
Hec. Maxime, per te sane. Es enim pius vir.
Pol. Quid porro horum liberorum opus est praesentia?
Hec. Melius est, si tu moriaris, ut isti sciant.
Pol. Pulchre dixisti sic et sapientius.
Hec. Nosti igitur Minervae Troianae ubi tecta?

43) Exitiosum — quoniam me] hic vs. in Ed. Barn. dispertitus est in duos.

44) Huic voci in marg. Ed. 1562. adscripta sunt: Paridis cum Helena.

45) Huic versui in Ed. 1562. in marg. apposita sunt verba: Res humanae.

45a) Discedite] sic (= Eurip. χωρεῖτ') Editt. recent.; Ed. 1562. Discedit.

Pol. Ibine aurum est? signum vero quod?
Hec. Nigrum saxum terram eminens supra.
Pol. Amplius igitur vis aliquid eorum, quae sunt ibi, dicere mihi?
Hec. Servare te pecunias, cum quibus egressa sum, volo.
Pol. Ubi sane? intra vestes? aut occultatas habes?
Hec. Spoliorum in acervo in hisce servantur tectis.
Pol. Ubi vero? hae Graecorum nauticae latebrae.
Hec. Separatim mulierum captivarum tecta.
Pol. Utrum ea, quae intus fida sunt et virorum solitaria?
Hec. Nullus Graecorum intus, sed nos solae.
Sed perge in domum, (etenim Graeci navium
Solvere cupiunt domum versus ex Troia pedem,)
Ut omnia conficiens, quae te oportet, redeas rursus
Cum liberis eo, ubi meum posuisti filium.
Chor. Nondum dedisti, sed forte dabis poenam,
Importuosum quispiam quasi in verticem incidens
Obliquus excides charo corde
Perdens vitam. „Quod enim obnoxium est[46])
„Iustitiae, et Diis non concidet
„Exitiale, exitiale malum.
Fallet te viae huius spes, quae te induxit
Letalem ad Platonem. Heu miser!
Imbelli[47]) vero manu relinques vitam.

[*Polymestor, Semichorium, Hecuba.*]

Pol. Heu mihi! obcaecor lumen oculorum miser.
Sem. Audite viri gemitus, o amicae.
Pol. Heu mihi valde rursum, o filii, ob tristem mactationem!
Sem. Amicae, acta sunt nova intra domum mala.
Pol. Sed non me effugeritis celeri pede.
Deiiciens enim aedium harum perrumpam angulos.
Sem. Ecce gravi ex manu vibratur iaculum.
Vultis irruamus? quoniam opportunitas vocat
Hecubae adesse, Troianisque mulieribus auxiliatrices.
Hec. Frange, nulli parce eiiciens portas;
Neque enim unquam visum lucidum impones pupulis,
Neque filios videbis viventes, quos interfeci ego.
Sem. Numnam cepisti Thracem, et potiris hospite,
O domina, et patrasti, qualia dicis?
Hec. Videbis statim existentem ante aedes
Caecum, caeco euntem errabundo pede,
Filiorumque duorum corpora, quos interfeci ego
Cum optimis Troiadibus; poenam vero mihi
Dedit. Ambulat vero, ut vides, hic ex domo.
Sed eminus abeo et absistam
Ira fluente a Thracio insuperabili.
Pol. O mihi ego! Quo vado? quo sto? quo applicabo[48])?
Quadrupedis[48a]) gradum ferae montanae
Ponens super manus iuxta vestigia qualem[49])
Viam, aut hanc aut illam mutabo,
Homicidas prehendere cupiens
Iliadas, quae me perdiderunt?
Scelestae sceleratae puellae Phrygum,
Io, Io sceleratae. Ubi me fuga
Fugiunt in angulis?
Utinam mihi oculorum cruentam palpebram
Medearis, medearis caecum, o sol,
Lucem reddens.
At at, tace, tace, occultum gradum sentio
Harum mulierum.
Ubi pedem saltu sistens carnibus ossibusque implebo, coenam sylvestrium ferarum
Ponens, commutans damnum
Exitii pro talione? Io miser!
Ubi, quo feror? liberos desertos relinquens
Insanis mulieribus Plutonis ad discerpendum
Mactatam canibus caedem,

---

46) Importuosum — obnoxium est] hi tres vs. in Ed. Barn. in sex divisi sunt sic:
Importuosum quispiam quasi
In verticem incidens
Obliquus, exciderit
Caro corde,
Orbatus vita.
„Quod enim obnoxium est

47) Ad hanc vocem pertinet nota marg. in Ed. 1562.: Id est, muliebri.

48) O mihi — applicabo?] hic vs. in Ed. Barnes. in duos est disiunctus.

48 a) Quadrupedis] sic (= Eurip. τετράποδος) Editt. recent.; Ed. 1562. Quadrupes.

49) qualem] haec vox in Ed. Barn. in sequentem versum est transposita.

Convivium immane montanamque abiectionem,
Ubi consistam? quo flectam? quo vadam?
Navis quemadmodum marinis funibus
Ex linea tela velum mittens,
Ad istud coniectus sum
Librorum meorum custos,
Exitiale cubile.
Chor. O infelix, quam tibi in te intolerabilia perpetrata sunt mala!
„Facienti vero turpia saevas poenas
„Deus dedit, quicunque est tibi infensus.
Pol. Ah ah. Io Thraciae
Hastifera armata
Equestris bellicosa gens.
Io Achaei, io Atridae.
Clamorem, clamorem clamo clamorem,
Ite, ite, venite per Deos.
Audit quis? An nemo opem fert? qui cunctamini?
Mulieres perdiderunt me
Mulieres captivae.
Horribilia, horribilia passi sumus.
O mihi ob meum exitium!
Quo vertar? quo ibo?
Aerem an volans coelestem
Altam in domum, Orion
Aut Sirius ubi ignis flammeos[50])
Spargit ab oculis radios?
Aut ad Platonis atrum
Littus saltabo miser?
Chor. „Ignoscendum est, quando quis maiora, quam ut ferre possit, mala
„Patitur, miseram quod cupiat mutare vitam.
Agam. Clamore audito veni; non enim tranquilla
Rupis montanae filia insonuit per exercitum,
Echo praebens tumultum. Si vero non Phrygum
Turres quod cecidissent scivissemus Graecorum hasta,
Terrorem praebuisset non mediocrem hic sonus.
Pol. O charissime! Sensi enim, o Agamemnon, tua
Voce audita. Vides, quae patimur?
Agam. Age, Polymestor o infelix, quis te perdidit?
Quis oculum fecit caecum cruentans pupulas,
Filiosque hos interfecit? certe magnam iram
Adversum te et filios habuit, quicunque erat sane.
Pol. Hecuba me cum mulieribus captivis
Perdidit. Non perdidit, sed amplius.
Agam. Quid dicis? Tu hoc opus fecisti, ut dicit?
Tu audaciam, o Hecuba, suscepisti immensam?
Pol. Hei mihi! quid dicis? Anne prope est? ubi?
Significa. Dic, ubi est? ut rapiens manibus
Discerpam et cruentem corpus.
Agam. Heus quid pateris?
Pol. Per Deum te precor,
Sine me immittere huic furentem manum.
Agam. Contine te, eiiciens porro e corde istam barbariem.
Dic, ut audiens et te hancque per vices,
Diiudicem iuste, pro quo pateris haec.
Pol. Dicam sane. Erat quispiam Priamidarum minimus,
Polydorus, Hecubae filius, quem ex Troia mihi
Pater dat Priamus in domibus ad nutriendum,
Iam suspicans de Troiae excidio.
Hunc interfeci; quamobrem autem interfeci ipsum,
Audi, quam bene et sapienti providentia.
Metui, ne tibi hostis relictus hic puer
Troiam colligeret et habitaret olim;
Cum cognovissent vero Graeci viventem Priamidarum aliquem,
Phrygum ad terram rursus tollerent expeditionem,
Et deinde Thracios campos vastarent hos
Populantes, vicinis vero esset malum
Troianorum, propter quod nunc, o rex, laboravimus.
Hecuba vero filii cum cognovisset letale fatum,
Dolo me huiusmodi duxit, tanquam occulta
Receptacula dictura Priamidûm sub Ilio
Auri. Solum vero cum liberis me inducit
In domos, ut alius ne sciret haec.
Sedeo vero culcitra in media curvans genu.
Multae vero manus, illae quidem ad sinistram,

[50]) Altam — flammeos] hi duo vs. in Ed. Barn. disiuncti sunt in hos tres:
Altam in domum,
Orion, aut Sirius,
Ubi ignis flammeos

Illae vero inde, utpote apud amicum Troianorum puellae
Sedebant, tenentes telam Edoniae manus,
Laudabant ad lucem solis hasce spectantes vestes.
Aliae[51]) hastile Thracense spectantes,
Nudum me fecerunt duplici ornamento.
Quae vero parentes erant, obstupefactae
Liberos in manibus quatiebant, utque procul a patre
Fierent, successionibus alternabant manus.
Et deinde ex occultis (quid videtur?) colloquiis
Statim corripientes enses ex vestibus alicunde
Confodiunt pueros. Aliae vero hostium instar
Corripientes meas tenebant manus,
Et membra. Filiis vero opem ferre volens meis,
Si quidem faciem erigerem meam,
Capillo retinebant; si vero moverem manum,
Prae multitudine mulierum nihil efficiebam miser.
Postremo deinde calamitatem, plus quam calamitatem
Perpetraverunt ferociter. Meorum enim oculorum,
Fibulas cum corripuissent, infelices pupulas
Fodiunt, cruentant, deinde per tectum
Fugaces abierunt. Exiliens vero ego
Fera quasi persequebar cruentas canes,
Omnes scrutans angulos quasi venator
Deiiciens, frangens. Talia, dum studeo pro tua gratia,
Passus sum hostem tuum interficiens,
O Agamemnon; ut vero non longos extendam sermones:
Si quis mulieribus ex prioribus dixit male,
Aut nunc dicens est quis, aut futurus est dicere,
Omnia haec in compendium ego dicam;
„Genus enim neque pontus neque terra nutrit
„Tale. Ille vero, semper qui incidit, novit.
Chor. Ne ferociter quid dicas, neque ex tuis malis
Muliebre genus conferens, sic omne reprehendas.
„Multae quidem ex nobis, aliae quidem sunt praeclarae,
„Aliae vero ad numerum malarum natae sumus.
Hec. „O Agamemnon, hominibus non convenit unquam
„Quam ipsas res linguam posse plus.
„Sed si bonum fecit, bona oportebat dicere;
„Si vicissim mala, sermones esse putidos,
„Et non posse iniusta bene dicere unquam.
„Sapientes quidem igitur sunt, qui haec exacte ornare noverunt,
„Sed non possunt ad finem esse sapientes.
„Male vero perierunt, et non quis evasit adhuc[52]).
Et mihi, quod ad te attinet, sic in prooemiis habet.
Ad hunc vero vado et verbis respondebo.
Quomodo ais te Graecorum laborem vitando duplicem,
Agamemnonisque gratia filium meum interfecisse?
Sed, o pessime, primum nunquam amicum
Barbarum fiet Graecis genus,
Nec unquam potest fieri. Cui vero nam captans officium
Tam promptus eras? utrum iuncturus affinitatem aliquam?
Aut cognatus existens? Aut quamnam causam habens?
Aut tuae erant terrae excisuri germina
Redeuntes rursum? Cui putas persuasurum esse haec?
Aurum (si velis vera dicere)
Interfecit meum filium, et lucra tua.
Quandoquidem doce me hoc, quare, cum erat felix
Troia, et undique in circuitu turris habebat adhuc urbem,
Vivebatque Priamus, Hectorisque florebat hasta,
Quare non tum (si quidem huic voluisti gratiam
Ponere,) nutriens filium et in domo habens
Interfecisti? aut viventem venisti ad Graecos ducens?
Sed quando nos non amplius eramus in luce,
Fumo significabatur urbs sub hostibus,
Hospitem interfecisti tuum accedentem ad focum.

51) Aliae] sic recte (= Eurip. Ἄλλαι) Editt. Barn., Musgr. et Fix.; Ed. 1562. male: Alia.

52) Huic loco vs. 1181—1194. in Ed. 1562. adscripta est nota margin.: In mulieres oratio.

Ad haec nunc audi, ut appareas sceleratus.
Oportebat te, si quidem Graecis eras amicus,
Aurum, quod dicis non tuum, sed huius habere,
Dare afferentem egentibusque et per tempus
Longum a patria terra procul peregrinantibus.
Tu vero nec adhuc aliquo discedere e manibus
Sustines, tenens vero perseveras adhuc in domo.
Atqui nutriens quidem, ut te filium decuit nutrire,
Servansque meum, habuisses praeclaram gloriam.
„In rebus adversis enim boni sunt certissimi
„Amici. Res secundae vero quaelibet habent amicos[53]);
Si vero indiguisses pecuniis, hic vero floruisset,
Thesaurus tibi filius potuisset esse meus magnus.
Nunc vero neque illum virum habes tibi amicum,
Aurique fructus periit, filiique tui,
Ipseque agis sic. Tibi vero ego dico,
Agamemnon, si huic opem tuleris, malus apparebis.
Neque pio enim, neque fideli quibus decebat,
Neque sancto, neque iusto benefacies hospiti;
Ipsum vero gaudere malis te dicemus
Talem existentem. Dominis vero non facio convicium.
Chor. „Ah ah! Hominibus quam bona causa
„Bonorum occasiones praebet semper sermonum.
Agam. Odiosum quidem est mihi aliena iudicare mala;
Tamen necesse. Etenim dedecus est,
Negotium in manum eum qui accepit, abiicere hoc.
Mihi vero (ut scias) neque meam videris ob gratiam,
Neque etiam Graecorum, virum interfecisse hospitem;
Sed ut haberes aurum in aedibus tuis.
Loqueris vero tibi ipsi conferentia, in malis existens.
Fortasse igitur apud vos facile est trucidare hospitem;
Nobis vero turpe hisce Graecis hoc.
Quomodo igitur te iudicans non iniuste fecisse, effugiam vituperationem?
Non certe possem. „Sed postquam, quae honesta non sunt,
„Facere ausus es, sustine etiam, quae non grata sunt[54]).
Pol. Hei mihi! a muliere (ut videtur) victus
Serva, dabo deterioribus poenam.
Agam.[55]) An non iuste? si quidem perpetrasti mala.
Pol. Hei mihi propter liberos hosque oculos meos misero!
Hec. Doles? quid vero me propter filios non dolere putas?
Pol. Gaudes insultans mihi o malitiosa tu?
Hec. Non enim me gaudere oportet, te quae ulta sum?
Pol. Sed non statim, quando te marina humiditas —
Hec. Utrum ducet me terrae in fines Graecanicae?
Pol. Occultabit quidem delapsam ex antennis.
Hec. A quo violentos acquirentem saltus?
Pol. Ipsa ad malum navis ascendes pede.
Hec. Alatis tergis aut quonam modo?
Pol. Canis fies, ignitos habens adspectus.
Hec. Quomodo vero scis formae meae transmutationem?
Pol. Thracius vates dixit Dionysus haec.
Hec. Tibi vero non vaticinatus est quicquam de malis, quae habes?
Pol. Non enim unquam tu me capere potuisses cum insidiis.
Hec. Mortuane an viva hic implebo vitam?
Pol. Mortua. Tumulo vero tuum nomen imponetur[56]).
Hec. Formae consentiens aut quid de me dicis?
Pol. Canis miserae sepulchrum, nautis signum.

53) Huic loco in marg. Ed. 1562. adscripta est vox: Amicitia.

54) His verbis in Ed. 1562. in marg. apposita est vox: Poena.

55) *Agam.*] sic Ed. 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. 8.); Editt. Barn. et Fix. in textu gr. et interpret. lat.: *Hecuba*; Ed. Musgr. in textu gr.: *Ἀγαμ.*, in interpret. lat.: *Hecuba*.

56) Huic loco in Ed. 1562. adiecta est haec nota margin.: „De hoc loco est apud Strabonem lib. 13., ubi dicit in Thracia ad Rhodium amnem esse sepulchrum Hecubae." Vid. Strab. p. 595. Ed. 2. Casaub. (lib. 13. sect. 1. §. 28. interpretationis german. Groskurdii).

Hec. Nihil curae est mihi; tu mihi dedisti poenam.
Pol. Et tuam quidem necesse est filiam Cassandram mori.
Hec. Abominor, ipsi haec tibi tribuo habere.
Pol. Interficiet ipsam huius coniunx domestica acerba.
Hec. Ne unquam insaniat usque adeo Tyndarei filia.
Pol. Illumque ipsum tantum, securim tollens sursum.
Agam. Heus tu insanis, et mala appetis consequi.
Pol. Interfice, quoniam in Argis homicidialia lavacra te manent.
Agam. Non trahetis ipsum famuli ex conspectu per vim?
Pol. Doles[57]) audiens?
Agam. Non cohibebitis os[58])?

57) Doles] sic recte (= Eurip. ἀλγεῖς) Editt. Barn., Musgrav., Fix.; Ed. 1562. male: Dolos.

58) os] sic (= Eurip. στόμα) Editt. recent.; in Ed. 1562. deest.

Pol. Concludite; dictum est enim.
Agam. An non quam celerrime[59])
Insularum desertarum ipsum[60]) abiicietis in aliquam,
Quoniam sic et nimium licentia oris abutitur?
Hecuba, tu vero o misera geminos mortuos
Vadens sepelito. Dominorum vero vos oportet
Tentoria accedere, Troiades. Etenim ventos
Domum versus iam hosce ferentes video.
Utinam bene in patriam navigemus; utinam quae domi sunt,
Bene habere videamus, ab his liberati laboribus.
Chor. Ite ad portus et tentoria, o amicae,
Dominorum tentaturae
Labores. Dura enim necessitas.

59) *Pol.* Doles — celerrime] hi quatuor vs. in Ed. Barn. in duos sunt coniuncti.

60) ipsum] sic (= Eurip. αὐτόν) Editt. recent.; in Ed. 1562. deest.

Huic interpretationi addimus **Prologum**, quem Melanthon in eandem Euripidis tragoediam scripsit. Illum exhibent, ut iam supra p. 291 sq. diximus, hi libri:

a. Farrago Seceriana aliquot Epigrammatum Mel.;
b. Melanthonis Opp. Basil. Tom. V. p. 331.;
c. Prologi aliquot, olim scenicis actionibus praemissi, exhibitis in Academia Vitebergensi fol. A 8.;
d. Grathusii collectio Epigramm. Mel. fol. K 6.;
e. Vincentii editio Epigramm. Mel. fol. K 1 b—2 a;
f. huius Corp. Reform. Vol. X. p. 499. nr. 46.

Prologus in Hecubam Euripidis.

Salvete[1]) spectatores candidissimi,
Qui litterariae rei bene cupitis,
Hi me iuvenes daturi hodie tragoediam,
Orare causam apud vos iusserunt suam.
Ideo hic in ipso constiti proscenio,
Et lege scenica peto, ut aequis auribus
Orationem accipiatis meam, et meos
Gregales invidiam contra tueamini.
Quidam novo et[2]) infando exemplo clamitant,
Factos aliquo[3]) tempore ludos scenicos,
Et sera Bacchanalia a nobis agi,
Dum Christianis operandum sacris fuit.
Nec publicos mores, nec sacra laedere
Ludi queunt nostri. Nam non comoediam
Iocularem, aut iuveniles amores, furtave
Puellarum, aut parasitorum scurrilia
Huc adferuntur[4]) dicta, quae infirmis solent
Nocere mentibus; sed tetrica fabula,
Sententiisque referta gravissimis datur,
In qua fortunae varias cernere est vices,
Quae magnis opibus invidens, evertere,
Fastigium ad summum quos evexit, solet.
Si quem fortuna fovit mollius[5]) hactenus,
Regnumque si cui gerere precarium[6]) dedit
In populo, hunc nostrae commonent tragoediae

1) Salvete] Ed. Grath. errore typogr.: Salvere.

2) et] sic Opp. Basil., Prolog., Grathus.; Vinc. et Corp. Ref. X.: atque.

3) aliquo] sic Opp. Basil., Prolog., Grath.; Vinc. et Corp. Ref. X.: alieno.

4) adferuntur] sic Opp. Basil., Prolog., Grath.; Vinc. Corp. Ref. X.: adferunt.

5) mollius] Corp. Ref. X. errore typogr.: mollibus.

6) precarium] sic Opp. Basil., Prolog., Grath.; Vinc. Corp. Ref. X.: praeclarum.

Exempla, suspectam fortunae ducere
Fidem, ima summis momento mutat levi.
Proin favete nostrae, quaeso, fabulae,
Memorabilesque vitae casus noscite.
Tragoediae huius autor est gravissimus
Euripides, cuius in poematis ait,
Oracula[7]) tot quot versus esse, Tullius[8]).

7) Oracula] Ed. Vinc.: Oracla.

8) Conf. Cic. ad Famil. XVI, 8, 2.

Quod si placemus[9]), clare mihi plausum date.
Sed argumentum cupitis scire fabulae,
Id dicet[10]) iam Polydorus emissus specu
Profundo Tartari, fatum questum[11]) suum.

9) placemus] sic Opp. Basil., Prolog., Grath., Vinc.; Corp. Ref. X.: placeamus.

10) dicet] sic Opp. Basil., Prolog., Grath., Vinc.; Corp. Ref. X.: dicit.

11) questum] sic recte Opp. Basil., Prolog., Grath.; Vinc., Corp. Ref. X.: questus.

LVI. PHIL. MEL. INTERPRETATIO ORESTIS EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina in utraque Xylandri editione, videlicet Ed. *Basil.* 1558. et Ed. *Francof.* 1562. invenitur, quibuscum editionem *Barnesii* (ex qua versuum numeros stropharumque partitiones et plures inscriptiones uncis inclusas adscripsi) atque editiones *Musgravii* et *Fixii* supra p. 287 — 290. laudatas contuli. Xylandri editiones in hac Ed. solis annorum numeris significabo.

EURIPIDIS ORESTES
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum
Phil. Melanthone interprete[1]).

Orestes necem patris ulturus, interfecit Aegisthum et Clytaemnestram. Ausus autem matrem occidere, statim poenam dedit insanus factus. Tyndaro autem, patre interfectae, accusante eum, communem sententiam erant laturi Argivi de hoc, quid oporteret pati impium. Forte autem Menelaus rediens ex sua peregrinatione, noctu quidem Helenam[2]) misit, interdiu autem ipse venit; et advocatus ab Oreste, ut iuvaret ipsum, accusantem Tyndarum magis est reveritus. Dictis autem orationibus in coetu, motus est populus, ut occideret Orestem. Pylades autem amicus eius cum ei adesset, consuluit, ut ipsi primum de Menelao sumerent poenam, interficientes Helenam, ipsi igitur propter haec venientes frustrati sunt spe, cum Dii Helenam[2]) rapuissent. Hermionem autem ostendens Apollo dedit eis in manum; illi autem hanc volebant occidere. Apparens autem Menelaus, et videns se simul coniuge et liberis ab istis privatum, conatus est oppugnare regiam, illi autem praevenientes minabantur se inflammaturos esse. Apollo autem apparens Helenam dixit se transtulisse ad Deos; Orestem autem iussit Hermionem ducere et Pyladi Electram cohabitare, et purificatum a caede, Argos tenere.

Aliter.

Orestes propter matris caedem simul et ab Erinnybus exagitatus, et ab Argivis condemnatus nece, erat interfecturus Helenam et Hermionem, propterea quod Menelaus praesens non iuverat eum; prohibitus est autem ab Apolline. Nusquam ponitur mythologia.

Aliter.

Scena fabulae posita est in Argo. Chorus autem constat ex mulieribus Argivis aequalibus,

---

1) Sic hoc trifarium argumentum, quod Melanthone e graeco sermone (quo in Eurip. Ed. Basil. 1551. 8° legitur) in latinum transtulit, in Ed. 1562. est inscriptum; in Ed. 1558. inscriptum est sola voce: Argumentum. — Haec tria argumenta graece et latine etiam in Ed. Barnes. huic tragoediae sunt praemissa.

2) Helenam] Editt. 1558., 1562. h. l. et in proxime seqq. Helenen.

quae accedunt, interrogantes de calamitate Orestis. Fabula habet exitum magis comicum. Apparatus fabulae est talis. Iuxta aulam Agamemnonis fingitur Orestes laborans, et iacens prae insania in lectulo, cui assidet ad pedes Electra. Dubitatur vero, quare non ad caput assideat, sic magis videbatur curare fratrem, ita assidens propius. Videtur igitur propter chorum poeta ita finxisse. Excitatus enim fuisset Orestes, iam primum et vix sopitus, si prope ipsum mulieres chori stetissent. Possumus hoc suspicari ex eo, quod dicit Electra ad chorum: Tace, tace, tenue vestigium soleae! Probabilem esse aiunt praetextum huius dispositionis. Fabula est ex celeberrimis in scena, sed pessima moribus. Nam praeter Pyladen omnes erant improbi.

Personae fabulae.

Electra	Helena	Pylades
Nuntius	Chorus	Hermione
Orestes	Phryx	Menelaus
Apollo		Tyndarus.

Praefatur autem Electra, tanquam soror Orestis, deplorans propter Tantalum.

ORESTES.

Electra.

„Nulla est oratio sic dicendo atrox,
„Neque calamitas, neque afflictio divinitus veniens,
„Cuius pondus non sustineat genus humanum [3]).
Nam ille beatus, non exprobro ei fortunam,
Ex Iove natus, ut dicunt, Tantalus,
Timens saxum, quod supra caput eius imminet,
Pendet in aere, et luit hanc poenam,
Sicut dicunt: quod, cum esset homo, cum Diis
Habens aequalem dignitatem communis mensae,
Habuit effrenem linguam [4]), turpissimum morbum.
Iste genuit Pelopem, ex hoc Atreus natus est:
Cui dans coronam, destinavit Dea
Discordiam, ut bellum adversus Thyesten fratrem
Excitaret; quid opus est enumerare infanda?
Cuius liberos interficiens Atreus, excepit eum convivio.
Atrei autem, (nam intermedias fortunas taceo)
Ille inclytus filius Agamemnon, si quidem erat inclytus,
Et Menelaus ex Aërope Cretensi matre.
Ducit autem invisam Diis
Helenam [5]) Menelaus; iste autem Clytaemnestrae [6]) coniugium,
Clarum apud Graecos, Agamemnon rex:
Cui ex una ea tres puellae natae sumus,
Chrysothemis, Iphigenia, et ego Electra,
Et masculus Orestes ex matre sceleratissima,
Quae maritum circumdans inextricabili vestimento
Interfecit: propter quae, id virginem dicere
Non est honestum, omitto hoc obscurum communiter considerandum [7]).
Sed Phoebi iniustitiam quid opus est accusare?
Persuadet Oresti, matrem, quae eum genuit,
Occidere, non apud omnes adferens laudem.
Tamen is eam occidit, non inobediens Deo:
Et ego eram particeps caedis, ut potest mulier.
Et Pylades nos in his adiuvit.
Inde tabescens saevo morbo languet
Afflictus Orestes, cadens in lecto
Iacet, sanguis maternus exagitat eum
Furoribus; (vereor enim nominare deas
Eumenidas, quae eum certatim perterrent,)
Sextus hic dies, ex quo caede

3) Huic loco in Editt. 1558., 1562. adscripta est nota margin.: „Miseriae humanae. Cicer. 4. Tusc. Quaest. vertit." Cicero Tusc. Quaest. IV, 29, 63. hos primos tres versus affert.

4) Haec vox in marg. Editt. 1558., 1562. repetita est.

5) Helenam] Editt. 1558., 1562. Helenen.

6) Clytaemnestrae etc.] sic (= *Κλυταιμνήστρας* etc.) ubique scribimus; Editt. 1558., 1562. Clytemnestrae etc.

7) considerandum] sic Ed. 1562. et Editt. Barn., Musgr.; Ed. 1558. considerare.

Moriens mater, purificata est corpus igne:
Intra quem neque cibum per collum accepit,
Neque lavacrum dedit corpori, sed intra vestem
Occultatus, quando corpus levatum est morbo,
Sana mente plorat; aliquando ex lecto
Saltat velox, sicut equus a iugo.
Decretum factum est Argis, neque nos tecto,
Neque igni recipere, et ne quis alloquatur
Matricidas[8]). Haec dies autem est dicta,
In qua ferent sententiam Argivi,
An oporteat nos mori lapidante saxo,
An acuto ense feriri collum.
Habemus quandam spem, quod non simus morituri.
Venit enim in patriam Menelaus ex Troia,
Implens remo portum Nauplicum,
Applicat ad littus, longo tempore ex Troia
Vagatus errationibus; et lugubrem[9])
Helenam, observans noctem, (ne quis videns
Venientem interdiu, eorum, quorum ad Ilion
Filii perierunt, veniat ad iactus lapidum)
Praemisit in nostram domum; est autem intus,
Plorans sororem et calamitatem domus.
Habet tamen aliquod solatium dolorum;
Quam enim reliquit domi, quando ad Troiam navigabat,
Virginem, matrique meae alendam tradidit,
Eam Menelaus ducit Hermionen ex Sparta.
Hac laetatur, et obliviscitur malorum.
Considerabo totum accessum, an possim videre
Menelaum venientem, quia in reliquis exigua
Ope vehimur, nisi ab illo
Servemur. „Misera res est domus inops consilii[9a]).
Helena. O filia Clytaemnestrae et Agamemnonis,
Electra virgo longo adulta tempore,
Quomodo, o misera tu, et frater tuus
Miser iste Orestes est factus homicida matris?
(Non enim polluor tuo alloquio
In Phoebum transferens crimen.)
Lugeo Clytaemnestrae fatum,
Meae sororis, quam, postquam ad Ilion
Navigavi, (quocunque modo navigavi irato fato)

8) Huic loco in Ed. 1562. in marg. adiecta est annotatio: „Vide Pausaniam in Argolicis." (Pausan. II, 16.).
9) lugubrem] sic Ed. 1562. et Editt. Barn., Musgr.; Ed. 1558. miseram.
9a) Misera res est domus l. c.] sic (= Eurip.) Ed. Barn.; Editt. 1558., 1562. Misera domus est res l. c.

Non vidi, sed privata ea[10]), lugeo calamitatem.
Elec. Helena, quid tibi dicam, quae praesens vides
In calamitatibus esse posteritatem Agamemnonis.
Ego quidem insomnis, assidens misero mortuo;
(Est enim iste mortuus, praeter exiguum halitum)
Assideo, non exprobro illi mala.
Tu es beata, et tuus maritus beatus;
Venistis ad nos miserrimos.
Hel. Quam longo tempore iacet iste in lecto
Elec. Ex quo consumpsit maternum sanguinem
Hel. O miser, et mater, quae periit!
Elec. Sic habet res, ut desperaverim in malis
Hel. Per Deos, o virgo obtemperes mihi in aliqua re.
Elec. Atqui sum occupata assidendo fratri[11])
Hel. Vis mihi accedere ad sepulchrum sororis
Elec. Meae matris dicis: quam ob causam?
Hel. Ferens primitias comae meae et mea inferias.
Elec. An tibi non est fas ire ad cognatae sepulchrum?
Hel. Erubesco ostendere corpus Argivis.
Elec. Sero recte sapis, cum tunc inhoneste reliqueris domum.
Hel. „Recte dixisti, sed mihi non amante
Elec. Quis pudor habet te inter Mycenaeos?
Hel. Metuo patres illorum, qui mortui sunt ad Ilium.
Elec. Atrociter proclamaris passim per omnia ora Argis.
Hel. Tu nunc solvens metum, praestes mi hoc officium.
Elec. Non possum intueri matris sepulchrum
Hel. Turpe est ancillam ferre haec.
Elec. Cur non mittis filiam Hermionem?
Hel. „Non est honestum virginibus venire in p blicum.
Elec. Atqui solverit gratiam pro nutricatio mortuae.

10) ea] sic Ed. 1562. et Editt. Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. omiss.
11) Atqui sum occupata assidendo fratri.] sic Editt. 15 Barn., Musgr.; Ed. 1558. Tanquam occupata assidui erga fratrem.

Hel. Recte dixisti, obtempero tibi, puella,
Et mittam filiam; recte enim sic dicis.
O filia Hermione, exi ante aedes,
Et cape in manus has inferias et meas comas:
Et veniens ad Clytaemnestrae sepulchrum,
Dimitte ibi mel cum lacte mixtum[12]), et vini spumam,
Et stans in summo tumulo dicas ista:
Helena soror donat te his inferiis,
Cum non ausit ad tuum monimentum accedere, metuens
Argivam turbam; et iube ipsam propitiam
Mentem habere mihi et tibi et marito,
Et istis duobus[13]) miseris, quos perdidit Deus.
Et quae oportet me facere erga sororem mortuam,
Omnia promitte dona inferorum.
Abi, o filia, propera et inferiis sepulchro
Datis quam celerrime memineris reditus.
Elec. O natura[13a]), quam magnum es malum inter homines,
Et salutaris iis[36b]), qui sunt consecuti bonam.
Videte, quomodo praecidit extremos pilos,
Servans formae dignitatem, et est tamen vetula[13c]).
Dii te perdant, quam perdidisti me,
Et hunc et totam Graeciam, o misera ego!
Iterum vero accedunt meis lamentis
Charae sociae, fortassis excitabunt ex somno
Istum quiescentem, et tabefacient meum oculum
Lachrymis, quando video insanientem fratrem.
O charissimae mulieres, tacito pede
Accedite, non strepite, neque sit fragor.
Tua benevolentia est mihi quidem grata; sed mihi
Erit calamitas excitari istum.

[*Strophe* 1.]

Chor. Tacite, tacite, subtile vestigium soleae
Ponite, non strepite, neque sit fragor.
Elec. Procul abite illuc, procul mihi a lecto[14]).
Chor. Ecce obtempero. *Elec.* Hei hei, tanquam flatus fistulae
Submissae sonus, o chara, sones mihi[15]).
Chor. Ecce vero vocem submissam tanquam per calamum sibilantem.
Elec. Recte ita, submisse, submisse accedes[16]),
Tacite eas, dicas, propter quam
Causam venistis.
Diu enim[17]) iacens iste dormit.

[*Antistrophe* 1.]

Chor. Quomodo habet? dicas, o chara.
Elec.[18]) Quam fortunam dicam, aut quam calamitatem?
Adhuc quidem spirat et breviter gemit[19]).
Chor. Quid dicis? o miser!
Elec. Perdes eum, si movebis palpebras[20])
Habenti dulcissimas delicias somni.
Chor. O miser, propter infanda facta, quae divinitus acciderunt[21]):
O miser, heu[22]) labores!
Elec. Heu heu! iniustus iniusta tunc ergo dixit,

---

12) mel cum lacte mixtum] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. mulsum lactis. — Illis verbis in Ed. 1562. in marg. adscripta est annotatio: Inferiae constabant melle, lacte, vino.

13) duobus] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; in Ed. 1558. deest.

13a) Huic voci (Eurip. φύσις) in Ed. 1562. adiecta est nota margin.: De forma quidam interpretantur.

13b) iis] sic Editt. recent.; Ed. 1562. ii; in Ed. 1558. deest.

13c) Huic voci in Ed. 1562. in marg. Xylander haec adscripsit: „Plutarch. Alcibiade huc alludit; et inde, atque ex schol. patet legendum esse: Est eadem mulier, quae olim; scilicet mala.” Ille locus Plutarchi invenitur in vita Alcib. c. 23. — Scholion vetus. Ἡ πάλαι] ἤτοι πονηρά, ἤγουν τὰ αὐτὰ φρονοῦσ', ἃ καὶ πρότερον. etc. exstat in Ed. Barn. ad h. l. — In Editt. Barn., Musgr. hic locus sic est translatus: „et est tamen eadem, ut prius”, in Ed. Fix.: „Est vero eadem quae prius mulier.”

14) Procul — lecto.] hic vs. in Ed. Barn. disiunctus est in duos.

15) Submissae — mihi.] huius versus loco habet Ed. Barn. hos duos:
Velut sonus
Tenuis ex arundine, o cara, sones mihi.

16) *Chor.* Ecce — accedes,] pro his duobus vss. exhibet Ed. Barn. hos tres:
Chor. Ecce submissam tanquam per calamum sibilantem
Profero vocem. *Elec.* Recte ita.
Appelle, appelle. Adito tacite,

17) enim] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; in Ed. 1558. deest.

18) *Elec.*] hoc nomen in Ed. 1558. omissum est.

19) Adhuc — gemit.] hic vs. in Ed. Barn. in duos disiunctus est sic:
155 Adhuc quidem spirat
Et aliquantulum gemit.

20) *Chor.* Quid — palpebras] hi 2 vss. in Ed. Barn. sic partiti sunt:
Chor. Quid dicis? O miser. *El.* Perdes eum, si palpebras movebis

21) — tus acciderunt] haec in Ed. Barn. in sequentem vs. transposita sunt.

22) heu] sic h. l. et in sequenti vs. Editt. 1562. et recentiores; Ed. 1558. hei.

Quando dixit absurdam caedem in tripode[23])
Deae reddentis oracula[24]),
Themidis et pronuntiavit[25])
Apollo[26]) necem meae matris.

[*Strophe 2.*]

Chor. Vides? movet corpus in veste.
Elec. Tu eum, o misera,
Vociferans excitasti e somno.
Chor. Puto eum quidem dormire.
Elec. Non a nobis discedis, non ab aedibus
Rursus tuum pedem volves,
Omittens strepitum?
Chor. Dormit[27]). *Elec.* Recte dicis.

[*Strophe 3.*]

Chor. O veneranda, veneranda nox.
Dans somnos laboriosis[28]) hominibus,
Veni ex erebo, veni, veni alata[29])
In domum Agamemnonis;
Nam propter dolores et calamitates[30])
Perimus, perimus.
Elec. Facitis strepitum. *Chor.* Non.
Elec. Tacite, tacite cavens ab ore
Sonitum, a lecto discedens,
Exhibebis quietum gaudium somni, o chara.

[*Antistrophe 2.*]

Chor. Dic, quis erit finis malorum?
Elec. Mors, quid enim[31]) aliud dicam?
Non habet desiderium cibi.
Chor. Manifesta igitur[32]) est mors.
Elec. Perdidit nos Phoebus
Dans miserum sanguinem, mutuam necem
Patricidae[33]) matris.
Chor. Iuste factum, sed non pulchre.

[*Antistrophe 3.*]

Elec. Necasti, necata es[34]), o quae peperisti me[35])
Mater, perdens
Patrem et liberos a tuo sanguine[36]).
Perimus, perimus[37]) similes mortuis.
Tu enim es mortua et abit mea[38])
Pars vitae maior in
Gemitibus et luctibus,
Et lachrymis nocturnis: caelebs,
Et sine liberis, vitam nempe
Misera in perpetuum traho.

[*Chorus, Orestes, Electra.*]

Chor. Virgo Electra accedens prope, vide,
Ne tuus frater mortuus fallat te;
Non enim placet mihi nimia eius remissio[39]).
Orest. O dulce demulcens somne, remedium morbi,
Quam suavis mihi advenisti opportuno tempore.

---

23) *Elec.* Heu heu! — tripode] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. habet hosce versus:
Elec. Hei, hei iniustus iniusta dixit,
Dixit mutuam caedem, quando in Tripode

24) Huic versui in Editt. 1558., 1562. in marg. Xylander recte adscripsit hanc notam: „Tota illa linea non invenitur in Graeco exemplari." Quam ob causam in Editt. Barn., Musgr., Fix. non legitur.

25) et pronuntiavit] sic Ed. 1562.; Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.: pronuntiavit; Eurip. ἄρ' ἐδίκασε.

26) Apollo] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Phoebus (Eurip. ὁ Λοξίας).

27) Dormit] sic (= Eurip. ὑπνώσσει Praes. verbi ὑπνώσσω, quod plurimae Editt. habent) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Dormiet (= ὑπνώσει, Fut. verbi ὑπνόω, quod in Ed. Basil. 1551. legitur).

28) laboriosis] sic Editt. 1562., Barn., Musgr. (Fix. laboriosorum); Ed. 1558 miseris.

29) Dans — alata] hi 2 vss. in Ed. Barn. disiuncti sunt in quatuor:
175 Dans somnos
Laboriosis hominibus,
Veni ex erebo,
Veni, veni alata

30) Nam — calamitates] hic vs. in Ed. Barn. divisus est in duos:
180 Nam propter dolores
Et calamitates

31) quid enim] sic (= τί δ') Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. quid.

32) igitur] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. ergo.

33) patricidae] sic Editt. 1562. et illae 3 recentt.; Ed. 1558. parricidae.

34) Necasti, necata es] sic (= Ἔκανες, ἔθανες) Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Occidisti, occidisti (quasi legeretur: Ἔκανες, ἔκανες); Ed. Fix.: Mortua es, mortua es, (quoniam in textu gr. exhibet: Ἔθανες, ἔθανες).

35) Necasti — me] hic vs. in Ed. Barn. in duos disiunctus est:
195 *Ele.* Necasti, necata es, o
Quae peperisti me

36) a tuo sanguine] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. propter tuam necem. — Patrem — sanguine.] hic quoque vs. in Ed. Barn. partitus est in duos:
Patrem et liberos istos
A tuo sanguine (sc. *cretos*).

37) Perimus, perimus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. Barn., Musgr.: Periimus, periimus.

38) Tu — mea] hic vs. in Ed. Barn. in duos est seiunctus:
Tu enim es mortua,
Et abit mea

39) Non enim placet mihi nimia eius remissio.] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558.: Non placet mihi nimia remissio. (Editt. Musgr., Fix.: Non enim placet mihi nimia remissione).

„O veneranda oblivio malorum[40]), quam es sapiens,
„Et optanda dea calamitosis.
Quomodo veni huc? quomodo veni?
Sum enim oblitus priorum privatus mente.
Elec. O charissime, quam exhilarasti me, cum obdormiisses!
Vis, ut contrectem te, et erigam corpus?
Orest. Attingas, attingas sane, et absterge a misero
Ore et oculis meis spumam concretam.
Elec. Ecce suave officium et non recuso
Fraterna membra curare sororia manu.
Orest. Subiice lateribus latera, et squalidam comam
Aufer a facie; obscure enim video oculis.
Elec. O miserum caput, sordidis cincinnis,
Quam es horridum[41]), quia diu non es lotum[42]).
Orest. Iterum reclines me in lectum, quando me dimittit[43]) morbus
Insaniae, sum debilis, et languent membra.
Elec. Ecce, lectulus est charus aegrotanti:
„Molesta possessio, sed tamen necessaria.
Orest. Iterum erigas me, et extende[44]) corpus.
Chor. „Aegroti sunt impatientes propter perturbationem.
Elec. Vis componere pedes in terra,
Ponens vestigium ex longo intervallo? „Vicissitudo omnium rerum grata est.
Orest. Maxime, hoc enim habet opinionem sanitatis.
„Praestat putare[45]), etiamsi revera non ita sit.
Elec. Audi nunc, o frater,
Donec sinunt te[45a]) sapere Erinnyes.
Orest. Quid dices novi[46])? si quidem bonum est, gratum erit;

40) oblivio malorum] hae voces in marg. Editt. 1558., 1562. sunt repetitae.
41) Quam es horridum] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Quam est squalidum.
42) non es lotum] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. non est lotum.
43) dimittit] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. remittit.
44) et extende] sic Ed. 1562. (Barn., Musgr.: et extendas); Ed. 1558. circundes.
45) Praestat putare.] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Melius est videri (Barn.: Praestat videri; Musgr.: Praestat autem videri; Eurip. Κρεῖσσον δὲ τὸ δοκεῖν).
45a) sinunt te] sic (= Eurip. ἐῶσί σ') Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. te sinunt te.
46) Quid dices novi?] sic (= Eurip. Λέξεις τί καινόν;) Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Dices aliquid novi, (= Λέξεις τι καινόν; quod etiam Fix in suam Ed. recepit, vertens: Dices quid novi?).

Sin malum, satis antea habeo malorum.
Elec. Menelaus venit tui patris frater.
Tabulae navium stant in portu Nauplio.
Orest. Quid dicis? venit lumen meis et tuis malis,
Vir cognatus, et habens beneficia a patre?
Elec. Venit, (accipe hoc argumentum meae orationis,)
Ducens Helenam ex Troiana urbe.
Orest. Si solus esset servatus, esset felicior.
„Si autem ducit uxorem, venit cum ingenti malo.
Elec. Tyndarus genuit insigne ad vituperationem
Genus filiarum et infame per Graeciam.
Orest. Tu ergo esto[47]) dissimilis malarum mulierum; licet enim.
Et non dicas tantum, sed et ista senti.
Elec. Heu mihi, o frater, oculus tuus turbatur,
Cito mutatus es in rabiem, modo[48]) sanus.
Orest. O mater, precor te, ne incutias mihi
Puellas cruentas, et quarum comae habent speciem serpentum.
Ipsae enim saliunt prope me.
Elec. Mane, o miser, quietus in tuo lecto;
Nihil enim vides eorum, quae putas te videre.
Orest. O Phoebe, occident me habentes caninam speciem
Torvum tuentes, inferorum sacrificulae, atroces deae.
Elec. Non dimittam te, implicans meam manum,
Prohibebo[49]) te saltare infelices saltus.
Orest. Dimitte tu una existens ex meis furiis,
Medium me tenes, ut abiicias in tartarum.
Elec. O misera ego! unde petam auxilium,
Postquam habemus deum inimicum?
Orest. Da mihi arcum corneum[50]), dona Apollinis,
Quibus me iussit Apollo depellere deas,

47) Tu ergo esto] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Tu esto.
48) modo] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. iam (Eurip. ἄρτι).
49) Prohibebo] sic (= Eurip. Σχήσω) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Prohibeo.
50) corneum] sic Editt. 1562. et illae 3 recentt., Ed. 1558. munitum cornibus.

Si me perterrefacerent furore, rabie.
Elec. An sauciabitur aliqua dearum mortali manu?
Orest. Si non discedet ab oculis meis.
Non auditis? non videtis procul iacientes
Arcus, alata tela incitata[51])?
Ah[52]), quid cunctamini evolare in aetherem
Alis, et accusare oracula Phoebi?
Eia quare deficio animo, emittens spiritum ex pulmone?
Ubi, ubi aberravi a lecto?
Ex fluctibus rursus tranquillitatem video.
Elec. Frater[53]), quid ploras caput ponens intra vestem?
Orest.[54]) Pudet me, quod tibi communico meos labores,
Praebens molestiam tibi virgini meo morbo;
Ne contabescas propter mea mala.
Nam tu quidem[55]) approbasti haec, sed ego feci
Maternam caedem; accuso autem Apollinem,
Qui me incitans in opus impiissimum[56]),
Verbis me consolatus est, non re.
Puto, si patrem meum coram
Ipsum interrogassem[57]), an esset interficienda mater:
Extrusurum fuisse[58]) multas preces ad has genas,
Ne adigerem gladium in iugulum matris:
Si quidem neque ipse[59]) esset recepturus vitam,
Et ego miser futurus in tantis malis.
„Nunc retege, o soror,
„Et abi a lachrymis, quamquam admodum misere

---

51) incitata?] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. pendentia? (Barn.: evibrata).

52) Ah] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. illae 3 recentiores: Ah, ah (= Eurip. Ἆ, ἆ).

53) *Elec.* Frater] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. *Ἠλέ. σύγγονε*); in Editt. recent., nomine *Ἠλέ.* omisso, haec verba sunt Orestis, quapropter *Σύγγονε* in his Editt. vertitur: Soror.

54) *Orest.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551.); in Editt. recent., quippe in quibus Orestis oratio non interrupta est Electrae verbis, hoc quoque nomen deest.

55) Nam tu quidem] sic (= Eurip. *Σὺ μὲν γὰρ*) Editt. 1562. et illae 3 recentt.; Ed. 1558. Tu quidem.

56) impiissimum] sic (= Eurip. *ἀνοσιώτατον*) Editt. 1562. et illae 3 recentt.; Ed. 1558. impium.

57) interrogassem] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Editt. 1558. et Fix. interrogarem.

58) Extrusurum fuisse] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Extrusurum (Fix. effusurum fuisse).

59) ipse] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. ille (Eurip. *ἐκεῖνος*).

„Sumus affecti. Et quando vides me deficere animo,
„Tu malum meum et corruptum sensum
„Coërce et consolare: quando tu ploras,
„Nos praesentes oportet te admonere, o chara.
„Ista mutua officia decent amicos[60]).
Sed, o misera, vadens intra domum,
Porrecta da somno iam diu insomnes palpebras,
Et sume cibum et lava[61]) corpus.
Si enim deseres me, aut propter assiduitatem morbum
Tibi conciliabis, periimus; te enim solam habeo
Auxiliatricem, ab aliis, ut vides, desertus.
Elec. Non ita erit, tecum volo mori
Et vivere; idem enim est, si tu moriaris.
Quid faciam mulier? quomodo sola servabor?
Sine fratre, sine patre, sine amicis. Sed si tibi videtur,
Oportet ista facere. Sed reclina corpus in lectum,
Et non terrorem, et id, quod te exterret ex lecto,
Facile admittas; mane in lecto:
Etiamsi enim non aegrotes, sed videaris[62]) aegrotare:
„Angor animi, fit morbus hominibus[62a]).

[*Strophe.*]

Chor. Hei, hei, o celeres alatae[63])
Furiosae deae,
Quae nactae estis thyrsum dissimilem Bacchico
In lachrymis et luctibus, atrae Eumenides, et[64])
Per latum aerem volantes, sanguinis
Ulciscentes poenam, ulciscentes caedem.
Supplico, supplico,

---

60) Huic loco in Editt. 1558., 1562. adscripta est nota margin.: Mutua amicorum officia.

61) lava] sic Editt. 1562., Barn. (Musgr., Fix.: lavacra iniice; Eurip. *λουτρὰ βάλε*); Ed. 1558. sana.

62) non aegrotes, sed videaris] sic Editt. 1562., Barn.; (Musgr., Fix.: non aegrotes, sed existimes); Ed. 1558. non aegrotas, sed videris.

62a) Huic versui in Ed. 1562. in marg. adscripta est vox: Opinio.

63) Hei — alatae] hic vs. in Ed. Barn. in duos seiunctus est.

64) In — et] hic etiam vs. in Ed. Barn. partitus est in duos.

Sinite filium Agamemnonis oblivisci rabiem, insaniam furiosam[65]).
Hei quales labores miser concupiscens peris[66])?
Oraculum ex tripode, quod Phoebus
Dixit, dixit, accipiens in solo,
Ubi dicitur esse umbilicus[67]) terrae.

[*Antistrophe.*]

Hei Iupiter, quae misericordia? quale hoc certamen[68])
De caede venit,
Impellens te miserum, cui lachrymas
Lachrymis addit
Aliquis malus genius ducens in domum
Sanguinem matris tuae, qui te exagitat.
Lamentor, lamentor.
„Magna fortuna non est stabilis inter homines.
„Et sicut velum naviculae celeris
„Excutiens deus, demergit
„Ingentium aerumnarum tanquam ponti
„In fluctus vehementes exitiales[69]).
Quam enim[70]) hactenus familiam aliam
Diversam, quam hanc a divinis nuptiis
Et a Tantalo ortam oportet me colere?
Atqui rex huc venit
Menelaus dominus[71]): ex multa dignitate corporis
Conspici potest, quod sit ex familia Tantalidum[72]).
O qui applicuisti exercitum mille navium
In Asiam, salve. Tu es felix[73]),
Cum divinitus effeceris, quae optasti.

---

65) insaniam furiosam] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. insaniam errabundam; Barn., Musgr., Fix.: insanam, furiosam.

66) Sinite — peris,] hi duo vss. in Ed. Barn. divisi sunt in quatuor.

67) umbilicus] sic Editt. 1562., Barn., Fix.; Ed. 1558. medius angulus.

68) Hei — certamen] hic vs. in Ed. Barn. in duos disiunctus est.

69) Huic loco in Editt. 1558., 1562. adiecta est nota margin.: Incertitudo rerum humanarum.

70) Quam enim] sic (= Eurip. Τίνα γὰρ) Editt. 1562. et illae 3 recentt.; Ed. 1558. Quam.

71) dominus] sic Editt. 1562. et illae 3 recentt.; Ed. 1558. rex (Eurip. ἄναξ).

72) Conspici — Tantalidum.] hic vs. in Ed. Barn. in duos est divisus.

73) In — felix,] pro hoc vs. exhibet Ed. Barn. hos duos:
In Asiam,
Salve. opportune quidem tu venis,

[*Menelaus, Orestes, Tyndarus, Pylades.*]

Men. O domus, partim libenter te adspicio,
Veniens ex Troia, partim videns gemo.
Nam in orbem circumdatam miserandis malis
Nunquam vidi magis aliam domum.
Etenim Agamemnonis fortunam cognovi[74]),
Et mortem, qua ab uxore periit.
Ad Maleam enim admoventi[75]) navem ex fluctibus
Nautarum vates dixit mihi
Nerei propheta Glaucus, verax deus,
Qui mihi haec dixit adstans clare:
Menelae, iacet tuus frater mortuus,
Incidens in ultima balnea[76]) uxoris:
Et implevit me et nautas meos lachrymis
Multis. Postquam attigi terram Naupliam,
Ibi iam huc tendente mea coniuge,
Cum sperarem Orestem filium Agamemnonis
Et matrem charis complecti brachiis
Tanquam florentes, audivi ex quodam piscatore
Caedem impiam filiae Tyndari.
Et nunc, o iuvenculae, dicite, ubi est
Agamemnonis filius, qui sustinuit ista magna mala?
Erat infans tunc in manibus Clytaemnestrae,
Cum reliqui domum, vadens ad Troiam,
Ut non nossem eum intuens.
Orest. Ille sum, Menelae, Orestes, de quo tu quaeris,
Volens dicam tibi mea mala.
Attingens primum tua genua:
Supplex accommodans preces oris, sine ramis[76a]):
Serva me, advenisti ipse in ipso articulo malorum.
Men. O Dei, quid video, quem mortuorum video?
Or. Recte dixisti; non enim vivo prae malis, quamquam[77]) video lucem.

---

74) cognovi] sic Editt. 1562. et illae 3 recentt.; Ed. 1558. sciebam.

75) admoventi] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. admovens.

76) in ultima balnea] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. ultimis balneis.

76a) Haec verba in Ed. 1562. explicantur hac nota margin.: Mos erat supplicantibus ramum praetendere.

77) quamquam] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. sed (Eurip. δ').

Men. Quam es horridus[78]) squalidam comam, o miser?
Or. Non species, sed facta me cruciant.
Men. Horribiliter vides siccis pupillis oculorum.
Or. Corpus evanidum est. Sed nomen[79]) non reliquit me[80]).
Men. O deformitas apparens mihi praeter opinionem!
Or. Hic sum matris meae miserae homicida.
Men. Audivi, parce dicere mala vel raro.
Or. Parco; daemon autem est dives malis adversus me.
Men. Quid tibi accidit? quis morbus te perdit?
Or. „Conscientia, quod sum mihi conscius fecisse atrocia[81]).
Men. Quomodo inquis? „Quod enim sapienter dicitur, clarum est, non obscurum.
Or. Tristitia maxime consumit me.
Men. Est saeva dea, sed tamen placabilis.
Or. Etiam furores, qui ulciscuntur matris caedem.
Men. Quando incepisti furere? quae dies tum erat?
Or. Qua die miseram matrem oneravi tumulo.
Men. An domi, an assidens ad rogum?
Or. Noctu custodiens collectionem ossium.
Men. Aderat aliquis, qui confirmaret tuum corpus?
Or. Pylades, qui simul fecit caedem matris.
Men. A quibus spectris sic affectus es?
Or. Visus sum tres puellas videre nocti similes.
Men. Novi, quas dixisti; nuncupare autem nolo.
Or. Atroces enim sunt[82]), insipide ne dixeris, cave.
Men. Ipsae te ob matris caedem exagitant?
Or. Hei persecutionem, qua miser exagitor.

78) horridus] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. deformatus.

79) nomen] huic voci in Ed. 1562. in marg. adscriptum est: Scilicet matricidae.

80) non reliquit me.] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. non est reliquum mihi. (Eurip. οὐ λέλοιπέ μοι).

81) Huic versui in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta sunt verba: Conscientiae vis.

82) Atroces enim sunt,] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Atroces quidem.

Men. „Non paterentur dira, qui fecerunt dira?
Or. Sed est nobis translatio casus.
Men. Non dicas necem; hoc non est sapienter dictum.
Or. In Phoebum iubentem perficere matris caedem.
Men. Stultior, quam ut sciat honestum et ius?
Or. „Servimus Diis, quicquid sunt Dii.
Men. An non iuvat Apollo te in his malis?
Or. Cunctatur; Dii autem sunt tales natura.
Men. Quam diu est, quod mater extincta est?
Or. Sextus hic dies est, rogus adhuc calet.
Men. Quam cito a te Eumenides reposcunt sanguinem matris?
Or. Non sapienter[82a]). „Vera dicens malus es erga amicos.
Men. Quid tibi conducit vindicta patris?
Or. Nondum. „Id quod cunctatur, est simile inutili.
Men. Quomodo civitas est erga te affecta, cum haec feceris?
Or. Sic sum in odio, ut nemo me alloquatur.
Men. Non purificasti ab illo sanguine manus iuxta leges?
Or. Eiicior ex omnibus domibus, quo vado.
Men. Qui cives certant te eiicere ex terra?
Or. Oeax, imputans patri odium, quod concepit ad Troiam.
Men. Intelligo. Ulciscitur te ob necem Palamedis.
Or. Non tamen erat eius particeps; per tres pereo.
Men. Quis est alius? an aliquis ex Aegisthi amicis?
Or. Isti me persequuntur, quos nunc audit civitas.
Men. Sinit te civitas habere sceptra Agamemnonis?
Or. Quomodo, qui non sinunt me amplius vivere?
Men. Quid facientes, quod possis mihi clare dicere?
Or. Calculus feretur contra nos hoc die.
Men. An ut concedas in exilium, vel interficiaris, vel non?
Or. Ut interficiar a civibus lapidatione[83]).

82a) Non sapienter.] sic Editt. 1558., 1562., quasi legisset Οὐ σαφῶς; Barn., Musgr. (= Eurip. Οὐ σοφὸς) Haud sapiens es.

83) lapidatione.] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. lapidea nece. (Eurip. λευσίμῳ πετρώματι).

Men. Cur non fugis ultra terminos terrae?
Or. Circumdamur undique aeneis armis.
Men. Privatim ab hostibus, an ab civitate Argiva?
Or. Breviter, ab omnibus civibus, ut interficiar.
Men. O miser, venis in extremam calamitatem.
Or. Mea spes habet refugium malorum in te.
Sed veniens fortunatus miseris,
Amicis imperti de tua felicitate:
Et non solus teneto, cum acceperis beneficium,
Sed suscipe et labores per vices
Persolvens paternum beneficium illis, quibus oportet.
„Nomen, non rem habent amici,
„Qui non in calamitatibus sunt amici[84]).
Chor. Atqui huc contendit senili pede
Spartiates Tyndarus[85]) in nigra veste,
Rasus lugubri modo propter filiam.
Or. Perii Menelae, Tyndarus[85]) iste
Accedit ad nos, cuius maxime vereor
In conspectum venire propter haec facta;
Nam me aluit parvulum[86]), et multa
Oscula implevit, Agamemnonis
Filium ulnis gestans et cum Leda
Honorans me non minus quam Iovis filios.
Quibus, o infelix cor et anima mea,
Reddidi non bonam gratiam: quam caliginem
Accipiam vultui? quam nebulam ante me
Ponam fugiens pupillas oculorum senis?
Tyn. Ubi videam maritum meae filiae
Menelaum? nam ad Clytaemnestrae sepulchrum
Inferias fundens audivi, quod in Naupliam
Venit cum uxore[87]) servatus post multos annos.
Ducite me; nam volo ad dextram ipsius
Stans salutare amicum videns ex longo intervallo.
Men. O senex, salve, habens eandem coniugem cum Iove.
Tyn. O salve et tu Menelae, meus affinis.
„Heu, quam malum est non scire futura.
Iste matricida draco ante aedes
Vibrat fulgura morbosa[88]), invisus mihi.
Menelae, alloqueris eum pollutum?
Men. Quidni? est filius mei fratris.
Tyn. An cum talis sit, ex illo natus est?
Men. Natus est; si autem est in calamitate, tamen curandus est.
Tyn. „Factus es barbarus, diu degens[89]) inter barbaros.
Men. Imo hoc est Graecum, curare cognatum.
Tyn. Et illud est Graecum, non velle esse superiorem legibus.
Men. Omni necessitati serviunt sapientes[90]).
Tyn. Habeas tu hoc, ego non habebo.
Men. Simul sunt apud te ira et senectus, utrumque non est sapiens.
Tyn. Quae disputatio sapiens sit de isto[91])?
Si recta sunt omnibus manifesta, etiam non recta.
Quis homo est isto stultior,
Qui non consideravit ius,
Neque venit in legem communem Graecorum?
Postquam enim Agamemnon exspiravit[92]) vitam,
Percussus in capite a mea filia
Turpi facinore, (nunquam enim id laudabo,)
Oportebat Orestem infligere poenam perfusi sanguinis
Iustam, accusando eiicere ex aedibus
Matrem; accepisset laudem modestiae in calamitate,
Et legem servasset, et esset pius.
Nunc venit in eandem infelicitatem sicut mater.
Nam iure existimans illam esse malam,
Ipse factus est deterior, interficiens matrem.
Interrogabo te hoc, Menelae:

84) Huic loco in Editt. 1558., 1562. adiecta est nota margin.: Veri amici.

85) Tyndarus] sic Editt. 1558., Musgr., Fix.; Editt. 1562., Barn.: Tyndareus (Eurip. Τυνδάρεως).

86) parvulum] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. parvulum existentem (Eurip. μικρὸν ὄντα).

87) cum uxore] sic (= Eurip. σὺν ἀλόχῳ) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; in Ed. 1558. haec male omissa sunt.

88) fulgura morbosa] sic (= Eurip. νοσώδεις ἀστραπάς) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. fulgura aegroti hominis.

89) diu degens] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. existens diu.

90) Omni necessitati serviunt sapientes.] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Omne fatale servum est etiam apud sapientes. (Fix.: Omne necessitate impositum servile est sapienti.).

91) Quae disputatio sapiens sit de isto?] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Quae disputatio de causa est apud istum? (Barn., Musgr.: Num quid cum eo certamen est de sapientia?).

92) exspiravit] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. exhalavit.

Si interficeret aliquem tua coniunx,
Et illius filius rursus interficiat matrem,
Et natus ex interfectore illo, caedem caede
Solvat, finis malorum quousque procedet[93])?
„Recte posuerunt maiores olim haec,
„Non sinebant in conspectum venire,
„Neque in occursum, quisquis forte reus esset sanguinis;
„Sed expiabant exilio, non vicissim occidere sinebant[94]).
Semper enim unus caedi foret obnoxius[95])
Extremam contaminationem accipiens manibus.
Ego vero utique odi impias mulieres,
Ut[96]) primum filiam, quae occidit maritum,
Et Helenam tuam coniugem nunquam laudabo,
Neque alloquar, neque te laudo malae
Mulieris gratia venisse ad Troiam.
Defendam[97]) autem quantum possum legem,
Bestialem hunc et homicidialem morem
Tollens, qui[98]) semper perdit terras et urbes.
Nam, quo animo eras, o miser, tunc[99]),
Quando excruit ubera supplicans tibi
Mater? ego, qui non vidi illa mala,
Tabefacio miser senilem oculum lachrymis,
Unum ergo confirmat meam sententiam[100]):
Invisus es Diis, et matri das poenam,
Errans furore et poena; quid testes
Alios me audire opus est de rebus, quas possumus videre?
Ut ergo scias, Menelae, Deos
Contra ne facias, volens iuvare istum:
Et sinas a civibus interfici saxis,
Aut non accede in Spartanam terram.
Mea filia mortua, persolvit iusta:
Sed non erat conveniens, interfici eam ab isto.
Ego in aliis rebus satis felix fui,
Praeter filias: in hoc non sum felix.
Chor. „Ille est dignus laude, qui liberos adeptus multos[1]),
„Non insignes calamitates[2]) nactus est.
Or. O senex, ego vereor dicere adversus te,
Ubi dolore afficio te et animum tuum.
Ego quidem sum pollutus, quatenus interfeci matrem;
Impollutus autem alio nomine, quod ultus sum patrem.
Abeat longius ab isto sermone
Tua senectus, quae interturbat me dicentem,
Et redeo in viam; nunc vereor tuam canitiem.
Quid oportebat me facere? oppone duo duobus.
„Pater me genuit, tua filia peperit,
„Tanquam ager accipiens semen ab alio.
„Sine patre non potest gigni puer[3]).
Cogitabam ergo generis autori
Magis me debere opitulari, quam illi, quae exhibuit nutricationem.
Sed filia tua, (vereor enim vocare matrem,)
Proprio hymenaeo et non modesto
Venit in thalamum alterius viri: mihi, si dico
Illi, male dico, et tamen dicam.
Aegisthus erat abditus in domo maritus:
Hunc interfeci, et post illum, matrem,
Irreligiosa faciens, sed ulciscens patrem.
Quod autem minaris me debere lapidari:
Audi, ut profuerim toti Graeciae.
Si enim mulieres veniant ad hanc audaciam,
Ut interficiant viros, facientes refugium
Ad liberos, venantes misericordiam uberibus:
Pro nihilo ducent interficere viros,
Habentes quidlibet, quod obiiciant. Ego postquam feci
Illa atrocia, quae tu dicis, compescui istam legem,

93) Huic loco in Editt. 1558., 1562. adiecta est nota margin.: Caedes non esse caedibus aliis vindicandas.

94) H. l. in iisdem Editt. nota marg.: Expiatio caedis.

95) Semper enim unus caedi foret obnoxius] sic Editt. 1562., Barn., Musgr. et (ordine verborum paululum commutato) Fix.; Ed. 1558. Semper erat unus habiturus caede.

96) Ut] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. Et (Eurip. δὲ).

97) Defendam] sic (= Eurip. Ἀμυνῶ) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Defendo (ac si legisset Ἀμύνω).

98) B. hunc et homicidialem morem Tollens, qui] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. B. hanc et homicidialem vitam Tollens, quae.

99) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Apostrophe ad Orestem.

100] Unum ergo confirmat meam sententiam:] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Unum convenit meae sententiae (Fix.: Unum ergo cum sententia mea congruit).

1) qui liberos adeptus multos] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. qui est fortunatus quoad liberos (Barn.: qui felix est propter liberos; Musgr.: qui felix est quoad liberos). — Huic versui in marg. Ed. 1562. adscripta est vox: Proles.

2) Non insignes calamitates] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Et non insignem calamitatem (Barn., Musgr.: Nec insignes calamitates).

3) H. l. in Editt. 1558. 1562. nota marg.: Pater matre potior.

Et odio habens matrem, iuste perdidi,
Quae virum absentem ex aedibus cum exercitu
Ducem pro tota Graecia
Prodidit, et non servavit incontaminatum lectum;
Ac[4]) cum sciret se peccasse, non sibi poenam
Inflixit, sed ut non daret poenam marito,
Mulctavit et interfecit meum patrem:
Per Deos, (facio mentionem Deorum incommode
Dicens causam de caede,) si matris factum
Tacens laudarem, quid fecisset mihi pater mortuus?
Non[5]) odio habens me exagitasset Erinnybus?
An matri quidem adsunt auxiliatrices deae,
Isti non adessent, maiori iniuria affecto?
Tu, o senex, qui genuisti malam filiam,
Es mihi exitio; nam propter eius malitiam
Patre orbatus, factus sum matricida.
Vides Ulyssis coniugem? non interfecit eam
Telemachus; non enim superinduxit marito maritum,
Sed manet domi impollutum cubile.
Vides Apollinem, qui sedem mediam
Inhabitans, tribuit hominibus certissima oracula,
Cui paremus in omnibus, quae iubet?
Huic parens interfeci matrem:
Ducite illum pollutum, et interficite,
Ille peccavit; non ego. Quid oportebat me facere?
An non sufficit Deus ad conferentem causam in eum
Culpa solvendum[6])? quo tandem[7]) effugiat aliquis,
Si non autor liberat me, ne interficiar?
Sed non dicas, quod haec non sint recte facta,
Sed nos id fecisse infeliciter.
„Coniugia[8]) quibus mortalium sunt felicia,
„Illis est beata vita; quibus autem non recte cadunt,
„Ii sunt miseri intus et foris.
Chor. „Mulieres[8]) semper impedimento omnibus casibus
„Sunt viris ad infelicitatem.
Tyn. Postquam es ferocior, et non cedis orationi,
Et sic respondes mihi, ut mihi dolorem adferas:
Magis me incendis pergere ad tuam necem.
Faciam hoc pulchrum additamentum meorum laborum,
Quorum causa veni ornaturus sepulchrum filiae.
Nam veniens ad evocatam multitudinem Argivorum,
Commovebo urbem volentem, non nolentem[9]),
In te et tuam sororem, ut detis lapidatu poenam.
Et illa magis est digna, ut interficiatur, quam tu,
Quae irritavit te adversus matrem, semper in aurem
Mittens sermones hostiles,
Nuntians somnia de Agamemnone:
Et hoc, quod oderint concubitum Aegisthi
Dii inferi: (id enim erat, quod te exacerbavit,)
Donec incendit domum igne non Vulcanio.
Menelae, tibi hoc dico, et praeterea faciam etiam:
Si curas meam inimicitiam et affinitatem,
Non depellas isti necem contra Deos;
Sed sine a civibus interfici saxis,
Aut non venias amplius in Spartanam terram.
Haec memineris te audivisse: „neque impios
„Elige amicos, pellens pios.
Vos ministri ducite me ab ista domo.
Or. Vade, ut sequens oratio sine interpellatore nobis
Ad hunc eat, senectam effugiens tuam.
Menelae, quo moves pedem, in cogitatione
Ingrediens vias duplices duabus curis?
Men. Sine, mecum cogitans,
Ad quam fortunam vertar, dubito.
Or. Ne nunc perficias cogitationem, sed meam
Orationem audiens prius, tunc delibera.

---

4) Ac] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix.: At (Eurip. δ').

5) Non] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix.: Nonne.

6) An non sufficit Deus ad conferentem causam in eum Culpa solvendum?] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. An non potest Deus conferenti causam in eum Culpam solvere? (Barn.: An non sufficit Deus, ad me, conferentem causam in me, Culpa solvendum?

7) quo tandem] sic (= Eurip. ποῖ . . οὖν ἔτ') Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. quo.

8) Coniugia .... Mulieres] hae duae voces in marg. Editt. 1558., 1562. sunt repetitae.

9) non nolentem] sic (= Eurip. οὐκ ἄκουσαν) Ed. 1558. (Barn., Musgr., Fix.: nec invitam); Ed. 1562. non volentem.

Men. „Dic; recte enim dixisti. Est ubi silentium[10]) orationi
„Praestat, est et ubi oratio[10]) silentio.
Or. „Dicam ergo. Longa oratio breviori
„Est potior, et magis plana auditu.
Mihi tu, Menelae, tuarum rerum nihil dederis;
Sed quae accepisti, redde, cum acceperis a meo patre.
Non loquor de pecunia, sed re (si vitam meam
Servabis), quae est mihi inter meas charissima.
Pecco? oportet me accipere in tali malo
Non debitum auxilium a te; nam et Agamemnon pater
Iniuste congregans Graeciam, venit ad Ilion,
Ipse non peccans, sed peccatum
Uxoris tuae et iniustitiam sanans.
Unum hoc oportet te mihi dare pro uno.
Et exposuit, ut convenit amicos amicis,
Corpus re vera tibi, in acie[11]) laborans,
Ut tuam tu reciperes coniugem.
Redde mihi hoc, cum illud acceperis,
Laborans, uno die pro nobis
Stans, ut sis servator, non implens decem annos.
Aulis quam accepit victimam meae sororis,
Sino te hanc habere, sed Hermionem[12]) non occide.
Oportet te, cum sim ita calamitosus,
Plus habere et me ignoscere;
Sed meam vitam da misero patri,
Et meae sororis, quae fuit virgo longo tempore.
Nam mortuus relinquam orbam domum patris.
„Dices: impossibile est hoc ipsum. Amicos
„Oportet opem ferre amicis in adversis[13]).
„Quando autem res sunt secundae, quid opus est amicis[14])?
„Satis est ipse Deus volens iuvare.
Videris omnibus Graecis amare coniugem,
(Non dico simulatione insinuans me,)
Per hanc supplico tibi. O miser propter mea mala,
Ad quae venio? quid oportet me laborare?
Supplico enim nunc pro tota domo.
O patrue patris frater, sub terra
Mortuum audire haec putes, volantem
Animam super te, et dicere, quae ego dico.
Haec inter lachrymas et luctum et calamitates
Dixi, et reposco, salutem
Quaerens: quod omnes quaerunt, et non ego solus.
Chr. Et ego tibi supplico, quamquam mulier,
Ut iuves auxilio egentes; nam potes.
Men. Orestes, ego revereor tuum caput,
Et volo iuvare in malis istis,
Et oportet me sic cognatorum mala
Simul ferre, si Deus dat vires,
Etiamsi sit moriendum, et interficiendi adversarii;
Ut possim autem, id peto consequi a Diis.
Venio enim hastam vacuam viris sociis
Habens, errans a multis laboribus[15]),
Cum exiguis copiis reliquorum adhuc amicorum.
„Pugnando non possumus superare
„Pelasgum Argos; sed ut mollibus verbis
„Possimus, eo spei venio.
„Nam quomodo capiat aliquis magna parvis
„Laboribus? stultum est hoc velle.
„Quando enim turget[16]) populus incidens in iram[17]),
„Perinde non potest extingui ut vehemens ignis;
„Si autem molliter aliquis ei incenso
„Laxans cedit, observans tempus,
„Fortassis exhalet: tum, quando remiserit spiritum,
„Possis[18]) eo uti, quantum velis.
Est in eo miseratio, est et magna iracundia,
Optima res observanti tempora.
Vadens Tyndaro[19]) conabor

---

10) silentium .. oratio] hae duae voces in marg. Editt. 1558., 1562. sunt repetitae.

11) in acie] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. in clypeo (Eurip. παρ' ἀσπίδ').

12) Hermionem] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Editt. 1558., Fix. Hermionen.

13) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Usus amicitiae.

14) Huic versui in Editt. 1558., 1562. in marg. haec adscripta sunt: „Hoc posterius reprehendit Aristoteles 8. Eth." (Vide Aristot. Ethic. Nicom. VIII. c. 1.).

15) errans a multis laboribus] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. errans multis laboribus.

16) Quando enim turget] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Quando viget. (Eurip. Ὅταν γὰρ ἡβᾷ).

17) Huic versui in Editt. 1558., 1562. apposita est nota marg.: Populi furor.

18) Fortassis exhalet: tum, quando remiserit spiritum, Possis] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. Fortassis effundet furorem, quando remiserit impetum, Ut possis

19) Tyndaro] sic Editt. 1558., Musgr., Fix.; Editt. 1562., Barn.: Tyndareo (conf. p. 353. nota 65.).

Et multitudini persuadere, ut recte utantur sua potentia.
„Nam et navis intento vi clavo[20])
„Mergitur; manet rursus, si relaxes clavum.
„Odit Deus nimium vehementes impetus[21]),
„Et oderunt cives; oportet me, (non frustra[22]) dico,)
„Servare te sapienter, non vi adversum praestantiores.
Pugnando te non, ut tu fortasse putas,
Servarim. Non est facile una hasta
Sistere trophaea de malis, quae tu habes.
Nunquam Argivos molliter supplicando
Accessimus; nunc necesse est
Sapientibus, esse servis fortunae.
Or. O praeterquam quod militasti uxoris causa,
In aliis nullius pretii, ignavissime in defendendis amicis,
Fugis? aversaris me? Agamemnonis beneficia
Sunt irrita? O pater, fuisti sine amicis in tuis calamitatibus.
Hei proditus sum, non sunt spes.
Quo conversus, effugiam supplicium Argivorum?
Iste erat mihi refugium salutis.
Sed video hunc amicissimum hominem
Pyladem, venientem cursu ex Phocensibus,
Iucundum spectaculum: „fidus amicus[23]) in adversis rebus
„Iucundior est visu[24]), quam nautis tranquillitas.
Pyl. Citius, quam me oportebat, accedens veni ante urbem
Audiens comitia urbis, ipse clare videns
Adversus te et tuam sororem, tanquam statim sint interfecturi.
Quid hoc? quomodo habes? quid agis charissime meorum aequalium
Et amicorum et cognatorum? tu enim mihi es ista omnia.
Or. Periimus, ut breviter exponam tibi mea mala.

20) intento vi clavo] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. intento clavo vi (Musgr.: intento violenter clavo).

21) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Ne quid nimis.

22) frustra] sic Editt. 1562., Barn.; Editt. 1558., Musgr.: aliter (Fix.: temere; Eurip. ἄλλως).

23) Haec vox in marg. Editt. 1558., 1562. repetita est.

24) visu] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. ad videndum.

Pyl. Simul everteris nos; „communes sunt enim res amicorum.
Or. Menelaus infidelis est mihi et meae sorori.
Pyl. „Convenienter se habet virum malae mulieris fieri malum.
Or. Perinde mihi gratiam retulit, ac si non venisset[25]).
Pyl. An vere venit in hanc terram?
Or. Tarde, sed celerrime deprehensus est infidus amicis.
Pyl. Et venit adducens navi pessimam coniugem?
Or. Non ille, sed ipsa illum huc adduxit.
Pyl. Ubi est mulier, quae una perdidit plurimos filios Argivorum?
Or. In meis aedibus: si licet istas vocare meas.
Pyl. Quid dixisti tu tuo patruo?
Or. Ne videret me et sororem interfici a civibus.
Pyl. Per Deos, quid ad haec dixit? cupio enim scire.
Or. Se timere: id quod solent dicere infidi amici amicis.
Pyl. Ad qualem excusationem accedens? volo ista omnia scire.
Or. Ille pater venit, qui genuit optimas filias.
Pyl. Tyndarum dicis? fortasse tibi propter filiam iratus?
Or. Intelligis; huius affinitatem magis elegit quam patris.
Pyl. Non est ausus capere labores pro te praesens?
Or. Non est bellator, sed inter mulieres strenuus.
Pyl. Es in maximis malis, et necesse est te mori.
Or. Opus est cives ferre calculos de nostra caede.
Pyl. Quam rem statuent? dic; sum enim in metu.
Or. Ut aut moriamur, aut vivamus; non est longa oratio de rebus maximis.
Pyl. Fuge relinquens domum cum sorore tua.
Or. Non vides? custodimur praesidiis undique.
Pyl. Vidi vias urbis septas armis.
Or. Clausi tenemur corpore, sicut urbs obsessa ab hostibus.

25) Perinde mihi gratiam retulit, ac si non venisset.] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. Perinde ac si non venisset, solvit mihi idem veniens.

Pyl. Et me nunc interroga, quid facturus sim; nam[26]) ego quoque perii.
Or. Cuius ope? hoc malum accesserit ad mala mea.
Pyl. Strophius pater expulit me iratus ex aedibus.
Or. Obiiciens crimen privatum aut publicum?
Pyl. Dicens me pollutum, quod adiuvi[27]) necem tuae matris.
Or. O miser! videris et tu affici meis malis.
Pyl. Non utemur moribus Menelai: ferenda sunt haec.
Or. Non times, ne Argos velit et te, sicut me, interficere?
Pyl. Non pertineo, quod ad poenam, ad istos, sed ad Phocenses.
Or. „Multitudo[28]) est atrox, quando habet improbos praesides.
Pyl. „Sed quando nanciscitur bonos, habet bona consilia.
Or. „Esto; sed quid oportet dici de communi causa?
Pyl. De aliqua re necessaria[29])?
Or. An dicam causam veniens ad cives?
Pyl. Quod iusta feceris?
Or. Ulciscens necem patris.
Pyl. Vereor, ut te sint placide accepturi[30]).
Or. An perculsus metu tacite moriar?
Pyl. Hoc est timidi. *Or.* Quid ergo faciam?
Pyl. Habes aliquam salutem, si maneas?
Or. Non habeo. *Pyl.* Sed eunti est spes a malis servari?
Or. Si contingat, posset fieri. *Pyl.* Ergo hoc melius est quam manere.
Or. Vado igitur. *Pyl.* Etiamsi moriaris, honestius est sic mori.
Or. Habeo iustam causam.
Pyl. Opta modo, ut ita videatur illis[31]).

Or. Recte dicis, effugiam sic opinionem timiditatis.
Pyl. Magis quam manens. *Or.* Aliquis fortasse miserebitur mei.
Pyl. Magna res est nobilitas tua. *Or.* Dolens paternam mortem.
Pyl. Illa omnia plus valent in conspectu.
Or. „Eundum est, non est virile, mori non gloriose.
Pyl. Laude ista. *Or.* An dicam[32]) ista meae sorori?
Pyl. Non per Deos. *Or.* Fierent lachrymae.
Pyl. Magnum est hoc omen. *Or.* Ergo melius tacere.
Pyl. Tempore lucrum facies. *Or.* Illud est mihi difficile.
Pyl. Quid hoc? aliquid novi dicis.
Or. Ne deae me apprehendant oestro.
Pyl. Ego curabo te.
Or. Difficile est tangere languentem virum.
Pyl. Non mihi te. *Or.* Cave fieri particeps mei furoris.
Pyl. Hoc valeat. *Or.* Non cunctaberis?
Pyl. „Mora amici est magnum malum.
Or. „Vade, o gubernaculum mei pedis.
Pyl. Tenens curam dignam amico.
Or. Ducas me[32a]) ad sepulchrum patris.
Pyl. Ad quid hoc? *Or.* Ut supplicem ipsi, ut servet me.
Pyl. Recte facis.
Or. Matris ne videam sepulchrum.
Pyl. Erat enim hostis[33]).
Sed propera, ne te prius damnet calculus Argivorum,
Iungens meis lateribus latus imbecillum[34]) morbo:
Quia ego te per urbem, nihil curans populum,
Non pudore deterritus, veham. Ubi ostendam me esse amicum,
Si non iuvem te existentem in atroci calamitate?
Or. „Hoc est habere amicos, non tantum cognatos.

---

26) nam] sic (= Eurip. γὰρ) Editt. 1562., Barn., Fix.; in Ed. 1558. deest.

27) adiuvi] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. simul feci (Eurip. συνηράμην).

28) Huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est vox: Plebs.

29) De aliqua re necessaria?] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. De aliqua re necessaria.; Barn., Musgr., Fix. (= Eurip. τίνος ἀναγκαίου πέρι;) De qua re necessaria?

30) Vereor, ut te sint placide accepturi.] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. Ne libenter te condemnent. (Fix.: Vide ne te comprehendant libentes).

31) ut ita videatur illis.] sic Editt. 1562., Barn., Fix.; Ed. 1558. ut puteris.

32) dicam] sic Editt. 1558., 1562. = Eurip. Ed. Basil. 1551. λέγω μὲν; Barn., Musgr., Fix. dicamus = λέγωμεν, quam lectionem hae Editt. exhibent.

32a) me] sic (= Eurip. με) Ed. Fix.; in Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr. deest.

33) vs. 772. *Or.* Esto, sed quid oportet dici etc. — *Pyl.* Erat enim hostis.] hi vss. in Ed. Barn. ita dispositi et coniuncti sunt, ut quisque versus ab Orestis verbis incipiat, verbisque Pyladis finiatur.

34) imbecillum] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. aegrotum.

„Adeo vir, quamquam alienus, qui conglutinatus est moribus,
„Magis meretur[35]) haberi amicus, quam multi cognati.

[*Strophe.*]

Chor. Magna potentia et virtus
Superbiens per Graeciam et
Ad Simoentis rivos,
Retroversa est ex felicitate Atridis
Iam olim ab antiqua calamitate familiae,
Quando lis de aureo vellere
Venit Tantalidis,
Miserrimae epulae, et
Neces nobilium liberorum, unde
Caedes caede mutata,
Per caedes non desinit
Inter duos Atridas.

[*Antistrophe.*]

Honestum, non est honestum: parentum
Secare saeva manu[35a])
Corpus, et istum caede nigrum
Ensem ostendere in lumen solis,
„Iam[36]) scelus admittere, est magna impietas,
„Et flagitiosorum hominum amentia.
Nam in metu mortis
Tyndaris misera clamavit:
O fili, non facis pia,
Occidens tuam matrem.
Vide, ne, colens paternam gratiam, contrahas[37])
Infamiam perpetuam.

[*Epodus.*]

Quis morbus, aut quae lachrymae,
Aut quae misericordia est maior in terra,
Quam fieri homicidam matris?
Quali, quali re confecta[38])
Insanus factus est furiis.
Furiis propter caedem venatio est
Velocibus, circumferens oculos,
Filius Agamemnonis.
O miser, quando matris[39])
Ex auratis vestibus
Videns mammam exertam,
Interfecit matrem,
In ultionem paterni casus.

[*Electra, Nuntius, Chorus.*]

Elec. Mulieres, an aliquo abiit ab his aedibus
Miser Orestes, victus divinitus immissa rabie?
Chor. Non, sed vadit ad populum Argivum,
De vita propositum certamen
Obiturus[40]), in quo oportet vos mori, aut vivere.
Elec. Hei mihi, quid fecit, quis persuasit eum?
Chor. Pylades; sed videtur iste nuntius cito
Dicturus, quid sit ibi factum de tuo fratre.
Nun. O misera, o infelix ducis
Agamemnonis filia, veneranda Electra, sermones
Audi, quos infelices tibi ferens advenio.
Elec. Hei, hei, perimus, significas hac oratione.
Nam, ut videtur, venis nuntius malorum.
Nun. Calculo Argivorum, ut interficiatur tuus frater,
Et tu, o misera, statutum est hodie.
Elec. Hei mihi, venit spes[40a]), quam metuens
Olim, propter futura contabescebam luctu.
Sed quod certamen, quae orationes inter Argivos
Damnaverunt nos, et suffragium tulerunt de morte?
Dic, o senex, utrum lapidante manu,
An per ferrum oportet me abrumpere spiritum,
Habentem calamitatem cum fratre communem?
Nun. Eram ex agro intra portas[41])
Vadens, volens audire de te
Et de Oreste. Nam erga tuum patrem benevolentiam

35) Magis meretur] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. Est praestantior.

35a) saeva manu] his verbis in Ed. 1562. in marg. adiecta est haec annotatio: „πυριγενεῖ παλάμᾳ malo vertere instrumento, quod igne est elaboratum, scilicet gladio." (Musgr. h. l. habet: instrumento igne nato; Fix.: ferrata manu; Barn. retinuit: saeva manu).

36) Iam] sic Editt. 1562., Barn,; Ed. 1558. Hoc.

37) Vide, ne, colens paternam gratiam, contrahas] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Non honore afficiens paternam gratiam, contrahes

38) Quali, quali re confecta] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Qualem, qualem rem fecisti?

39) O miser, quando matris] sic Editt. 1562., Barn., Musgr. (Fix.: O miser, matris quando); Ed. 1558. O miser propter matrem, quando

40) Obiturus,] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Redditurus,

40a) spes] huic voci in Ed. 1562. adscripta est nota marg.: „Id est, metus. Virgil. Hunc ego si tantum potui sperare dolorem." (Virg. Aen. IV, 419.).

41) intra portas] sic Editt. 1558., Barn., Musgr. (Eurip. πυλῶν ἔσω); Ed. 1562. inter portas.

Semper habui, et me aluit tua familia
„Pauperem quidem, sed constantem in amicitia.
Video populum euntem et insidentem tumulo,
Ubi dicunt primum Danaum Aegypto poenas
Dantem, congregasse populum in communes sedes.
Videns congregationem, interrogavi aliquem ex civibus:
Quid novum Argis, num quod ab hostibus
Nuntium excitavit urbem Danaidum?
Ille dixit: Non vides illum Orestem prope
Euntem, qui curret letale certamen?
Video insperatam speciem, quod utinam non vidissem,
Pyladen et tuum fratrem euntes simul:
Hunc tristem et languidum morbo,
Illum tanquam fratrem dolentem aequaliter cum amico,
Ducendo curantem morbum.
Postquam concio Argivorum facta est tota,
Praeco surgens dixit: Quis[42]) vult dicere,
Utrum oporteat Orestem mori, an non,
Matricidam? Et postea surgit
Talthybius, qui oppugnavit Phryges cum tuo patre.
Dixit autem semper existens sub potentibus
Ambigua, reverens tuum patrem,
Sed non laudans tuum fratrem, bonis mala
Dicta involvens, quod faceret legem
Non bonam contra parentes; sed oculum semper
Hilarem dabat Aegisthi amicis.
„Nam hoc genus tale est, ad florentem partem
„Semper saliunt praecones: ille est eis amicus,
„Quisquis est potens et in magistratu urbis[43]).
Post hunc dicebat Diomedes rex.
Iste neque te, neque fratrem interficere
Sinebat, sed punientes exilio recte facere.
Alii assenserunt, quod honeste diceret;
Alii non laudabant. Post hunc surgit
Vir quidam loquax, potens confidentia,
Argivus, non Argivus, coactus
In tumultu, et stulta audacia,
Valens persuadendo coniicere eos in aliquod malum.
„Nam quando facundus oratione, male sentiens
„Persuadet vulgo, est magnum malum urbi.
„Quicunque autem prudenter recta consulunt semper,
„Etiamsi non statim, tamen postea sunt utiles
„Urbi. Principem oportet sic considerare
„Videntem. Nam simile periculum est
„Dicenti orationem et principi[43a]).
Qui dixit Orestem et te occidi lapidibus debere
Coniectis; subornavit Tyndarus orationes
Tales dicere illum vos occidentem.
Alius surgens dicit isti contraria.
Non conspicuus[44]) specie, sed vir fortis,
Raro polluens civitatem, et circulum fori,
Suas res agens[44a]) (qui soli servant terram),
Sed prudens, volens[45]) prope accedere ad rem,
Simplex, qui vixerat vitam non reprehendendam,
Is censuit Orestem filium Agamemnonis
Coronandum[46]), qui voluit ulcisci patrem,
Interficiens malam mulierem et impiam,
Quae effecisset, ut nemo vellet neque armare manum[47]),
Neque militare relicta domo[48]),
Si domi relicti coniuges
Corrumpunt, afficientes contumelia thalamos virorum.
Et videbatur bonis recte dicere,
Neque ullus amplius dixit, sed accessit tuus frater,
Et dixit: O incolentes terram Inachi,
Olim Pelasgi, postea Danaidae,
Vos ulciscens non minus, quam patrem,
Interfeci matrem. „Nam si necare viros
„Erit fas mulieribus[49]), amplius non effugietis

42) Quis] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Qui.

43) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Rabulae forenses.

43a) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: Oratores.

44) conspicuus] sic (= Eurip. εὐωπὸς) Editt. 1562., Barn., Fix.; Ed. 1558. errore typogr.: conspicimus.

44a) Suas res agens] haec verba in marg. Ed. 1562. explicantur: „Ipse laborans."

45) volens] sic (= Eurip. θέλων) Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. nolens.

46) Is censuit Orestem f. A. Coronandum,] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Qui sussit Oresten f. A. Coronare,

47) Quae effecisset, ut nemo vellet neque armare manum,] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Quae illa auferebat, neque armare, manum,

48) relicta domo,] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. relinquentem domum,

49) Nam si necare viros Erit fas mulieribus,] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Nam si caedes virorum Erit pura mulieribus,

„Mortem, vel uxoribus necesse erit servire.
Et contrarium facietis, quam oportet facere.
Nunc enim, quae prodidit lectum mei patris,
Est interfecta; si autem occidetis me,
Lex dissolvitur [50]), et semper morietur aliquis [51]),
Quia huius audaciae non fiet raritas.
Sed non persuasit turbae, cum quidem videretur recte dicere.
Et vincit ille malus dicens in multitudine,
Qui dixit interficiendum esse te et fratrem.
Vix persuasit, ne moriamini lapidati,
Miser Orestes; et sua manu facta nece
Promisit se relicturum vitam hac die
Tecum. Ducit eum ex concione
Pylades lachrymans, et comitantur amici
Plorantes, miserentes; venit tibi
Acerbum spectaculum et miser adspectus.
Sed praepara gladium, aut laqueum collo,
Quia oportet te relinquere lucem, et nobilitas
Nihil tibi profuit, neque Pythius
Phoebus sedens in tripode, sed perdidit.
Chor. O misera virgo, quam obductum
Vultum tuum in terram demittens, muta es,
Tanquam cursura in querelas et luctus!

[*Strophe.*]

Elec. Ah ah, inchoo luctus, o Pelasgia,
Ponens album unguem in genis,
Cruentam noxam
Et fragorem capitis, quem [52]) nacta est sub terra
Inferorum Proserpina, formosa dea.
Ululet terra Cyclopea, ferrum supra caput
Ponens tonsorium, propter mala domus Atridarum.
Illa miseratio, miseratio venit pro morituris [53]),
Qui aliquando fuerunt duces Graeciae.

[*Antistrophe.*]

Abiit enim, abiit, periit liberorum
Pelopis totum genus, et propter felicitatem
Quondam suspiciendam familiam, invidia nunc cepit [54]) divinitus,
Et hostilis calculus de morte inter cives [55]).
„Heu, heu gentes miserae hominum, plenae lachrymarum,
„Videte quomodo praeter opinionem fatum venit.
„Alia post alia succedunt [56])
„Mala in longo tempore.
„Tota vita hominum est instabilis [57]).
Utinam vadam [58]) ad medium coeli et terrae
Extensum pendendo
Saxum catenis aureis, quod circumfertur
Volutationibus, glebam [59]) ex Olympo,
Ut in luctibus recitem
Seni patri Tantalo,
Qui peperit, peperit meos parentes
Familiae, qui viderunt mala [60]).
Celerem cursum equarum
Quadriiugo curru,
Pelops quando ad mare gubernavit currum,
Myrtili cadaver abiiciens in gurgitem maris,
Iuxta albam Gerastiam [61])
Aurigans in littore marinorum fluctuum, unde familiae
Nostrae venit luctuosa execratio [62]);
Foetus in grege, a filio Maiae,
Agnus aureo vellere, quando
Fuit prodigium sane quam perniciosum
Atrei equitis, unde lis alatum
Currum solis mutavit, ut versus occasum viam coeli accommodaret,

---

50) dissolvitur,] sic Editt. 1562., Fix.; Ed. 1558. dissolvitur? (Barn., Musgr. dissolvetur,).

51) et semper morietur aliquis,] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. et non prius morietur aliquis, (Barn., Fix.: nec antevertet mortem quisquam; Eurip. κοὐ φθάνοι θνήσκων τις ἄν,).

52) quem] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. errore typogr.: quam.

53) Ululet terra — morituris,] hi 3 vss. in Ed. Barn. disiuncti sunt in quinque.

54) cepit] Editt. 1558., 1562. caepit.

55) Quondam — cives.] hi duo vss. in Ed. Barn. in tres dispertiti sunt.

56) Videte quomodo — succedunt.] pro his 2 vss. in Ed. Barn. (= text. gr.) leguntur hi tres:
975 „Gemebundaeque et labóriosae, videte, quomodo praeter opinionem
„Fatum venit.
„Alia vero post alia succedunt.

57) Hoc versu finitur Antistrophe. — H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Miseria vitae humanae.

58) Utinam vadam] sic Editt. 1562., Barn., Musgr. (Fix.: Utinam pervadam); Ed. 1558. Vadam (Eurip. *Μόλοιμι*).

59) glebam] sic (= Eurip. *βῶλον*) Editt. Barn., Musgr. (Fix: massam); Editt. 1558., 1562. gleba.

60) Familiae — mala.] hic vs. in Ed. Barn. in duo partitus est.

61) Gerastiam] sic Editt. 1558., 1562. = Eurip. Ed. Basil. 1551. *Γεραστίαις*; Barn., Musgr.: Geraestiam (Fix: Geraesti) = *Γεραιστίαις*, quam formam hae Editt. exhibent.

62) Aurigans — execratio.] horum duorum vss. loco in Ed. Barn. leguntur quatuor.

Versus auroram, quae vehitur uno equo, et septem
Pleiadum cursus, in aliam viam
Iupiter mutat, et permutat
Neces necibus et famosam
Coenam Thyestae, et thalamum Cretensis
Aëropae dolosae, dolosis nuptiis.
Postrema in me et patrem
Meum venerunt misero fato familiae.
Chor. Atqui frater tuus accedit
Capitali sententia damnatus,
Et fidelissimus omnium Pylades,
Vir par fratri[63]), gubernans
Languidum pedem Orestis,
Iunctus gressu officioso[64]).

[*Electra, Orestes, Pylades, Phryx.*]

Elec. Hei mihi, videns te ante mortem gemo
Frater et ante rogum inferorum.
Heu mihi rursus, quam videns oculis
Ultimum adspectum, animo abalienata sum.
Or. Non tacite, omissis muliebribus lamentationibus,
Boni consules, quae fiunt? Sunt quidem ista miserabilia; sed tamen
Oportet te ferre praesentes fortunas.
Elec. Et quomodo tacebo? intueri lumen Dei
Hoc non amplius licet nobis miseris.
Or. Non occidas tu me; satis ab Argiva manu
Mortuus sum miser; sine praesentia mala.
Elec. O miser Orestes propter tuam adolescentiam et fatum,
Et mortem intempestivam, oportebat te vivere, quando non amplius es.
Or. Ne per Deos iniicias mihi mollitiem,
In lachrymas traducens commemorationem[65]) malorum.
Elec. „Moriemur, non est possibile non deplorare mala;
„Omnibus hominibus est miserabile, amittere charam vitam[66]).

63) par fratri] sic (= Eurip. ἰσάδελφος) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. similis fratri.

64) officioso.] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. curante (Eurip. κηδοσύνῳ).

65) commemorationem] sic (= Eurip. ὑπόμνησιν) Editt. Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. non commemoratione; Ed. 1562. non commemorationem.

66) Haec vox in marg. Editt. 1558., 1562. repetita est.

Or. Ista dies est nobis constituta, oportet aut laqueos
Pensiles suspendere, aut acuere manu gladium[67]).
Elec. Tu nunc me frater occide, ne quis Argivorum occidat,
Contumelia afficiens genus Agamemnonis.
Or. Satis habeo sanguinem matris, te non interficiam.
Sed moriaris nece, quam tibi ipsa consciscas, quocunque modo vis.
Elec. Fiet; non deserar a tuo gladio[67a]).
Sed volo brachia circumdare tuo collo.
Or. Delecteris inani voluptate, si quidem hoc te delectat,
Circumdare brachia euntibus ad mortem.
Elec. O charissime, o habens desiderabile et dulcissimum
Nomen sororis tuae, et unam animam.
Or. Liquefacies me, volo tibi respondere
Officio brachiorum; quid enim miser erubescam?
O pectus sororis, o charus amplexus[68]) mihi,
Haec pro filiorum osculis et coniugali lecto
Alloquia adsunt inter miseros utrinque.
Elec. Heu, quomodo idem gladius nos interficiet, si fas sit?
Et accipiet[68a]) unum sepulchrum, opus cedri?
Or. Suavissimum esset hoc; sed vides, amicis
Quomodo caremus, ut coniungamur sepulchro.
Elec. Nihil dixit, pro te operam navans, ne moriaris,
Menelaus pravus, proditor mei patris?
Or. Ne ostendit quidem oculum, sed in sceptris habens
Spem, veritus est servare amicos[69]).
Sed sine[70]), ut generosa et Agamemnone

67) acuere manu gladium.] sic (= Eurip. ξίφος θήγειν χερί.) Editt. 1562., Barn., Musgr. et (ordine verborum mutato) Fix.; Ed. 1558. acuere manum gladio.

67a) non deserar a tuo gladio.] his verbis in Ed. 1562. in marg. adscripta est explicatio: Statim tuam mortem subsequetur mea.

68) charus amplexus] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. charum osculum (Eurip. φίλον πρόσπτυγμ').

68a) accipiet] sic Editt. Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. accipiat.

69) veritus est servare amicos.] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. verebatur ne servaret amicos.

70) sine] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. Barn., Musgr., Fix. eia, Eurip. Ed. Basil. 1551. εἶα (Imper. poeticae formae εἰάω i. q. ἐάω sino, et Interj. eia!); Editt. Barn., Musgr., Fix. εἶ' (Interj. eia!).

Facientes dignissima moriamur.
Et ego quidem ingenuitatem ostendam urbi,
Feriens gladio epar; te autem oportet
Similia facere meis ausis.
Pylades, tu esto nobis procurator mortis,
Et morientium[71]) bene cures corpora,
Et sepeli simul, ferens ad patris tumulum,
Et vale; vado ad opus, ut vides.
Pyl. Differ, hoc primum te accuso,
Si sperasti, me velle vivere te mortuo.
Or. Quorsum attinet te mecum mori?
Pyl. Interrogasti? quorsum vivere sine tua amicitia?
Or. Non interfecisti tuam matrem, sicut ego miser.
Pyl. Tecum: simul haec pati me oportet.
Or. Redde tuum corpus patri, non moriaris mecum;
Tibi enim est civitas, mihi autem non;
Et domus patris, et magnus portus divitiarum.
Nuptiis autem huius miserae frustratus es,
Quam despondi tibi, colens amicitiam;
Tu autem accipies aliam coniugem ad gignendum.
Affinitas mea et tua non amplius est.
Sed, o desiderabilis ocule meae familiaritatis,
Vale. „Non enim hoc licet nobis, tibi tamen erit.
„Nam mortui privamur gaudio.
Pyl. „Equidem non assequeris, quid velim.
„Neque sanguinem meum accipiat[72]) ferax terra,
„Neque splendidus aether, si ego te unquam prodens,
„Et liberans meum corpus, deseram te[73]).
Nam et simul interfeci illam, non negabo;
Et totum consilium dedi de iis, ob quae tu nunc das poenas.
Ergo et simul mori me oportet tecum et cum hac.
Nam ipsam meam, cui spopondi nuptias,
Iudico coniugem. Nam quid unquam honestum dicam,
Veniens in Delphidem, arcem Phocensium?
Qui, priusquam essetis miseri, affui amicus,
Nunc non sum amicus tibi infelici?
Nihil est; sed haec et mihi sunt curae.
Sed postquam sumus morituri, una rationem
Ineamus[74]), quomodo Menelaus simul tristetur.
Or. O charissime, utinam videns hoc moriar!
Pyl. Sequere nunc, sed differ sectionem ensis.
Or. Differam, si possim ulcisci inimicum.
Pyl. Tace nunc, quia parum credo mulieribus.
Or. Ne timeas has, quae adsunt nobis amicae;
Pyl. Helenam interficiemus: id afficiet Menelaum magno dolore.
Or. Quomodo? paratus enim sum, si quidem poterit praeclare fieri.
Pyl. Interficiemus; latet enim in domo tua.
Or. Maxime, et omnia obsignat[74a]).
Pyl. Sed non amplius, nacta Plutonem sponsum.
Or. Quomodo? habet enim barbaros comites.
Pyl. Quos? neminem Phrygem metuo.
Or. Quales possint esse curatores speculorum et unguentorum.
Pyl. Venit ergo huc habens delicias Troianas?
Or. Ita, ut Graecia sit ei parva domuncula.
Pyl. „Nihil est servile genus ad non servile.
Or. Sane[75]) hoc faciens, non recuso bis mori.
Pyl. Sed neque ego: modo tibi opem feram.
Or. Ostende rem, et perfice, sicut dicis.
Pyl. Intremus[76]) in domum tanquam morituri.
Or. Habeo hoc, reliqua non habeo.
Pyl. Lamentabimur ad ipsam de his, quae patimur.
Or. Ut ploret, quamquam in animo gaudeat.
Pyl. Et nobis aderunt haec, sicut illi tunc.
Or. Deinde quomodo pugnabimus?
Pyl. Habebimus gladios acutos[77]) in vestibus.
Or. Et coram ministris quae nex fiet?
Pyl. Excludemus eos, alium alio in contignationibus.

---

71) morientium] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. mortuorum (Eurip. κατθανόντοιν).

72) accipiat] sic (= Eurip. δέξαιτο) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. errore typogr.: accipias.

73) deseram te] sic (= Eurip. ἀπολίποιμί σε) Ed. 1558.; Editt. Barn., Musgr., Fix.: deseram; Ed. 1562. errore typogr.: deram (pro: deseram). — H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Fides amici.

74) una rationem Ineamus] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. ad communes sermones Veniamus.

74a) omnia obsignat.] his verbis in Ed. 1562. in marg. apposita est annotatio: Quasi cernens haereditatem meam.

75) Sane] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Et (Eurip. Καὶ μὴν).

76) Intremus] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Intramus (Fix.: Intrahimus).

77) Habebimus gladios acutos] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. Occultos habebimus gladios (= Eurip. Κρύπτ᾽... ἕξομεν ξίφη).

Or. Et eum, qui non tacuerit, interficiemus.
Pyl. Deinde ipsa res docebit, quae oporteat intendere.
Or. Interficere Helenam, agnosco symbolum.
Pyl. Tenes; audi nunc, quam honeste consulam.
Si enim in mulierem honestam
Mitteremus gladium, esset ignominiosa caedes,
Nunc dabit poenas toti Graeciae,
Et illis, quorum parentes occidit, et quorum liberos perdidit,
Et sponsas fecit orbatas maritis.
Erit vociferatio, et accendent ignem Diis,
Precantes tibi et mihi multa gloriosa obtingere,
Eo quod fecimus caedem malae mulieris.
Non vocaberis matricida, si hanc interfeceris;
Sed relinquens hoc nomen, habebis melius:
Diceris interfector Helenes, quae multos interfecit.
Non oportet sane, non oportet Menelaum esse felicem,
Ac tuum patrem et te et sororem mori,
(Matrem omitto; nam hoc non est honestum dicere.)
Et habere tuam domum, per Agamemnonis militiam
Qui recepit uxorem. Non amplius vivam,
Si non adversus illam strinxero atrum[78]) ensem.
Sed si non potiemur caede Helenes,
Incendentes hanc domum, moriemur.
Nam etsi alterutrum non successerit, habebimus gloriam
Honeste mortui, aut male servati.
Chor. Digna est, quae odio habeatur ab omnibus mulieribus
Puella Tyndaris, quae deformat genus.
Or. „Ah, nihil est praestantius quam certus amicus[78a]),
„Non opes, non regnum; ac stultum est
„Multitudinem esse compensationem generosi amici.
Nam tu et mala contra Aegisthum invenisti,
Et prope aderas mihi in periculis,
Et nunc rursus das mihi ultionem hostium,
Et non abes. Sed desinam te laudare, quia
„Etiam hoc est molestum, nimium laudari[79]).
Ego autem omnino exhalans meam animam,
Volo aliquid faciens inimicis meis mori,
Ut vicissim perdamus illos, qui me prodiderunt,
Et gemant, qui me miserum fecerunt.
Agamemnonis filius sum, qui Graeciae
Imperavit, dignus iudicatus, non tyrannus, sed tamen
Habuit robur a Deo; quem non afficiam dedecore,
Oppetens servilem mortem, sed libere
Vitam amittam et Menelaum ulciscar.
Essemus felices, si unum possemus adipisci,
Si alicunde insperata salus accideret
Necantibus, non morientibus; opto haec.
„Nam quod volo, suave est, et per os
„Volucri sermone sine sumptu[80]) delectabo animum.
Elec. Ego, frater, existimo hoc ipsum ferre
Salutem tibi, et huic, et tertio mihi.
Or. Dicis divinitus consilium; sed ubi hoc[80a]) est?
Quia scio prudentiam adesse tuae animae.
Elec. Audi nunc, et tu huc adverte animum.
Or. Dic, quia bene dicere habet aliquam voluptatem.
Elec. Novisti filiam Helenae? scientem interrogo.
Or. Novi Hermionem, quam educavit mater mea.
Elec. Illa abiit ad sepulchrum Clytaemenestrae.
Or. Quid factura? suggeris aliquam spem.
Elec. Libatura inferias ad sepulchrum matris.
Or. Quare dicis mihi hoc conferre ad salutem?
Elec. Capite hanc obsidem, quando redit.
Or. Cuius rei dicis hoc esse remedium nobis tribus amicis?
Elec.[81]) Interfecta Helena, si quid Menelaus contra te vellet agere,
Aut hunc, et me (quia omnes tres sumus unum corpus.)
Dic, quod sis interfecturus Hermionem, et oportet te gladium

78) atrum] sic (= Eurip. *μέλαν*) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. acutum

78a) Haec vox in Ed. 1562. in marg. est repetita.

79) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Ne quid nimis.

80) sine sumptu] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. largiter (Fix.: affatim, Eurip. *ἀδαπάνως*).

80a) hoc] sic (= Eurip. *τόδε*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. haec.

81) *Elec.*] sic (= Eurip. *Ἠλέκτρα*) Barn., Musgr., Fix.; Editt. 1558., 1562. male: *Hel.*

Strictum habere ad ipsum corpus virginis:
Si te servarit, petens, ne interficiatur filia,
Menelaus, videns corpus Helenes in sanguine,
Sine patrem possidere puellae corpus;
Si autem impotens vehementis animi
Volet te interficere, et tu ferito collum virginis.
Et ipsum existimo, etiamsi primum aderit vehemens,
Deinde molliturum animum; non enim durus
Neque fortis est. Hoc habeo nobis
Propugnaculum salutis; dicta est oratio.
Or. O habens virilem animum,
Et corpus inter mulieres decorum,
Quam digna es magis vivere quam mori.
Pylades, frustraberis miser tali
Muliere, cum qua vivens haberes felix coniugium.
Pyl. Utinam fiat, et veniat ad urbem Phocensem
Nacta felices nuptias.
Or. Quando veniet domum Hermione?
Quia reliqua dixisti, 'si hoc successerit,
Optima, capientibus catulum impii patris.
Elec. Puto eam esse prope domum.
Etenim temporis longitudo eo quadrat.
Or. Recte, tu quidem soror Electra
Ante domum manens, observa pedem virginis,
Et observa, si quis, priusquam fiat caedes,
Aut socius, aut frater patris,
Antevertat veniens in domum, clamita in domum,
Aut valvas pulsans, aut mittens sermonem intro.
Nos intrantes, ad postremum
Certamen armabimus manum ense,
Pylades; tu enim iuvas me in laboribus.
O pater habitans domum atrae noctis,
Invocat de Orestes filius tuus, ut venias auxiliator
Precantibus. Nam propter te ista patior miser.
Iniuste proditus sum a tuo fratre,
Cum recte fecerim, cuius volo uxorem captam
Interficere; tu esto adiutor nobis in hac re.
Elec. O pater veni, si quidem audis sub terra
Vocantes liberos, qui tua causa moriuntur.
Pyl. O cognate mei patris, etiam meas preces
Agamemnon exaudi, serva liberos.
Or. Interfeci matrem. *Pyl.* Et ego attigi gladium.
Elec. Ego instruxi insidias, et liberavi a metu.
Or. Te pater ulciscens. *Elec.* Neque ego te prodidi.
Pyl. Ergo audiens[82]) libera natos.
Or. Libo tibi lachrymis.
Elec. Et ego lamentationibus[83]).
Pyl. Desinite, et pergamus ad opus.
Si quidem sub terram preces penetrant[84]),
Audit. Tu, o Iupiter, proave, et numen iustitiae,
Date successum in hac re isti, mihi[85]) et huic.
Tribus enim[86]) amicis est unum certamen et una vindicta,
Debent aut omnes vivere, aut mori.

[*Strophe* 1.]

Elec. O charae Mycenides,
Quae estis primariae in Pelasgo solo Argivorum.
Chor. Quam vocem sonas, o veneranda? manet
Etenim te hoc in urbe Danaidum[87]).

[*Systema* 1.]

Elec. State aliae vestrum in viam publicam,
Aliae huc in aliam viam ad praesidium domus.

[*Strophe* 2.]

Chor. Propter quam causam hoc me iubes?
Dic mihi, o chara.
Elec. Metuo, ne quis ad domum
Stans propter caedem,
Inveniat mala in his malis.

[*Systema* 2.]

Semich. Eamus, festinemus, ego semitam
Hanc observabo, ad solis ortum.
Semich. Et ego istam, quae fert ad occasum.

[*Strophe* 3.]

Elec. Oblique nunc pupillas oculorum differ,
Isthinc, huc, deinde ad aliam speculam[88]).
Chor. Facimus, ut iubes.

---

82) audiens] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. (= Eurip. ὀνείδη τάδε κλύων) exprobrationes hasce audiens.

83) *Or.* Libo — lamentationibus.] hi 2 vss. in Ed. Barn. coniuncti sunt in unum.

84) penetrant] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. iaculantur (Eurip. ἀκοντίζουσ').

85) isti, mihi] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. mihi.

86) enim] sic (= Eurip. γὰρ) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; in Ed. 1558. deest.

87) *Chor.* Quam — Danaidum.] hi 2 vss. in Ed. Barn. disiuncti sunt in tres.

88) *Elec.* Oblique — speculam.] hi 2 vss. in Ed. Barn. disiuncti sunt in quatuor.

[*Antistrophe* 1.]

Elec. Circumferte nunc palpebram[89]).
Date pupillis undique per capillos locum.
Semich. Hic quis in via accedit, quis hic
Vir ex agro vadit circa domum tuam[90])?

[*Antisystema* 1.]

Elec. Periimus, o amicae, absconditas
Feras armatas si statim indicet[91]) hostibus[92]).

[*Antistrophe* 2.]

Semich. Sis sine metu; nam inanis est, o chara,
Via, quam tu putas.
Elec. Quid, tua fides manet mihi adhuc firma?
Da mihi aliquem bonum nuntium:
An locus ante aulam est vacuus?

[*Antisystema* 2.]

Semich. Hic res bene habent, sed retro[93]) vide;
Quia nemo civium accedit ad nos.
Semich. Venis eodem, neque hic turba est.

[*Antistrophe* 3.]

Elec. Age nunc in portis audiam:
Quid cunctamini in aedibus per quietem[94])
Mactare hostiam?

[*Antisystema* 3.]

Non audiunt. O misera ego propter mala!
Num propter pulchritudinem obstupuerunt gladii?

[*Strophe* 1.]

Forte aliquis Argivus armatus properans,
Pede auxiliatore accurrit ad aedes[95]):
Melius est videre, non expedit sedere;
Sed aliae huc, aliae illuc eatis.

89) *Chor.* Facimus — palpebram.] hi 2 vss. in Editt. 1558., 1562. in unum sunt coniuncti.

90) *Semich.* Hic — tuam?] horum duorum vss. loco in Ed. Barn. leguntur tres.

91) indicet] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. ostendat.

92) hostibus] sic (= Eurip. ἐχθροῖς) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. amicis.

93) retro] sic (= Eurip. Ed. Basil. 1551. τἀπίσω) Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix.: tuam stationem (= τἀπί σου, quam lectionem hae Editt. exhibent).

94) *Elec.* Age — quietem] hi 2 vss. in Ed. Barn. disiuncti sunt in quatuor.

95) Forte — aedes:] hi 2 vss. in Ed. Barn. partiti sunt in quatuor.

[*Strophe* 2.]

Chor. Mutamus viam speculantes undique[96])
Hel. O Pelasgum Argos, pereo male.
Elec. Audistis? viri habent manus in caede;
Est eiulatus Helenae, ut licet coniicere.

[*Strophe* 3.]

Semich. O Iovis, o Iovis immensa potentia,
Veni auxilians meis amicis omnino.
Hel. Menelae, morior, tu praesens me non iuvas?
Elec. Interficite, ferite, occidite, perdite,
Duos ancipites gladios mittite,
Ferientes e manu
Desertricem parentum[97]), linquentem coniugem, quae plurimos
Interfecit Graecorum
In bello, apud fluvium pereuntes,
Ubi lachrymae inter lachrymas
Ceciderunt propter ferrea tela,
Ad flumen Scamandrum.
Chor. Tacete, tacete, audio strepitus cuiusdam
Viam irruentis circa domum.
Elec. O charissimae mulieres, in media caede
Ista Hermione adest; cessemus a clamore.
Nam vadit incidens in laqueos retium:
Egregia praeda erit, si capta fuerit.
Iterum state quieto adspectu,
Et colore non significante factum.
Et ego habebo tetricas pupillas oculorum,
Tanquam non sciens facta.
O virgo venis, Clytaemnestrae sepulchrum
Postquam coronasti, et libasti inferias[98])?
Her. Venio, peracta placatione[99]); sed me
Metus quidam cepit, quem in aedibus,
Procul existens a domo, audio clamorem.
Elec. Quid? fiunt, quae sunt digna nostr luctu.
Her. Fausta loquere: quid novi dicis?

96) *Chor.* Mutamus — undique.] hic vs. in Ed. Barn. di iunctus est in duos:
Cho. Mutamus viam,
Speculantes undique.

97) D. parentum] sic (= Eurip. λειποπάτορα) Editt. 155 Barn., Musgr., Fix.: Ed. 1562. D. parentem.

98) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Apostrop ad Hermionem.

99) peracta placatione.] sic Editt. 1562., Barn., Musg Fix.; Ed. 1558. postquam accepi placationem.

Elec. Decretum est huic urbi, hodie Oresten et me mori.
Her. Nequaquam fiat, cum vos sitis mei cognati.
Elec. Decretum est; sumus in iugo necessitatis.
Her. An propterea est clamor in domo?
Elec. Supplex procidens ad genua Helenae clamat.
Her. Quis? non satis scio, nisi tu dicas.
Elec. Miser Orestes orat, ne occidatur, et pro me.
Her. Domus merito plorat.
Elec. Nam de qua alia re quis magis fleat?
Sed veni, et sis amicis particeps supplicationis,
Procidens ante tuam matrem valde beatam:
Ne Menelaus videat nos morientes.
Sed o tu, quae es educata in manibus meae matris,
Miserere nostri, et leva mala,
Veni huc in certamen, ego praecedam.
Sola enim habes nobis metam salutis.
Her. Ecce propere pono meum pedem in domum.
Servati estis, quantum in me est. *Elec.* O in contignatione
Amici armati, non capietis praedam?
Her. Hei mihi, quos hic video? *Or.* Oportet tacere;
Venit enim nobis, non tibi, in salutem.
Elec.[100]) Tenete, tenete, et ensem ad collum
Admoventes, quiescite, ut videat hoc
Menelaus, quia viros, non ignavos Phrygas
Inveniens passus est ea, quae oportet pati malos.
O amicae, excitate strepitum, strepitum et clamorem
Ante aedes, ut facta caedes
Non incutiat Argivis vehementem terrorem,
Atque ob id opem ferant ad aedes tyrannicas,
Priusquam prompte videam Helenae caedem
Cruentam in domo,
Aut sermonem ministrorum audiamus.
Nam quasdam calamitates scio, quasdam non clare.
Chor. Iuste venit Deorum vindicta contra Helenam[1]);
Nam lachrymis totam Graeciam implevit
Propter Idaeum perniciosum
Parim, qui ad Ilium Graecos adduxit.
Sed, (nam crepant claustra regiae domus)
Tacete, egreditur aliquis Phrygum,
Ex quo audiemus, quid agatur in aedibus.
Phr. Effugi Argivum ensem ex morte,
In barbaris calceis,
Supra cedrina fastigia thalamorum,
Doricaque pinnacula.
Evanida, evanida terra terra
Barbaris fugientibus.
Heu heu, quo effugiam, o hospitae,
Per cavum aetherem volitans,
An per pontum, quem Oceanus
Habens taurinum caput cubitis
Circumdans amplectitur terram?
Chor. Quid est, Helenae minister Idaee?
Phr. Ilium, Ilium, heu mihi,
Phrygia urbs, habens bonam glebam,
Sacer mons Idae, quam doleo te periisse[2]),
Lugubre[3]) lugubre carmen
Barbarica voce,
Propter oculum[4]) ex ave natum,
A cygno ortum, filiam formosae Laedae,
Infelicem Helenam, pulchre fabricatorum murorum Apol-
lineorum Furiam, heu[5])!
Vociferatio lugubris, lugubris vociferatio. O misera Dardania
Insolens, ob Ganymedem Iovis concubinum[6]).
Chor. Clare dic nobis rursus singula in aedibus quomodo se habeant.
Non enim facile coniicio priora.
Phryx. Heu heu, principium mortis
Barbari dicunt, heu heu,
Asiatica voce, regum
Quando sanguis effunditur in terram
Ensibus ferreis ad Plutonem.

---

100) *Elec.*] sic (= Eurip. Ἠλέκτρα) Barn., Musgr., Fix.; Editt. 1558., 1562. male: *Her.*

1) *Chor.* Iuste — Heleuam.] hic vs. in Ed. Barn. disiunctus est in duos.

2) Sacer — periisse] hic vs. in Ed. Barn. in duos est dispertitus.

3) Huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est annotatio: „ἁρμάτειον, vide Suidam."

4) oculum] haec vox in marg. Editt. 1558., 1562. sic explicatur: „oculus in malam partem, ut apud Homerum κυνὸς ὄμμα." (Hom. Il. I, 225.).

5) Infelicem — heu,] sic hi duo vss. leguntur in Editt. 1558., Barn., Musgr.; in Ed. 1562. in unum sunt coniuncti.

6) Ed. Barn. huius vs. loco haec habet:
Equestris, altrix Ganymedis, Iovis concubini.

Venerunt in domum (ut rursus tibi singula dicam)
Duo leones Graeci, gemini;
Pater alterius vocabatur dux[6a]),
Alter filius Strophii, dolosus vir
Sicut Ulysses, tacite dolosus,
Sed fidus amicis, et audax ad pugnam,
Peritus pugnandi, et letalis draco.
Pereat ob tacitam providentiam, cum sit maleficus.
Illi vero intro venientes ad thronum
Eius, quam habuit iaculator Paris,
Mulieris, oculos lachrymis
Madefacti, humiles
Sederunt, alter hinc, alter illinc,
Alius aliunde, armati,
Et manus supplices ad genu
Helenae posuerunt, posuerunt ambo.
Celeres autem cucurrerunt, cucurrerunt
Ministri Phryges:
Allocutus est alius alium,
Incidens in metum,
Ne quis esset dolus;
Aliis videbatur non esse,
Aliis in retiariam
Machinam implicare
Filiam Tyndari draco matricida.
Chor. Ubi tu tunc eras? an iam effugeras metu?
Phryx. Phrygio, Phrygio more
Ad comam, auram auram,
Helenae Helenae, circulo bene facto
Alato ad genam ciebam,
Barbaro more.
Illa linum volvebat in colo[7]),
Et fila mittebat ad solum,
Ex praeda Phrygia ad tumulum monumenta
Facere volens ex lino,
Purpureos pannos[8]),
Dona Clytaemnestrae.
Allocutus autem est Orestes
Lacaenam puellam: O filia Iovis,
Pone vestigium in solo huc surgens ex sede,
Ad locum avi Pelopis veteris
Arae, ut scias meam orationem[9]).
Ducit, ducit eam; illa sequebatur,
Non prospiciens, quae facturus erat,
Ac[10]) socius improbus homicida Phocensis alia faciebat vadens:
Non disceditis, dicebat, Phryges semper mali?
Et conclusit alium alio
In domo, quosdam in stabulis
Equorum, quosdam in latrinis,
Alios hinc inde, alium alio
Avellens procul a domina.
Chor. Quae calamitas postea accidit?
Phr. Idaea, Idaea mater, potens, potens, heu heu,
Letalia, iniusta facta et mala, quae fecerunt,
Fecerunt[11]) in domo regia.
In vestibus purpureis in caligine
Enses extrahentes in manibus alius alio
Agitavit oculos, ne quis adesset,
Et sicut apri montani
Stantes ante mulierem,
Dicunt: Morieris, morieris,
Maritus improbus te interficit,
Qui prodidit fratris filium, ut moreretur Argis.
Illa vociferata est: Heu mihi!
Immittens candidum cubitum pectori,
Percussit caput tristi plaga,
Fugiente pede vestigium aureis sandalis
Fecit[12]). Sed in comam digitos
Mittens Orestes, sistens Mycenaeos calceos,
Sinistro humero incurvans collum,
Erat verberaturus nigro gladio guttur.
Chor. Ubi erant Phryges in domo ad auxiliandum?
Phr. Audita vociferatione, fores[13]) et stabula

6a) dux] huic voci in Ed. 1562. in marg. apposita est explicatio: scilicet Agamemnon.

7) Illa — colo,] huius vs. loco in Ed. Barn. leguntur hi duo:
Illa vero linum in colo
Digitis volvebat,

8) Ex praeda — pannos] hi 3 vss. in Ed. Barn. sic dispertiti sunt:
Ex praeda Phrygia ad tumulum
Monumenta facere
Volens ex lino, purpureos pannos,

9) Ad locum — orationem.] hi 2 vss. in Ed. Barn. disiuncti sunt in tres.

10) Ac] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. At; Fix: vero (Eurip. δὲ).

11) fecerunt. Fecerunt] sic Editt. 1558., 1562. (quasi bis legeretur ἔδραον aut ἔδρασαν, Imperf. aut Aor. 1. verbi δράω facio); Barn., Musgr., Fix. (= Eurip. ἔδρακον, Ἔδρακον) vidi, Vidi.

12) Fecit.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. Tulit; Musgr., Fix. Tulit, tulit (Eurip. Ed. Basil. 1551. Ἔφερεν; Editt. illae recentt. Ἔφερεν, ἔφερεν).

13) fores] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. (= Eurip. δόμων θύρετρα) fores aedium.

Vectibus eiicientes, ubi manebamus,
Accurrimus alius ex alia habitatione,
Alius saxa, alius cuspides,
Alius ensem cum longo capulo habens in manibus.
Venit contra nos Pylades impavidus:
Qualis qualis Hector Phrygius, aut Aiax ornatus galea tres habente conos,
Quem vidi, vidi in portis Priami.
Commisimus acies ensium.
Tunc vero, tunc conspicuum
Erat, Phryges quantum in pugna
Essent inferiores[14]) Graecis pugnatoribus:
Alius abiens fugitivus, alius mortuus,
Alius vulnus ferens, alius supplex
Propter intentatam mortem, fugimus in tenebras.
Mortui ceciderunt, alii erant casuri, alii iacebant.
Ingressa est in domum misera Hermione,
Propter caedem matris humi iacentis, quae misera illam peperit.
Isti currentes velut Bacchae sine thyrsis
Rapuerunt velut pullum in manibus.
Rursus tendebant caedem adversus filiam Iovis:
Illa evaserat extra domum
Non visa (o Iupiter et terra et lumen et nox[15]))
Sive veneficiis, sive arte magorum, sive deceptione Deorum.
Quae postea acciderint, nescio; nam fugitivum sustuli pedem ex aedibus[16]).
Multiplices, multiplices aerumnas
Menelaus sustinens, inutile a Troia
Recepit[17]) coniugium Helenes.
Chor. Sequitur aliud novum ex novis;
Nam video tenentem gladium ante aedes
Euntem Oresten, attonito pede.

14) Tunc vero, tunc conspicuum Erat, Phryges quantum in pugna Essent inferiores] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Tunc sui similes Erant Phryges, quod ad pugnam attinet: Fuimus inferiores; Barn., Musgr., Fix. (diligenter verba archetypi reddentes): Tunc vero, tunc conspicui Erant (Musgr., Fix.: Facti sunt) Phryges, quantum in pugna Martis Nos simus inferiores

15) nox] sic (= Eurip. νύξ) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. errore typogr.: vox.

16) Hic vs. in Ed. 1558. disiunctus est in hos duos:
Quae postea . . . . fugitivum sus-
tuli pedem ex aedibus.

17) Recepit] sic (= Eurip. ἔλαβε) Editt. 1558., 1562., Musgr., Fix.; Barn. Recipit.

[*Orestes, Phryx, Electra, Menelaus, Apollo.*]

Or. Ubi est iste, qui effugit ex aedibus meum ensem?
Phr. Adoro te, rex, procidens barbaro more.
Or. Ista non fiunt in Ilio, sed in Argiva terra.
Phr. „Ubique sapientibus est suavius vivere quam mori.
Or. Nam fecisti clamorem Menelao, ut accurreret?
Phr. Tibi adsum, ut opituler; es enim dignior.
Or. Iustene periit filia Tyndari?
Phr. Iustissime, si haberet triplex guttur ad moriendum.
Or. Propter metum lingua gratificaris, intus non ita sentiens.
Phr. Cur non? quae perdidit Graeciam cum ipsis Phrygibus?
Or. Iura, (alias te necabo) te hac non dicere in meam gratiam.
Phr. Per animam meam iuravi: et quidem bona velim fide.
Or. Siccine[18]) etiam ad Troiam omne[19]) ferrum erat Phrygibus terrori?
Phr. Amove ensem; nam cum prope adest, ostendit caedem.
Or. Metuis, ne fias lapis, tanquam intuens Gorgona?
Phr. Imo ne moriar: non intueor caput Gorgonis.
Or. Cum sis servus, metuis mortem, qui te liberabit a malis?
Phr. „Quilibet etiam servus gaudet videre lucem.
Or. Recte dicis, servat te prudentia; sed ingredere in domum.
Phr. Non occides me. *Or.* Es dimissus.
Phr. Dicis hoc pulchrum verbum[20]).
Or. Sed poterimus retractare.
Phr. Hoc non pulchre dicis[21]).
Or. Stultus es, si putas me cruentaturum tuum collum;

18) Siccine] sic (= Eurip. ὧδε) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Sinite.

19) omne] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. (= Eurip. πᾶσι) omnibus.

20) *Phr.* Non occides me — verbum] hi duo vss. in Ed. Barn. coniuncti sunt in unum.

21) *Or.* Sed — dicis.] hi duo vss. in Ed. Barn. in unum sunt coniuncti.

Nam neque mulier es, neque es inter viros.
Propterea egressus sum ex aedibus, ne excites clamorem.
Nam totum Argos cum audierit clamorem, cito excitetur.
Non est mihi metus Menelaum excipere gladio;
Sed veniat superbiens[22]) flavis capillis super humerum.
Si enim adducet Argivos ad hanc domum,
Persequens caedem Helenae, et me non volet servare,
Et sororem meam, et Pyladem,
Qui in his me adiuvit[23]),
Videbit duo cadavera, uxorem et virginem.

[*Strophe* 1.]

Chor. O fortuna, in aliud certamen
Cadit domus terribilis circa Atridas.
Semich.[24]) Quid faciemus? nuntiabimus haec in urbem?
An tacitae erimus tutiores, o charae?

[*Strophe* 2.]

Semich.[24]) Ecce ante aedes[25]), ecce denuntiat aliquid
Iste fumus saliens in aerem sursum.
Chor. Incendunt pinus, tanquam inflammaturi domum
Tantaleam, neque desistunt a caede.

[*Strophe* 3.]

„Finis est hominibus, ubi Deus vult.
Magna quaedam vis per adversos genios
Feriit, feriit[26]) hanc domum per caedes,
Propter Myrtili casum ex curru.
Chor. Sed video Menelaum prope domum,
Qui celeriter audivit forte fortunam, quae nunc adest.
Elec. Non antevertetis coniungentes fores vectibus,
O Atridae in domo? „vehemens res est; vir in rebus secundis
„Contra eos, qui sunt in adversis, sicut tu[27])
Orestes nunc es infelix[28]).
Men. Venio audiens facinora violenta[29])
Duorum leonum; non enim voco eos viros.
Nam audivi de mea uxore,
Quod non sit interfecta, sed abrepta[29a]), ut non conspiciatur.
Audiens inanem famam, quam metu deceptus
Quidam nuntiavit mihi; sed matricidae
Sunt hae technae, et magnum ludicrum[30]).
Aperiat aliquis domum, servis iubeo,
Pellere istas fores, ut vel filiam meam
Liberem ex manibus hominum impiorum,
Et miseram meam uxorem
Accipiam, cum qua oportet interfici mea manu
Eos, qui perdiderunt meam coniugem.
Or. Heus tu non attingas manibus ista claustra!
Te Menelaum compello, qui elatus es superbia,
Aut hac pinna concutiam tuum caput,
Frangens vetus tectum, opus artificum.
Munita est ianua vectibus adversus tuum defendendi
Studium, qui[31]) te arcebunt, ne intres in domum.
Men. Age, quam rem video? splendorem flammae,
Et in summis aedibus istos obsessos teneri,
Et gladium admotum collo meae filiae.
Or. Utrum vis interrogare, an me audire?
Men. Neutrum quidem; sed necesse est, ut videtur, te audire.
Or. Sum occisurus tuam filiam, si vis audire.
Men. Interfecta Helena addes caedem caedi.
Or. Utinam vero tenuissem, non deceptus a Diis.
Men. Negas, cum occideris, et ad contumeliam dicis haec?

---

22) superbiens] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. glorians.

23) Et sororem—adiuvit,] hi quoque duo vss. in Ed. Barn. in unum connexi sunt.

24) *Semich.*] sic (= Eurip. Ἡμιχόριον) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; in Ed. 1558. omiss.

25) ante aedes] sic (= Eurip. πρὸ δωμάτων) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. errore typogr.: antecedes.

26) Feriit, feriit] sic (= Eurip. Ἔπαισεν, ἔπαισε) Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Feriit (Ed. Fix. ἔπεσ', ἔπεσε — lapsa est, lapsa).

27) sicut tu] sic (= Eurip. ὡς σὺ] Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. sicut (omisso „tu").

28) es infelix] sic (= Eurip. δυστυχεῖς) Editt. 1558., 1562.; in Editt. Barn., Musgr. male omissa (apud Fix. sola vox „infelix" deest).

29) facinora violenta] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. facinorosa et violenta (= Eurip. τὰ δεινὰ καὶ δραστήρια, Musgr.: facinora dira et strenua; Fix.: facinora dira et audacia).

29a) abrepta] sic Ed. Barn.; Editt. 1558., 1562. abrupta (Eurip. οἴχεται).

30) magnum ludicrum] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. multus risus (Eurip. πολὺς γέλως; Barn.: res deridicula; Musgr., Fix.: ingens derisio).

31) qui] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. quae.

Or. Invitus nego; utinam enim.
Men. Quid optares facere? incutis mihi terrorem.
Or. Furiam Graeciae interficere.
Men. Redde cadaver uxoris, ut operiam tumulo.
Or. Repete a Diis; ego interficiam tuam filiam.
Men. Matricida facit caedem supra caedem.
Or. Defensor patris, quem tu prodidisti, ut moreretur.
Men. Non suffecit tibi prior caedes matris?
Or. Non defatigabor semper interficiendo malas.
Men. Utrum et tu, Pylade, es particeps huius caedis?
Or. Tacens affirmat; ego sufficiam dicens.
Men. Sed non gaudens, nisi effugeris alis.
Or. Non effugiemus, sed inflammabimus aedes igne.
Men. An vastabis has aedes paternas?
Or. Ut ne tu eas habeas, hanc mactantes ad ignem.
Men. Interfice, quia interficiens dabis mihi poenas.
Or. Sic erit. *Men.* Heu heu, nequaquam facies hoc.
Or. Tace nunc et sustine, iuste patiens calamitatem.
Men. An iustum est te vivere? *Or.* Et imperare in terra.
Men. Qua? *Or.* In Argo hoc Pelasgico.
Men. Recte attinges sacrificia? *Or.* Cur non?
Men. Et offeres hostias ante pugnam[32])?
Or. Tu autem honeste[33])?
Men. Habeo puras manus. *Or.* Sed non mentem.
Men. Quis te alloquetur? *Or.* Quicunque est amans patris.
Men. Qui autem honorat matrem? *Or.* Est felix.
Men. Tu autem non. *Or.* Quia non placent mihi malae.
Men. Amove ensem a filia. *Or.* Mendax es.
Men. Interficies meam filiam? *Or.* Iam non es mendax.

32) His verbis in Ed. 1562. adiecta est annotatio margin.: „more regibus recepto."

33) *Men.* Et offeres — honeste?] hi 2 vss. in Ed. Barn. coniuncti sunt in unum.

Men. Hei mihi! quid faciam? *Or.* Persuade ad Argivos proficiscens.
Men. Cui persuadebo? *Or.* Pete a civitate, ne nos occidat.
Men. An filiam meam interficietis? *Or.* Sic est.
Men. O misera Helena! *Or.* An meae res non sunt miserae?
Men. Advexi tibi victimam ex Phrygibus. *Or.* Utinam hoc esset.
Men. Sustinens labores magnos. *Or.* Non mea causa.
Men. Acerba passus sum. *Or.* Tunc eras inutilis.
Men. Tenes me. *Or.* Tu cepisti te ipsum, cum sis malus.
Sed eia, Electra incende istas aedes;
Et tu, o candidissime mihi amicorum
Pylades[34]), incende tecta huius parietis[35]).
Men. O terra Danaorum et incolae equestris Argus,
Non armato pede opem feretis?
Nam iste vim facit toti nostrae civitati,
Ut vivat, cum fecerit abominabilem caedem matris.
Apol. Menelae, desiste ab irata voluntate.
Ego Phoebus, Latonae filius, prope existens te voco;
Et tu, qui insidiaris armatus isti puellae,
Orestes, ut scias, quam orationem afferam.
Helena quidem, quam tu cupiens perdere,
Frustratus es, iratus Menelao,
Haec est, quam videtis in voluminibus aeris,
Servata et non interfecta a te.
Ego ipsam servavi, et ab ense
Tuo rapui, iussus a Iove patre.
Nam, ut filiam Iovis[36]), oportet vivere immortalem,
Castori et Polluci in voluminibus aeris
Assidebit[37]), nautis salutaris.
Tu accipies[38]) aliam uxorem in domum,
Postquam Dii huius pulchritudine

34) Pylades] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. (= Eurip. *Πυλάδη*) Pylade.

35) parietis]* sic (= Eurip. *τείχεος*) Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. errore typogr.: parentis (Ed. Fix. *τειχέων* — parietum).

36) ut filiam Iovis] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. existentem eam filiam Iovis (Eurip. *Ζηνὸς γάρ οὖσαν*).

37) Assidebit] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Consors erit (Eurip. *σύνθακος ἔσται*).

38) accipies] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. accipias.

Commiserunt Graecos et Phrygas,
Et fecerunt mortes, ut exhaurirent ex terra
Onus iniustum, magnae multitudinis hominum.
Res sic se habent. Te autem oportet,
Oresta, postquam huius terrae fines superaveris,
Habitare solum Parrhasium, per circulum anni.
Vocabitur locus a tuo nomine ab exilio,
Ut vocetur Azanibus et Arcadibus Oresteum.
Inde veniens in urbem Atheniensium,
Redde rationem de caede materna
Tribus furiis; et Dii gubernatores iudicii
In vico Martio iustissimam
Sententiam ferent, ubi oportet te vincere.
Et ad cuius collum, Oreste, habes gladium,
Fatum est, te Hermionem[39]) ducere, et qui putat
Neoptolemus se ducturum esse, non ducet.
Nam est ei fatum mori Delphico ense,
Postulanti a me poenas de patre Achille.
Pyladae autem connubium sororis, cui promisisti,
Da, sequens vita[40]) eos felix manet.
Menelae, sine Oresten imperare Argis;
Et tu rediens impera in Spartana terra,
Habens dotem uxoris, quae te multos[41])
Dans in labores huc reduxit.
Res urbis ego huic recte constituam,
Qui ipsum coegi interficere matrem.
Or. O Apollo vates, in tuis oraculis
Non eras utique vanus, sed verax!
Me subierat[42]) metus, nealiquem audiens
Daemonem, viderer audire tuam vocem.
Sed bene facta res; obtemperabo tuae orationi.
Ecce dimitto Hermionem a nece,
Et promitto coniugium, si dederit pater.
Men. O Helena, filia Iovis, salve, suspicio te,
Tenentem beatam sedem Deorum.
Orestes, tibi ego despondeo filiam
Phoebo dicente, generosus ex generosa familia
Ducens, sis beatus et tu, et ego, qui eam tibi do.
Apol. Vadat nunc quisque, quo mandamus,
Et desinite contentionem. *Men.* Oportet[43]) obedire.
Or. Et ego talis redeo in gratiam a calamitatibus,
Menelae, et propter tua oracula[44]), Apollo.
Apol. Ite nunc in viam, pulcherrimam
Deorum honorantes pacem. Ego
Helenam ad aulam Iovis adducam,
Vadens per polum splendidorum astrorum,
Ubi Iunoni et Herculis
Hebae assidens Dea hominibus
Erit, honorabilis semper sacrificiis
Cum Tyndaridis, filiis Iovis,
In rem nautarum curans mare.
Chor. O valde gloriosa victoria, meam
Vitam habeas,
Et non desinas coronare!

39) Hermionem] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Editt. 1558., Fix. Hermionen.

40) vita] sic (= Eurip. *βίοτος*) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. errore typogr.: vata.

41) multos] sic (= Eurip. *μυρίοις*) Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. errore typogr.: multo.

42) subierat] sic (= Eurip. *ἐσῄει*) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. sub.erat (litt. *i* deleta).

43) Oportet] Ed. 1562. errore typogr. Ooortet.

44) redeo in gratiam a calamitatibus, Menelae, et propter tua oracula,] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. libo propter calamitates Menelae, et tua oracula. (redeo in gratiam = Eurip. *σπένδομαι*, quam formam omnes Editt. habent; libo = *σπένδω*).

LVII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO PHOENISSARUM EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis in Editt. 1558. et 1562. supra descriptis exhibetur. Aliqua ex parte mutata in Editt. Barnesii et Musgravii repetita est; Fixii autem Ed. maiori quidem ex parte eandem sequitur, tamen magis quae hae duae ab illa recedit. — Versuum numeros stropharumque partitiones et alias quasdam inscriptiones (uncis inclusas) ex Ed. Barnes. adscripsi. Haec vero in versuum divisione saepe a Xylandri Editt. differt. Multi enim Xylandrearum Editionum versus in Barnes. ita disiuncti sunt, ut unius loco duo, duorumve loco tres etc. in hac legantur, alias duo versus in hac in unum sunt copulati, alias singulae voces versus in praecedentem vel subsequentem versum transpositae sunt. In duabus prioribus tragoediis hanc diversitatem singulis locis eamque saepius ita adnotari, ut ipsos Editionis Barn. versus integros afferrem, ex quibus lector harum Editionum in versibus partiendis diversitatem clarius cognosceret; in hac autem tragoedia et sequentibus hanc varietatem solis numeris ex hac Ed. adscriptis indicabimus, ne nimium spatii in hanc rem impendamus. Ex iis autem, quae modo de versuum varia partitione diximus, consequitur, ubi Xylandrearum Editionum versus in Barn. disiuncti sunt, *versuum numeros* ex hac Ed. appositos haud raro tantum ad alteram huius versus partem pertinere, id quod notabimus *asterisco* (*) ei voci praefixo, a qua incipit versus, cui hic numerus in Ed. Barnes. adscriptus est, e. c.

610. *Eteo.* Qui oderunt te. * *Pol.* Expellimur e patria.

Hic enim versus Editt. Xylandr. in Ed. Barn. sic est disiunctus:

Eteo. Qui oderunt te.
610. *Pol.* Expellimur e patria.

Ubi eiusmodi disiunctioni etiam mutatus ordo verborum accedit, asteriscum ei praefigemus voci, a qua in Ed. Barn. sequens versus inciperet, si verborum ordo non mutatus esset, e. c.

200. O Iovis filia * sustineam servitutem.

In Ed. Barn. enim hic versus in duos est partitus ordine verborum sic mutato:

O Iovis filia Diana
200. Servitutem sustineam.

Ubi vero *Strophe* aliqua Editionis Barn. a medio versu Editionum Xylandr. orditur, hanc inscriptionem eiusmodi versui non in medio inseremus, sed integro superscribemus, *crucem* (†) ei versus voci praefigentes, a qua Strophe in Ed. Barn. incipit, e. c.

[*Antistrophe.*]

(vs. 221.) Optimum stridorem. † Electa ex urbe mea

Haec enim in Ed. Barn. sic leguntur:

Pulcherrimum stridorem.
Antistrophe.
Urbe autem electa ex mea,

et

[*Epodus.*]

(vs. 232.) In sacrificio Phoebi. † O splendens petra ignis

Ed. Barn. sic:

In sacrificio Phoebi.
Epodus.
O splendens petra ignis

Ubi denique et *versuum numerus* a sinistra adscriptus et *strophae inscriptio* ad medium versum Editionum Xylandr. pertinet, utrumque signum (*†) voci, a qua et versus et strophe in Ed. Barn. orditur, praefigemus. — Ex notis marginalibus, quas Xylander singulis locis adscripsit, in hac tragoedia et sequentibus, eas omittemus, quae nihil continent nisi singulas voces e textu repetitas. — De signo („) multis versibus praefixo supra p. 293 sq. diximus.

EURIPIDIS PHOENISSAE

PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Duo sunt praecipui apud Graecos tragoediae scriptores, Sophocles et Euripides, quibus Aristophanes palmam tribuit. Sed vulgo Sophocles iudicatur grandior; aliquanto magis rhetoricus est Euripides, et plus habet ornamentorum. Adeo charus fuit Graecis, ut Siculi multos captivos dimiserint propterea, quod aliquas Euripidis tragoedias ab ipsis didicerant, quae tum recentes erant in Graecia. Eodem enim tempore vixerunt et Euripides et Sophocles[1]), qui unus etiam fuit ex istis, quibus commissa erat cura exercitus adversus Siculos. Porro Phoenissae nomen habent a mulieribus, quae chorum constituunt. Cum enim tragoedia sit imago vitae aulicae seu politicae, habet etiam personas regias, principes et tyrannos, partim bonos, partim malos; item ministros, per quos res geruntur, et chorum, qui populum significat. Hic nihil admodum agit, nisi quod imperio principum hinc inde rapitur, recte facta laudat, de iniuriis conqueritur, etc. Hic igitur chorum constituit ex Phoenissis mulieribus, quia Tyro capta, missae erant istae, ut donarentur Apollini pro parta victoria ad Thebanos tanquam cognatos. Nam Thebani a Phoenissis orti erant, et quidem Cadmum inde appellatum existimant, quia קדם[2]) Orientem significat[3]).

Argumentum[4]).

Eteocles, accepto regno Thebarum, privat parte fratrem suum Polynicem. Exul ille cedens Argos, duxit filiam regis Adrasti. Cupiens autem redire in patriam et persuaso socero, congregavit magnum exercitum contra fratrem, et ad Thebas venit. Mater eius Iocaste fecit eum, factis induciis, in urbem venire, et colloqui prius cum fratre de principatu. Terribiliter se gerente Eteocle propter tyrannidem, mater Iocaste filios reconciliare non potuit. Polynices vero tanquam ad pugnam instructus, deinde cessit ex urbe. Vaticinatur Tiresias, victoriam propositam esse Thebanis, si filius Creontis Menoeceus Marti sacrificaretur. Creon vero se daturum filium civitati infitiatur. Iuvenis tamen voluit, datoque illi exilio una cum pecuniis a patre mortem sibi conscivit, et negotium peregit. Inde Thebani duces Argivorum interfecerunt. Eteocles vero et Polynices, singulari certamine congressi, trucidarunt se mutuo. Mater eorum inveniens mortuos filios, sibi ipsi mortem conscivit. Eius autem frater Creon regnum accepit, et Argivi superati in pugna, cesserunt. Creon aegre ferens, eos, qui interfecti in bello erat sub Cadmaea, noluit concedere ad sepulturam; Polynicem vero inhumatum abiecit, et Oedipum misit in exilium, in aliquibus servans humanam legem, in aliquibus iram sequens, non miseratus calamitatem eorum.

Aliud[5]).

Plenae sunt affectuum Phoenissae in hac tragoedia. Mortuus est filius Creontis pro civitate; mortui sunt et fratres duo mutua caede; et mater eorum Iocaste[6]) se ipsam interfecit inter filios; et duces Argivi, qui ad The-

---

1) Sophocles circa Ol. 70, 4. (496.) natus, Ol. 93, 2. (406.) mortuus est; Euripides Ol. 75, 1. (480.) natus, Ol. 93, 2. (406.) mortuus est, vide Bernhardy: Grundriss d. Griech. Litt. P. II. p. 783 sqq. 893 sqq.

2) Conf. Gesenii thesaur. s. v. קֶדֶם.

3) Haec praefatio Melanthonis in solis Editt. 1558., 1562. exstat.

4) Huius trifarii argumenti (cum annexis) Melanthon non auctor, sed interpres est. Editt. 1558., 1562. solam interpretationem latinam exhibent, Ed. Barnes. autem textum graecum cum hac interpretatione praebet.

5) Haec inscriptio Editt. 1558., 1562. exprimit graecam *Καὶ ἄλλως*, quae in Eurip. Ed. Basil. 1551. legitur; in Ed. Barnes. utraque inscriptio deest.

6) Iocaste] sic Ed. 1558.; Editt. 1562., Barn. Iocasta.

bas duxerant exercitum, perierunt; et insepultus Polynices proponitur; et Oedipus ex patria eiicitur, et una cum eo filia Antigone. Fabula haec habet multas personas; et plena est multis ac praestantibus sententiis.

Aliud [8]).

Hoc poema pulchrum est in apparatu scenico, quia multa habet additamenta. Antigone de moenibus spectans, non est pars fabulae; et factis induciis, Polynices frustra in urbem venit. Super haec omnia Oedipus loquaci carmine in exilium missus, adiicitur supervacue.

Oraculum datum Laio Thebano.

Laie Labdacida [7]) postulas beatum genus filiorum,
Dabo tibi charum filium; sed fatale est,
Te pueri tui manibus relicturum tuum; sic enim annuit

7) Labdacida] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Labdacide.

Iupiter Saturnius, persuasus diris tristibus Pelopis,
Cuius charum rapuisti filium, ille imprecatus est tibi haec omnia [8]).

Aenigma Sphingis.

Est bipes in terris, et quadrupes, cui una est vox,
Et tripes, solum mutat naturam omnium, quae super terram
Reptilia moventur, et in aere et in mari.
Sed quando plurimis festinans pedibus venit,
Tunc celeritas membrorum eius debilissima est [9]).

8) Hoc oraculum Laio Thebano editum et alterum Oedipo datum, ex Thebaicis, in Ed. Barn. graece cum Barnesii interpretatione leguntur.

9) Hoc etiam aenigma Sphingis subsequente duplici solutione aenigmatis, ex Thebaicis, in Ed. Barn. graece cum Barnesii interpretatione exstat. Haec aenigmatis solutio et illud oraculum Oedipo datum, quae in Ed. Barn. addita sunt, Melanthon. h. l. eam ob causam non vertit, quod in Eurip. Ed. Basil. 1551. desunt.

Personae fabulae.

Iocaste	Polynices	Internuntii duo
Paedagogus	Eteocles	Oedipus
Antigone	Menoeceus	Creon

Chorus ex Phoenissis mulieribus. Tiresias.

PHOENISSAE.

Orditur [10]) *Iocaste.*

Sol, qui secas viam coeli in astris,
Et in aurea sedes sede,
Volvens flammam celeribus equis:
Quam infelicem Thebanis eo tum die
Radium immisisti, quando Cadmus venit in hanc terram [11])
Relinquens Phoeniciam, terram maritimam!
Qui ducens Harmoniam filiam Veneris,
Polydorum genuit; ex hoc Labdacum
Dicunt natum, ex eo vero Laium.
Ego vero vocor filia Menoecei;
Et Creon frater natus est ex eadem matre.

10) Orditur] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Orditur autem. — In Eurip. Basil. 1551. et Barn., Musgr. haec verba non primo versui praefixa, sed personarum huius fabulae catalogo in fine sic adiuncta sunt: *Προλογίζει δὲ ἡ Ἰοκάστη.* — Prologum autem agit Iocasta.

11) terram] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix. (= Eurip. lect. recept.: *γῆν*); Ed. 1558. terram Deorum (= Eurip. Ed. Basil. 1551. *γῆν θεῶν*).

Vocant me Iocasten, (hoc enim nomen pater
Indidit) duxit me Laius; cum autem sine liberis
Esset, diu habens connubium meum in domo:
Veniens interrogat Phoebum et poscit masculos
Liberos ad prorogationem suae familiae.
Ille respondit ei: O rex equestrium Thebarum,
Ne semina liberorum sulcum invitis Diis;
Si enim genueris filium, interficiet te ille, qui satus fuerit,
Et tota domus tua ibit per sanguinem.
Ille vero dans se voluptati, et concedens insaniae Bacchi,
Seminavit nobis filium; et cum seminasset infantem,
Agnoscens erratum et Dei oraculum,
In pratum Iunonis et culmen Cithaeronis
Dat pastoribus exponi puerum,
Fodiens ferreos aculeos per tales medios.

Unde ipsum Graecia vocat Oedipum.
Polybi pastores equorum, accipientes puerum,
Ferunt domum, et in manus dominae
Posuerunt; ipsa vero mei puerperii laborem
Uberibus admovit, et suo viro persuadet se peperisse.
Iam vero vir factus, cum genae inciperent flavescere
Filio meo, aut animadvertens ipse aut admonitus ab aliquo
Ivit, volens explorare parentes,
Ad domum Apollinis; et Laius eodem meus maritus,
Quaerens cognoscere expositum filium,
An non esset superstes; et coniungunt pedem
Ambo in idem loci in Phocidis bivio.
Et auriga Laii compellat eum:
O hospes, cede[12]) de via tyrannis;
Ille serpebat humi sine voce, sed animum excelsum gerens; at equi ipsum
Ungulis rubefecerunt sanguine extremos pedum tendines.
Unde (sed quid opus est aliena meis malis dicere)
Filius meus patrem suum occidit, et accipiens currus
Dat nutrici[13]) Polybo. Postquam vero infestabat[14])
Sphinx rapinis urbem, extincto meo marito,
Creon frater praeconium facit de connubio meo:
Quisquis posset exponere aenigma sapientis virginis,
Se daturum esse huic connubium. Exponit forte
Sphingis aenigma filius meus Oedipus.
Unde dominus huius terrae factus est.
Et accipit sceptra huius terrae tanquam praemium sapientiae.
Inde ducit matrem ignorans miser,
Nec sciebat mater, se cum filio concumbere[15]).
Pario vero pueros meo filio[16]) duos quidem mares,
Eteoclem et clarum Polynicen,
Et duas filias, alteram Ismenem pater
Vocavit, alteram maiorem natu, ego Antigonem.
Cum cognovisset autem, se maritum esse matris,
Oedipus, sustinens omnia mala,
Eruit sibi oculos suos,
Aureis fibulis cruentans pupulas.
Postquam autem filiorum meorum genae teguntur barba,
Abdiderunt patrem intra claustrum, ne spargeretur haec calamitas,
Quae ut celaretur, habebat opus multis artificiis.
Adhuc vivit domi aeger animo propter hanc calamitatem,
Diris devovet liberos[17]) execrandis,
Ut perdant hanc domum acuto ferro.
Filii mei incidentes in metum, ne ratas
Diras illas Dii perficerent, si habitarent simul,
Paciscentes constituerunt, ut iunior Polynices
Tantisper volens[18]) exulare hac terra;
Eteocles vero manens, sceptra terrae teneret,
Per vices mutarent annum. Postquam autem in throno
Regni consedit, non discedit ex regno,
Sed extrudit exulem Polynicem ex hac terra.
Ille Argos veniens, iunctus affinitate Adrasto,
Magnum conscribens exercitum Argivorum adducit,
Et veniens ad ipsa haec Thebana moenia septem portarum,
Repetit paternum regnum, et partem terrae.
Ego ut reconciliarem eos, persuasi filio Polynici,
Ut factis induciis veniret ad fratrem, priusquam congrederentur acie;
Nuntius missus ait eum venturum esse.
O habitans lucidas plicas coeli,

---

12) cede] sic (= Eurip. μεθίστασο) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. caede (h. l., i. q. cede).

13) nutrici] sic Editt. 1558., 1562.; recte Barn. nutritio, Musgr. et Fix. altori (= Eurip. τροφεῖ).

14) infestabat] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. devastabat (Eurip. ἐπεζάρει).

15) Nec sciebat mater, se cum filio concumbere.] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Et ipsum mater, nupta filio.

16) pueros meo filio] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. pueros meos filio; Fix.: pueros filio (= Eurip. παῖδας παιδὶ).

17) liberos] sic recte Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. liberis.

18) volens] sic (= Eurip. ἑκόντα) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. errore typogr.: volvens.

Iupiter, serva nos, da reconciliationem liberis.
„Oportet enim te, si quidem curas res mortalium, non sinere
„Eundem hominem semper esse miserum [19]).
Paed. O Antigone, egregium germen patris in domo,
Postquam te mater gynaeceum relinquere
Permisit, in extrema contignatione domus,
Ut videas exercitum Argivorum, propter preces tuas:
Expecta [20]), donec investigavero viam,
Ne quis civium in sententia cogitabundus vagetur [20a]),
Et mihi, ut servo, veniat mala reprehensio,
Tibi vero, tanquam reginae. Cum exploravero omnia, dicam
Et quae vidi et quae audivi ab Argivis;
Quando veni ferens fratri tuo fidem publicam
Hinc illuc, et huc rursus ab illo.
Sed nemo civium appropinquat his aedibus.
Supera pedibus veteres scalas ex cedro factas,
Et considera campos ad Ismenum fluvium,
Et fontem, quantus [20b]) exercitus hostium.

[*Strophe* 1.]

Ant. Porrige nunc, porrige senilem manum iuveni de gradibus,
Sublevans vestigium pedis.
Paed. Ecce iunge manum, virgo, opportune ascendisti,
Exercitus Graecorum iam movetur,
Iam separant a se invicem cohortes.

[*Strophe* 2.]

Ant. O veneranda filia Latonae * Luna [21]),
Totus campus aeneus fulget.
Paed. Non segniter venit in hanc terram Polynices,
Instructus magno equitatu, et multis clypeis strepens.

[*Strophe* 3.]

Ant. Num quid partae * et aenei vectes in claustris
Saxeis instrumentis Amphionis
Iuncti sunt muris?
Paed. Confide: quod interiora attinet, bene munita est urbs.
Sed vide primum, si vis scire, quis sit.

[*Strophe* 4.]

Ant. Quis est ille fulgenti cono, qui antecedit exercitum,
Circa brachium levans aeneum clypeum?
Paed. Dux est, o domina.
Ant. Quisnam? Unde natus? dic, o senex.
Quod est nomen eius?
Paed. Hic Mycenaeus dicitur genere,
Habitat ad Lernaeam paludem, rex Hippomedon.

[*Strophe* 5.]

Ant. Heu quam superbus, quam terribilis adspectu,
Similis Giganti nato ex terra, fulgens
In picta veste, non conveniens [22]) mansuetae naturae.
Paed. Non vides ducem, qui praeterit fontem Dirces?
Ant. Alius, alius est modus [23]) armorum, * quis est iste?
Paed. Est filius Oenei Tydeus,
Habet in pectore Martem Aetolum.

[*Strophe* 6.]

Ant. Ipse [23a]) est, o senex,
Qui est maritus sororis sponsae Polynicis?
Quam alieno colore armorum, semibarbarus!
Paed. Sunt clypeati omnes Aetoli, o filia,
Et iaculatores, hastis bene collimantes.
Ant. Unde scis haec tam clare, o senex?
Paed. Videns signa clypeorum tunc notavi,
Quando veni, fidem publicam ferens tuo fratri,
Quae intuens novi armatos.

[*Strophe* 7.]

Ant. Quis iste, qui circa monimentum [24]) Zethi transit,
Comatus, oculis terribilis, et adspectu iuvenis?

---

19) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Vicissitudo.

20) Expecta] sic (= Eurip. ἐπίσχες) Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. errore typogr.: Expecto.

20a) in sententia cogitabundus vagetur] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἐν τρίβῳ φαντάζεται) in via [Fix: semita] appareat.

20b) quantus] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. quantum.

21) Luna] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix.: Hecate (= Eurip. Ἑκάτα); ab hoc nomine vs. 110. incipit in his Editt., in quibus hic vs. et subsequens in tres sunt disiuncti.

22) conveniens] sic (= Eurip. πρόςφορος) Editt. 1558., Barn.; Ed. 1562. veniens (Musgr., Fix. similis).

23) modus] sic Editt. Barn., Musgr., Fix.; Editt. 1558., 1562. motus (Eurip. τρόπος).

23a) Ipse] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Istene (Eurip. οὗτος).

24) monimentum] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. monumentum.

Paed. Est dux. *Ant.* Quanta multitudo ipsum sequens
Armata circumdat?
Paed. Hic est Parthenopaeus, Atalantae filius.

[*Strophe* 8.]

Ant. Sed eum per montes cum matre
Properans Diana, telis domans
Perdat, qui venit meam urbem expugnatum.
Paed. „Fiat ita, o filia; iure autem veniunt in hanc terram.
„Idcirco etiam metuo, ne recte eos considerent Dii.

[*Strophe* 9.]

Ant. Ubi ubi est ille, qui natus est mecum ex una matre,
Laboriosus fato Polynices,
O charissime senex?
Paed. Ille prope sepulchrum septem virginum
Niobes, stat prope Adrastum. Vides?
Ant. Video, sed non satis clare, video aliquo modo
Simulachrum formae ipsius, et pectus adumbratum.

[*Strophe* 10.]

Utinam possem facere cursum instar celeris nubis,
Per aerem ad meum fratrem!
Circumdarem brachia
Amicissimo collo miseri exulis longo tempore.
Quam decorus est in armis aureis, o senex,
Sicut matutini radii[25]) solis fulgurans.
Paed. Veniat ad hanc domum, ut possis explere hoc gaudium.
Ant. Iste vero, o senex, quis est? unde occurrit?
Qui currum candidum gubernat, cui insidet?
Paed. Est vates Amphiaraus, o domina, hic;
Victimae cum eo, et libationes sanguineae fluentes in terram.

[*Strophe* 11.]

Ant. O Luna, formosi filia
Solis, aureum circulum habens
Luminis, quam quietos stimulos
Et modestos equis inferens, gubernat currum!

25) Sicut matutini radii] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Similia matutinis radiis (Fix.: Matutinis pariter .. radiis, Eurip. ἑῴαις ὅμοια .. βολαῖς).

Ubi est, qui atrocia minatur huic urbi,
Capaneus?
Paed. Iste considerat aditus[26]) septem
Turrium, sursum ac deorsum muros metiens.

[*Strophe* 12.]

Ant. Io Nemesis, et tonitrua Iovis * graviter sonantia,
Et ignis fulminis caliginose,
Tu superbiam immodicam
Sedato; hic est, qui captivas
Pugnando Thebanas mulieres ad Mycenas
Ducet, et Lernaeam tridentem,
Ad aquam Neptuniam Amymones,
Coniiciens eas in servitutem? Nunquam,
Nunquam, o veneranda Diana, auro capillos revincta.
O Iovis filia, * sustineam servitutem[27]).
Paed. Ingredere in domum, o filia, et in contignatione
In gynaeceo maneas tuo, postquam ad delectationem
Desiderii tu venisti eorum, quae postulabas[28]) videre.
Coetus enim (postquam tumultus urbem ingressus est)
Mulierum venit ad domum tyrannicam.
„Querulum enim est muliebre genus,
„Et cum parvas occasiones sermonis accipiunt,
„Plures addunt. Voluptas vero quaedam
„Mulieribus est, ut nihil sani inter se dicant[29]).

[*Strophe*.]

Chor. Relinquens Tyrium mare, veni
(Ut essem donum Loxiae
Phoebo, e Phoenissa insula,
Et ministra aulae, ut sub iugis
Nivosi * Parnassi degerem)
Navigans remo per Ionium mare
Super circumfluos steriles campos Siciliae[30]),

26) aditus] sic (= Eurip. προςβάσεις) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. processus (quasi legisset προβάσεις).

27) servitutem] sic (= Eurip. δουλοσύναν) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. servitutem puellarem.

28) postulabas] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. male: postulabis (Barn., Musgr. cupiebas = Eurip. ἔχρῃζε).

29) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Mulierum loquacitas.

30) Siciliae] sic (= Eurip. Σικελίας) Editt. 1558., 1562., Musgr., Fix.; Barn. in textu Σικελίας exhibens, adscripsit: legendum esse Κιλικίας, quamobrem in lat. interpret. recepit: Ciliciae.

Spirante flatu Zephyri in coelo
[*Antistrophe.*]
Optimum stridorem. † Electa ex urbe mea
Ut essem donum Apollini, veni in Cadmeam terram
Inclytorum liberorum Agenoris, missa huc ad cognatas Laii
Turres, quae sunt sicut statuae ex auro factae.
Sum serva Apollinis.
Praeterea expectat me aqua Castalii fontis,
Ut riget meas comas, delicias virginum,
[*Epodus.*]
In sacrificio Phoebi. † O splendens petra ignis
Lumine duorum verticum, supra cacumen
Bacchi; et tu, o vitis Bacchi,
Quae profers quotidianum potum,
Agrestes amittens botros, o divina antra draconis,
Et vos montanae speculae Deorum, et nivosum[30a])
Circumdans sacrum montem immortalis Deae
Chorus, utinam fiam sine metu in istis vallibus
Phoebi, relinquens Dircen!
[*Strophe.*]
Nunc ante moenia veniens Mars bellicosus,
Incendit hostilem sanguinem, quod utinam ne accidat urbi;
„Communes enim sunt amicorum dolores[31]).
Commune est, si quid patitur ista terra septem turrium,
Regioni Phoenissae. Eheu est communis sanguis, communes liberi
Cornutae Iûs: quibus ego
[*Antistrophe.*]
Aerumnarum particeps sum. † Apud urbem nubes clypeorum
Densa fulgurat, species cruentae pugnae,
Quam Mars mox adferet filiis Oedipi,
Ferens noxam ab Erinnybus.
O Argos Graecum, metuo
Tuum robur, et id, quod divinitus accidit.
Non enim ad iniustum certamen armatus
Venit iuvenis, qui ad hanc domum accedit.
[*Polynices, Chorus, Iocaste, Eteocles.*]
Pol. Claustra ianitorum me receperunt
Facile, ut venirem in urbem,
Propter quod etiam metuo, ne me intra retia
Accipientes, non dimittant sine caede corporis.
Quapropter circumferendi sunt undique oculi
Huc et illuc, ne quis sit dolus.
Armatus manum hoc ense,
Efficiam, ut tuta sit mihi fiducia audaciae.
Heus quid istuc est? an vero strepitum metuo?
„Omnia enim audentibus periculosa videntur,
„Quando per hostilem incedunt terram[32]).
Confisus sum matri, (et tamen non plane confido)
Quae mihi persuasit, ut factis induciis huc venirem.
Sed prope est auxilium; foci enim altarium
Prope adsunt, et non desertae domus.
Age dimittam gladium in obscuram vaginam,
Et has interrogabo, quae adstant aedibus,
Peregrinae mulieres. Dicite, quanam ex patria
Acceditis ad Graecas domos?
Chor. Terra Phoenissa patria aluit me;
Agenoris nepotes ex spoliis
Miserunt me huc Phoebo donarium;.
Cumque esset me missurus Oedipi filius inclytus
Ad venerandum oraculum Apollinis, et penetralia,
Interea Argivi duxerunt exercitum ad urbem.
Tu vero responde mihi, quisnam sis, qui venis
Ad Thebas urbem septem turrium.
Pol. Pater mihi est Oedipus, Laii filius,
Peperit me Iocaste, filia Menoecei,
Vocat me Polynicem Thebanus populus.
Chor. O cognatio filiorum Agenoris,
Meorum dominorum, a quibus missa sum.
Procumbo ad genua
Tibi, o rex, colens legem patriam.
Venisti tandem post longum tempus in terram patriam.
Heus heus veneranda mater, venias extra aedes, aperi portas!
Num audis hunc, quem peperisti? quid cunctaris
Egredi aulam excelsam, et complecti brachia filii?
Iocast. O puellae, vocem Phoenissam intra

30a) nivosum] sic (= Eurip. *νιφόβολον*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. vinosum.

31) Huic versui in Editt. 1558., 1562. in marg. appositum est proverbium: Amicorum omnia communia.

32) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Hosti nihil videtur tutum.

Aedes istas audiens, * senecta tremulum
Incessum pedis traho. O fili, post longum intervallum,
Et post multos dies adspicio oculum tuum.
Amplectere ubera matris brachiis tuis
Et delicias genarum, * et canas comas capillorum,
Obumbrans collum meum.
Io, vix apparens praeter spem et praeter opinionem
In brachiis matris, quomodo compellabo te? quomodo tibi omnia dicam?
Quando manibus et verbis multiplicem voluptatem,
Huc et illuc inambulans, et delectationem
Veteris gaudii accipiam? O fili,
Reliquisti paternam domum desertam,
Exul missus fratris iniuria.
Quam desideratus amicis, * quam desideratus Thebis!
Unde rasi canos meos,
Dimittens capillos funestos et luctuosos,
Et non induta sum candidis vestibus: o fili,
Atras et squalidas has tenebris aedes
Incolo; senex in domo
Excaecatus, iumenti[32a]) comparis
Eius, quod abiunctum[32b]) a sua familia, desiderium lachrymosum
Semper habens, insiliit gladium,
Ut sibi mortem conscisceret, * et in summa parte aedium
In strangulationem prorupit cum gemitu, execrans liberos
Cum vociferationibus querelarum in tenebris
Occultatur. Te vero, o fili, audio connubio
Coniunctum, coniugalem voluptatem
Habere in externa terra et peregrinos
Curare affines. Haec sunt intolerabilia matri,
Et Laio avo tuo, * nuptiarum esse accersitam noxam.
Neque ego lumen ignis accendi tibi
In nuptiis legitime, ut decet matrem beatam;
Nec Ismenus curavit Hymenaeum,
Qui ex balneis constat deliciarum; per Thebanam urbem
Praeteritus est silentio ingressus tuae sponsae.
Pereant: sive ferrum, sive dissidium,
Sive pater tuus in causa est, * sive fatum
Petulanter invasit domum Oedipi:
Ad me veniunt dolores horum malorum.
Chor. „Partus, qui eduntur, dolore vehementer movent matres[33]):
„Ac totum genus muliebre amans est liberorum.
Pol. Mater, bene et non bene cogitans, veni
Ad viros inimicos; sed necesse est
„Omnes amare patriam; qui aliter dicit,
„Verbis delectatur, mentem vero illic habet.
Adeo autem ad turbas et timorem ventum est,
Ne quis dolus a fratre me occidat,
Ut habens manum armatam gladio per urbem
Venerim circumferens vultum. Unum me iuvabit,
Induciae et tua fides, quae me introduxit
Intra moenia paterna. Veni vero multum lachrymans,
Post longum tempus videns aulam et focos Deorum,
Et gymnasia, in quibus nutritus sum, et aquam Dirces,
A quibus non iuste pulsus, peregrinam urbem
Habito, habens adspectum per oculos lachrymantem.
Ex illis doloribus meis te video dolore
Affectam capite rasam et luctuosa veste.
Heu mea mala!
„Quam misera res est, o mater, odium inter domesticos[34]),
„Et quam difficile reconciliantur!
Quid agit pater senex in aedibus
Videns tenebras? quid porro sorores duae?
An non miserae gemunt exilium meum?
Ioc. Aliquis Deus male perdit genus Oedipi.
Sic enim coepit[35]), ut ego parerem contra fas,
Et ut male duceret uxorem pater tuus, tuque nascereris.
Verum ad quid haec? „Oportet ferre fatalia.
Quomodo autem interrogem, ne mordeam tuum animum,
Metuo, quae volo; venis enim mihi desideratus.
Pol. Quaere, nihil omittas.
„Quae enim tu vis, ea et mihi grata sunt, mater.

32a) iumenti] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: iugi (*fraterni*).
32b) abiunctum] sic scripsi (= Eurip. ἀποζυγείσας, Barn.: disiunctum); Editt. 1558., 1562. adiunctum.

33) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Matrum amor in liberos.
34) H. l. ibid. nota marg.: Odium cognatorum.
35) coepit] sic (= Eurip. ἤρξατ') Barn., Fix.; Editt. 1558., 1562. cepit (h. l., i. q. coepit).

Ioc. Interrogo primum, quae volo consequi.
„Esse exulem, nonne magnum malum est?
Pol. „Maximum, re maius est quam verbis.
Ioc. „Quonam modo? quid est usque adeo malum exulibus[36])?
Pol. „Unum est maximum, non habent libertatem dicendi.
Ioc. „Servi est, (quod dixisti) non dicere aliquem id, quod sentiat.
Pol. „Oportet ferre stultitias illorum, qui dominantur.
Ioc. „Et hoc acerbum est, desipere cum stultis.
Pol. „Sed serviendum est propter utilitatem contra naturam.
Ioc. „Spe aluntur exules, ut dicitur.
Pol. „Adspiciunt eae pulchris oculis, cunctantur tamen.
Ioc. Neque tempus ostendit tibi eas esse inanes?
Pol. Habent Venerem, suavem Deam quandam.
Ioc. Unde alitus es, priusquam per nuptias invenires victum?
Pol. Aliquando habebam in diem, aliquando non habebam.
Ioc. Non iuvabant te amici patris, et hospites?
Pol. Bene sit tibi; „amicorum res in calamitatibus nihil sunt[37]).
Ioc. „Non extulit te nobilitas ad magnum gradum?
Pol. „Malum est nihil habere. Genus non aluit me.
Ioc. „Patria, ut videtur, charissima res mortalibus est.
Pol. Non quidem dicere possum, quam dulcis sit.
Ioc. Quomodo venisti Argos? quid consilii habuisti?
Pol. Apollo Adrasto aliquod oraculum dedit.
Ioc. Quale? quid hoc dixisti? non satis intelligo.
Pol. Iussit dare nuptum filias apro et leoni.
Ioc. Quomodo tibi societas erat nominis bestiarum, o fili?
Pol. Non scio; fatum me ad hanc fortunam vocabat.
Ioc. Sapiens enim est Deus. Sed quomodo nactus es connubium?
Pol. Nox erat, cum veni ad porticus Adrasti.
Ioc. Quaerens cubile, sicut exul errans?

36) H. l. in Ed. 1558. nota margin.: Exulum miseriae.
37) H. l. in Ed. 1558., 1562. nota marg.: Falsi amici.

Pol. Haec erat causa; deinde venit alius exul.
Ioc. Quis iste? non et ille miser erat[38])?
Pol. Tydeus, quem dicunt natum Oeneo patre.
Ioc. Quare feris vos Adrastus comparavit?
Pol. Eo quod venimus in certamen de stragulis.
Ioc. Ibi filius Talai intellexit vaticinia?
Pol. Et dedit nobis duobus duas puellas.
Ioc. Suntne felices aut infaustae nuptiae?
Pol. Non reprehendo nuptias ad hoc usque tempus.
Ioc. Quomodo persuasisti huc te sequi exercitum?
Pol. Adrastus iuravit duobus generis hoc,
Tydeo et mihi, (hic enim est affinis meus)
Se reducturum utrumque in patriam, me vero prius.
Multi principes Danaorum et Mycenaeorum
Adsunt, officium mihi triste, sed necessarium
Dantes; duco enim exercitum adversus
Patriam. Deos autem iuro, quod invitus
Intuli bellum charissimis parentibus.
Sed ad te pertinet reconciliatio horum malorum,
O mater, ut reconcilians charos fratres,
Liberes a laboribus me, et te, et totam urbem.
Iam olim quidem celebratum est, sed tamen dicam:
„Opes hominibus sunt honoratissimae,
„Et habent maximam potentiam inter homines.
Propter has huc venio, ducens multas
Hastas. „Nam nobilis vir, si pauper sit, nihil est[39]).
Chor. Atqui Eteocles ad reconciliationem huc
Accedit; tui officii est, o mater Iocaste, dicere
Tales sermones, quibus reconciliare possis filios.
Eteo. Mater, adsum dans tibi hanc gratiam;
Veni; quid me facere oportet? incipiat aliquis dicere:
Quia circa moenia iuga currus et manipulos
Instruens, inhibui civitatem, ut te audirem
De communi reconciliatione, propter quam factis induciis,
Me persuadens, hunc in urbem recepisti.
Ioc. Expecta. „Celeritas non iuste agit.
„Tarda consilia efficiunt multa sapienter[40]).

38) non et ille miser erat?] sic scripsimus interrogationis signo adiecto; Editt. 1558., 1562. non — erat.; Musgr. et Fix.: quippe vero miser et ille erat. (Eurip. ὡς ἄρ' ἄθλιος κἀκεῖνος ἦν.).
39) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Paupertas.
40) H. l. in his Editt. nota marg.: In praeproperum.

Remitte torvos oculos, et flatum animi;
Non enim intueris praecisum a faucibus caput
Gorgonis, sed vides venientem fratrem tuum.
Tu rursus vultum ad fratrem verte,
Polynices; nam in idem videns oculis,
„Dices melius, et melius excipies huius sermones.
Admonere vos aliquid sapienter volo.
„Quando amicus aliquis iratus amico
„Congrediens, mutuo adspicit,
„Oportet tantum ea considerare, propter quae venit,
„Priorum vero malorum nequaquam meminisse[41]).
O fili Polynices, tua oratio prior erit.
Tu enim venis adducens exercitum Graecorum,
Passus iniusta, ut tu dicis; index vero aliquis
Deorum fiat, et reconciliator malorum.
Pol. „Oratio veritatis simplex est,
„Et non habet opus multis hinc inde interpretationibus:
„Res ipsa pro se dicit; mala vero causa
„Languens in sese, habet opus accuratis pharmacis.
Ego sollicitus de domo patris,
Et meas et huius volens effugere execrationes,
Quas Oedipus dixit adversus nos aliquando,
Discessi sponte mea ex hac terra,
Concedens fratri, ut regnum teneret in patria per unum annum,
Ut ipse regnarem rursus per vices accipiens,
Et non huc veniens per inimicitiam et caedem,
Aliquid mali facerem et paterer, quae fiunt.
Ipse probans haec, et invocans Deos testes,
Nihil eorum fecit, quae dixit, sed habet[42])
Ipse regnum, et partem mei regni.
Et nunc paratus sum mea recipiens,
Exercitum extra hanc terram dimittere,
Habitareque meam domum accipiens per vices,
Et illi reddere rursus aequali tempore;
Et non expugnare patriam, neque admovere
Fixas scalas turribus ad ascensionem.
Sed meis non potitus, experiar iure
Facere ea, quae institui: et voco Deos testes,

41) Huic loco in marg. harum Editt. adscripta sunt verba: Reconciliationis regula.

42) Ipse probans — sed habet] hi duo versus in Editt. 1558., 1562. male bis deinceps typis sunt exscripti.

Quod omnia iure faciam, iniuste vero
Spolier patria sceleste.
Haec singula, mater, non perplexos
Sermones colligens dixi, sed et sapientibus
Et hebetibus iusta, ut mihi videtur.
Chor. Mihi quidem, etiamsi non sumus in Graecia
Alitae, videtur tamen prudenter dicere.
Eteo. „Si omnibus idem esset pulchrum, et idem videretur.
„Non esset ambigua dissensio inter homines;
„Nunc vero nihil simile, nihil aequale hominibus est[43]),
„Praeter nomina, res non est eadem.
Ego, mater, non occultans dicam.
Velim ire ad ortum solis et astrorum,
Et sub terram, si possem efficere,
Ut haberem tyrannidem, Deorum maximam[44]),
Hoc igitur bonum, o mater, non volo
Alteri concedere magis, quam mihi servare.
„Ignavi enim est, plus amittere
„Quam accipere. Ad haec puderet me
Venientem hunc cum armis et vastantem terram,
Consequi quae postulat. Thebis hoc
Fuerit probrum, si ex hastae Myceneae
Metu traderem sceptra mea, ut hic haberet.
Oportebat ipsum non armis reconciliationem
Facere, o mater. „Oratio enim emendat omne[44a]),
„Quod vel ferrum hostium facere possit[45]).
Sed si vult alioqui habitare hanc terram,
Licet sane; illud autem volens nunquam concedam,
Cum liceat mihi regnare, ut serviam huic.
Ad haec veniant mihi ignes, veniant enses,
Iungite equos, implete campos curribus,
Quia non tradam huic meum regnum.
„Si enim iniuste sit agere, tum[45a]) regni causa
„Pulcherrimum est iniuste agere; in aliis opus est uti pietate[46]).

43) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Quot capita, tot sensus.

44) Deorum maximam] sic Editt. 1558., 1562., Fix.; Barn., Musgr.: Dearum maximam (Eurip. τὴν θεῶν μεγίστην). — H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Regni cupiditas.

44a) omne] sic (= Eurip. πᾶν) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. omnes.

45) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Orationis vis.

45a) tum] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. dum.

46) H. l. in his Editt. nota marg.: „Iniustitia ob regnum. Vide Cic. 1. Offic." (Cic. Offic. I, 8, 26.).

Chor. „Non convenit pulchra dicere in rebus inhonestis.
„Non enim est hoc bonum, sed acerba res est iustitiae.
Ioc. „O fili, non omnia mala senectuti
„Adsunt, Eteocles; sed experientia
„Habet [47]) aliquid dicere sapientius quam iuvenes.
„Quare pessimam Dearum concupiscis,
„Ambitionem? o fili, ne facias, iniusta Dea est.
„In multas familias et urbes beatas
„Intravit et egressa est cum pernicie utentium,
„Propter quam tu insanis. Illud multo melius est, o fili,
„Aequalitatem colere [48]), quae semper amicos amicis,
„Urbes urbibus, et socios sociis
„Colligat; aequalitas enim est legitima inter homines.
„Abundantiori semper inimicum est
„Id, quodquod minus est, et inchoat statim hostilem diem.
„Etenim mensuras hominibus et pondera
„Aequalitas ordinavit, et numeros constituit;
„Obscuramque palpebram noctis, et lumen solis,
„Ut aequaliter circuirent annuum circulum [50]), constituit.
„Et neutrum horum duorum victum invidet alteri,
„Atque ita sol et nox serviunt hominibus.
Tu autem non sustinebis habere aequam partem regni,
Et huic tribuere suam partem? ubi est ius?
Quid tyrannidem, beatam iniustitiam,
Valde colis et magnificis,
Honore affici magnum putas? inane est hoc,
An multum laborare vis, habens multa in domo?
Quid est hoc amplius? nomen habet tantum.
„Nam sufficientia sufficiunt modestis.
„Neque enim homines proprias possidemus opes,
„Sed habentes a Diis datas, curamus eas:
Qui, quando volunt, auferunt istas rursus.
„Potentia enim non est stabilis, sed in diem [51]).
Age, si ita interrogem, duas sententias proponens simul,
Utrum malis regnum tenere, aut urbem servare:
Regnare velle dices? Si vero vicerit te iste,
Et Argivorum hasta exercitum Thebanum ceperit,
Videbis domitam Thebanorum civitatem hanc:
Videbis multas puellas captivas,
Vi raptas ac hostibus.
Dolorem haec potentia, quam habere quaeris,
Allatura est Thebanis; tu tantum es ambitiosus.
Tibi quidem haec dico; tibi vero, Polynices, haec.
Adrastus contulit in te intempestivam gratiam;
Et stulte venisti tu quoque expugnaturus patriam.
Age, si ceperis hanc urbem (quod avertant
Dii): quomodo eriges trophaea istius pugnae?
Quomodo primitias dedicabis in sacrificando, capta patria?
Et quomodo inscribes spolia ad flumen Inachi?
Nempe de Thebis incensis Polynices Diis hos
Clypeos posuit. Nunquam, o fili, fama
Talis de te in Graecia feratur.
Sin fueris victus, et res huius succedant:
Quomodo venies ad Argos, relinquens innumera cadavera?
Et dicet aliquis: O infelices nuptias,
Adraste, collocans, propter unius puellae coniugium
Exitium nacti sumus [52]). Festinas ad duo mala, o fili:
Illis privari, et cadere in medio horum.
„Remittite vehementiam animi, remittite; inscitia
„Quando in unum convenit, maximum malum est.
Chor. O Dii, fiatis aversores istorum malorum,

47) Habet] sic (= Eurip. ἔχει) Barn., Musgr., Fix.; Editt. 1558., 1562. male: Habent.

48) H. l. in his Editt. nota marg.: Laus aequalitatis.

49) Id quodquod minus est] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Id quod minus est (Eurip. τοὔλασσον).

50) annuum circulum] sic (= Eurip. ἐνιαύσιον κύκλον) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. errore typogr.: animum circulum.

51) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Bona usu (pro: usui) hominibus data, non mancipio.

52) Exitium nacti sumus] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Exitum nacti sumus (Eurip. ἀπωλόμεσθα, Barn., Musgr., Fix. Periimus).

Et date reconciliationem aliquam filiis Oedipi.
Eteo. Mater, non est certamen disputationis, sed perit tempus,
Quod est in medio, frustra, tua diligentia nihil efficit.
Non enim possumus aliter reconciliari, nisi praedictis conditionibus,
Ut ego sceptra tenens, rex sim huius
Terrae. * Sine me, omittens longas admonitiones;
Et tu, Polynices, vade extra moenia, aut morieris.
Pol. Per quem? quis sic est invulnerabilis, qui in nos ensem
Letalem inmittens non feret similem necem?
Eteo. Prope adest, ante quem stas; inspice in meas manus.
Pol. Intueor; „timidae res sunt divitiae[53]), et amans vitae malum.
Eteo. Et ideo cum exercitu venisti ad eum, qui nihil est in pugna?
Pol. „Cautus enim dux praestat feroci.
Eteo. Superbus es, confidens induciis, quae te servant a morte.
Pol. Iterum reposco a te sceptra et partem terrae.
Eteo. Non reposce[54]); ego enim meam habitabo domum.
Pol. Tenes plus quam partem[55]).
Eteo. Ita affirmo; verum discede ex terra.
Pol. O Deorum arae paternae. *Eteo.* Quas tu expugnaturus ades[55a])?
Pol. Audite me.
Eteo. Quis Deus audiat te gerentem bellum contra patriam?
Pol. Et domus Deorum, qui vehuntur candidis equis.
Eteo. Qui oderunt te. * *Pol.* Expellimur e patria.
Eteo. Atqui patriam eversurus venisti. *Pol.* Id fit tua iniustitia, o Dii.
Eteo. Mycenis, non hic Deos invoca.

53) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Divites timidi.

54) Non reposce] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Elx.: Non reposcimur (= Eurip. Οὐκ ἀπαιτούμεσθ᾽).

55) Tenes p. q. partem.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. Tenens p. q. partem? (= Eurip. Τοῦ μέρους ἔχων τὸ πλεῖστον;).

55a) expugnaturus ades] sic scripsi (Editt. recent.: eversurus ades); Editt. 1558., 1562. corrupte: pugnaturus ex aedes?

Pol. Impius es.
Eteo. Sed non sum hostis patriae, sicut tu es.
Pol. Qui me expellis, carentem parte haereditatis.
Eteo. Insuper interficiam te.
Pol. O pater, audis, quae patior?
Eteo. Et qualia facis, audit.
Pol. Et tu, o mater?
Eteo. Non fas est te matris nominare caput.
Pol. O urbs!
Eteo. Vade ad Argos, et invoca Lernaeam aquam.
Pol. Vado, ne sis sollicitus; te autem laudo, mater.
Eteo. Egredere e terra.
Pol. Egredior, verum concede mi, ut videam patrem.
Eteo. Non poteris consequi.
Pol. Sed sorores virgines. *Eteo.* Neque has unquam videbis.
Pol. O sorores!
Eteo. Quid has vocas, cum illis sis inimicissimus?
Pol. Mater, tu laeta vale.
Ioc. Laeta scilicet patior, o fili.
Pol. Non amplius sum filius tuus.
Ioc. Ad magnas calamitates ego nata sum.
Pol. Ille enim iniuria me afficit.
Eteo. Et ego vicissim iniuria afficior.
Pol. Ubinam stabis ante turres?
Eteo. Ad quid hoc me interrogas?
Pol. Ego contra te instruens aciem, occidam te.
Eteo. Et me amor habet huius rei.
Ioc. Me miseram, quid facietis, o filii?
Eteo. Res ostendet.
Ioc. Non effugietis patris diras?
Pol. Pereat tota domus.
Eteo. Quam cito ensis meus cruentus non erit amplius otiosus!
Pol. Et terram, quae me aluit, et Deos testor,
Quod indigna et miseranda patiens, eiicior e terra
Sicut servus, et non natus ab eodem Oedipo.
Et si quid acciderit tibi, o civitas, non me, sed hunc accusato;
Invitus enim veni, invitus expellor e patria.
O Phoebe rex, custos viarum publicarum et templi, valete,
Et aequales mei, et statuae Deorum, recipientes victimas;
Nescio enim, an aliquando licebit mihi rursus vos alloqui.

„Spes nondum obdormiunt, quibus confido cum Diis,
Quod hunc interficiens, potiturus sim hac
Terra Thebana.
Eteo. Discede ex terra. Recte vero nomen Polynicis pater
Indidit tibi divina providentia cognomen contentionis[56]).

[*Strophe.*]

Chor. Cadmus venit in hanc terram ex Tyro, cui quadrupes
Vitula sponte corpus prostravit,
Oraculum dans ratum, ubi habitaret.
Campos enim oraculum,
Ferentes triticum, loca aedium fore respondit, ubi pulcher aquae
Fluvius Dirces fluit per prata florida,
Et per agros, habentes profundos sulcos; Bacchum ubi peperit
Mater conceptum ex Iove, quem hedera circumdata
Et involuta statim adhuc puerum virentibus frondibus
Obumbrantibus servans texit, Bacchi saltationem
Virginibus Thebanis * et mulieribus celebrantibus festa Bacchi;

[*Antistrophe.*]

Ubi purpureus erat draco, Martis crudelis custos,
Flumina et fluenta
Viridantia oculorum pupulis
Passim errantibus custodiens,
Quem Cadmus ad lavacra vadens interfecit, marmore
Sternens, saevum caput cubito iaciens beluae magnis iactibus.
Postea consilio Palladis, * quae est nata sine matre,
Sparsit dentes, iacentes in terra, in profundos sulcos,
Inde eduxit tibia * homines armatos in superficiem
Terrae, et caedes ferrea illos rursus reddidit
Charae terrae; rigavit autem terram sanguine,
Quae ipsam lucidis

[*Epodus.*]

Ostendit coeli flatibus. † Et te, qui ex avia
Io natus es aliquando, o Epaphe, orte ex Iove,
Vocavi, vocavi * barbara voce
Io, barbaris precibus accede, accede ad hanc terram;
Tibi eam posteri condiderunt, ubi Deae, quae habent duo nomina,
Proserpina, et amica Ceres, Dea omnium
„Domina, (omnium enim terra mater) condiderunt,
Mitte Deas ferentes signa,
Ut opitulentur huic terrae. „Omnia enim Diis facilia sunt.

[*Eteocles, Creon, Chorus, Tiresias, Menoeceus.*]

Eteo. Vade tu, et adhuc Menoecei filium,
Creontem, fratrem meae matris Iocastae,
Ita dicens, quod de privata et publica salute terrae
Velim cum ipso conferre consilia,
Priusquam veniamus in pugnam, et ad aciem.
Atqui praesens remittit laborem tuorum pedum;
Video enim ipsum venientem ad domum meam.
Cre. Accessi, ob multas causas te videre opus habens, o rex
Eteocles. Undique portas Cadmaeorum
Et custodes accessi, te quaerens.
Eteo. Atqui ego volebam te videre, o Creon.
Omnino enim inveni inutiles reconciliationes,
Postquam ad sermonem veni cum Polynice.
Cre. Audivi ipsum maius quiddam cogitare, quam Thebas,
Affinitati Adrasti et exercitui confidentem.
„Verum oportet ista suspendentem in Deos ita relinquere;
Quae vero in praesentia agenda sunt, illa venio dicturus.
Eteo. Qualia sunt ista? non intelligo tuum dictum.
Cre. Venit captivus quispiam ab Argivis.
Eteo. Dicitne aliquid novi de rebus, quae ibi sunt?
Cre. Quod undique circum turres Thebanam civitatem
Statim armis circumdaturus sit Argivorum exercitus.
Eteo. Suntne igitur urbi Cadmeorum efferenda arma?

56) His verbis in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est haec annotatio: Polynices contentiosus est, πολὺς εἰς νεῖκος.

Cre. Quo? num iuveniliter ferociens, non vides, quae oportebat te videre?
Eteo. Extra fossam hanc, tanquam cito pugnaturi.
Cre. Exigua multitudo nostra, illorum multi sunt.
Eteo. Scio illos feroces esse verbis.
Cre. Habet aliquas vires apud Graecos Argos.
Eteo. Confide, cito implebo campos eorum caede.
Cre. Velim equidem; sed hoc video magni laboris.
Eteo. Certe non retinebo exercitum intra moenia.
Cre. Atqui tota victoria pendet a consilio[57].
Eteo. Vis convertar ad alias quasdam vias?
Cre. Ad omnes potius, priusquam ad periculum semel venias.
Eteo. Quid si[58]) noctu impetum faciamus in eos ex insidiis?
Cre. Si impegeris[59]), huc iterum redibis?
Eteo. „Nox pariter commoda utrisque, sed audenti magis.
Cre. Res atrox est, in periculum incidere noctis in tenebris.
Eteo. Verum dum coenabunt, in eos impetum faciam.
Cre. Terrorem tantum feres; oportet autem vincere.
Eteo. Vadum per Dircen profundum est.
Cre. Omnia sunt deteriora, quam custodire civitatem.
Eteo. Quid si equestri proelio adoriamur exercitum Argivorum?
Cre. Et ibi exercitus curribus undique septus est.
Eteo. Quid igitur faciam? an dedam urbem hosti?
Cre. Nequaquam; sed delibera, si es sapiens.
Eteo. Quod igitur consilium erit sapientius?
Cre. Aiunt apud hostes septem viros, ut ego audivi.
Eteo. Quid est mandatum, ut faciant? istae enim exiguae sunt vires.
Cre. Praeesse certis cohortibus, ut invadant septem portas.
Eteo. Quid igitur faciemus? non enim expecto dubitationem.
Cre. Et tu ad portas septem viros adversus eos elige.
Eteo. Ut et illi praesint copiis, aut ut sint soli?
Eteo. Ut imperent cohortibus, et delige fortissimos ex civibus.
Eteo. Intelligo, ut feram opem civitati ad aditus murorum.
Cre. „Et ducibus socios addas; unus enim vir[60]) non omnia videt.
Eteo. „Secundum audaciam eligens, aut secundum prudentiam?
Cre. Utrumque spectabis; nam alterutrum solum nihil valet.
Eteo. Sic erit: veniens in urbem septem portarum
Ordinabo duces ad portas, ut dicis,
Opponens pares paribus hostibus.
Nomina porro singulorum recensere longum sit,
Cum sub ipsis muris consederitt hostes.
Sed vado, ne simus otiosi manu:
Utinam mihi contingat fratrem habere oppositum,
Quicum congrediar, ut vincam eum in pugna hasta,
Et occidam eum, qui venit eversurus meam patriam,
Et nuptias Antigonae meae sororis et filii tui
Haemonis. Si ego fortuna frustratus fuero,
Tibi necesse est curae esse, sponsionemque firmam,
De qua ante convenit; nunc facio in exitu meo.
Es frater matris meae; quid multis verbis opus est?
Nutrias eam digne, et mea et tua causa.
Pater vero suae ipse stultitiae fert praemium,
Excaecans se, non valde eum laudo;
Et nos simul imprecationibus suis, si exaudiatur, occidet:
Unum omisimus, si quod oraculum
Tiresias vates nobis dicere posset,
Id ab eo audire. Ego vero filium tuum

57) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Victoriae causa.

58) Quid si] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Quod si (Eurip. εἰ).

59) impegeris] sic Ed. 1562.; Ed. 1559. errore typogr.: inpigeris.

60) unus enim vir] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. unus vir enim

Menoeceum, qui nomen habet patris tui,
Mittam, ut accersat huc Tiresiam, o Creon;
Libens enim veniet tecum in colloquium;
Ego vero vituperavi artem divinandi
Iam ante apud ipsum, propterea de me queritur.
Urbi vero et tibi haec mando, o Creon:
Si ego vicero, cadaver Polynicis
Ne sepeliri patiaris in terra Thebana;
Sed ut moriatur, qui id sepelit, etiamsi sit amicus.
Tibi haec dico. Sed ministris meis dico:
Efferte arma, tegumenta aenea,
Ut in pugnam propositam belli
Tendamus eum vindicta victrice:
Et Cautionem, quae est utilissima Dearum,
Oremus, ut servet hanc urbem.

[*Strophe.*]

Chor. O aerumnose Mars, quare sanguine
Et morte delectaris, a Bacchi
Festis dissone? cur non in coronis habentibus pulchros choros
Iuvenilis aetatis, pandens cincinnum, tibiae
Iuxta flatum cantas
Canticum aliquod, in quo sint Gratiae exhilarantes?
Sed cum armatis, exercitum Argivorum
Incitans cum sanguine contra Thebas,
Inconcinnam saltationem praesilis?
Neque Bacchantibus tergora cervina indutis,
Sed in curribus et frenis quadrupedum[60a])
Habentium solidas ungulas equorum, *vadens ad flumen Ismeni.
Equorum curris, incitans Argivos,
Et genus Spartanorum, clypeatum chorum
Hostilem, contra saxea moenia
Ornans aere. *Certe atrox est Dea Discordia, quae haec
Excogitavit mala regibus terrae huius
Labdacidis miseris.

[*Antistrophe.*]

O admirandarum frondium et mutarum ferarum
Nemus Dianae nivale,
Et o ocule Cythaeronis, *nunquam morti destinatum
Filium Iocastae
Debueras Oedipum alere infantem,

60a) quadrupedum] Editt. 1556., 1562. quadripedum.

Expositum domo, aureis fibulis insignem;
Neque virgineum alatum et montanum
Monstrum debuerat venire (quod est luctus terrae)
Sphingis, cum inconcinnis suis carminibus,
Quae suis quatuor ungulis, Cadmi
Moenibus appropinquans, tulit aetheris
In lumen inaccessum, genus: quam inferus[61]) Pluto
Adversus Cadmeos misit.
Infelix lis alia oritur inter filios
In domo Oedipi et urbe.
„Quod enim non est bonum, nunquam erit bonum,
„Ut neque illegitimi isti pueri, matris quidem partus,
Piaculum autem patris;
Haec enim venit in cognatum lectum.

[*Epodus.*]

O terra, genuisti aliquando
(Ut audivi barbaricam
Famam olim in mea domo)
Ex alito a bestiis
Dracone, qui habebat purpuream cristam,
Genus natum e dentibus,
Pulcherrimum decus[61a]) Thebis.
Et ad nuptias Harmoniae
Venerunt coelites Deae; et cithara
Moenia Thebanae urbis,
Et a lyra Amphionica
Turres conditae sunt,
Circa medium traiectum duorum fluminum
Dirces, qui viridem campum
Ante Ismenum rigat.
Et Io, quae cornuta avia
Cadmeorum reges genuit,
Bonis innumeris
Aliis atque aliis cumulans.
Civitas haec in summis
Stetit ornamentis Martiis.

[*Tiresias, Menoeceus, Creon, Chorus.*]

Tir. Ducito ulterius, filia (quia caeco pedi
Tu es oculus, sicut stella nautis)
Huc in planum campum vestigium ponens meum.

61) inferus] sic Ed. 1556. (= Eurip. ὁ κατὰ χθονός, Barn., Musgr., Fix.: infernus); Ed. 1562. male: inferis.

61a) decus] sic Editt. recent.; Editt. 1556., 1562. dedecus (utrumque = Eurip. ὄνειδος).

Praecedito, ne impingamus; imbecillis est pater tuus.
Serva mihi tabellas sortium virginea manu,
Quas accepi servans auguria avium,
In sacris sedibus, ubi vaticinor.
O fili Menoecei, nate Creontis, dic mihi,
Quam longa est reliqua urbis via
Ad tuum patrem? quia genu meum defatigatum est:
Vix incedens, longum iter conficio.
Cre. Confide; prope enim ades, o Tiresia, ad amicos tuos.
Applica pedem tuum, teneas eum, fili,
„Quia omnis currus et pes senis amat
„Alienae manus allevationem.
Tir. Si ita, adsumus; quid vocas me tam celeriter, Creon?
Cre. Nondum obliti sumus; sed collige robur,
Et spiritum collige, eiiciens anhelationem, quam contraxisti in via.
Tir. Magno labore adsum ab Atheniensibus,
Huc reductus superiori die.
Nam et ibi erat bellum contra Eumolpum,
Cuius gloriosos victores ego Athenienses feci,
Et hanc auream coronam, quam vides, habeo,
Accipiens primitias spoliorum hostilium.
Cre. Duco esse bonum signum victricem tuam coronam.
In magna procella positi sumus, sicut scis,
Belli Danai [62]), et magnum cartamen est Thebis.
Rex quidem abiit ornatus armis
Iam ad pugnam Eteocles Argivam:
Et mihi mandavit, ut audiam ex te,
Quid facientes, maxime servemus urbem.
Tir. Propter Eteoclem sane, claudens os,
Reticerem oracula; tibi vero, quando quidem vis audire,
Dicam. Laborat haec terra iam olim, o Creon,
Postquam Laius suscepit liberos invitis Diis,
Et genuit maritum matri miserum Oedipum,
Ex quo cruentae lacerationes oculorum
Divinitus acciderunt, et exemplum est Graeciae.
Quas occultare filii Oedipi longo tempore
Volentes, tanquam effugituri Deum,
Erraverunt stulte; neque enim honorem patri,
Neque exitum dantes egrediendi, hominem miserum
Irritaverunt: edidit in eos imprecationes
Diras, languens, et praeterea iniuria affectus.
Propter quae quid non faciens, quidve non dicens,
Veni in odium filiorum Oedipi?
Prope adest mors ipsorum manibus ventura ipsis, o Creon,
Et multi mortui [62a]) apud mortuos cadentes,
Argiva et Thebana miscentes tela.
Acerbum facient luctum terrae Thebanae.
Tu vero, o misera urbs, simul everteris,
Nisi sermonibus meis aliquis obtemperabit.
Illud quidem primum erat, ex filiis Oedipi
Neminem civem et regem terrae esse:
Quippe infortuniis obnoxiis eversuri erant urbem.
„Postquam autem malum potentius fuit bono;
Una restat alia ratio salutis;
Sed non est mihi tutum eam dicere.
„Acerbum est hanc fortunam habentibus,
„Urbi exhibere pharmacum salutis.
Abeo, valete; solus enim cum multis,
Quod futurum est, ut oportet, patiar; quid enim patiar?
Cre. Expecta hic senex. *Tir.* Ne me prehendas.
Cre. Mane: quid fugis? *Tir.* Fortuna te fugit, non ego.
Cre. Dicito salutem civibus et urbi.
Tir. Tu vis quidem; sed cito non voles.
Cre. Quomodo? annon volo servare terram patriam?
Tir. Vis igitur audire, et es sollicitus?
Cre. Ad quod enim aliud opus est me promptum esse?
Tir. Audies igitur iam mea oracula;
Sed prius hoc certo cognoscere volo,
Ubinam sit Menoeceus, qui me huc adduxit?
Cre. Non procul abest, prope te adstat.
Tir. Abeat nunc procul a meis oraculis.
Cre. Filius ex me natus tacebit, quae oportebit.
Tir. Vis, ut eo praesente tibi hoc dicam?
Cre. Audiens voluptatem capiet ex re tam salutari.
Tir. Audi igitur oraculorum meorum viam,
Quae facientes servetis Cadmeorum urbem.
Mactari Menoecea hunc oportet pro patria,
Filium tuum; postquam hanc fortunam ipse accersis.

---

62) Danai (i. q. Graeci)] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. Graecorum (Eurip. Δαναϊδῶν).

62a) multi mortui] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. multa cadavera.

Cre. Quid ais? cuiusmodi sermonem dixisti, o senex?
Tir. Ut res ferunt, sic oportet te facere.
Cre. O quam multa mala parvo tempore dixisti!
Tir. Tibi, sed patriae magna et salutaria.
Cre. Non audio, nec animadverto, valeat urbs.
Tir. Iste vir non retractat iterum sententiam.
Cre. Vade hinc, nihil opus est mihi tuis oraculis.
Tir. Num veritas periit propterea, quia tu infelix es?
Cre. Oro te per genua et per honestam canitiem.
Tir. Quare procidis ad genua? inevitabilia postulas mala.
Cre. Tace, ne dicas civibus hunc sermonem.
Tir. Iubes me iniusta facere? non tacebo.
Cre. Quid facies mihi? occides meum filium?
Tir. Aliis hoc curae erit; ego dicam.
Cre. Unde hoc malum venit mihi et filio?
Tir. Recte me interrogas, et hoc venit in disputationem.
Oportet hunc[63]) in ipso specu, ubi draco natus
Fuit, custos fontis Dirces,
Mactatum dare letalem sanguinem inferias terrae,
Propter veterem iram Martis contra Cadmum,
Qui poenam poscit draconi nato ex terra pro eius morte.
Et haec facientes, facietis vobis socium Martem.
Terra vero si pro fructu fructum, et pro sanguine
Sanguinem acceperit humanum, habebitis placatam
Terram, quae aliquando vobis galeatam spicam
Seminatorum edidit; oportet mori aliquem ex genere
Hoc, qui natus sit filius ex maxilla draconis.
Tu hic nobis reliquus es ex segetis eius genere,
Et tui pueri. Haemonis autem nuptiae,
„Victimam prohibent; non enim est caelebs,
„Quamvis non attigit lectum, sed habet desponsatam.
Iste vero iuvenis huic[64]) relictus urbi,
Moriens servabit patriam:
Acerbum vero reditum Adrasto, caeterisque Argivis

63) hunc] sic (= Eurip. τόνδε) Editt. 1558., Fix. (Musgr. errore typogr.: nunc; Barn.: istum); in Ed. 1562. deest.
64) huic] sic (= Eurip. τῷδ') Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. male: huius.

Faciet, triste fatum oculis obiiciens:
Et inclytas faciet Thebas; ex duabus sortibus elige
Alteram, aut filium[65]) serva, aut patriam.
Ea, quae ego potui dicere, habens omnia, praecede, o filia,
Ad domum. „Quicunque utitur divinandi arte,
„Contemptus est. Etenim si forte dixerit inimica,
„Acerbus est his, quibus[65 a]) vaticinatur;
„Dicens falsa propter commiserationem consulentium,
„Deum offendit; solummodo Phoebum hominibus
„Oportebat vaticinari, qui neminem timet[66]).
Chor. Creon, quid taces, remittens[67]) vocem non sonantem?
Et mihi non minus quam tibi stupor adest.
Cre. Quid dicat aliquis? manifesta est haec mihi oratio.
Ego enim non vado in hanc calamitatem,
Ut donem civitati interfectum puerum.
„Omnibus enim hominibus est amans liberorum vita[68]),
„Neque aliquis suum ipsius filium dederit ad interficiendum.
„Non laudet me quisquam, occidens meos liberos.
Ipse vero (sum enim in matura vita)
Paratus sum mori, patriae piaculum.
Verum age, fili, priusquam resciscat tota civitas,
Sinens immoderata oracula vatum,
Fuge quam celerrime cedens ex hac urbe.
Dicet enim principibus et ducibus haec,
Vadens ad septem portas, et ad duces.
Et si anteverterimus, servaberis;
Si vero cunctatus fueris, perimus, occideris.
Men. Quo fugiam igitur, ad quam civitatem? ad quem hospitem?
Cre. Ubi longissime ab hac terra absis.
Men. Nonne te dicere convenit[69]), et me obtemperare?

65) filium] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. errore typogr.: filiam.
65 a) quibus] sic Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. qui.
66) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Difficultas divinationem exercendi.
67) remittens] sic Ed. Barn. (= Eurip. σχάσας); Editt. 1558., 1562. male: remittes.
68) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Liberorum amor.
69) te dicere convenit] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. dicere te convenit.

Cre. Fugito in Delphos transiens.
Men. Qua via oportet discedere pater[70])?
Cre. In terram Aetolorum. *Men.* Ex illa vero quo fugiam?
Cre. Ad solum Thesprotiorum. *Men.* Religiosam ad sedem Dodonae?
Cre. Scis. *Men.* Quis receptus mihi erit?
Cre. Deus te comitabitur. *Men.* Unde est copia pecuniae?
Cre. Ego dabo aurum. *Men.* Bene dicis pater.
Cre. Vade nunc. *Men.* Vadens ad tuam sororem,
Cuius primum ubera traxi, Iocasten dico,
Cum essem privatus matre, et avulsus ab ea[71]) orphanus:
Tanquam salutaturus vado et urbem servaturus.
Cre. Age, ne, quod ad te attinet, tibi ipsi sis impedimento.
Men. O mulieres, quam bene patri exemi metum,
Decipiens eum verbis, ut consequerer, quae volo:
Qui ablegat me ex urbe, privans ista sorte,
Et dat me timiditati. Sed ignoscendum est
Seni; ego vero non mererer veniam,
Si fierem proditor patriae, quae me genuit.
Ut igitur sciatis, vado et servabo urbem,
Et dabo vitam, moriturus pro hac terra.
„Turpe enim est, si liberi ab oraculis,
„Et non impulsi necessitate divinitus,
„Stantes ad clypeos, non detrectent mori,
„Pugnantes pro patria ante turres;
„Ego vero patrem et fratrem prodens,
„Et urbem meam, tanquam timidus ex terra
„Discedam: ubicunque vixero, apparebo ignavus.
Non per Iovem, qui est in astris, et Martem caedium autorem,
Qui exortos e terra aliquando
Satos reges huius terrae constituit.
Sed abeo, et stans extra moenia
Interficiens me ad atrum specum
Draconis, ubi vates dixit,
Liberabo terram: dixi sententiam.

70) Qua via oportet discedere pater?] sic Editt. 1558., 1562. = Eurip. Ed. Basil. 1551.: πῇ με χρὴ πάτερ μολεῖν; (Musgr. et Fix. Ποῖ με χρὴ, πάτερ, μολεῖν; Quonam me oportet ire, o pater? Barn. ποὶ με χρὴ μολεῖν; Quonam me oportet ire?).

71) ab ea] sic Barn., Musgr., Fix.; Editt. 1558., 1562. male: ab eo.

Vado, donum mortis non turpe urbi
Daturus, liberabo patriam ab hoc malo[72]).
„Si enim accipiens unusquisque quodcunque possit
„Bonum, ita agat, ut in commune id conferat
„Patriae: civitates minora mala
„Experientes, in posterum beatae essent.

[*Strophe.*]

Chor. Ascendisti, ascendisti, o alata, terrae partus,
Et viperae subterraneae, ad rapiendos Cadmeos,
Causa multorum eiulatuum, perdens multos,
* partim virgo, partim leo[73]),
Hostile monstrum
Impetuosis alis,
Unguibus cruda rapientibus,
Quae aliquando ex Dircaeis
Locis adolescentes attollens,
Inconcinno[74]) eiulatu,
Et perniciosis furiis
Auferebas luctus patriae,
Caedes tu, letalis, divinitus immissa,
Unde haec contigerunt[75]).
Erant luctus matrum,
Et luctus virginum
Sonabant[76]) in domibus
Lugubrem vocem,
Lugubre carmen.
Alius alium lugebat successive per urbem.
Luctus erat similis tonitruo,
Et similis vociferatio,
Quando ex urbe occidit
Alata Sphinx aliquem civem.

[*Antistrophe.*]

Postea venit Pythiae missu
Oedipus miser
In terram Thebanam

72) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Amor reipublicae.

73) His verbis in marg. Editt. 1558., 1562. addita est explicatio: Sphingem dicit.

74) Inconciuno] Ed. 1558. errore typogr.: Inconciunuo.

75) Et perniciosis — contigerunt.] horum 4 vss. loco Barn. et Musgr. hosce exhibent:
Et perniciosis furiis,
Attulisti, attulisti dolores patriae
Cruentos. Cruentus *profecto fuit ille* ex diis,
Quicunque haec fecit.

76) Sonabaut] sic (= Eurip. ἐστέναζον) Fix. (Barn., Musgr. Resonabant): Editt. 1558. 1562. male: Sonabunt.

Tunc gaudentibus, sed postea lugentibus.
Cum matre enim incestas nuptias miser, *praeclare victis
Aenigmatis, attingit,
Et polluit urbem.
Alternis serit novas occasiones caedium,
In odiosum certamen *coniiciens imprecationibus
Filios miser. Miramur, miramur eum,
Qui ad mortem vadit pro patria,
Creonti quidem luctus relinquens,
Sed claustra septem portarum huius terrae
Victricia faciens. Utinam fiamus
Sic matres, tales pariamus filios.
O Pallas, quae draconis
Sanguinem ictum lapide
Interfecisti, *Cadmi cogitationes
Exuscitans ad hoc factum:
Unde venit ad terram hanc
Quaedam pernicies daemonum, rapiens cives.

[*Nuntius, Iocaste, Chorus, Antigone.*]

Nun. Heus, quis in portis aedium occurrit?
Aperite, educite Iocasten ex aedibus.
Heus rursus: tarde quidem, sed tamen
Egredere audiens, o inclyta uxor Oedipi,
Desine a luctibus et lugubribus lachrymis.
Ioc. O amicissime, an venis ferens aliquam calamitatem
De mortuo Eteocle, cui ad clypeum
Adstas semper, arcens tela hostium?
Num venisti nuntians aliquod novum nuntium?
Mortuusne est? an vivit filius meus? indica mihi.
Nun. Vivit; ne metuas hoc, quia liberabo te a metu.
Ioc. Quomodo se habent muri, septem portis distincti?
Nun. Stant inconcussi, et non est capta urbs.
Ioc. Venerunt ad periculum Argivae pugnae?
Nun. Ad ipsum articulum ventum est. Sed Mars Cadmeus
Superior fuit Argivis hastis.
Ioc. Unum dic per Deos, si quid de Polynice
Scis, quia mihi et de hoc curae est, an videat lumen.
Nun. Vivit tibi iugum liberorum in hunc diem.
Ioc. Sis beatus; quomodo vero Argivorum bellum
A portis depulistis inclusi turribus?
Dicito, ut caecum senem domum
Veniens oblectem, servata nostra civitate.
Nun. Postquam puer Creontis, mortuus pro patria,
In ipsis turribus stans[77]) nigri capuli ensem
Per guttur misit, quod erat piaculum pro hac urbe:
Manipulos distribuit septem, et duces
Ad septem portas, custodes Argivi exercitus,
Tuus filius speculatores: equites quidem ad equites
Ordinavit, et pedites ad pedites,
Ut laborantibus moeniis esset exercitus
Depulsio. Statim ab arduis muris
Fulgentem videmus exercitum Argivum
Relinquentem Telmesum[77a]): et is iuxta fossam
Cursu attigit urbem Cadmeae terrae.
Paean vero et tubae sonuerunt simul
Inde, et de moenibus a nobis.
Et primum adduxit ad portam ultimam
Manipulum, horrentem crebris clypeis,
Parthenopaeus filius venatricis,
Tenens domesticum signum in medio clypeo,
Atalantem, quae arcu procul iaculante aprum
Aetolum domabat. Sed ad Proetidem
Portam vadit, victimas habens in curru,
Vates Amphiaraus, non habens signa
Significantia arrogantiam, sed modeste signis carentia arma.
Ad portam Ogygiam Hippomedon rex
Accessit, habens signum in medio clypeo,
Argum videntem multiplicibus oculis:
Oculi partim[78]) versus ortum astrorum
Videbant, reliqui vero versus occasum occultati erant:
Ut postea ipso mortuo videre licebat.
Ad portam Homoloida tenebat locum suum
Tydeus, habens in clypeo pellem leonis,
Setis horrentem, dextera vero facem
Gigas Prometheus ferebat, sicut accensurus urbem.

---

77) stans] sic (= Eurip. στὰς) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; in Ed. 1562. deest.

77 a) Telmesum] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. Τελμησὸν); Editt. recent. habent Τευμησσὸν s. Τευμησὸν — Teumessum.

78) Oculi partim] sic Ed. 1562. (= Eurip. Τὰ μὲν . . . ὄμματα; Barn., Musgr., Fix.: Alios quidem . . . oculos); Ed. 1558. Oculi (omisso: partim).

Ad Crenaeam[79]) portam filius tuus Polynices
Duxit copias, furiae vero in clypeo
Signum erant, catuli cursores, qui ludebant terribiliter,
Pulchre machinis intus circumacti
Sub fibula, ut viderentur insanire.
Non minus Marte in pugna audax
Capaneus adduxit copias ad portam Electram.
Ferreis in clypeo figuris signum erat,
Gigas e terra natus, in humeris totam urbem
Sustinens, vectibus convulsis violenter:
Ut esset signum nobis, qualia passura esset urbs.
Adrastus erat in septima porta,
Implens clypeum pictura, quae habuit centum viperas
Hydrae: habens in laevo brachio
Argivum signum, extra moenia
Dracones efferebant pueros Thebanos in genis.
Fui spectator horum omnium,
Tesseram ferens ducibus ordinum.
Et primo quidem arcubus et sagittis
Pugnabamus, et fundis longe ferientibus.
Et lapidum[80]) fragmentis cum essemus superiores pugna,
Clamavit Tydeus et filius ex te natus:
O filii Danaum, priusquam laceremur iactibus,
Quid cunctamini simul omnes incidere in portas,
O expediti equites et gubernatores curruum?
Postquam audiverunt hanc vocem, nullus erat ignavus:
Multi cadebant cruentati capitibus
In nostrum solum; vidisses ante moenia
Crebros saltando expirare animam,
Siccam rigabant terram fluxu sanguinis.
Arcas, non Argivus, sed filius Atalantae,
Sicut turbo aliquis invadit portas, clamat
Ignem et ligonem, tanquam eversurus urbem.
Sed repressit ipsum furentem marini Dei
Filius Periclymenus[80a]), deiiciens saxum in caput,
Quod impleret[81]) currum, pinnam de muris,

79) Crenaeam] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta sunt: „a fonte" (κρήνη).

80) lapidum] sic Ed. 1558. (= Eurip. πετρῶν; Barn., Musgr., Fix. saxorum); Ed. 1562. errore typogr.: lapidem.

80a) Periclymenus] (= Eurip. Περικλύμενος) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Periclymenis.

81) impleret] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix.: implevisset.

Qua dispersit cruentum caput, et vertebras
Ossium rupit, statim rubras genas
Cruentavit; neque referet vitam
Insigni iaculatrici matri, puellae Maenali.
Postquam hanc portam vidit fortunatam,
Accessit ad reliquas filius tuus, sequebar ego.
Video autem Tydea, et crebros milites
Aetolicis hastis in summitates
Turrium iaculantes, ut murorum
Altitudines relinquerent nostri fugientes; sed eos rursus
Tanquam venator filius tuus colligit,
Et eos rursus in turrim collocavit; nos vero ad aliam portam
Festinabamus, curato hoc malo.
Quomodo dicam, quam Capaneus insaniverit?
Longae scalae gradus
Conscendebat, et sic gloriabatur,
Ne divinum quidem ignem ipsum Iovis prohibiturum,
Quo minus in summis muris capiat urbem.
Et haec simul dixit, et ictus lapide
Declinavit, detorquens corpus sub ipsum clypeum,
Ascendens rasa tabulata tignorum scalae.
At iam transcendentem pinnas murorum
Ferit eum fulmine Iupiter. Intremuit vero
Terra, ut omnes metuerent; at ex scalis
Evertebantur, velut a funda, eius membra[82]) divulsa invicem.
Versum coelum comae, sanguis vero in terram,
Sed tanquam rota Ixionis, manus et membra
Volvebantur: ignitum vero in terram cadit cadaver.
Postquam vidit Adrastus Iovem inimicum exercitui,
Extra fossam reduxit Argivum exercitum.
Nostri vicissim dextrum Iovis signum
Videntes, eduxerunt currus,
Equites et pedites, et in media Argivorum arma
Commiserunt pugnam hastis, omnia mala simul erant.
Moriebantur, cadebant ex suis curribus,
„Rotae saltabant, et frangebantur axes,
Et cadavera cadaveribus cumulabantur simul.
Prohibuimus igitur effossionem turrium terrae huius
Hodie, an vero salva

82) at ex scalis . . . eius membra] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. at eius ex scalis . . . membra.

Futura sit in posterum haec urbs, Dii curabunt.
Chor.[83]) Pulchrum est vincere; si vero Dii meliorem
Habuerint sententiam, ego felix essem.
Ioc. Pulchre habent, quae sunt Deorum et fortunae.
Filii sunt salvi, et civitas evasit periculum.
Creon videtur mearum nuptiarum,
Et horum malorum Oedipi poenas luere infelix,
Privatus liberis: urbi quidem faustum id et felix,
Privatim vero acerbum est; sed narrato mihi,
Quid post haec filii mei parent.
Nun. Omitte reliqua, semper es fortunata.
Ioc. Hoc dixisti suspiciose, non est omittendum.
Nun. Quid vis maius habere, quam filios salvos?
Ioc. An et in posterum prorsus sim felix, audire volo.
Nun. Dimitte me; filius tuus est sine armigero.
Ioc. Aliquod malum occultas, et involvis tenebris.
Nun. Nequaquam dicam post bona, tua mala.
Ioc. Nisi dixeris, effugiendum tibi erit in aerem.
Nun. Heu, quare me non sinis post laetum
Nuntium abire, sed vis me dicere mala?
Filii gemini tui sunt in facinore[84])
Turpissimo: pugnaturi seorsum duello.
Etenim dixerunt Argivis et Thebanis
Palam, quae nunquam dicere debebant.
Eteocles stans in arduo loco, prior incepit
De turri, iubens indici silentium exercitui.
Dixit autem: O duces Graeci
Praestantissimi Graecorum, qui huc venistis,
Et vos cives Thebani, ne propter Polynicem
Vendite animas, et pro nobis simul.
Ego enim ipse hoc periculum remittens,
Solus ingrediar certamen cum meo fratre.
Et si hunc occidero, solus regnabo in patria,
Victus autem, huic tradam urbem:
Vos omittentes certamen, in patriam
Redibitis, non relinquentes hic vitam;
Thebani vero populi satis est, qui iacet mortuus.
Sic dixit. Tuus autem filius Polynices
Ex agmine celeriter accurrit et laudavit hoc dictum.
Omnes Argivi hoc approbaverunt concursu.
Et Thebani, existimantes iusta haec esse.
Propter haec sunt factae induciae, et in medio loco inter acies
Iusiurandum dederunt omnes duces iis se staturos esse.
Iam occultabant corpus aeneis armis
Duo iuvenes senis Oedipi.
Amici ornabant ducem huius terrae,
Principes Thebani; alterum vero principes Argivorum.
Steterunt fulgentes, nec mutaverunt colorem,
Tendentes impetu ad mutuum congressum.
Accedentes alii aliunde amici,
Animantes sermone dicebant haec:
Polynices, penes te erit statuere statuam Iovis
Tropaealem et magnam gloriam parare Argis.
Eteoclem sic adhortabantur: Nunc pro patria pugnas,
Nunc victor existens, tenebis regnum.
Haec dicebant, hortantes ad pugnam;
Vates vero mactabant pecudes, et igneas acies,
Et rupturas hepatis, contrarium humorem,
Et facem, quae habet duos fines,
Signum victoriae et signum imperatorum.
Sed si quod remedium, si quam sapientem habes orationem,
Et philtra incantationum, vade et cohibe liberos
A saevo certamine, quia periculum est magnum,
Et praemia gravia: afferet tibi res lachrymas,
Privaberis duobus filiis in eo die.
Ioc. O filia Antigone, egredere ante aedes.
Non in choreis, neque in virginum coetu,
Nunc tibi procedit status fortunae.
Sed viros optimos et fratres tuos
Tendentes ad mortem, liberare te oportet
Cum matre tua, ne mutuo concidant.
Ant. Quomodo mater moerorem novum
Sonas amicis ante has aedes?
Ioc. O filia, perit vita tuorum fratrum.
Ant. Quomodo dicis? *Ioc.* Constituti sunt in singulare certamen.
Ant. Heu mihi, quid dicis mater? *Ioc.* Non grata; sed sequere.
Ant. Quo, an relinquam gynaeceum? *Ioc.* Ad exercitum.
Ant. Pudet me venire in turbam. *Ioc.* Tuae res non requirunt pudorem.

83) *Chor.*] sic Editt. Barn., Musgr., Fix.; in Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551.) hic versus et sequens non *Chori*, sed *Nuntii* verba sunt.

84) sunt in facinore] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. sunt facinore (Eurip. *μέλλετον τολμήματα*, Barn., Musgr.: agitant facinora).

Ant. Quid faciam, mater? *Ioc.* Solvas dissidium fratrum.
Ant. Quomodo solvam, mater? *Ioc.* Mecum procidens ad genua.
Ant. Praecede tu ad locum castrorum; non est cunctandum.
Ioc. Festina, festina, o filia, quia, si veniam
Ad filios ante pugnam, mea vita erit in luce.
Si tardius aderis, periimus, morieris
Cum morientibus ipsis, et ego moriens iacebo.

[*Strophe.*]

Chor. Heu, trementem horrorem,
Et tremens pectus habeo.
Heu per meum corpus
Miseratio venit matris miserae,
Propter duos filios: uter igitur
Utrum vulnerabit (heu aerumnas,
Heu Iovem, heu terram) collum
Cognatum et animam, *per clypeum et sanguinem?
Misera ego, misera
Utrum mortuum pereuntem lugebo?

[*Antistrophe.*]

Heu tellus, heu tellus, duae ferae fraternae, *letales animae,
Hastam vibrantes,
Cadavera, cadavera,
Hostilia mox conficietis.
Miseri, quod unquam in singularis certaminis
Cogitationem venerunt.
Voce barbara lugubrem sonum,
Qui eiulatus convenit mortuis,
Lachrymis lamentabor.
Forte prope adest fortuna caedis,
Decernet futurum de vita eorum[84a].
Ista caedes est importuna,
Orta ab Erinnybus.
Verum Creontem video hunc, huc tristem
Ad domum venientem, omitto hos sermones.

[*Creon, Chorus, Nuntius, Antigone, Oedipus.*]

Cre. Heu mihi, quid agam? num me ipsum, an vero urbem,
Lugeam lachrymans? quam undique habet nubes[85]
Talis, ut sit eundum per Acheruntem.
Meus filius pro patria mortuus periit,
Nobile nomen consecutus, sed mihi dolorem afferens.
Quem nunc trahens ex specu draconis,
Interfectum a se ipso miserum porto in manibus
Vociferatur tota domus, ego veni accersens
Sororem Iocasten, ut
Lavet et componat filium meum, qui non vivi amplius.
„Mortuis enim oportet non mortuum
„Honores dando colere Deum subterraneum[86])
Chor. Tua soror egressa est ex aedibus, o Creon
Et filia Antigone una.
Cre. Ad quam calamitatem? communica mihi
Chor. Audivit filios singulari certamine ess
Decertaturos pro regno.
Cre. Quomodo dicis? ego cadaver mei fili curans,
Non veni huc, ut hoc scirem.
Chor. Abiit soror tua iam dudum.
Existimo autem certamen de vita, Creon,
Iam commissum esse filiis Oedipi.
Cre. Hei mihi, video signum hoc,
Tristem oculum, et vultum nuntii
Venientis, qui nuntiabit nobis hoc, quod sit.
Nun. O miser ego, quem dicam sermone quam orationem?
Cre. Perimus, non habet speciosum prooemiu oratio.
Nun. Heu me miserum, iterum clamo; mag enim fero mala.
Cre. Quodnam malum dicis, praeter alia, qu acciderunt?
Nun. Filii sororis non sunt in luce amplius.

[*Strophe* 1.]

Cre. Heu magnos dolores sonas mihi et ur
Nun. O domus Oedipi, audi haec,
Filiis extinctis simili clade.
Chor. Ut lachrymaretur, si sensum haberet.

[*Strophe* 2.]

Cre. Heu calamitatem miserrimam,
Heu mala! miser ego et infelix.
Nun. Si scias mala, quae praeter haec i derunt.
Cre. Et quomodo possunt fieri istis tristiora

84a) eorum] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. earum.

85) nubes] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. apposita est haec explicatio: „id est, mala. Sic frequenter loquitur.".

86) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Exequiae.

Nun. Mortua est soror tua cum duobus filiis.
Chor. Elevate, extollite luctum,
Et candidarum manuum planctus supra caput.
Cre. O misera Iocaste, qualem finem vitae
Et nuptiarum tuarum propter aenigma Sphingis sustinuisti?
Quomodo accidit interitus duorum adolescentum?
Et certamen ortum ex diris Oedipi? dic mihi.
Nun. Successus urbis nostrae ante moenia
Scis; non enim ita procul sunt ambitus murorum,
Ut nescias omnia, quae ibi geruntur.
Postquam armaverunt corpus aeneis armis
Senis Oedipi adolescentes,
Steterunt venientes in locum medium inter acies
Duo duces, et duo praefecti,
Tanquam dimicaturi singulari certamine.
Intuens Argos, emisit Polynices preces:
O veneranda Iuno, tuus enim sum, postquam nuptiis
Adiunxi Adrasti filiam, et illius habito terram,
Da mihi occidere fratrem, et contrariam meam
Dextram cruentare victricem:
Peto turpissimam coronam, videlicet ut interficiam fratrem.
Multis obortae sunt lachrymae, ob magnitudinem calamitatis;
Intuebantur se mutuo obvertentes pupillas.
Eteocles vero ad Palladis armatae aureo scuto
Domum videns, precatus est: O filia Iovis,
Da, ut hastam victricem ex manu
In pectus fratris ab hoc brachio mittam,
Et interficiam eum, qui venit eversurus meam patriam.
Postquam eluxit fax loco Tyrrhenicae
Tubae sonitus, signum cruentae pugnae:
Saltaverunt contra se mutuo atroci saltu,
Et sicut apri acuentes saevas genas,
Commiserunt pugnam, madidi genis propter spumam.
Impetum faciebant hastis, sed sedebant sub clypeis rotundis,
Ita ut hastae excuterentur frustra.
Cum autem alter oculum extantem supra clypeum videbat,
Vibrabat hastam, versus os volens convertere;
Sed bene reducebant intra oras clypei
Oculos, ut esset otiosa hasta.
Plus vero spectantibus stillabat sudoris,
Quam agentibus, propter metum amicorum.
Eteocles autem, offendens pedem ad saxum,
Vestigio currens, membrum extra clypeum
Ponit; Polynices vero accurrit,
Plagam ferro traditam videns,
Tibiamque transegit Argiva hasta.
Totus exercitus Graecus exclamavit.
Et in hoc labore nudum humerum videns,
Prius vulneratus, per pectus Polynicis vi
Transegit hastam, et dedit voluptatem
Civibus Thebanis; sed fregit summam hastam.
Veniens ad inopiam hastae, insistens in pedem, retro
Cedit, et accipiens misit marmoreum lapidem,
Et contudit medium telum. Iam Mars aequalis
Erat, amborum manibus privatis hasta.
Ibi arripientes capulos ensium,
Congressi sunt cominus, committentes clypeos:
Habebant magnum tumultum circumstantem ipsos.
Et Eteocli in mentem venit quodammodo Thessalicae
Fraudis, ut opem ferret patriae:
Omittens praesentem laborem,
Sinistrum quidem pedem retro refert,
Cavens sibi ab anteriori cavo ventris,
Tum proponens dextrum pedem, per umbilicum
Mittit telum et attigit vertebras.
Simul autem flectens latera, et ventrem miser
Polynices cum sanguineis guttis cadit.
Hic vero tanquam vincens iam, et victor pugnae,
Abiiciens gladium in terram, spoliabat eum,
Non habens mentem apud se, sed illic.
Quod et fefellit eum; adhuc enim exiguum quiddam spirans,
Servansque ensem in tristi casu,
Vix quidem, extendit tamen ensem in hepar
Eteoclis Polynices, qui prius lapsus erat.
Ita terram mordicus apprehendentes iuxta se,
Cadunt ambo, et non discreverunt victoriam.
Chor.[67] Heu heu, quantum tuus ego gemo mala tua, Oedipe.

---

67) *Chor.* .... *Cre.*] sic (= Eurip. Ed. Basil. 1551.) Editt. 1558, 1562. et Ed. Valcken. (Eurip. tragoedia Phoenissae, gr

Cre.[87]) Tuas diras videtur implevisse Deus.
Nun. Audi nunc etiam, quae praeter haec acciderunt.
Postquam filii lapsi relinquunt[87a]) vitam,
Tunc mater misera accedit
Cum filia celeri gressu.
Videns autem vulneratos letali caede,
Eiulavit: O filii, tarda auxiliatrix
Adsum. Advoluta autem per vices, filios
Deplorabat[87b]) et lugebat magnum laborem suorum uberum,
Gemens, et soror, comes matris, simul:
O nutricii senectutis matris, o mearum nuptiarum
Proditores, fratres charissimi. Tum ex pectore
Flatum emittens difficilem rex Eteocles,
Audivit matrem, et imponens miseram manum,
Non quidem vocem edidit, sed ex oculis
Salutavit eam lachrymis, ut significaret amorem.
Alter adhuc spirabat, et intuens sororem
Et anum matrem Polynices haec dixit:
„Periimus, o mater, miseret me tui,
„Et sororis huius, et fratris mortui.
„Amicus enim hostis factus est, sed tamen amicus.
„Sepelias me, o mater et tu soror,
„In terra patria, et urbem iratam
„Placate, ut eatenus consequar
„Terram patriam, etsi regnum perdidi.
„Claude palpebras meas tua manu
„O mater (ponit autem eam simul ipse ad oculos suos)
„Et valete; iam enim circumdant me tenebrae.
Ambo ibi simul exhalaverunt miseram vitam.
Et mater, postquam vidit hanc calamitatem,
Vehementer dolens rapuit gladium haerentem in cadavere,
Et fecit atrocia; nam per medium guttur
Adigit ferrum, inter suos charissimos
Mortua iacet, porrigens ambobus manus.
Surrexit autem erectus exercitus in contentionem sermonum:
Nos, tanquam vicisset dominus noster;
Illi, tanquam alter; erat contentio inter duces.
Illi Polynicem prius verberasse hasta dicebant;
Hi vero, quod utroque mortuo nusquam victoria esset.
Et tunc recessit Antigone seorsim ab exercitu;
Isti vero surrexerunt ad arma. Bene autem quadam providentia
Sedebat Thebanus exercitus in clypeis,
Et antevertimus nondum armis septum
Argivum exercitum, irruentes subito;
Et nullus restitit; compleverunt autem campos
Fugientes, fluebat sanguis multorum cadaverum
Cadentium hasta. Ut autem vicimus in pugna,
Alii statuerunt tropaeum Iovis statuam,
Alii praedantes clypeos Argivorum cadaverum,
Spolia intra urbem misimus.
Alii cum Antigone, mortua
Cadavera ferunt huc, ut sepeliant amici.
Urbi vero haec certamina felicissima
Haec peracta sunt, partim infelicissima.
Chor. Non ad aures tantum calamitas regiae domus venit.
Est enim videre cadavera mortuorum
Trium iam ante caedes,
Qui communi morte consecuti sunt aeternas tenebras.
Ant. Non tegens ornatas cincinnis
Teneras genas, neque prae virginali imbecillitate
Purpureum ruborem, qui est sub palpebris,
Vultus verita, feror sicut Baccha inter cadavera,
Velum abiiciens a mea coma,
Et deponens stolam fimbriatam deliciarum
Propter pompam luctuosam, quae fit istis mortuis.
Hei mihi, Polynices, tu utique respondisti tuo nomini.
Hei Thebae, tua lis non est lis,
Sed caedes caede perdidit domum Oedipi,
Perfecta multo sanguine et foedo.
Quod carmen,
Quam elegiam lugubrem ad lachrymas.
O domus, canam,

---

et lat. c. adnot. ed. L. C. Valckenaer. Franequerae 1755. 4.); in Editt. Barn. et Musgr. uterque versus *Creontis* est, in Ed. Fix. vero et Bothii vers. german. (Euripides' Werke verdeutscht von Fr. H. Bothe. Mannheim 1837. 8.) uterque est *Chori*. — Praeter hanc personarum varietatem etiam in verbis prioris versus Editiones differunt. Editt. Basil. 1551. et Barn. habent *κακῶν σῶν, Οἰδίπου, σὸς ὢν, στένω·* Valck., Musgr., Fix. *κ. σ., Οἰδίπους, ὅσον στένω·* (Conf. Valckenarii adnot. ad h. l.). Quamobrem in lat. interpr. Ed. Barn. h. l. haec leguntur: tuus quum sim, ego gemo mala tua, Oedipe; in Ed. Musgr.: Quantum gemo mala tua, Oedipe; Editt. 1558., 1562. utramque lectionem coniunctam exprimere videntur verbis: quantum tuus ego gemo mala tua, Oedipe.

87a) relinquunt] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: reliquerunt.

87b) Deplorabat] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Deplorat.

Ferens tria cruenta cognata cadavera,
Matrem et filios, delicias Erinnyis[87c])?
Quae domum Oedipi prorsus perdidit,
Quando saevae et perplexae
Subtile carmen intellexit,
Interficiens corpus musicae Sphingis, (heu) pater[88]):
Quae Graecia[88a]), quis barbarus, quis alius superiorum
Nobilium, sustinuit tot mala,
Per quotidianum sanguinem, tales luctus manifestos?
O misera, sicut plorat[88b]) quaedam avis
In summis ramis quercus vel abietis,
Sedens privata matre:
In meis eiulatibus et doloribus similiter cano.
Heu in luctibus, quos eiulo inter ista cadavera,
Deserta vitam actura semper,
Semper stillantibus lachrymis sonabo.
Ad quem primum a laceratione comae
Primitias iaciam? an ad gemina matris meae
Ubera lactis?
An ad mortuorum fratrum vulnera perniciosa?
Heu, relinque tuam domum,
Efferens caecum oculum, o senex pater!
Ostende, o Oedipe, tuam miseram vitam, qui intra domum,
Coniiciens caliginosas tenebras in tuos oculos,
Trahis longam vitam.
Audis, o errans in domo,
Miserum pedem senilem in cubili circumferens?
Oed. Quare me, o filia, incessu baculi et caeci
Pedis, deduxisti ad lucem,
Manentem in lecto, ex thalamis tenebricosis,
Miserabilibus lachrymis[89])
Canum aetheris idolum evanidum,
Aut cadaver subterraneum, aut volatile somnium[90])?
Ant. Miserum sermonem nuntii feres.
O pater, non amplius tibi filii vident
Lucem, neque coniunx, quae ad baculum
Pedem tuum caecum inserviens
Semper curabat, pater: heu mihi!
Oed. Eheu mea mala!
Adest enim gemere, et adest sonare.
Tres animae, quo fato,
Quomodo reliquerunt vitam? o filia, loquere!
Ant. Non probri causa, neque voluptatis gratia,
Sed gemens dico, tuus genius malus
Gravis gladiis et igne et saevis pugnis
Venit ad tuos filios, o pater.
Oed. Heu, heu! *Ant.* Quare ista gemis?
Oed. Propter liberos. *Ant.* Vadis per dolores.
Si vero videns currus quadriiugos
Solis, haec corpora mortuorum
Oculorum tuorum luce considerares.
Oed. Meorum liberorum manifestum est malum,
Sed misera coniunx, quomodo est mortua?
Ant. Lachrymae lugubres manifestae omnibus factae sunt,
Filiis ubera ostendebat
Supplex mater, supplicantia tollens;
Invenit autem filios ad portam Electram
In prato, ubi nascitur lotus, hastis pugnantes
Cognatum Martem, sicut leones constabulantes,
Vulnerantes se in sanguine,
Iam esse frigidam hostiam, purpuream, quam nactus erat Pluto,
Praebuerat vero Mars.
Aeneum autem accipiens a mortuis
Ensem, misit in suum corpus; dolore autem filiorum cecidit inter filios.
Omnes hoc die congregavit, o pater,
Nostrae domui dolores Deus, *qui haec perficit.
Chor. Multa mala incepit in Oedipi domo
Haec dies; sit autem nobis melior status.
Cre. Desinite iam a luctu, quia tempus est de sepultura
Mentionem facere. Sed haec, o Oedipe, verba
Audi. Principatum huius terrae dedit mihi
Eteocles filius tuus, dans dotem propter nuptias

87c) Erinnyis?] sic (= Eurip. Ἐριννύος) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Erinnyum?

88) (heu) pater] sic Editt. 1558., 1562.; Eurip. Ed. Basil. 1551. et Fix. ἰώ μοι, πάτερ, hei mihi, pater! Barn., Musgr. ἰώ μοι, μοι, πάτερ heu mihi, mihi, pater!

88a) Quae Graecia] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Quae Graeca; Fix.: Quis Graecus (Eurip. Τίς Ἑλλὰς).

88b) sicut plorat] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. ὡς ἐλελίζει); Editt. recent.: ὡς ἐλελίζω· ut ploro [Fix: defleo]!

89) Miserabilibus lachrymis] sic emendanda esse censemus verba Editionum 1558., 1562.: „Miserabilis, lacrymis"; Euripides enim habet: οἰκτροτάτοισι δακρύοισι, quae in Editt. Barn., Musgr. sic vertuntur: Maxime miserandis lacrymis, in Ed. Fix.: miserrimis lacrimis.

90) volatile somnium?] sic scripsi (= Eurip. πτανὸν ὄνειρον; Editt. recent.: volucre somnium); Editt. 1558., 1562. volatilem somnum?

Haemoni, et coniugium filiae tuae Antigones:
Non igitur sinam te hanc terram amplius colere.
Clare enim dixit Tiresias, nunquam
Te in hac terra habitante bene acturam urbem.
Sed abi. Haec non dico tibi in contumeliam,
Neque tanquam inimicus, sed propter malum genium,
Qui te agitat, timens, ne terra aliquid mali patiatur,
Oed. O fatum, quam me ab initio genuisti miserum
Et infelicem, si quis alius hominum fuit!
Quem, priusquam venirem ex conceptu materno in lumen,
Nondum natum Apollo Laio vaticinatus est,
Homicidam fore patris. O miserum me!
Postquam natus sum, statim pater, qui me seminavit,
Interfici me curat, existimans sibi hostem fore:
(Oportebat enim eum interfici a me) mittit autem me
Desiderantem ubera, praedam feris infelicem,
Ubi servatus sum. Utinam Cithaeron
Venisset in profundos hiatus tartari,
Qui me non perdidit; sed ut servirem, mihi
Dedit fortuna, apud Polybum dominum.
Deinde interficiens meum patrem infelix ego
Veni ad coniugium matris miserae,
Filios fratres genui, quos perdidi,
Accipiens imprecationem a Laio, et dans liberis;
Non enim tam stultus ego natus sum,
Ut de oculis meis, et vita meorum filiorum
Sine Diis haec statuissem.
Sint illa; quid faciam igitur, o infelix ego?
Quis comitabitur me dux caeci pedis?
Num mortua haec? vivens enim, satis scio, fecisset.
At beatum iugum filiorum? sed non superant.
Verum ipse adhuc iuvenis, inveniam mihi cibum?
Unde? quare me funditus sic occidis, o Creon?
Occidis[91]) enim, si me eiicis e terra.
Non tamen volvens manus ad tuum genu,
Timidus videbor; nam meam pristinam generositatem
Non abiecero, etsi male se habeant res meae.
Cre. Tibi recte dictum, quod nolis genua mea non attingere.
Ego vero non sinam te habitare terram.
Et horum cadaverum alterum domum oportet
Iam portare; alterum vero, qui eversurus terram
Patriam cum aliis venit, Polynicis cadaver
Eiicite insepultum extra fines huius terrae.
Pronuntiate[92]) haec omnibus Thebanis.
Qui vero deprehensus fuerit, hunc mortuum coronans
Aut sepeliens in terra, solvet morte.
Relinqui oportet indeploratum et insepultum, volucribus praedam.
Et tu relinquens luctus trium cadaverum,
Ingredere intra domum, Antigone,
Et fac officia virginis, futuram diem
Expectans, in quo te expectat lectus Haemonis.
Ant. O pater, in quantis sumus miseris malis,
Quam te gemo, plus quam mortuos!
Non enim pars malorum tibi gravis est, et pars non gravis;
Sed per omnia infelix es, pater.
Sed te interrogo novum tyrannum:
Quid hunc contumelia afficis, patrem expellens terra?
Quare facis leges de misero mortuo?
Cre. Est Eteoclis sententia haec, non mea.
Ant. Stulta est, et tu stultus, qui obtemperas istis.
Cre. Quomodo? non est iustum exequi mandata?
Ant. Non, si quidem mala sunt, et male dicta.
Cre. Quid? non iuste hic canibus dabitur?
Ant. Non iustam poenam poscitis ab eo.
Cre. Si quidem urbis hostis fuit, eum non deceret[93])?
Ant. An non dedit fortunae suae casum?
Cre. Et nunc in sepeliendo poenam det.
Ant. Quid nunc peccat, si consequitur partem terrae?
Cre. Insepultus erit hic vir, ut scias.
Ant. Ego sepeliam, etiamsi prohibeat urbs.

---

91) Occidis] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. Occides (= Eurip. ἀποκτενεῖς).

92) Pronuntiate] sic (= Eurip. Ed. Basil. 1551. κηρύξατε) Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. habent κηρύξεται, Promulgabuntur.

93) eum non deceret?] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgrav.: qui hostis esse non debuerat (= Eurip. οὐκ ἐχθρὸς ὤν.).

Cre. Te ipsam prope sepelias cum hoc cadavere.
Ant. Erit tibi gloriosum valde, simul iacere duos amicos.
Cre. Prehendite hanc, et portate domum.
Ant. Nequaquam; non enim relinquam hoc cadaver.
Cre. Decrevit Deus, o virgo, quae tibi non videntur.
Ant. Et illud decrevit, non esse contumelia afficiendos mortuos.
Cre. Certe nemo circa hunc ponet mollem pulverem.
Ant. Oro[94]) te, Creon, per matrem hanc Iocasten.
Cre. Inutiliter laboras; non enim consequeris hoc.
Ant. Sine me cadaver saltem lavare.
Cre. Unum hoc fuerit prohibitorum urbi.
Ant. Sine, ut circa saeva vulnera fascias ponam.
Cre. Non licebit, ut honore afficias hoc cadaver.
Ant. O charissime frater! admovebor tamen ori tuo.
Cre. Non compares calamitatem luctu[95]) ad nuptias tuas.
Ant. An vivens nubam filio tuo?
Cre. Necesse est, ut nubas; quomodo enim effugias nuptias?
Ant. Nox illa habebit me Danaidum unam.
Cre. Vide[96]) audaciam, quam me probro afficit!
Ant. Testis sit ferrum et gladius adiuratus mihi.
Cre. Quare cupis liberari ab his nuptiis?
Ant. Fugiam una cum miserrimo hoc patre.
Cre. Generosus animus, sed stultitia quaedam est tibi.
Ant. Etiam una moriar, ut scias[97]) amplius.
Cre. Vade, non occides filium meum, linque terram.
Oed. O filia, laudo te propter tuam promptitudinem.
Ant. Egone nuberem, et tu solus fugeres, pater?
Oed. Mane felix, ego mea feram mala.
Ant. Quis te caecum curaret pater?
Oed. Cadens, ubicunque mihi fatum est, iacebo in campis.
Ant. Ubi nunc est Oedipus, et inclytae res gestae?
Oed. Periit, una dies me beavit, et una me perdidit.
Ant. Non igitur oportet et me participem fieri tuorum malorum?
Oed. Turpe est exilium filiae cum caeco patre.
Ant. Stultae quidem, sed non generosae[98]), pater.
Oed. Adducito me, ut attingam matrem tuam.
Ant. Ecce tango manu charissimam anum.
Oed. O mater, o coniunx miserrima!
Ant. Miserabiliter iacet, habens simul omnia mala.
Oed. Ubi est cadaver Eteoclis et Polynices?
Ant. Illi duo porrectim iacent iuxta se.
Oed. Appone caecam manum super facies miserorum.
Ant. Ecce tange manu tuos mortuos liberos.
Oed. O chara cadavera miseri patris!
Ant. O charissimum nomen Polynicis mihi!
Oed. Nunc oraculum Apollinis, o filia, perficitur.
Ant. Quod? an dices alia mala supra haec?
Oed. Me Athenis moriturum esse exulem.
Ant. Ubinam? quae turris Attica te[99]) recipiet?
Oed. Sacer Colonus, locus equestris Dei.
Sed age, servito caeco patri,
Si quidem cupis esse socia huius exilii.
Vade in exilium miserum, praebe charam manum.
Ant. O pater senex, comitem[100])
Me habens, sicut secundum ventum comitantem naves.

94) Oro] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. errore typogr.: Pro.
95) luctu] sic (= Eurip. γόοις) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. luctus.
96) Vide] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. Vidistine (= Eurip. Εἴδες).
97) ut scias] sic (= Eurip. ὡς μάθῃς) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. ut scis.
98) Stultae quidem, sed non generosae,] sic Editt. 1558., 1562. (quasi legisset: Οὐ σωφρονούσῃ γ', ἀλλ' οὐ γενναίᾳ,); Ed. Barn. (= Ed. Basil. 1551.) habet: Οὐ σωφρονούσῃ γ', ἀλλὰ γενναίᾳ, Modestae quidem non *est turpe*, sed superbae; Ed. Fix. (et Valcken.) Οὐ σωφρονούσῃ γ', ἀλλὰ γενναία (scil. φυγή), Modestae quidem non *est turpe*, sed honestum. (Ed. Musgr. in textu cum Barn., in lat. interpret. cum Fixio consentit).
99) te] sic (= Eurip. σε) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; in Ed. 1562. deest.
100) Vade in exilium miserum, praebe charam manum. *Ant.* O pater senex, comitem] sic (= Eurip. Ed. Basil. 1551.) Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix. melius sic: *Ant.* Vade in exilium miserum, praebe caram manum, O pater senex, comitem (= text. gr. harum Editt.).

Oed. Ecce vado filia, tu sis mea dux misera.
Ant. Simus, simus miserrimae utique,
Inter omnes Thebanas virgines.
Oed. Ubi ponam senile vestigium pedis?
Da mihi baculum, filia.
Ant. Huc, huc vade mihi, huc, huc
Pone pedem, habens vires sicut somnium.
Oed. O fugam miserrimam!
Eiiciunt[101]) senem me ex patria.
O ego atrocia sustinens!
Ant. Quid sustines? quid pateris? „Non videt poena malos,
„Neque compensat delicta mortalium.
Oed. Ego sum is, qui ad Musam
Victricem et coelestem veni,
Cum solvissem obscurum aenigma virginis Sphingis.
Ant. Obiicis laudem Sphingis?
Omitte dicens successus priores.
Hae expectabant te miserae calamitates,
Ut fieres exul ex patria.
O pater, moritura, desiderabiles lachrymas
Apud amicas virgines relinquens, discedo,
Procul a patria terra,
Non more virginum errans.
Oed. O mentem generosam!
Ant. In patris calamitate nobilem me faciet.
O misera ego propter contumelia affectum fratrem[102]),
Qui mortuus periit insepultus extra patriam miser,
Quem, etiamsi me mori oporteat, pater,
Occulte terra sepeliam.
Oed. Vade ad tuas sodales.
Ant. Sufficiunt mihi meae lachrymae.
Oed. Tu vade comprecatum penates.
Ant. Habens[103]) saturitatem meorum malorum.
Oed. Vade tamen, ubi est templum Bromii
Inaccessum, in montibus Maenadis.
Ant. Heu Thebanam pellem
Induta ego aliquando
In montibus Semeles saltavi sacrum tripudium,
Dans ingratam gratiam Deae[104]).
Oed. O clari cives, cives patriae,
Videte: ego ille Oedipus,
Qui solvi inclyta aenigmata, et eram[105]) vir maximus:
Qui solus vici robur Sphingis latrocinantis,
Nunc ignobilis ac miserabilis expellor ex terra.
Sed quid haec gemo, et frustra deploro?
„Fatales casus oportet ferre mortalem.
Chor. O valde claram victoriam, teneas meam vitam,
Et non desinas coronans me.

101) Eiiciunt] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. Eiicit (in textu: Ἐλαύνει); Fix. (aeque ac Ed. Basil. 1551. in textu Ἐλαύνων): qui exigis.

102) propter contumelia affectum fratrem,] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. contumelia propter affectum fratrem (Barn.: propter fratris contumelias).

103) Habens] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix.: Habent (utraque versio ≐ Eurip. ἔχουσ' [i. q. ἔχουσα et ἔχουσι]).

104) Deae] sic Editt. 1558., 1562. (quasi legisset εἰς θεάν); Barn., Musgr., Fix. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) εἰς θεούς, in Deos conferens.

105) eram] sic (= Eurip. ἦν) Editt. 1558., Fix. (Musgr.: fui; Barn.: fuit); in Ed. 1562. deest.

Huic Phoenissarum interpretationi integrae nunc annectimus duos huius tragoediae locos supra p. 289 sq. memoratos:

1. Phoeniss. 472—475. Ed. Barn.

Huius loci interpretatio Mel., inscripta: „Euripides in Phoenissis" invenitur

a. in Melanthonis Oper. Basil. Vol. V. p. 388.;
b. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. O 4[b]—5[a];
c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 550 sq. nr. 138.

Nam veritatis est simplex oratio,
Interpretemque non desiderat vafrum,
Sed ipsa per se viribus valet suis.
Mala causa callidis[1]) opus habet pharmacis.

1) callidis] sic (= Eurip. σοφῶν) Vincent. et Corp. Ref. X.; Opp. Basil. calidis.

2. Phoeniss. 531—533. Ed. Barn.

Huius loci interpretatio Mel., inscripta: „Iocaste apud Euripidem ad filium Eteoclem" exstat

a. in Grathusii collectione Epigramm. Mel. fol. L 6[b];
b. in Vincentii Ed. horum Epigramm. fol. L 1[a];
c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 561 sq. nr. 166.

Senecta non laborat omnibus malis,
Sed, gnate, magnam rerum habet experientiam[2]),
Dicendo polleat ut plus iunioribus.

2) rerum habet experientiam] sic Grathus., Vincent.; Corp. Ref. X.: habet rerum experientiam.

LVIII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO MEDEAE EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis in Editt. 1558., 1562. supra p. 279 sqq. descriptis invenitur, quibuscum Editiones Barnesii, Musgravii et Fixii, quae eandem vario modo mutatam continent (vide supra p. 287 sqq.) contulimus. — Versuum numeros ratione supra p. 393 sq. proposita, atque stropharum partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnesii adscripsimus uncis inclusas. — De notis marginalibus ex Editt. Xylandri adiectis vide, quae p. 395 sq. diximus.

EURIPIDIS MEDEA
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum[1]).

Iason veniens Corinthum, adducens et Medeam, ducit in matrimonium Glaucam, filiam Creontis, regis Corinthiorum. Medea autem cum in exilium a Creonte releganda e Corintho, deprecata esset, ut uno die maneret, et impetrasset, mittit Glaucae per liberos mercedem pro beneficio dona, vestem et auream coronam, quibus illa usa perit; Creon etiam complexus filiam, moritur. Medea vero cum interfecisset suos liberos, fugit Athenas in curru draconum alatorum, quem a Sole acceperat, vecta; ibi nubit Aegeo, filio Pandionis. Pherecydes et Simonides aiunt, quod Medea[2]) Iasonem coquens, iuvenem fecerit. De patre eius Aesone[3]) sic inquit poeta, qui confecit reditus[4]):

> Statim fecit Aesonem pubescentem,
> Abradens senectam gnara mente,
> Coquens multa pharmaca in aureis ollis.

Aeschylus in nutricibus Bacchi narrat, quod etiam nutrices Bacchi cum maritis earum coquens, iuvenes fecerit. Staphylus dicit aliquo modo interfectum esse Iasonem a Medea. Nam iussu eius eum dormisse sub puppe navis Argus, cum esset dissolvenda tempore: incidente igitur navi super Iasonem, ipsum esse mortuum.

Aliud argumentum Aristophanis grammatici.

Medea, odio Iasonis, quod is Glaucen, Creontis filiam, duxisset, Glaucen et Creontem interfecit, suosque ipsius filios. Unde[5]) a Iasone separata, cum Aegeo habitavit. Haec fabula neque apud Aeschylum est, neque apud Sophoclem. Scena fabulae Corinthi ponitur. Chorus urbicis mulieribus constat. Acta est Pythiodoro praetore, circa octogesimam septimam Olympiadem. Primus Euphorion, secundus fuit Sophocles, tertius Euripides. Medea, Philoctetes, Dictes, Messores, Satyrus[6]) non extat.

---

1) Hoc argumentum et sequens graece exhibentur in Eurip. Ed. Basil. 1551., in qua prius inscriptum est: Ὑπόθεσις Μηδείας, alterum: Ἄλλως Ἀριστοφάνους τοῦ γραμματικοῦ; Melanthonis eorum interpretatio lat. legitur in Editt. 1558., 1562. et una cum textu graeco in Ed. Barnes.

2) De Medea maga conf. Pauly: Real-Encycl. des class. Alterth. T. IV. p. 1390.

3) De Aesone vide Pauly l. l. T. I. p. 193. et de eo a Medea recocto Ovid. Metam. VII, 163. 250—295.

4) Νόστοι, de quorum scriptore (Agia Troezenio) conf. Bernhardy: Grundriss d. Griech. Litt. P. II. p. 145 sq..

5) Unde] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. Inde.

6) Messores, Satyrus] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. habet: Θερισταὶ Σάτυροι, Messores Satyrici.

Personae fabulae.

Nutrix Medeae
Paedagogus
Medea
Chorus mulierum
Creon
Iason
Aegeus
Nuntius
Filii Medeae.

MEDEA.

[*Nutrix, Paedagogus, Medea, Chorus.*]

Nutrix praefatur[7]).

Utinam navis Argo non volasset per
Caeruleas Symplegadas in terram Colchicam[8]);
Neque in saltibus Pelii cecidisset
Secta pinus; neque manus remigassent
Virorum praestantissimorum, qui aureum vellus
Allatum Peliae iverunt. Neque enim mea domina
Medea navigasset Iolcum[9]),
Capta animo amore Iasonis:
Neque persuadens filias Peliae, ut interficerent
Patrem, inhabitaret Corinthum
Cum viro et liberis: placens
In hoc receptu civium[9a]), ad quorum terram pervenit,
Et ipsa Iasonem adiuvans in omni re:
„Quae maxima salus est,
„Cum inter coniuges non[10]) est dissensio[11]).
Nunc orta est discordia, et amicissimae mentes iam sunt abalienatae.
Nam prodens suos liberos meamque dominam,
Iason cubat in nuptiis regiis,
Postquam duxit filiam Creontis, qui est dominus huius terrae.
Medea vero infelix, contumelia affecta,
Clamat iusiurandum, vocat dexteram,
Maximam fidem, et testatur Deos,
Qualem gratiam consequatur ex Iasone.
Iacet sine cibo, subiiciens corpus doloribus,
Omni tempore contabefaciens corpus lachrymis,
Postquam animadvertit se iniuria affectam a viro;
Neque oculos tollens, neque avertens a terra
Faciem, sed ut saxum aut marinus
Fluctus, audit monitus amicorum:
Nisi quando vertens candidam servicem,
Ipsa[12]) apud sese clamaverit patrem suum,
Et terram atque aedes, quibus relictis venit huc
Cum marito, qui nunc contumelia affecit eam.
„Et misera agnovit ipsa calamitate,
„Quale fuerit non deserere terram patriam.
Odit liberos, neque laetatur adspectu eorum.
Metuo ipsam, ne quid novi moliatur;
Nam animus vehemens non sustinebit, cum male
Tractatur; ego novi eam, metuo,
Ne sibi ipsa acuto gladio traiiciat iecur,
Clam ingressa domum, ubi stratus est lectus:
Aut occidat regem, cui nupta fuit,
Et constituat maiorem aliquam calamitatem.
Est enim vehemens; non facile committens
Cum ea certamen aliquis victoriam auferet.
Sed pueri cessantes a cursu
Veniunt, nihil cogitantes de matris
Malis; „nam puerilis animus non solet dolere[13]).

Paed. Antiquum mancipium meae dominae,
Quid ad portas sola
Stas, ipsa tibi deplorans mala?
Quare Medeam solam relinquis?

Nutr. O senex, comes liberorum Iasonis,
„Fidelibus ministris calamitati sunt dominorum
„Res adversae, et angunt animos.
Ego quidem eo perveni doloris,

7) praefatur] sic Editt. 1558., 1562.; in Editt. Barn., Musgr. hoc quidem loco deest, sed personarum catalogo praecedenti addita sunt haec: Prologum autem agit Nutrix.

8) Colchicam] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. male: Cholchicam.

9) Iolcum] sic scripsi (Editt. recent.: agri Iolcii = Eurip. γῆς Ἰωλκίας); Editt. 1558., 1562. Iaolcum.

9a) civium] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: civibus.

10) non] sic (= Eurip. μὴ) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; in Ed. 1562. deest.

11) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Concordia coniugum.

12) Ipsa] sic (= Eurip. αὐτὴ) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Ipse.

13) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Pueritia.

Ut mihi venerit desiderium, terrae et coelo
Dicere calamitates Medeae egredienti huc.
Paed. Nondum ergo cessat a luctu misera?
Nutr. Laudo te; malum inchoatum est, nondum est in medio.
Paed. O stultam, si licet hoc dicere de dominis,
Ut nihil novit de recentioribus malis.
Nutr. Quid est, o senex? ne graveris dicere.
Paed. Nihil; poenitet me priora dixisse.
Nutr. Ne celes tuam conservam, per barbam;
Nam reticebo ea, si opus erit.
Paed. Audivi dicentem, cum non viderer audire,
Accedens ad locum, ubi luditur tesseris, ubi natu grandes
Sedent, ad sacram aquam Pirenes,
Quod liberos hos e terra Corinthia eiicere
Velit cum matre dominus huius terrae,
Creon. Hic sermo an verus sit,
Haud scio; equidem vellem hoc non sic esse.
Nutr. Et patietur Iason haec liberis
Accidere, etiam si dissidet a matre?
Paed. Vetus affinitas vincitur a novis,
Et ille non est amicus his aedibus.
Nutr. Actum est igitur nobiscum, si addamus malum
Novum veteri, priusquam illud exhaustum sit.
Paed. At tu (non enim commodum est haec scire
Dominam) quiesce et retice hos sermones.
Nutr. O liberi, audite, qualis in vos sit pater;
Non precor, ut pereat; est enim dominus meus,
Sed tamen impius in amicos invenitur.
Paed. Quis hominum non novit hoc,
„Quod omnes se magis quam alios amant[14]),
„Alii iuste, alii propter commodum aliquod,
Si[14a]) hos etiam propter novam coniugem non diligit pater?
Nutr. Ite intra domum liberi, bene erit.
Tuque tene hos longe abductos,
Neque adducas ad matrem moestam.
Nam iam vidi[15]) eam terribili adspectu,
Tanquam molientem aliquid adversus hos; neque desistet
Ab ira, bene scio, priusquam fulmine feriat aliquem.
Utinam inimicis, non amicis aliquid faciat!
Med. Infelix ego et aerumnosa,
Heu me, me, quomodo peream?
Nutr. Hoc illud est, chari liberi, mater
Movet cor, movet bilem.
Festinate celeriter intra aedes,
Neque veniatis in conspectum,
Neque accedatis, sed cavete
Saevum impetum, et horribilem naturam
Animi contumacis.
Ite iam, procedite quam celerrime intro,
Certum est ex hoc initio, elevatam
Nubem luctus quam celeriter excitabit
Maiori animo: quid tandem faciet
Magnus et implacabilis
Animus, malis punctus?
Med. Heu heu, patior misera, patior, quae magno
Luctu digna sunt, o maledicti
Pueri, pereatis invisae matri[15a])
Cum patre, et tota domus corruat.
Nutr. Heu me me, heu me miseram!
Quid tibi pueri cum errato patris
Participant? cur hos odisti? ah
Liberi, quam metuo, ne quid vobis accidat.
Vehementes sunt regum impetus, et
Ex parvo inchoantes multa complectuntur simul,
Difficulter mutant iras.
„Nam assuefactum esse ad vivendum moderate
„Melius mihi videtur, si non magnifice,
„Tamen stabiliter sic consenescere[16]).
„Nam, ut hoc primum dicam, moderate viventium
„Nomen vincit, et uti eo, longe
„Optimum est hominibus. Sed immoderata
„Nullo tempore valent hominibus ad diuturnitatem;
„Deinde maiores calamitates, quando irascatur
„Deus, afferunt familiae.
Chor. Audivi vocem, audivi clamorem
Infelicis Colchidis,
Neque suavis. Sed, o vetula
Dicito; nam intra biforem
Domum clamorem audivi.
Neque delector, o mulier,

14) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Sibi quisque proximus.

14a) Si] Ed. Barn.: *Quid mirum igitur*, si.

15) vidi] sic (= Eurip. εἶδον) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. videt.

15a) Pueri, pereatis invisae matri] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.): Liberi funestae matris, pereatis.

16) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Mediocritatis laus.

Luctibus domus,
Quia non grata sunt ea, quae fiunt.
Nutr. Non sunt aedes; evanuerunt haec iam.
Iason tenet domum principum,
Medea tabefacit vitam in thalamis,
Domina, nullius amicorum quicquam
Verbis recreata animo.
Med. Heu, heu, utinam flamma coelestis per meum caput
Eat! Quid mihi boni est amplius vivere?
Heu heu, divertam ad mortem,
Relicta odiosa vita.
Chor. Audivisti, o Iupiter et terra et lumen,
Qualem vocem miserit infelix nupta?
Quae te insatiabilis
Tori cupiditas, o stulta,
Urget ad mortem?
Ne hoc petas.
Quod si tuus maritus
Colit novum lectum,
Ei tu hoc non imputes,
Iupiter haec ulciscetur pro te.
Ne nimis tabefacias te ipsam,
Plorans tuum maritum.
Med. O magna Themis, et reverenda Diana,
Videtis, quae patior? quae magno iuramento
Obligavi execrandum
Maritum? quem ego, et sponsam videam
In aedibus discerptos,
Qui me prius audent iniuria afficere.
O pater, o civitas, quam reliqui
Turpiter, occiso[16a]) meo fratre.
Nutr. Auditis, quae dicat, et ut invocat
Themidem faventem optatis votis, et Iovem, qui iuramentorum
Custos hominibus existimatur.
Non fieri potest, ut in aliqua parva re
Domina iram sedet.
Chor. Quomodo in conspectum nostrum
Veniat, et dictorum verborum
Vocem accipiat,
Si forte acerbam iram
Et impetum animi remittat.
Nutr. Meum studium non
Deerit amicis.
Chor. Sed vade, et eam huc adducito extra domum,
O chara, et haec dicito.

16a) occiso] sic Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. ocioso.

Propera, priusquam aliquid mali faciat[16b]) iis, qui intus sunt.
Nam luctus valde augetur.
Nutr. Faciam haec. Sed metuo, ut persuadeam
Dominam meam;
Suscipiam tamen laboris in vestram gratiam.
Atqui leaenae, quae peperit, adspectum
Trucem ostendit famulis, quando aliquis
Accedit prope collocuturus.
„Stultos dicens et insipientes
„Homines, qui ante nos fuerunt, non erraveris,
„Qui hymnos in festivitatibus
„Et conviviis et coenis
„Invenerunt in vita, voluptatis causa.
„Sed nemo hominum horribiles moerores
„Invenit, quomodo musica et vario nervorum
„Cantu sedare possimus ex quibus caedes
„Et graves casus evertunt domus.
„Et in talibus egregia res esset mederi
„Hominibus cantu; ubi sunt laeta vero
„Convivia, quid frustra intendunt vocem,
„Cum res ipsa delectationem ex se ferat
„Hominibus, saturitas nimirum convivii[17])?
Chor. Audivi clamorem cum multis gemitibus lamentationum:
Misera[18]) clamat tristes dolores,
Iasonem malum sponsum, proditorem connubii;
Invocat Deos iniuriis affecta,
Et Themidem, filiam Iovis, quae est custos iurisiurandi,
Quod traduxit eam
In Graeciam sitam e regione Colchidis,
Per mare nocturnum
Supra salsa maris
Immensi sedilia.

[*Medea, Creon, Chorus.*]

Med. Mulieres Corinthiae, exivi e domo.
Ne reprehendatis me[19]); „novi multos homines,
„Qui clari fuerunt, alios procul a conspectu,

16b) faciat] sic Musgr., Fix.; Editt. 1558., 1562., Barn. facias.
17) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Reprehensio eorum, qui laetitiae augendae rationes, non etiam dolorum eximendorum invenerunt.
18) Misera] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. Miseros.
19) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Defensio eorum, qui extra patriam agunt.

„Alios inter suos; alii vero ex eo, quod quieverunt,
„Comparaverunt sibi infamiam et opinionem ignaviae.
„Non est iustitia in oculis eius hominis,
„Quisquis antea, quam hominis animum cognoverit,
„Odit videns, nulla iniuria affectus.
„Oportet hospitem valde se accommodare civitati.
„Neque laudo civem, qui contumax est,
„Et acerbus erga cives propter intractabilitatem.
Mihi vero haec res, quae ex improviso contigit,
Corrupit animum, perii et, vitae
Voluptate amissa, volo mori amicae.
Nam, in quo erant omnes meae spes et opes,
Meus maritus factus est pessimus omnium.
„Inter omnia, quae[19a]) vivunt et ratione utuntur,
„Nos mulieres sumus miserrimum genus hominum[20]),
„Quas oportet primum maximis opibus
„Comparare maritum, dominumque corporis
„Accipere. Hoc malo adhuc peius est malum,
Et in hoc maximum certamen, quod sive malum accipere,
Sive bonum opus est: non laudantur divortia
„In mulieribus, neque licet recusare maritum.
„Sed venientem ad novos mores et leges
„Oportet divinare (quia domi non cognovit),
„Quem maxime sit habitura virum.
„Et si nobis haec perpessis bene
„Cohabitaverit maritus, non violenter imperans,
„Beata est vita; sin minus, satius est mori.
„Vir cum dolet propter res domesticas,
„Sedare potest dolorem animi
„Conversus ad aliquem amicum aut coaetaneum[21]);
„Sed nos oportet spectare ad unam animam.
„Dicunt, quod nos vitam otiosam et quietam
„Vivamus domi, ipsi vero pugnent hasta.
„Male sentiunt, quia ter ad clypeum
„Stare malim, quam semel parere[22]).
Sed non eadem est ratio de me et te.
Tibi est haec urbs et paterna domus,
Et victus et conversatio amicorum;
Ego sum deserta, exulo et iniuria afficior
A marito, abducta e terra barbara,
Neque matrem, neque fratrem, neque cognatum
Habens, qui me in portum ducat huius calamitatis:
Tantum cupio tua uti opera,
Si mihi via aliqua et ratio inveniri possit,
Qua maritum ulciscar pro his malis,
Et qui dedit ei[23]) filiam suam, Creontem, et quam duxit, Glaucam.
Ut taceas. „Nam mulier alioqui est plena timore,
„Ignava ad proelium, et ad intuendum ferrum;
„Sed quando est iniuria affecta, quoad matrimonium,
„Non est alia mens crudelior[24]).
Chor. Faciam haec; nam iuste punies[25]) maritum tuum,
Medea: non miror te lugere istam fortunam.
Sed video Creontem, dominum huius terrae,
Venientem, nuntium novi consilii[25a]).
Cre. Te torvam et iratam marito tuo,
Medeam, iubeo ire ex hac terra,
Extorrem, acceptis tecum duobus pueris,
Et nihil cunctari, quia ego autor sententiae
Istius sum, neque redibo domum,
Priusquam eiecero te e finibus huius terrae.
Med. Heu prorsus misera, perii,
Inimici emittunt omnes rudentes,
Neque est effugium commodum huius mali.
Sed quamquam male tractor, tamen dicam:
Cur me, Creon, eiicis ex hac terra?
Cre. Metuo te (nihil opus est involvere sermones),
Ne quod insanabile malum facias meae filiae.
Multae sunt coniecturae huius metus,
Es callida, et artifex multorum malorum,
Dolet tibi, quod orbata es thalamo mariti tui.
Audio te minari, ut mihi nuntiant,
Et socero, et sponso, et nuptae

19a) quae] sic scripsi (Editt. recent.: quaecunque); Editt. 1558., 1562. qui.

20) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Muliebrium miseriarum recensio.

21) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Virorum praerogativae.

22) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Labores mulierum.

23) ei] sic scripsi (= Eurip. αὐτῷ, Barn., Musgr., Fix. ipsi); Editt. 1558., 1562. eam.

24) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Mulierum ira zelotypia.

25) punies] sic Ed. 1558. (= Eurip. ἐκτίσῃ; Editt. recent.: ulcisceris); Ed. 1562. puniens.

25a) novi consilii] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. novi concilii; Editt. recent. (= Eurip. καινῶν βουλευμάτων) novorum consiliorum.

Te aliquid facturum. Haec cavebo, priusquam accidant.
Multo satius est mihi, mulier, nunc in odium tuum incurrere,
Quam placatum postea valde gemere.
Med. Heu, heu.
„Non mihi nunc primum, sed saepe, o Creon,
„Nocuit existimatio, et magna mala attulit[26]).
„Non oportet eum, qui sapiens est,
„Docere liberos suos, ut nimium sapiant[27]).
„Nam praeterquam quod alioqui dicuntur ignavi,
„Comparant sibi odiosam invidiam a civibus.
„Apud stultos enim proferens aliquid novum et sapiens,
„Videberis inutilis et non sapiens esse;
„At cum illis, qui videntur variam cognitionem habere,
„Praestantior existimaberis, videberis molestus in civitate.
Ego ipsa quoque particeps sum huius fortunae;
Nam cum sim sapiens, aliis sum invisa,
Aliis ignava, aliis dissimilis moribus,
Aliis difficilis et morosa: tamen non sum adeo sapiens.
Tu metuis me, ne quid mali tibi a me accidat.
Non sic affecta sum, ne metuas me, Creon,
Ut in viros principes delinquam.
Nam quid tu mihi iniuste fecisti? collocas tuam filiam
Cuicunque libuerit tibi; sed meum maritum
Odi. Puto autem te recte haec fecisse.
Et nunc non invideo, quo minus bene sese habeant[28]) res tuae.
Despondete, bene sit vobis; solum in hac terra
Sinite me habitare: „etsi sum iniuria affecta,
„Tacebo tamen, victa[29]) a praestantioribus.
Cre. Dicis auditu iucunda[30]); sed in animo
Mihi est pavor, ne quid mali moliaris,
Et tanto minus quam antea confido tibi.
„Nam mulier, quae cito irascitur; similiter et vir
„Facilius cavetur, quam taciturnus sapiens[31]):
Proinde exi quam celerrime, ne facias multa verba,
Quia hoc decretum est, neque habebis artem, ut
Apud nos maneas, cum sis mihi infesta.
Med. Non per genua et filiam tuam nuptam.
Cre. Consumis verba; non enim persuaseris me.
Med. Expelles me, neque revereberis Litas[32])?
Cre. Non mihi charior es mea domo.
Med. O patria, quam valde recordor te.
Cre. Praeter liberos est mihi ea charissima.
Med. „Heu[33]), quam magnum malum hominibus est amor!
Cre. Credo, ut tulerit fortuna.
Med. Iupiter, non lateat te is, qui autor est horum malorum.
Cre. Vade, o vana, et libera me curis.
Med. Nos laboramus, neque indigemus aliis miseriis.
Cre. Cito extruderis violenter manu famulorum.
Med. Nequaquam ita, sed rogo te, Creon.
Cre. Videris tumultum velle excitare, mulier.
Med. Fugiam; non hoc te rogo, ut impetrem, ne discedam.
Cre. Quid igitur resistis, et non discedis e terra?
Med. Concede mihi, ut possim tantum hunc diem manere,
Et perficere deliberationem, quo fugiam,
Et viaticum meis liberis: quando quidem pater
Nihil curat liberos.
Misereat te illorum; nam et tu pater liberorum
Es. Consentaneum est te habere benevolentiam erga liberos.
Non de me sum sollicita, quod[34]) fugiam, vel quomodo,
Illorum calamitatem, qua premuntur, lugeo.
Cre. Animus meus minime est tyrannicus;
Sed verecundia victus, multa perperam egi.

---

26) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Existimatio damnosa.

27) H. l. in iisdem Editt. nota marg.: Vituperatio sapientiae et artium.

28) habeant] sic recte Ed. 1558.; Ed. 1562. habent.

29) Tacebo .. victa] sic Editt. 1558., 1562., Fix.; Barn., Musgr. Tacebimus ... victi (Eurip. *Σιγησόμεσθα ... νικώμενοι*).

30) iucunda] Ed. 1562. errore typogr.: iucundia.

31) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Mulieris ira.

32) Huic nomini in iisd. Editt. in marg. adscripta est annotatio: Numen supplicum tutelare.

33) Heu,] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *φεῦ, φεῦ.*) Heu, heu!

34) quod] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. quo (Eurip. *εἰ*, Fix: si).

Et nunc videor mihi errare, mulier,
Attamen consequeris hoc. Sed praedico tibi:
Si te postera lux Dei viderit,
Et liberos tuos intra fines huius terrae:
Morieris; dictus est sermo hic, neque irritus erit.
Nunc si oportet manere, mane uno die.
Non enim facies aliquid mali eorum, quae metuo.
Chor. Infelix mulier,
Heu, o acerbos dolores!
Quo te vertes? quod hospitium
Aut quam domum terramve, quae liberet te his malis,
Invenies?
Quam te Deus in difficilem tempestatem
Malorum duxit, Medea!
Med. Ubique male mecum agitur: quis contradicet?
Sed nondum haec sunt omnino, ne putetis.
Restant alia certamina novis sponsis,
Et non exigua mala affinibus.
Nam putas me huic tam molliter respondere potuisse,
Nisi aliquid captarem aut machinarer?
Neque allocuta essem, neque attigissem manibus.
Ille vero eo stultitiae pervenit,
Ut, cum posset ipse impedire mea consilia,
Si me eiecisset ex hac terra, concesserit hoc die
Me manere, quo tres ex meis inimicis
Interficiam, patrem, puellam, et meum maritum.
Sed cum habeam multas vias interficiendi eos,
Non scio, quam primum aggrediar, amicae.
Utrum accendam domum sponsae igni,
An adigam acutum ensem per hepar,
Clam ingressa domum, ubi lectus est stratus.
Sed unum est mihi periculosum: si deprehendar,
Ingressa domum, moliens ista,
Morte mea risum praebebo meis inimicis.
Optimum est recta via ingredi, qua
Valeo, et venenis eos interficere.
Esto, et sint sane mortui: quae me civitas excipiet?
Quis terram tutam et domum servantem promissa
Praebens hospes liberabit meum corpus?
Nemo est. Igitur manens adhuc exiguo tempore,
Si quae turris mihi videatur secura,
Aggrediar hanc caedem dolo et clam.
Quod si me etiam calamitas inseparabilis circumveniret,
Ego accepto gladio, etiamsi mihi moriendum sit,
Occidam eos; vado ad extremam audaciam.
Non, per dominam, quam ego colo
Omnium maxime, et adiutricem elegi[35]),
Hecaten, quae habitat in angulis larium meorum,
Aliquis ex eis gaudens, dolore afficiet meum animum.
Ego faciam ipsis nuptias acerbas et tristes,
Et acerbam affinitatem, et fugam ex hac terra.
Age vero, nulli arti eorum, quae scis, parcas,
Medea, deliberans et machinans.
Vade ad facinus: nunc est certamen audaciae.
Vides, quae patiaris? non oportet te derideri
A genere Sisyphi, et nuptiis Iasonis,
Quae nata es ex praestanti patre et a Sole,
Et calles aliquid. „Praeterea natura sumus
„Nos mulieres ineptae ad bona,
„Sed peritissimae artifices omnium malorum[36]).

[*Strophe* 1.]

Chor. Sursum versus sacrorum fluminum
Vadunt fontes, et ius et omnia retro vertuntur,
Viri exercent fraudes, Deorum
Fides[37]) non amplius est rata.
Mea quidem vita ut non habeat laudem,
Fama obstat.
Honos venit
Muliebri generi.
Non amplius odiosam
Famam habebunt mulieres,

[*Antistrophe* 1.]

Musae veterem
Cantionem desinent,
Qua celebrant mulierum infidelitatem.
Neque enim in mentibus nostris lyrae
Divinum carmen dedit
Phoebus, dux carminum[38]): alioqui

---

35) elegi] sic (= Eurip. εἰλόμην) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: elegit.

36) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Mulierum artes.

37) Deorum fides] haec in marg. harum Editt. explicantur voce: Iusiurandum.

38) His in marg. harum Editt. adscripta est annotatio: Id est, nos non scripsimus poemata.

Contrarium hymnum audivisset
Genus masculinum.
Longa aetas requiratur
Ad multiplices nostros
Et virorum casus dicendos.

[*Strophe 2.*]

Tu autem navigasti ex domo patria
Furenti animo, gemi-
na maris metiens
Saxa[39]; in peregrina
Terra habitas, sine viro
Cubilis lectum amittens;
Infelix tu, ignominia affecta, pelleris ex hac terra exul.

[*Antistrophe 2.*]

Abiit gratia iurisiurandi, neque amplius pudor
Manet in magna Graecia;
Evolavit in aetherem.
Tibi autem non est paterna domus,
O misera, ut ad eam applicare possis
A miseriis huius thalami.
Sed regina potentior est domui.

[*Iason, Medea, Chorus, Aegeus.*]

Iason. Non nunc primum animadverti, sed saepe,
Quod aspera ira sit intractabile malum.
Nam cum posses hanc terram et domum retinere,
Si voluisses aequo animo ferre voluntatem potentiorum,
Propter inania verba eiiceris ex hac terra.
Ego quidem nihil curo, etiamsi nunquam desinas
Dicere, quam malus vir sit Iason;
Ob ea vero, quae dixisti in dominos,
Putes magnum esse lucrum, quod tantum exilio puniris.
Ego semper ab iratis dominis
Iram abstuli, volebam te manere;
Tu vero non remittis stultitiam, semper dicens
Convicia dominis: itaque expelleris ex hac terra.
Ego tamen, quamquam illa sic se habent, non defessus benefaciendo
Venio, prospecturus tibi, o mulier,
Ne sine viatico cum liberis discedas,
Neque indigeas aliqua re: „exilium[40] trahit multa
„Mala secum. Et quamquam tu me odisti,
Tamen non possum tibi male velle.

Med.[41] O pessime omnium (Hoc enim possum dicere
Lingua summum convicium in tuam ignaviam),
Venisti ad nos, qui es invisus
Diis, et mihi, et universo humano generi?
„Ista non est audacia, neque fortitudo,
„Intueri amicos, quos iniuria affeceris:
„Sed gravissimus omnium inter homines morbus,
„Impudentia. Bene tamen fecisti veniens.
Ego enim levabor animo, dicens
Tibi convicia, et tu dolebis audiens ea.
Sed ab iis, quae prima sunt, exordiar:
Servavi te (ut norunt, quicunque Graecorum
Inscenderunt eandem navim Argo)
Missum, ut regeres tauros, spirantes flammas
Iugis, et seminares letalem segetem;
Et dracone, qui circumdans aureum vellus,
Servabat multis voluminibus ipse pervigil,
Occiso, prorogavi tibi vitam.
Ipsa quoque, relicto patre et domo mea,
Veni Iolcum Peliotidem
Tecum, promptior quam sapientior.
Et occidi Peliam eo genere mortis, quod est miserrimum,
Per eius filias; omnemque tibi metum exemi.
His beneficiis a me affectus, o pessime[42],
Prodidisti me, et accepisti novam uxorem,
Cum habeas liberos; si enim sine liberis fuisses,
Ignoscendum tibi erat, quod amasti illam.
Sed evanida est fides iurisiurandi; neque possum scire
An existimes Deos, qui tunc regnarunt, non amplius regnare;
An vero putes, nova iura constituta esse homini nunc.
Alioqui tibi conscius es, qui non servaveris mihi fidem.

---

39) gemina maris saxa] haec ibid. in marg. explicantur voce: Symplegadas.

40) exilium] sic (= Eurip. φυγή) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. errore typogr.: exitium.

41) *Med.*] hoc nomen, quod omnes Eurip. Editt. h. l. habent, in Editt. 1558., 1562. omissum est.

42) o pessime] sic, addita voce: „mortalium" (= Eurip. κάκιστ' ἀνδρῶν) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: o pessima.

Hei dexteram manum, quam tu saepe apprehendisti,
Et haec genua tua, quam frustra sum polluta
Ab improbo marito, et spes meae frustratae sunt me.
Age, loquar iam tecum tanquam cum amico,
Et quasi videar bene habitura a te;
Tu tamen interrogatus videberis turpior.
Quo me nunc vertam? an ad domum patris
Et patriam, quibus tibi proditis huc veni?
An ad miseras filias Peliae? scilicet illae pulchre
Me reciperent in suas aedes, quarum patrem interfeci.
Sic se res habet, amicis domesticis
Sum invisa; et quibus me non oportebat[43]) male
Facere, eos tua causa habeo inimicos.
Ergo inter multas Graecas me beatam
Fecisti, pro hisce beneficiis egregium te
Et fidum maritum habeo infelix ego.
Si fugiam expulsa ex hac terrá,
Sola cum solis liberis, orbata amicis,
Pulchrum esse, probrum[44]) erit novo sponso tibi,
Errare[45]) liberos, et me, quae te servavi.
„O Iupiter, quare auri, quod sit adulterinum,
„Clara signa hominibus dedisti[46])?
„Sed quo oporteat discerni malum virum,
„Nullum signum inest corpori.
Chor. „Acerrima quaedam et immedicabilis res est,
„Quando amici incipiunt contendere cum amicis[47]).
Ias. Oportet me non segnem esse in dicendo, ut videtur,
Sed velut navis laudatum[48]) gubernatorem
Summis oris veli effugere
Tuam inanem loquacitatem, o mulier.
Ego, postquam valde exaggeras tuum beneficium,
Existimo meae navigationis Venerem
Servatricem esse solum inter homines Deosque.
Tu quidem es ingeniosa; sed odiosa erit
Haec oratio, si dicere velim, quod amor coegerit te
Liberare meum corpus ex inevitabilibus periculis[49]).
Sed nolo haec nimis subtiliter tractare.
Quatenus igitur iuvisti, bene se res habet.
Atqui servatione mei maiora beneficia
Accepisti, quam dederis, quemadmodum ego iam dicam.
Primum pro barbara terra in Graeca
Terra habitas, et scis ius,
Et legibus uti, non pro viribus agere.
Deinde omnes Graeci senserunt te esse ingeniosam,
Et adepta es gloriam; si in extremis terrae
Finibus habitares, nulla opinione praedita esses.
„Mihi vero neque aurum sit domi,
„Neque velim me melius canere[50]) Orpheo,
„Nisi illustris mihi contingat fortuna[51]).
Atque tantum tibi de meis
Dicere volui, quia tu incepisti hanc contentionem.
Caeterum quae mihi maledicta de nuptiis regiis obiecisti,
In hoc monstrabo primum, quod sim prudens,
Deinde castus, tum bene volens tibi
Et meis liberis. Sed quiescito.
Postquam huc veni ex Iolco,
Multa mecum trahens, et magna incommoda,
Quodnam consilium hoc melius potuissem invenire,
Quam ducere filiam regis, cum essem exul?
Non, ut tu me vellicas, odio habens tuum coniugium,
Perculsus desiderio novae sponsae,
Neque cupiens multos habere liberos;

43) oportebat] sic (= Eurip. ἔχρην) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. oportet.

44) Pulchrum esse, probrum] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Praeclara vero gloria, Fix.: Praeclara sane fama (= Eurip. καλόν γ' ὄνειδος).

45) Errare] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. recte Mendicos errare (= Eurip. Πτωχοὺς ἀλᾶσθαι).

46) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Fallaces homines.

47) H. l. in iisdem Editt. nota marg.: Amicorum rixae graves.

48) laudatum] sic Ed. 1558. (Editt. recent.: prudentem, Eurip. κεδνόν); Ed. 1562. male: laudato.

49) periculis] haec vox in Ed. 1562. versui praecedenti in fine est adiuncta.

50) melius canere] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. melius canere posse; Editt. recent.: carmen sonere pulchrius (= Eurip. κάλλιον ὑμνῆσαι μέλος).

51) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Fama commendat felicitatem.

(Sufficiunt enim, qui nati sunt, neque eos reprehendo)
Sed quod maximum est, ut commode viveremus
Et non egeremus, sciens, quod
„Pauperem omnes amici fugiunt[52]);
Et ut liberos educarem, quemadmodum decet meam familiam,
Et gignens fratres, tuis liberis
Unum genus facerem, idque coniungens,
Beatius viverem; tibi enim quid opus est liberis?
Et mihi prodest futuris liberis
Eos, qui vivunt, iuvare: an male consultavi?
Ne tu quidem diceres hoc, nisi te offenderent novae nuptiae;
„Sed eo venitis, ut, cum recte se habet
„Coniugium, putetis vos mulieres omnia habere[53]):
„Quod si calamitas aliqua inciderit in coniugium vobis,
„Etiam ea, quae sunt optima et pulcherrima vobis, invisam rem
„Ducitis. Oportebat homines aliunde
„Gignere liberos, neque esse genus muliebre:
„Sic homines nullum malum haberent.
Chor. Iason, pulchre tu quidem ornasti tuam causam;
Mihi tamen, etiamsi praeter tuam sententiam,
Videris iniuste fecisse, quod prodidisti tuam uxorem.
Med. Certe in multis rebus dissentio ab aliis hominibus.
„Mihi enim omnis iniustus, qui pulchre dicere
„Potest, maxima poena dignus videtur[54]).
Nam cum glorietur, se dicendo posse ornare iniustas causas,
Audet fallere: id profecto non est sapere,
Sicut et tu non nunc adversus me eris decorus
Et bonus orator. Unum verbum occidet te.
Oportuit te, si quidem non fecisti malo animo, me prius persuasa,
Has nuptias appetere, non clam amicis.
Ias. Bene mihi subservis hac oratione.
Quid erat futurum, si tibi de nuptiis dixissem, quae ne nunc quidem
Vis remittere iracundiam animi?
Med. Non hoc sentiebas; sed barbara coniunx
Non satis gloriosa tibi in senectute fuisset.
Ias. Hoc te probe scire velim, non propter mulierem
Me duxisse filiam regis, quam nunc habeo;
Sed, ut antea dixi, volens servare
Te, et meis liberis fratres
Regios gignere, propugnaculum domus.
Med. „Non contingat mihi talis beata vita, quae afferat mihi tantam molestiam[55]),
„Neque divitiae, quae meum animum dolore afficerent.
Ias. Poenitebit te, et prudentior eris?
„Bona non videantur tibi molesta,
„Non putato te esse miseram, cum sis felix.
Med. Afficias me contumelia, postquam tu habes receptum;
Ego autem deserta fugiam ex hac terra.
Ias. Tu ipsa haec elegisti, nullum alium accusa.
Med. Quid feci[56])? an nupsi aut prodidi te?
Ias. Impie maledicens regibus.
Med. Et tua domus me execratur.
Ias. Non litigabo tecum de his diu.
Si vis pueris aut exilio tuo aliquod
Viaticum de mea pecunia accipere,
Dicito, quia sum paratus larga manu dare,
Et mittere hospitibus donaria, ut tibi benefaciant.
Si haec non vis, stulta es, o mulier;
Desistens vero ab ira, habebis meliora.
Med. Neque utar tuis hospitibus,
Neque quicquam recipiam, neque des mihi aliquid.
„Non prosunt dona improbi viri[57]).
Ias. Ego tamen testor Deos,
Quod volo tibi liberisque omnia suppeditare;
Sed tu non vis bona, pertinaciter
Pellens amicos: ergo doleas magis.
Med. Vade, es amore novae sponsae
Captus, tardans extra domum.

52) H. l. in iisdem Editt. nota marg.: Paupertas spreta.

53) H. l. ibid. nota marg.: Mulierum zelotypia.

54) H. l. ibid. in marg. adscripta sunt: In malos facundia abutentes.

55) H. l. ibid. nota marg.: Molesta felicitas non appetenda.

56) feci?] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. fecit? (Editt. recent.: faciens = Eurip. δρῶσα;).

57) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Malorum beneficia.

Duceam: fortassis (atque utinam sic eveniat)
Sic duces, ut tu sis negaturus connubium.

[*Strophe* 1.]

Chor. „Immoderati amores
„Neque gloriam
„Neque virtutem dant
„Viris; si vero moderate adsit
„Venus, non est alia Dea
„Aeque grata[58]).
Nunquam, o domina, adversus me
Emittas ex aureis arcubus
Inevitabile telum, peruntum desiderio.

[*Antistrophe* 1.]

„Pudicitia me delectat,
„Pulcherrimum donum Deorum.
Nunquam ambigua certa-
mina et insatiabiles rixas
Consternata animo propter ali-
ud coniugium
Misceam. O veneranda Venus,
Colens tranquilla coniugia,
[Acutam ingenii aciem habens discerne lectos
mulierum[59])].

[*Strophe* 2.]

O patria, o domus mea,
Nunquam fiam exul,
Habens paupertatis
Longum tempus,
Miserabilium curarum:
Prius moriar[60]),
Hoc die confecto. „Malum
„Non est aliud maius,
„Quam privari patria[61]).

[*Antistrophe* 2.]

Vidimus, non ex alienis
Sermonibus didicimus.
Te neque civitas, neque aliquis amicorum
Miseratus est, quae passa es

58) H. l. ibid. nota marg.: Modus adsit amori.

59) Hunc integrum versum, in Editt. 1558., 1562. omissum (quamquam verba graeca Ὀξύφρων κρῖναι λέχη γυναικῶν etiam in Eurip. Ed. Basil. 1551. 8°. leguntur), ex Ed. Barn. addidi.

60) Prius moriar,] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Θανάτῳ θανάτῳ πάρος δαμείην) Morte, morte prius domer.

61) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Exilium.

Gravissima mala.
„Pereat invisus, qui non vult
„Amicos iuvare, aperiens candidam
„Clavem pectoris,
„Et mihi nunquam contingat amicus talis[62]).
Aegeus. Salve Medea; hoc exordio
Nemo potest melius compellare suos amicos.
Med. Salve et tu, o fili sapientis Pandionis.
Unde accedis solum huius terrae?
Aeg. Relicto antiquo sacello Apollinis.
Med. Quare venis ad umbilicum terrae, ubi est oraculum?
Aeg. Quaerens, quomodo mihi contingat satio liberorum.
Med. Per Deos, sine liberis adhuc vivis?
Aeg. Sumus sine liberis singulari aliquo fato.
Med. Cum habeas uxorem, an es sine uxore?
Aeg. Non sum sine uxore.
Med. Quid igitur dixit tibi Phoebus de liberis?
Aeg. Obscuriora verba, quam ut possit homo coniicere.
Med. Estne fas me audire oraculum Dei?
Aeg. Maxime, quia opus habet sapiente interprete.
Med. Quid vaticinatus est? dicito, si fas est audire.
Aeg. Ne solverem[63]) pedem, qui eminet extra utrem.
Med. Priusquam quid facias, aut ad quam terram venias?
Aeg. Priusquam rediero in patriam.
Med. Tu vero qua re indigens navigas in hanc terram?
Aeg. Est quispiam Pitheus, rex terrae Troezeniae.
Med. Filius Pelopis, ut aiunt, piissimus.
Aeg. Huic volo proponere oraculum Dei.
Med. Est vir prudens, et exercet talia.
Aeg. Et mihi charissimus amicorum, quos in militia paravi.
Med. Bene tecum agatur, et consequaris, quae expetis.
Aeg. Quare oculi tui et corpus ita contabuerunt?
Med. Aegeu, habeo pessimum maritum.
Aeg. Quid ais? dic mihi aperte tuam tristitiam.

62) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: In ingratos.

63) solverem] sic (= Eurip. λῦσαι) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. corrupte: solum.

Med. Iason iniuria me affecit, nulla a me affectus.
Aeg. Quid fecit? dic mihi apertius.
Med. Habet aliam uxorem prae me dominam huius domus.
Aeg. An ausus hanc turpissimam rem?
Med. Bene scito; nos, qui ante eramus amici, reiecti sumus.
Aeg. An amore incensus, an odio tui?
Med. Magno amore; nimirum non est firmus in amore[63a]).
Aeg. Eat ergo nunc, si quidem est malus, ut dicis.
Med. Cupivit accipere affinitatem regum.
Aeg. Quis dat ei? pertexe hanc orationem.
Med. Creon, qui dominus est huius terrae Corinthiacae.
Aeg. Ignoscendum tibi est, quod doles, o mulier.
Med. Perii, praeter hoc expellor ex hac terra.
Aeg. Propter quid[64])? hoc aliud rursus novum narras malum.
Med. Creon me exulem expellit ex hac terra.
Aeg. Et permittit Iason? ne hoc quidem laudo.
Med. Specie quidem non est autor, tamen fieri patitur.
Sed rogo te supplex per genas has,
Et tua genua, fio supplex,
Miserere mei infelicis,
Neque videas me desertam frustratam[65]).
Recipe me hospitam in tuam regionem et domum:
Sic tibi amor a Diis foecundus
Liberis fiat, et ipse moriaris in tranquilla senecta.
Non scis, quantam invenias rem;
Faciam, ut non amplius sis sine liberis, sed liberos
Procreare ut possis, efficiam, talia pharmaca novi.
Aeg. Propter multa tibi hanc gratiam dare
Sum paratus, o mulier, primum propter Deos,
Deinde propter liberos, quorum generationem promittis.

63a) in amore] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. φίλοις) amicis.
64) Propter quid?] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: A quo? (Eurip. πρὸς τοῦ;).
65) frustratam] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. frustratum (Barn., Musgr.: eiectam, Fix: exulem, Eurip. ἐκπεσοῦσαν).

Nam ego prorsus ad hoc sum inutilis;
Sic autem ero. Ubi tu veneris Athenas,
Volo te hospitio excipere; sum enim iustus.
Tantum, hoc tibi praedico, mulier,
Nolo te ex hac terra abducere;
Quod si ipsa veneris in meam domum,
Manebis ibi tuta, neque dimittam te.
Tu ipsa discede ex terra.
Volo ego inculpabilis esse etiam apud peregrinos.
Med. Sint haec ita sane; sed si dares mihi iusiurandum
Pro his, haberem omnia praeclare a te.
Aeg. An non confidis? aut quid tibi est molestum?
Med. Confido. Sed domus Peliae est mihi inimica,
Et Creon; his iuramentis devinctus
Dimiseris me istis abducentibus e terra.
Et veniens cum eis in colloquium ad transactionem, et iuramento obstrictus Diis,
Poteris fieri iterum amicus, et praeconia
Non debes auscultare[66]). Ego sum imbecillis,
Illi habent opulentiam et domum regiam.
Aeg. Ostendisti magnam providentiam in tua oratione.
Sed si videtur tibi haec facere, non recuso.
Mihi haec quoque tutiora sunt,
Si ostendam aliquam excusationem tuis inimicis,
Et tua res erit firmior. Praei verbis[67]), quos iurem Deos.
Med. Iura solum terrae, et Solem patrem patris
Mei, et totum simul genus Deorum,
Aeg. Quam rem facturum, aut quid non facturum? dicito.
Med. Quod neque tu eiecturus me sis unquam e terra,
Neque, alius si quis meorum inimicorum me abducere

66) his iuramentis devinctus — auscultare.] hic locus Editt. 1558., 1562. aliqua ex parte corruptus esse videtur; quapropter iuvat Fixii interpretationem huius loci adscribere: „His vero, si iureiurando obstrictus fueris *mihi*, abducere me volentibus e terra tua non permittes: at verbis meris mecum si conveneris, nec per deos iuratus, amicus fias *inimicis meis*, et postulationibus praeconum fortasse obtemperes."
67) Praei verbis] sic Editt. 1558., Barn., Musgr. (= Eurip. ἐξηγοῦ, Fix: Praei); Ed. 1562. errore typogr.: prae verbis.

Velit, permissurum te id viventem et volentem.
Aeg. Iuro terram, et splendidum lumen Solis,
Et omnes Deos, quod velim manere in illis, quae ex te audio.
Med. Satis est; quid autem patieris, si non praestiteris hoc iusiurandum?
Aeg. Quae hominibus impiis solent accidere.
Med. Vade et vale; omnia recte se habent.
Ego statim veniam in tuam civitatem,
Ubi confecero, quae paro, et consecuta fuero, quae volo.
Chor. Sed te, rex, natus ex Maia, deductor
Ducat domum,
Et ea, quorum propositum habens festinas,
Perficias, quia praestans vir
Mihi visus es, o Aegeu.
Med. O Iupiter, et vindicta Iovis, et lumen Solis,
Nunc gloriosae victrices meorum inimicorum, o amicae,
Erimus, et ingressae sumus in viam.
Iam spes est meos hostes daturos poenam;
Hic enim vir, ubi maxime laborabamus,
Apparuit portus meorum consiliorum,
Ab hoc suspendemus rudentem in puppe,
Ubi venerimus in urbem Palladis.
Iam tibi omnia mea consilia
Dicam; accipe insuaves hos sermones.
Mittens unum ex meis servis, ut Iason
Veniat in meum conspectum, postulabo.
Venienti ipsi dicam placidos sermones,
Quod mihi eadem placeant, et quod bene se habeant
Nuptiae regiae, quas, prodita me, habet,
Et utilia haec esse et recte facta.
Petam, ut liberi mei maneant:
Non relictura in terra, ut tanquam hostes
Contumelia afficiant meos liberos inimici mei;
Sed ut dolo filiam regis interficiam,
Mittam eos, habentes dona in manibus,
Et ferentes sponsae, ne pellantur ex hac terra,
Tenuem vestem et inauratum cincinnum.
Ea si acceptum ornamentum circumdederit corpori,
Misere peribit, et omnis, qui attigerit puellam;
Huiusmodi pharmacis perungam dona.
Hic finio hunc sermonem.
Heu qualis res est facienda
Mihi inde? Interficiam liberos
Meos, nemo est, qui possit eos eripere;
Et miscens[68]) totam domum Iasonis,
Exibo ex hac terra, necem charissimorum liberorum
Fugiens, et ausa facinus impiissimum.
„Non ferendum est, ut derideamur ab inimicis, o amicae,
Quid tum? quid me iuvat vivere? neque mihi patria
Est, neque domus, neque receptus aliquis ex his malis.
Peccavi tunc, quando reliqui
Domum paternam, verbis viri Graeci
Persuasa: qui mihi poenam dabit Deo volente.
Nam nunquam liberos, quos ex me sustulit, videbit
Deinceps vivos; neque ex nova
Sponsa gignet aliquos, posteaquam malam male
Perire ipsam necesse est meis pharmacis.
Nemo me ignavam et imbecillem existimet,
Neque tranquillam, sed alterius ingenii,
„Gravem inimicis, et benignam amicis.
„Huiusmodi enim hominum vita est gloriosissima.
Chor. Postquam nobis communicasti hunc sermonem,
Volens tibi prodesse, et legibus hominum
Auscultans, dehortor te ab his faciendis.
Med. Non erit aliter; tibi ignosco, quod dicis
Ista, quae non ea mala pateris, quae ego.
Chor. An audebis tuos liberos occidere, mulier?
Med. Sic maxime cruciabitur maritus.
Chor. Tu tamen etiam eris misera mulier.
Med. Esto. Superflui sunt sermones reliqui.
Sed age, vade, et adducito Iasonem,
(Ad omnia enim fidelia te utimur).
Nihil dices eorum, quae decrevi,
Si quidem bene vis dominae, et es mulier.

[*Strophe* 1.]

Chor. O posteri regis Erechthei, longo iam tempore beati,
Et filii beatorum Deorum,
Qui sacrae regionis inexpugnabilisque
Fruimini
Inclyta sapientia,
Qui semper per lucidissimum

68) miscens] a Barn. et Musgr. additur: *luctu*, a Fixio: ruina.

Aerem molliter itis,
Ubi aliquando castas
Novem Pierides
Musas dicunt
Genuisse flavam Harmoniam,

[*Antistrophe* 1.]

Et ad fluenta Cephisi
Venerem invocasse exhaurientem ex Cephiso,
Ut spiraret per regionem
Mediocres ventorum,
Dulce spirantes auras,
Ac semper imponeret
Comis fragrans rose-
orum sertum florum:
Et incitantes ad sapientiam,
Amores mitteret,
Multiplices virtutis adiutores.

[*Strophe* 2.]

Quomodo igitur sacrorum fluviorum
Aut urbs aut amicorum
Regio te recipiet,
Interfectricem tuorum liberorum,
Quae non es sancta? cum aliis
Considera liberorum plagam,
Delibera, quale parricidium suscipias.
Non, per genua te omnes
Supplices vehementer oramus,
Non interficias tuos liberos.

[*Antistrophe* 2.]

Quomodo confidentiam in corde vel
Manu, de tuis liberis
Et animo sumes,
Afferens immanem audaciam?
Quomodo oculos admovens
Liberis sine lachrymis
Continebis? non poteris in caede,
Pueris supplicibus cadentibus,
Madefacere manum caede cruentam
In misero animo.

[*Iason, Medea, Chorus, Paedagogus.*]

Ias. Venio vocatus; et quamquam es infesta,
Tamen non frustraberis hac re, sed audiam,
Quid novi ex me velis mulier.
Med. Iason, rogo te, ut ea mihi, quae dicta sunt,
Condones, et meam iracundiam toleres.
Merito id facis, quia sunt multa beneficia praestita inter nos mutuo.
Ego vero mecum expostulavi,
Et conviciata sum[69]) mihi: misera, quid insanio,
Et irascor illis, qui mihi bene consulunt?
Odi dominum huius terrae,
Et maritum, qui parat mihi utilissima,
Ducens puellam regiam, et fratres liberis
Meis gignens? an non desinam tandem
Irasci? quid doleo, cum Dii dent bona?
Nonne sunt mihi liberi? scio e terra
Fugituros nos, et carituros amicis.
Haec cogitans sensi me inconsulte
Admodum fecisse, et frustra iratam esse.
Nunc igitur laudo te, et mihi videris recte facere,
Qui assumpseris nobis hanc affinitatem; ego stulta,
Quam oportebat sociam esse huius consilii,
Et adiuvare ea, et assidere lecto,
Et gaudere, quod sponsa te curet.
„Sed sumus tale, quale sumus, non dicam malum,
„Mulieres; te non oportet imitari malos mores nostros,
„Neque reddere stulta pro stultis.
Deprecor et dico me male sensisse
Tunc; nunc melius haec consideravi.
O liberi, venite huc, relinquite domum.
Exite, salutate et compellate
Patrem nobiscum, et simul reconciliamini
Ex priori ira adversus amicos cum matre,
Foedus est nobis, et mutata est ira.
Prehendite dextram. Heu mihi,
Cum cogito de facinore, quod occulto.
O liberi, sic vos longum tempus[69a]) victuri
Praebete charas manus. Misera ego,
Ut non possum reprimere lachrymas, et quam sum plena metus!
Ex longo intervallo propter contentionem abducens vos a patre,
Impleo teneros hos oculos lachrymis.
Chor. Et mihi erumpunt ex oculis recentes lachrymae.
Atque utinam non evadat maius malum, quam nunc est.

---

69) Et conviciata sum] sic (= Eurip. κἀλοιδόρησα) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. Et conviciata sunt.
69a) longum tempus] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. longo tempore.

Ias. Probo haec, mulier, neque expostulo tecum de priore offensione.
Convenit mulieres irasci
Marito, qui comparat aliud connubium.
Verum mutatus est animus tuus in melius.
Invenisti melius, sed sero,
Consilium: haec sunt facta mulieris moderatae.
Vobis, liberi, non inconsulte pater
Comparavit multam salutem cum Diis.
Existimo vos huius terrae Corinthiacae
Principes fore cum fratribus.
Sed crescite, reliqua perficiet
Pater, et quisquis Deorum faverit vobis.
Utinam vos videam bene educatos, ad finem pubertatis
Pervenire, superiores meis inimicis.
Quid tu rigas pupillas assiduis lachrymis,
Avertens retro candidas genas
Neque libenti animo a me accipis hunc sermonem?
Med. Nihil est causae, de liberis hisce cogito.
Ias. Confide nunc, ego bene curabo haec.
Med. Faciam haec, non diffidam tuis verbis.
„Sum mulier: qui sexus natura ad lachrymas est proclivis[70]).
Ias. Quid autem tantopere ingemiscis propter liberos hosce?
Med. Peperi eos, et quando optabas[71]) vivere liberos meos,
Miseratio me subit, an hoc futurum sit.
Caeterum quorum causa mecum ad colloquium venisti,
Ea partim dicta sunt, partim dicentur.
Postquam domino huius terrae placet me relegare,
Et hoc mihi est optimum, probo,
Ut non hic vel tibi vel domino huius terrae sim impedimento,
Habitans; viderer enim odisse tuam familiam.
Ego discedam ex hac terra in exilium.
Ut autem liberi possint educari tua manu,
Roga Creontem, ne cogantur ire in exilium.
Ias. Haud scio, an persuasurus sim eum; sed oportet tentare tamen.
Med. Tu iube petere a patre tuam
Uxorem, ne cogantur liberi in exilium ire ex hac terra.
Ias. Maxime; existimo ego persuasuram esse eam patri,
Si quidem est mulier sicut aliae.
Med. Ego quoque te adiuvabo in hoc labore.
Nam mittam ei dona, quae excellunt
Nunc inter homines, ego bene scio:
Tenuem vestem et coronam auream,
Ea ferunt[72]) mei filii. Sed quam celerrime oportet
Aliquem ex famulis huc afferre ornatum.
Illa sponsa est beata non una in re, sed multipliciter,
Quae te virum optimum maritum adepta est,
Et habebit ornatum, quem Sol,
Pater patris mei, dat suis posteris.
Sumite haec dona nuptialia pueri in manus,
Et beatae dominae sponsae date
Ferentes; non accipiet vulgaria munera.
Ias. Quare, o stulta, evacuas tuas manus?
Putasne domum regiam carere stolis?
Putas auro? serva, non des haec.
Nam si nos ducet in aliqua existimatione
Mulier, augebit te muneribus, bene scio ego.
Med. Ne dicas mihi ista; fertur etiam Deos persuaderi donis.
„Aurum potentius est inter homines quam infinitae orationes[73]).
„Illi favet fortuna, illam nunc auget Deus.
Nova sponsa dominatur; meorum liberorum exilium
Etiam vita redimerem, non solum auro.
Verum, o filii, intrantes vicinam domum
Patris, novam uxorem et meam dominam
Supplices orate, petite, ne eiiciat vos in exilium,
Dantes istud ornamentum; hac enim re opus est,
Ut ipsa accipiat in manus haec dona.
Ite quam celerrime, et matri de illis, quae cupit consequi,
Afferte bonum nuntium, re prospere acta.

[*Strophe* 1.]

Chor. Nunc nulla amplius spes est vitae liberorum;

---

70) est proclivis] sic (= Eurip. ἔφυ) Ed. Barn.; Editt. 1558., 1562. sum proclivis.

71) optabas] sic (= Eurip. ἐξηύχου) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. optabam (huius primae personae ansam fortasse dedit forma corrupta ἐξηύχουν, quae in Ed. 1551. 8°. legitur).

72) ferunt] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. ferent (Eurip. φέροντας).

73) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Munerum vis.

Nam eunt iam ad caedem.
Aureae coronae sponsa
Infelix noxam accipiet,
Et circum flavam comam
Ponet letalem ornatum,
Accipiens haec in manus.

[*Antistrophe* 1.]

Persuadebit ei gratia et divinus fulgor vestis,
Ut circumponat auream coronam.
Mox sponsa ornabitur iam apud inferos,
In talem sepem cadit.
Et Parcam mortis
Accipiet infelix,
Non effugiet noxam.

[*Strophe* 2.]

Tu vero, o miser, o infelix sponse.
Gener regum,
Non animadvertens, liberis
Adducis perniciosam vitam,
Et uxori tuae horribilem mortem.
O infelix, quantam calamitatem ignoras!

[*Antistrophe* 2.]

Gemo tuum dolorem,
O misera liberorum
Mater, quae interficies
Liberos propter nuptias,
Quas relinquens iniuste
Maritus habitat cum alia uxore.
Paedagogus. Liberi tu, o domina, liberati sunt ab exilio,
Et regia sponsa libens dona manibus
Accepit; inde pax est tuis liberis.
Med. Sine. *Paed.* Quare stas perturbata, quando bene se habent res?
Cur retro vertisti tuas genas,
Et non libenter a me accipis hunc sermonem?
Med. Heu, heu! *Paed.* Haec non consentiunt cum illis, quae nuntiavi tibi.
Med. Heu, heu! *Paed.* An aliquem casum nuntiavi
Insciens, et spe laeti nuntii frustratus sum?
Med. Nuntiasti, quale nuntiasti, non tibi vitio verto.
Paed. Quare oculos demittis et lachrymas?
Med. Sum implicita magnae necessitati, o senex; haec enim Dii,
Et ego male cogitans machinati sumus.
Paed. Confide tu, obtines adhuc id, quod ad liberos attinet.
Med. Alios prius mittam misera ego.
Paed. Non tu sola divulsa es a liberis.
„Oportet hominem leviter ferre calamitates.
Med. Faciam haec. Sed ingredere in domum,
Et praebe pueris, quae convenit quotidie.
O liberi, vobis est urbs
Et domus, in qua, me misera relicta,
Habitabitis semper orbati matre.
Ego vado in aliam terram exul,
Priusquam ex vobis potui capere voluptatem, et vos videre florentes,
Priusquam connubium et uxorem et nuptias
Ornem, et praebeam faces.
O me miseram, quae est mea pertinacia?
Frustra vos, o liberi, educavi,
Frustra laboravi et consumpta sum laboribus,
Ferens ingentes dolores in pariendo.
Misera ego habui spem
Magnam, quod vos me anum essetis nutrituri,
Et mortuam manibus recte sepulturi,
Praedicandam hominibus. Nunc periit
Haec dulcis cura; nam vobis orbata
Misere vivam.
Vos matrem non amplius charis oculis
Videbitis, transeuntes in aliam vitam.
Heu heu! cur me oculis adspicitis, liberi?
Quare arridetis extremo risu?
Heu heu, quid faciam? cor abit,
Mulieres, postquam vidi laetos oculos liberorum,
Non potero. Valeant consilia
Priora, abducam filios meos e terra.
Quid opus est me patrem horum, horum malis
Dolore afficientem, mihi bis tanta mala accersere?
Haud faciam, valeant consilia.
Verum quid patior? an volo derideri,
Dimittens meos inimicos impunitos?
Audendum hoc est. Ignaviae meae est
Hoc, quod admitto istos molles sermones in animo.
Intrate pueri in domum. Cui non
Licet adesse meis sacris,
Ipse viderit; ego non perdam manum.
Heu heu! nequaquam anime, tu non facies haec.
Mitte eos, o miser, parce liberis,

Illic nobiscum viventes exhilarabunt te.
Non per daemones punitores, qui sunt apud inferos.
Nunquam hoc faciam[74]), ut ego amicis
Pueros meos relinquam iniuria afficiendos.
Omnino necesse est eos mori; et quoniam hoc oportet,
Ego, quae genui, interficiam eos.
Omnino actum est hoc, et non aliter fiet.
Et sane corona in capite est et in vestibus
Sponsa regia perit[75]), ego bene scio.
Verum ego vado miserrimam viam,
Et adhuc tristiore via mittam meos
Liberos. Volo eos alloqui: date, o liberi,
Date matri dextram, salutate.
O charissima manus, et mihi charissimum os
Et species et vultus generosus liberorum,
Sitis felices[76]), sed illic; quae hic habebant,
Pater abstulit. O iucundum complexum,
O teneram cutem et dulcissimum habitum liberorum!
Ite[77]); non amplius intueri
Vos possum, sed vincor malis.
„Et intelligo, qualia sint ea mala, quae molior;
„Sed ira est praestantior meis consiliis,
„Quae quidem hominibus causa est maximorum malorum[78]).
Chor. Saepe iam per subtiliores
Sermones ivi, et ad certamina
Magna veni, si convenit genus
Muliebre scrutari; sed habemus
Musam et nos, quae habitat nobiscum
Docendi causa, verum non cum omnibus;
Exiguum numerum inter multas
Invenias fortasse,
Mulierum non indoctum,
Et sic dico: „Homines, qui sunt
„Omnino expertes, neque genuerunt
„Liberos, excellere felicitate
„Illis, qui procrearunt[79]).
„Qui non habent liberos, propterea quia non sunt experti,
„Utrum res suavis hominibus, an vero ingrata
„Sint liberi, cum non habeant,
„Carent multis miseriis.
„Sed quibus in aedibus est liberorum
„Dulce germen, eos video curis
„Confici omni tempore.
„Primum quo pacto bene educent,
„Et unde victum relinquant liberis;
„Deinde utrum pro malis,
„An pro bonis laborent, hoc incertum est.
„Unum vero, quod est omnium extremum, iam
„Dicam, omnibus hominibus malum,
„Ubi satis facultatum invenerunt,
„Et liberi adoleverunt,
„Et boni evaserunt[80]), si inciderit
„Fatum aliquod, ad infernum haec evanida
„Mors fert corpora liberorum.
Quomodo igitur prodest praeter alios
Hunc etiam acerbissimum dolorem
Propter liberorum mortem
Addere Deos hominibus?

[*Medea, Nuntius, Chorus, Puer, Iason.*]

Med. Amicae, rursus expectans exitum,
Expecto, quales progressus res inde habitura sit.
Equidem video aliquem ex Iasonis
Ministris, venientem irritato spiritu,
Significat se novum aliquod malum nuntiaturum.
Nunt. O quae magnam rem iniuste fecisti,
Medea, fuge, fuge, neque navale
Vehiculum relinquens, neque currum euntem.
Med. Qua re sum merita hoc exilium?
Nunt. Puella regia iam periit,
Et Creon, qui eam genuit, tuis veneficiis.
Med. Pulcherrimum sermonem dixisti; inter benefactores,
Et amicos meos posthac eris.
Nunt. Quid ais? an recte sapis, et non insanis, mulier?
Quae cum iniuria affeceris lares regios,
Gaudes audiens, et non metuis haec?
Med. Ego etiam possum aliquid contra tua

74) faciam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: fiet (= Eurip. ἔσται).

75) Sponsa regia perit,] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Sponsae regiae: perit,

76) Sitis felices] sic (= Eurip. εὐδαιμονοῖτον) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Sicut felices.

77) Ite] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Χωρεῖτε, χωρεῖτ') Ite, ite.

78) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Rationis et irae lucta.

79) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Liberos habere quid sit rei.

80) evaserunt] sic Editt. 1558., Barn., Musgr.; Editt. 1562., Fix. evaserint (Eurip. ἐγένοντ').

Verba dicere; sed non indignare, amice,
Dicito, quomodo perierunt. Nam bis tantum
Me[81]) delectaveris, si misere sint mortui.
Nunt. Postquam gemina soboles tuorum liberorum venit
Cum patre, et ingressa est domum sponsae,
Gavisi sumus, qui doluimus tuam vicem,
Famuli; statim vero multa consusurrabamus,
Te et tuum maritum diremisse priorem discordiam.
Osculabatur alius manum, alius flavum caput
Puerorum; ego ipse etiam prae laetitia
Simul tuos filios comitabar in habitationem mulierum.
Domina vero, quam nunc prae te admiramur,
Priusquam vidit par tuorum liberorum,
Habebat promptum oculum in Iasonem;
Deinde texit oculos,
Et retro avertit candidas genas,
Abominans ingressum puerorum; sed maritus tuus
Abstulit iram et bilem puellae,
Haec dicens: Ne sis inimica amicis,
Desiste ab ira, et flecte iterum caput,
Existimans amicos eosdem, quos maritus tuus.
Accipe munera, et roga patrem,
Ut remittat exilium his meis liberis mea causa.
Haec ut adspexit ornatum, non continuit se,
Sed promisit viro omnia. Et priusquam ex aedibus
Procul abirent pater et liberi tui,
Acceptam variam vestem induit,
Ponens auream coronam supra cincinnos,
Ornans comam, adhibito claro speculo,
Arridens exanimem imaginem sui corporis.
Deinde ubi surrexisset de solio, inambulat
In habitatione, delicate incedens candidis pedibus,
Gaudens propter dona, multum et saepe
Erecto colli tendine circumspiciens.
Inde autem erat miserabile spectaculum videre.
Nam mutato colore iam incurvata
Ingreditur, tremens membris, et vix pervenit
Ad sedem, ne caderet in terram.
Tum una ex famulis anus, cum existimaret
Panicum terrorem aut alterius Dei venire,
Vociferata est, priusquam videret per os
Exire candidam spumam, et ab oculis
Vertentem pupillas, et non amplius in corpore esse sanguinem.
Deinde pro vociferatione emisit magnam
Eiulationem; statim vero una in domum patris
Cucurrit, alia ad recentem maritum,
Dictura calamitatem sponsae. Tota
Domus resonabat frequentibus discursationibus
Iam tanto post spatio[82]), quanto tollens pedem celerem
Equus velox metam attigisset;
Illa ex muta, et quae fuerat caeca,
Graviter ingemiscens misera excitabatur.
Nam duplex malum adversabatur ei:
Aurea corona capiti imposita,
Emittebat mirabilem vorticem ignis omnia devorantis;
Et tenuis tunica, donum tuorum liberorum[83]),
Devorabat candidam carnem infelicis.
Ipsa inflammata fugiebat, surgens de solio,
Concutiens crines et caput huc et illuc,
Volens abiicere coronam; sed firmiter
Haerebat aurea corona; ignis vero a coma
Concussa, bis tantum[84]) exarsit.
Ipsa victa malo cadit in terram,
Et a nemine potuit agnosci praeter patrem.
Nam neque oculi erant incolumes,
Neque forma bona, et sanguis ex summo
Capite stillabat mixtus igni,
Et caro ex ossibus sicut piceae lachrymae
Per genas defluebat arcanis illis veneficiis.
Horrendum spectaculum, omnes metuebant attingere
Cadaver; nam casum habuimus magistrum.
Sed infelix pater ignoratione mali,
Statim ingressus domum, irruit in eam iam mortuam,
Et statim coepit eiulare, et manibus circumdans eam,

---

81) Me] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἡμᾶς) Nos.

82) Iam tanto post spatio,] haec verba in marg. Editt. 1558, 1562. sic explicantur: Id est, tantum erat intervallum retenti spiritus.

83) donum tuorum liberorum] his verbis in marg. earund. Editt. adscripta sunt haecce: *Quam donaverant liberi tui.*

84) bis tantum] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: magis, atque *adeo* bis tantum; Musgr.: magis, *atque* bis tantum; Fix.: magis, atque *adeo* bis tanto (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. *μᾶλλον δὶς τόσον δ'*, Ed. Fix. *μᾶλλον δὶς τόσως τ'*).

Osculabatur, haec dicens: O misera filia!
Quis Deorum tam turpiter te perdidit?
Quis me senem silicernium orbatum te
Facit? hei mihi, utinam tecum moriar, filia!
Postquam desiit lamentari et lugere,
Volens retrahere senile corpus,
Adhaesit, sicut hedera ramis lauri,
Tenerae vesti: erat horribilis lucta.
Ipse volebat retrahere genu,
Ipsa retrahebat; quod si vi trahebat,
Lacerabat senilem carnem ab ossibus.
Tandem defecit, et infelix dimisit
Animam; non poterat enim amplius vincere malum.
Iacent mortui et pater senex et filia
Simul: calamitas requirens lachrymas.
Tua necessitas sit mihi extra hos sermones[85];
Tu ipsa cogitabis de effugio poenae.
„Non nunc primum res hominum arbitror esse umbram[86]),
„Neque vereor dicere eos homines, qui sapientes
„Videntur esse, et prae caeteris valere sermonibus,
„Hos maxime stultos esse iudicandos.
„Nemo enim mortalium est beatus[87]).
„Affluentibus autem commodis, fortunatior
„Alius est alio fortasse, sed non beatus.
Chor. Deus videtur multa hoc die
Mala congesturus iuste in Iasonem.
O misera, quam miseramur tuam calamitatem,
Filia Creontis, quae domum Plutonis
Vadis propter nuptias Iasonis.
Med. Amicae, decretum est mihi negotium, quam primum
Interfecero liberos, discedere ex hac terra,
Neque cunctando prodere liberos,
Ut interficiantur ab alia hostili manu.
Omnino necesse est eos mori: id quia oportet,
Ego, quae eos peperi, interficiam.
Sed age, o cor, armeris: quid cunctor

---

85) Tua necessitas sit mihi extra hos sermones] sic Editt. 1558., 1562.; Ed. Fix. pro his habet haec: Ac mihi, quod tua quidem interest, ea sunto extra meum sermonem (Eurip. *Καί μοι τὸ μὲν σὸν ἐκποδὼν ἔστω λόγου*).

86) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Miseria rerum humanarum.

87) Huic vs. ibid. in marg. adscripta est vox: Felicitas.

Mala magna et necessaria facere?
Age, o misera manus mea, arripe gladium,
Accipe, vade ad tristem metam vitae,
Et non sis ignava, neque memineris liberorum[88]).
Brevi die obliviscaris te matrem esse tuorum liberorum.
Postea luge; etsi enim occidis eos, tamen
Fuerunt chari, sed ego infelix mulier.

[*Strophe.*]

Chor. Io terra, et omnia illustrans radius
Solis, adspicite: videte illam
Noxiam mulierem, priusquam cruentam
Manum admoveat liberis parricidialem.
Nam ex tuo aureo
Genere orta est; Deorum
Sanguinem indignum est cadere ab hominibus.
Sed, o lumen generosum, coërce eam,
Compesce, expelle ex aedibus cruentam
Et miseram furiam, quia hoc totum malum oritur
A malo daemone.

[*Antistrophe.*]

Frustra pereunt miseri pueri,
Et frustra peperisti charum genus, o tu,
Quae reliquisti caerulearum Symplegadum
Scopuli[89]) inhospitalissimum ingressum.
Infelix tu, quare ad animum tuum
Accedit gravis indignatio,
Et ei respondet hostilis caedes?
„Noxia sunt hominibus piacula cognatorum
„Parricidis in terra. Scio
„Divinitus immitti mala in domum.
Puer. Heu, quid faciam? quo effugiam manus matris?
Alter[90]). Nescio, charissime frater; actum est de nobis.
Chor. Audis clamorem? audis liberos?
O misera, o mulier infelix!
Accedam domum, depellere necem
Liberis ego constitui.

---

88) neque memineris liberorum.] his verbis in Editt. 1558., 1562. in marg. adiecta est annotatio: Id est, non memineris te matrem esse horum liberorum.

89) Scopuli] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *πετρᾶν*) Scopulorum.

90) *Alter*] sic (= Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. *Ἕτερος*) Editt. Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. *Alius*.

Puer. Per Deos, ferte opem; est enim opus,
Quia sumus prope circumventi gladio.
Chor. O misera, num es saxum aut
Ferrum, quae liberorum, quos peperisti,
Frugem parricidiali modo interficis?
Audio hactenus unam tantum
Mulierem iniecisse manum charis liberis,
Ino furentem divinitus, quando Iovis
Coniunx ipsam emisit extra domum erratione.
Misera cadit in mare propter caedem
Impiam liberorum,
Extendens pedem supra mare,
Moriens cum duobus pueris, perit.
Quid potest accidere tristius?
„O mulierum coniugia aerumnosa,
„Quanta hominibus mala attulistis[91])!
Ias. Mulieres, quae statis ad hoc habitaculum,
Num domi est, quae facinus hoc magnum commisit,
Medea, an aufugit?
Oportet enim ipsam aut absconditam esse sub terra,
Aut attollere volatile corpus in aerem,
Si volet poenam effugere, quam datura est tyrannicae domui.
Num confidit, cum interfecerit dominum huius terrae,
Se posse impunitam aufugere ex his aedibus?
Sed non tam ipsam quam liberos curo.
Illam punient cives, quos laesit:
Veni, ut servarem meos liberos,
Ne aliquid mihi faciant Creontis cognati,
Vindicantes iniustam caedem matris.
Chor. O infelix, nescis, ad quae mala veneris,
Iason; nam non dixisses haec verba.
Ias. Quid est? an vult etiam me occidere?
Chor. Liberi tui manu matris perierunt.
Ias. Heu, quid dicis? quam me perdidisti, mulier!
Chor. Cogita tanquam de mortuis liberis tuis.
Ias. Ubinam eos interfecit, intusne an extra domum?
Chor. Aperi fores, et videbis caedem tuorum liberorum.
Ias. Laxate seras quam celerrime, ministri,
Solvite repagula, ut videam geminum malum,
Hos liberos interfectos, et ut illam puniam.
Med. Quare commoves et removes has portas,
Quaerens mortuos, et me, quae hanc rem commisi?
Desiste ab hoc labore; si tibi me opus est,
Dic, si quid vis. Nunquam me attinges.
Sol, pater patris, hoc vehiculum
Dat nobis propugnaculum contra manum hostilem.
Ias. O scelesta, o maxime invisa mulier,
Diis, et mihi et omnibus hominibus,
Quae tuis liberis iniicere gladium
Ausa es, quos peperisti, et me orbatum perdidisti;
Et cum haec feceris, tamen solem adspicis,
Et terram, quae ausa es rem impiissimam.
Pereas. Ego nunc primum sapio; tunc non sapiebam,
Cum te ex domo et terra barbara
Duxi in domum Graecam, magnum malum,
Et patris et terrae, quae te nutrivit, proditricem.
Dii coniecerunt in me tuum malum daemonem.
Nam occiso tuo fratre, quocum simul educata es,
Conscendisti navem Argo, habentem pulchram proram.
Haec tua initia. Inde nupta
Mihi, et pariens mihi liberos,
Propter alias nuptias eos perdidisti.
Nulla Graeca mulier hoc
Unquam ausa esset: prae quibus ego te dignam[92]) duxi,
Quam ducerem connubio infesto et mihi pernicioso,
Leaenam, non mulierem, Tyrrhena
Scylla saeviore natura praeditam[93]).
Verum te plurimis quidem conviciis
Pungerem: haec ferocia tibi innata est.
Pereas, tu venefica, et caede liberorum polluta.
Me decet lugere meum fatum,
Qui neque novis nuptiis fruor,
Et liberos, quos genui et educavi, non
Possum alloqui vivos, sed amisi.
Med. Certe possum multum respondere contra hanc

91) attulistis] sic Editt. Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. attulisti.

92) dignam] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. digna.

93) T. Sc. saeviore natura praeditam] sic scripsi (= Eurip. *Τυρσηνίδος Σκύλλης ἔχουσαν ἀγριωτέραν φύσιν*); Editt. 1558., 1562. male: T. Sc. saeviorem natura praeditam.

Orationem, nisi Iupiter sciret,
Qualia beneficia a me acceperis, et quae tu vicissim feceris.
Non debuisti, postquam sprevisti meum connubium,
Iucundam vitam agere, insultans mihi,
Neque puella regia, neque qui tibi eam in matrimonium collocavit,
Creon, impune me eiicere ex hac terra.
Ad haec, si libet, voca me leaenam
Et Scyllam, quae in Tyrrheno solo habitavit.
Ego attigi tuum cor, ut convenit.
Ias. Tu quoque doles, et particeps es malorum.
Med. Bene scito. Solvitur dolor, si tu me non irrideas.
Ias. O liberi, quam malam matrem habuistis!
Med. O liberi, quam periistis propter patris cupiditatem!
Ias. Tamen mea manus non perdidit eos.
Med. Sed iniuria et novae tuae nuptiae.
Ias. An tu voluisti propter nuptias eos occidere?
Med. An tu hoc exiguum malum esse putas mulieri?
Ias. Quae quidem modesta sit; tibi omnia sunt mala.
Med. Sed hi sunt mortui; sed hoc[94]) te mordebit.
Ias. Sed tuo capiti illi erunt piaculares[94a]).
Med. Dii norunt, quis coeperit[95]) hoc malum.
Norunt tuum abominabilem animum.
Med. Ardes odio; odio mihi est tuus acerbus sermo.
Ias. Et mihi tuus. Facilis est reconciliatio.
Med. Quomodo? quid faciam? et ego valde cupio.
Ias. Concede mihi hos mortuos sepelire et lugere.
Med. Nequaquam, quia ego sepeliam eos mea manu,
Ferens in lucum Iunonis Deae in arce,
Ne quis hostium eos contumelia afficiat,
Aperiens sepulchrum. In hac porro terra Sisyphi
Constituam praeclarum festum et sacrificia
Deinceps pro ista impia caede.
Ego vado in terram[96]) Erechthei,
Habitatura cum Aegeo, filio Pandionis.
Tu vero, quemadmodum convenit, malus male morieris,
Percussus caput tuum reliquiis navis Argo,
Ut videas miserum exitum mearum nuptiarum.
Ias.[97]) Sed furiae te morte propter liberorum
Caedem mulctabunt.
Med. Quis Deus aut daemon audiret te
Periurum et deceptorem hospitum?
Ias. Hei hei scelesta et interfectrix liberorum!
Med. Vade domum, et sepelias uxorem tuam.
Ias. Vado, orbatus duobus pueris.
Med. Nondum lachryma, expecta senectam.
Ias. O charissimi liberi!
Med. Matri, non tibi.
Ias. Et quomodo occidisses eos[98])? *Med.* Ut tibi nocerem.
Ias. Heu heu, cupio charum os
Miser ego liberis admovere.
Med. Nunc ipsos alloqueris, commode nunc salutas,
Tunc repellens. *Ias.* Da mihi per Deos,
Ut possim attingere tenerum corpus liberorum.
Med. Non faciam; frustra est haec oratio.
Ias. O Iupiter, audis haec, quomodo repellimur,
Et qualia patimur ab execranda
Ista leaena et interfectrice liberorum?
Sed quantum licet et possum,
Tantum lamentor, et concitus feror,
Obtestans Deos, quod me
Liberos, quos necasti, prohibes
Attingere manibus et sepelire mortuos.
Quos utinam ego nunquam genuissem,
Neque vidissem a te perditos!
Chor. „Iupiter in coelo gubernator est multorum:
„Dii multa praeter opinionem faciunt,
„Et sperata non fiunt,
„Eorum vero, quae non sperantur, Deus exitum invenit[99]).
Ita evenit haec res.

94) sed hoc] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. τοῦτο γάρ) hoc enim.
94a) piaculares] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. μιάστορες) daemones infesti [Fix.: saevi].
95) coeperit] sic (= Eurip. ἦρξε) Editt. Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. ceperit.
96) in terram] sic (= Eurip. γαῖαν) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. in terra — In his duabus Editt. adscripta est nota marg.: Athenas.
97) *Ias.*] sic Editt. recent. aeque ac Eurip. Ed. Basil. 1551.; in Editt. 1558., 1562. hoc nomen omissum est.
98) Et quomodo occidisses eos?] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. et Musgr.: Et tamen *eos* occidisti? Fix.: Et tunc (*quum eos ames*) occidisti. (Eurip. Κἄπειτ' ἔκτας;).
99) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Fati incertitudo.

LIX. PH. MEL. INTERPRETATIO HIPPOLYTI CORONATI EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis legitur in *Xylandri* Editt. 1558., 1562., quibuscum Editt. *Barnesii, Musgravii* atque *Fixii* contuli. Versuum numeros, stropharumque partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. addidi uncis inclusas.

EURIPIDIS HIPPOLYTUS CORONATUS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum[1]).

Theseus filius erat Aethrae et Neptuni, et rex Atheniensium. Is ex Hippolyta, una ex Amazonibus, genuit Hippolytum, praestantem et forma et modestia. Postquam vero coniunx mortua est, duxit aliam uxorem Cretensem, Phaedram, filiam Minois regis Cretensium et Pasiphaae. Theseus autem interfecto Pallante, qui unus e cognatis erat, fugit in Troezenem una cum uxore, ubi accidit ali Hippolytum apud Pittheum. Phaedra, cum conspexisset adolescentem, impulsa est in amorem eius, non quod esset impudica, sed ut impleret iram Veneris, quae decreverat Hippolytum propter castitatem perdere, atque idcirco Phaedram in amorem eius impulit, finemque imposuit suo proposito. Nam Phaedra, cum diu tulisset morbum suum, tandem coacta est aperire nutrici. Haec autem promisit se opitulaturam ei: quae etiam, iuxta illud institutum, allocuta est adolescentem. Phaedra, ubi cognovit asperiorem esse ipsum, quam ut acciperet, castigavit nutricem, et se ipsam suspendit; quo tempore Theseus reversus, et volens detrahere strangulatam, invenit adpendentes ei litteras, in quibus accusat Hippolytum de stupro illato, et vi intentata. Ille credens scriptis, constituit, ut Hippolytus iret in exilium. Ipse vero fecit preces ad Neptunum, quas Deus exaudiens, perdidit Hippolytum. At Diana, indicans[1a]) unumquodque eorum, quae acciderant Theseo, non accusavit Phaedram, sed illum consolata est orbatum filio et uxore; Hippolyto autem iussit fieri honores usitatos in patria. Scena fabulae est in Troezene[2]).

---

1) Hoc argumentum ex graeco Editionis Basil. 1551. a Melanthone translatum est.

1[a]) indicans] sic (= διασαφήσασα) Ed. Barn.; Editt. 1558., 1562. iudicans.

2) in Troezene] sic (= ἐν Τροιζῆνι graeci argumenti). Ed. Barn.; Editt. 1558., 1562. male: in Thebis. — His verbis hoc argumentum in Editt. 1558., 1562. aeque ac graecum Editionis Basil. 1551., ex quo est translatum, finitur. In Ed. Barn. autem illa verba graece et latine subsequuntur haecce: „Acta est *Ameinone* Archonte, Olympiadis octogesimae septimae anno quarto. Primus *Euripides*, *Iophon* secundus, tertius *Ion*. Hic vero *Hippolytus* est duorum posterior et *Coronatus* dictus. Apparet autem, quod post alium sit scriptus, quia in hac fabula, quod contra decorum erat et vituperio dignum, in altera corrigitur. Est autem haec fabula inter optimas numeranda." — Huic argumento in eadem Ed. additum est alterum graece et latine, sic inscriptum: Argumentum aliud ex Plutarchi Parallelis.

Personae huius fabulae.

Venus	Phaedra
Hippolytus	Theseus
Chorus ex mulieribus Troezeniis	Nuntius
Ancilla [2a])	Alter nuntius
Nutrix Phaedrae.	Diana.

HIPPOLYTUS CORONATUS.

Venus praefatur [3]).

Ego celebris inter homines et non ignobilis
Dea vocor Venus, et in coelo,
Et apud eos, quicunque intra mare, finesque Atlanticos
Habitant, videntes lumen solis.
„Honore afficio eos, qui colunt meam potentiam,
„Everto autem, quicunque superbiunt adversus nos [4]).
„Inest hoc etiam in Deorum natura,
„Ut gaudeant, cum honore afficiuntur ab hominibus;
Ostendam mox veritatem huius rei.
Nam Thesei filius, ex matre Amazone,
Hippolytus, discipulus casti Pitthei,
Solus ex civibus huius terrae Troezeniae,
Dicit me pessimam esse Dearum,
Et recusat lectos, neque attingit nuptias;
Sed sororem Phoebi, Dianam, filiam Iovis,
Honorat, existimans eam maximam esse Dearum,
Semper habitans cum virgine in viridi sylva,
Expellit feras e terra velocibus canibus,
Expetens maiora humanâ consuetudine.
His ego non invideo; quid enim opus est?
Sed tamen ulciscar [5]) ob ea, quae in me deliquit,
Hippolytum hoc die. Verum cum multa
Antea praepararim, non opus habeo magno labore.
Nam venientem eum ex domo Pitthei,
Ad videnda et initianda veneranda mysteria,
Athenas, patris nobilis coniunx
Videns Phaedra, occupata est in corde
Vehementi amore, idque meo consilio.
Et priusquam veniret in hanc terram Troezeniam,
Ad ipsam rupem Palladis, e regione
Huius terrae aedificavit templum Veneris,
Ardens amore absentis; et in
Posterum ab Hippolyto dixit dedicatam statuam esse.
Sed postquam Theseus reliquit Athenas,
Fugiens contaminationem caedis Pallantidarum,
Et navigat in hanc terram cum uxore,
Recipiens exilium unius anni:
Ibi gemens et consternata
Misera stimulis amoris perit
Silentio, et nemo ex ministris novit morbum.
Sed non oportet hunc amorem isti excidere.
Ostendam hoc negotium Theseo, et palam fiet res;
Et hunc meum hostem, qui mihi inimicus est,
Pater interficiet imprecationibus, quas marinus
Rex, Neptunus, praebuit munus Theseo,
Ut nihil frustra peteret a Deo ex tribus.
Illa quamquam est nobilis, tamen peribit,
Phaedra; non tanti faciam huius exitium,
Ut mihi mei inimici non dent
Tantam poenam, quantam convenit.
Sed video filium hunc Thesei
Venientem relicto labore venationis,
Hippolytum; discedam ex hac domo.
Multus cum eo ministrorum comitatur
Coetus clamitat, honorans Dianam Deam
Hymnis; nescit enim apertas portas
Mortis, et se videre hunc postremum diem.
Hipp. Sequimini canentes, sequimini
Deam Dianam, filiam Iovis,
Dianam, cui curae sumus.

2a) Ancilla] sic Editt. 1558., 1562. (quasi in graeco personarum catalogo interpres legisset: *Θεράπαινα*); Barn. in graeco catal. habet: *Θεράπων*, in lat.: Famulus; Musgr. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) in gr.: *Θεράπαιναι*, in lat.: Famulae; Fix. in gr.: *Θεράποντες*, in lat.: Famuli.

3) *Venus* praefatur] sic h. l. Editt. 1558., 1562.; in Editt. Barn., Musgr. (aeque ac in Ed. Basil. 1551.) hoc quidem loco solum personae nomen legitur, sed praecedenti personarum catalogo in fine haec addita sunt: Prologum autem agit Venus.

4) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota margin.: Deûm voluntas. Honor.

5) ulciscar] sic (= Eurip. *τιμωρήσομαι*) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. male: non ulciscar.

Chor.[6]) Veneranda, veneranda, gravissima
Iovis soboles,
Salve, o puella,
Salve Latonae
Et Iovis filia, Diana,
Virginum multo formosissima,
Quae in amplo coelo
Aulam patris habitatis,
Pulchram Iovis domum.
Hipp. Salve, o pulcherrima,
Pulcherrima in coelo
Virginum Diana.
Tibi hanc coronam, contextam ex illibato[7])
Prato sacram fero, o hera:
Ubi pastor non vult pascere suos greges,
Quo non venit ferrum, sed illibatum
Pratum vernum apis peragrat;
Pudor rigat rore fluviatili.
Qui non accersitos mores, sed in ipsa natura
Pudorem habent semper ad omnia,
Illis fas est decerpere; improbis vero minus.
Atque, o chara domina,
Coronam recipe a pia manu.
Nam soli hominum mihi est iste honor,
Ut tecum verser et tecum colloquar,
Audiens tuam vocem, sed non videns tuam speciem:
Da, ut ille sit cursus vitae, sicut coepi.
Anc.[8]) O rex! oportet enim dominos vocare Deos.
Num vis a me accipere bonum consilium?
Hipp. Maxime. Alioqui non iudicarer sapiens.
Anc. Meministi legem, quae hominibus constituta est?
Hipp. Non novi illam, de qua me interrogas.
Anc. „Odisse fastum, et eos, qui non omnibus sunt comes[9]).
Hipp. „Probe memini; sed quis hominum superbus non est odiosus?
Anc. „Estne in comitate aliqua gratia?
Hipp. „Plurima, et quidem etiam lucrum cum parvo labore.
Anc. Existimas inter Deos idem esse?
Hipp. Si quidem homines utimur[9a]) legibus Deorum.
Anc. Quare tu non alloqueris superbam Deam?
Hipp. Quam? cave, ne tuum os erret.
Anc. Venerem illam, quae adstat tuae ianuae.
Hipp. Procul ego purus saluto ipsam.
Anc. Est superba quidem, et celebris inter homines.
Hipp. „Aliis alii Dii et homines curae sunt.
Anc. Beatus esses, si saperes, quantum te opus est sapere.
Hipp. Nemo Deorum mihi placet, qui sit admirandus noctu.
Anc. O fili, oportet honorare Deos.
Hipp. Ite comites, et euntes ad domum,
Curate cibos. Iucundum est post venationem
Mensa plena; et convenit recreare
Equos, ut iungens currui eos,
Saturatus cibo, exerceam commode.
Tuae autem Veneri longum vale dico[10]).
Anc. Nos autem (neque enim debemus imitari adolescentes)
Sapientes, ita, ut convenit servis dicere,
Adoramus tuam statuam,
„O domina Venus, oportet veniam dare,
„Si quis propter adolescentiam habens vehementiorem animum,
„Stulta loquitur: dissimula te eum audire[11]).
„Sapientiores enim hominibus oportet esse Deos.

[*Strophe* 1.]

Chor. Aquam Oceani quoddam
Saxum stillare dicitur,
Fontem fluentem, in quo urnae merguntur,
Emittens ex rupibus:
Ubi erat mihi quaedam socia,
Purpureas vestes
Fluviatili rore
Lavans, quas inde in tergum calidi saxi
Marini deposuit. Unde mihi
Primum fama venit, dominam

[*Antistrophe* 1.]

Confici, in quo aegrota decumbit
Lecto, retinens corpus intra

6) *Chor.*] sic (= Eurip. Χόρος) Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr.; Ed. Fix. in textu gr.: Θεράποντες, in lat. interpr.: *Famuli.*

7) Huic vs. in Ed. Barn. superscripta sunt haecce: *Hippolytus*, ad eum *Famulus.*

8) *Anc.*] sic h. l. et in seqq. Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., Fix.: *Fam.*

9) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Comitatis laus.

9a) utimur] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558, 1562. non utimur.

10) Huic vs. in Ed. Barn. adscripta sunt verba: * *Exit* Hippolyt.

11) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Ignoscendum aetatis erroribus.

Domum; et tenui velo flavum
Caput tegere.
Audio ipsam in tertium
Hunc divino
Ore diem
Prohibere castum corpus a cibo,
Et velle tacito dolore mortis
Provehi ad miserum finem.

[*Strophe 2.*]

O puella, tu insanis
Sive ex Pane, sive ex Hecate,
Aut ex venerandis Corybantibus,
Aut ex matre montana impetuosa[12]).
Tu vero, quod venatrici
Dianae errore
Non sacrificaveris molas, consumeris.
Nam vadit tum per paludes,
Tum per terram, supra maris
Salsuginem in fluctibus.

[*Antistrophe 2.*]

Aut maritum Atheniensium,
Ducem nobilem
Laedit aliqua in aedibus
Arcano concubitu;
Aut nauta aliquis navigavit,
Ex Creta veniens,
Ad portum commodum nautis,
Adferens nuntium reginae,
Moerore de illo malo
Victa est anima, intus se continens.

[*Epodus.*]

„Solet corrupto in mulierum
„Temperamento mala misera
„Aegritudo cohabitare
„Ex conceptu et fastidio. Per meum
Ventrem venit aliquando ista aura;
Deam hanc, quae favet parientibus,
Curantem sagittas,
Dianam invocavi.
Et inprimis veneranda[13])
Cum aliis Diis semper vadit.
Sed nutrix vetula ante fores
Hanc portat extra domum.

Tristis superciliorum nubes augetur:
Cupio scire, quid sit,
Quae res laeserit
Corpus reginae[14]) male coloratum.
Nut. O quantum est in rebus humanis mali, o morbos odiosos!
Quid ego tibi faciam? quid vero non faciam?
Hoc pulchrum lumen videtur tibi, et aer iste.
Extra domum et lectum, in quo decumbis aegrota:
Huc venire erat omnis sermo tuus:
Brevi rursus festinabis in thalamos.
Nam cito mutaris, et nulla re gaudes,
Neque tibi placet, quod adest; quod vero abest,
Gratius ducis. „Facilius est esse aegrotum, quam curare aegrotos.
Aegroto quidem est simplex malum; sed is, qui servit aegroto, coniunctum habet
Dolorem animi cum labore corporis.
„Omnis hominum vita plena dolore[15]),
„Neque est requies laborum,
„Sed aliud quiddam, quod dulcius est vita,
„Tenebrae continentes occultant nebulis.
„Stulte cupidi sumus
„Vitae, quia haec praesens vita splendet in terra,
„Quia nondum gustavimus alteram vitam,
„Et nemo nobis ostendit, qualia sint, quae sub terra sunt,
„Sed sermonibus stultis temere ferimur.
Phae. Tollite meum corpus, et erigite caput,
Dissoluta sunt mihi vincula artuum.
Accipite, ministri, brachia;
Est mihi grave habere ornamentum capitis.
Aufer, extende capillum, heu mihi!
Nut. Forti animo sis, filia, neque moleste
Agites corpus.
Facilius morbum cum quiete
Et generoso animo feres.
„Necesse est homines conflictari cum multis malis.
Phae. Eheu, quomodo ex rorido fonte
Hauriam potum limpidae aquae?
Et sub alnis et in viridi
Prato reclinata quiescam?

---

12) In marg. Editt. 1558., 1562. adscriptum est nomen Deae his verbis significatae: Cybele.

13) inprimis veneranda] sic Editt. 1558., 1562., in Editt. recent. recte additur: mihi (= Eurip. μοι πολυζήλωτος).

14) reginae] sic (= Eurip. βασιλείας) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: regina.

15) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Miseria vitae.

Nut. O filia, quid dicis?
Ne dicas talia coram populo,
Effundens sermonem obnoxium furori.
Phae. Mittite me in montem; eo ad sylvam,
Et ad pinus, ubi venatici
Canes vadunt
Adpropinquantes[16]) maculosis cervis.
Per Deos cupio clamore excitare canes,
Et circa flavam comam proiicere
Torquem Thessalicum,
Habens hastam in manu.
Nut. Quare, o filia, curas ista?
Quid tibi est negotii cum exercitio venationis?
Quare expetis aquas fontanas?
Etenim iuxta arcem est continuus roridus
Aquaeductus, unde tibi potest esse potus.
Phae. O domina sacrae paludis, Diana,
Et gymnasiorum equestrium,
Utinam essem in tuo campo,
Domans equos domesticos.
Nut. Quid rursus dixisti hunc stultum sermonem?
Nunc conscendens montem, venationis
Amore incitaberis; nunc arena
In arida amas equos.
Haec sunt gravia vaticinia,
Quod aliquis Deus te vexet,
Et mentem eripuerit, o filia.
Phae. Infelix ego! quid feci?
Quo aberravi a sana mente?
Insanivi, lapsa sum vexante Deo.
Heu, heu misera
Nutrix, tege rursus caput meum.
Pudet me eorum, quae dixi.
Tege, lachrymae mihi ex oculis erumpunt,
Et oculi vertuntur ad pudorem.
„Nam resipiscere, dolore afficit animum[17]).
„Ipsa insania malum quoddam est, sed optimum est
„Perire sic, non scientem.
Nut. Tego[18]); quod ad me attinet, quando mors
Teget corpus meum?
„Multa me docet vita longa.
„Oportet mediocri inter se
„Amore homines misceri[19]),
„Et non ad extremam medullam animae;
„Et amorem posse desinere,
„Et expelli et extendi.
„Sed afflictari pro duabus unam
„Animam, grave onus est; sicut etiam ego
„Huius vicem doleo.
„Accuratum vitae studium
„Plus aiunt nocere quam delectare,
„Et pugnare magis cum sanitate.
„Sic id, quod nimium est, minus laudo
„Quam illud, Ne quid nimis.
„Et assentientur mihi sapientes.

[*Chorus, Nutrix, Phaedra.*]

Chor. Mulier vetula, fidelis nutrix reginae
Phaedrae, videmus miseras istas calamitates.
Obscurum est nobis, quid sit morbi:
Volumus te interrogare et audire.
Nut. Haud scio certo; neque enim vult dicere.
Chor. Neque quae sit causa horum malorum?
Nut. Eodem redis. Nam reticet haec omnia.
Chor. Quam est aegrota, contabuit corpore!
Nut. Quidni contabesceret, quae iam triduo nihil comedit?
Chor. Utrum ex morbo, an volens mori?
Nut. Mori; abstinet a cibo, ut moriatur.
Chor. Mirum est, si ista placent marito.
Nut. Ipsa occultat malum, et dicit se non aegrotare.
Chor. An non animadvertit ille, cum intue-tur faciem eius?
Nut. Ipse non est in hac terra.
Chor. Non cogis tu, tentans
Cognoscere morbum huius, et errorem mentis
Nut. Omnia tentavi, et nihil effeci.
Tamen non remittam etiam nunc hanc diligentiam,
Ut praesens tu possis testis esse,
Qualis fuerim in calamitate dominorum.
Sed o mea filia Phaedra, priorem sermonem
Obliviscamur ambae, et tu placatior fias,
Solvens triste supercilium et curas animi.
Ego, si quid tunc dixi durius,
Omisso eo, dicam aliquid melius.
Si morbus est aliquid malorum, quae sunt o-cultanda,
Mulieres istae adsunt ad sedandum morbum;

16) Adpropinquantes] sic scripsi (= Eurip. ἐγχριπτόμεναι, Barn., Musgr.: insilientes); Editt. 1558., 1562. male seiunctim: Ad propinquantes.

17) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Resipiscentia.

18) Tego] sic (= Eurip. Κρύπτω) Editt. 1558., Barn., Musgrav., Fix.; Ed. 1562. Tege.

19) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Modus in amo

Quod si morbus est, qui ad viros proferri potest,
Dic, ut medicis indicetur haec res.
Esto. Quid taces? non oportet te tacere, filia,
Sed aut me reprehendere, si quid male dixero,
Aut assentiri bene dictis.
Loquere aliquid, huc specta, o me miseram!
Mulieres, frustra insumimus hos labores,
Absumus tam procul, quam prius; neque enim tunc
Ipsa demulcebatur meis sermonibus, neque nunc obtemperat.
Sed scito, pertinacior ad haec
Es mari, si moriaris, prodens tuos
Liberos, non futuros participes patriae familiae:
Per reginam equestrem Amazonem,
Quae tuis liberis procreavit dominum
Spurium, sapientem liberalia, probe ipsum nosti
Hippolytum. *Phae.* Heu me! *Nut.* Tangit te hoc?
Phae. Perdidisti me, nutrix. Per Deos te
Oro, ut de hoc viro taceas in posterum.
Nut. Vides? recte sapis, sed non vis
Servare tuos liberos, et tueri tuam vitam.
Phae. Amo liberos; sed alio quodam malo iactor.
Nut. O mea filia, puras manus habes a sanguine.
Phae. Manus quidem sunt mundae, sed mens est polluta.
Nut. Num ex aliunde oblato malo inimici alicuius?
Phae. Amicus me perdit nolentem nolens[19a]),
Nut. An Theseus aliquid in te peccavit?
Phae. Non utinam videar[20]) ego illum laedere.
Nut. Quae est igitur illa magna res, quae te cogit mori?
Phae. Sine me errare; neque enim in te pecco.
Nut. Non volens sinam, in te moriar.
Phae. Quid agis? Vimne facis, pendens ex brachiis?
Nut. Et tua genua non relinquam,
Phae. Si audies haec mala, o misera, audies tibi mala,
Nut. An mihi maius malum accidere potest, quam te amittere?
Phae. Peribis. Ipsa quidem res laudi dabitur mihi.
Nut. Et deinde occultas bona petente me?
Phae. Ex bona et honesta causa machinor turpia.
Nut. Si dixeris, laudatior eris.
Phae. Abi per Deos, et dimitte me per dextram[21]).
Nut. Nequaquam, si quidem non das mihi donum, quod oportebat.
Phae. Dabo; nam revereor tuam venerandam manum.
Nut. Occultabo; tuum est iam dicere.
Phae. O misera! qualem mater amasti amorem?
Nut. Quo amavit taurum, filia, aut de quo loqueris?
Phae. Et tu misera soror, coniunx Bacchi.
Nut. O filia, quid accidit tibi? colligis mala cognatarum.
Phae. Egoque tertia infelix, quomodo pereo!
Nut. Perculsa sum; quorsum spectat ista oratio?
Phae. Inde nos, non recens sumus miserae.
Nut. Nihilo magis scio, quae volo audire.
Phae. Heu, quomodo tu mihi potes dicere, quae me oporteat dicere?
Nut. Non sum vates ad explicanda obscura.
Phae. „Quid est hoc, quod homines dicunt amare?
Nut. „Idem, o filia, est dulcissimum et simul acerbissimum.
Phae. Nos sumus re expertae alterutrum.
Nut. Quid ais? amas, o filia, aliquem hominem?
Phae. Quis est ille Amazonis filius?
Nut. Loqueris de Hippolyto? *Phae.* Ex te haec, non ex me audies.
Nut. Heu me, quid dices, filia? Ut me perdidisti!
Mulieres, intolerabilia dicit, non sustinebo
Vivens istum hostilem diem, intueor lucem invisam,
Abiiciam, relinquam corpus, discedam
Ex hac vita, valete, non vivo ego amplius.
„Quae moderatae sunt, invitae quidem, sed tamen
„Amant mala. Venus non est Dea[22]),

19a) nolens] sic scripsi (= Eurip. οὐχ ἑκὼν; Barn., Musgr.: non volens, Fix.: invitus); Editt. 1558., 1562. volens.

20) Non utinam videar] sic scripsi (= text. gr.); Editt. 1558., 1562. Non. Utinam videar (Editt. recent.: Utinam .. nunquam videar).

21) me per dextram] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent (= Eurip. δεξιᾶς ἐμῆς) meam dextram.

22) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Veneris vis.

„Sed si quid aliud maius est Dea,
„Quae hanc et me et domum perdidit.

[*Strophe.*]

Chor. Audivisti, audivisti non audienda,
Tristia mala sonantem dominam.
Peream ego, priusquam tua amica
Amittat vitam, heu me, me, heu, heu!
O misera propter hos dolores!
O aerumnae enutrientes homines!
Periisti, prodidisti tua mala.
Quae te ultima dies expectat?
Aliquid novi fiet aedibus.
Non est amplius obscurum, quomodo pereat cura
Veneris. O misera puella Cressa!
Phae. Mulieres Troezoeniae, quae extremum hoc
Vestibulum terrae Pelopis habitatis,
Iam in longo tempore noctis
Meditabar, quomodo corrumpatur vita hominum.
„Et mihi videntur non [23]) consilio
„Deterius facere; nam quid agendum sit, vident
„Multi. Sed huc spectandum est in his.
„Bona tenemus, et novimus;
„Sed non facimus: alii propter ignaviam,
„Alii anteponunt voluptatem honesto
„Aliam. Sunt multae in vita voluptates,
„Et longae confabulationes, et otium, iucundum malum,
„Et pudor. Sunt autem duo voluptatum genera: alterum, bonum;
„Alterum, onus domus. Quod si appareret, ubi opus esset pudore,
„Non essent haec duo, cum habeant easdem litteras.
Haec ego cum cogitarem,
Sperabam me nullo pharmaco corrumpi
Posse, ut facerem contra animi iudicium.
Sed dicam tibi etiam meae mentis viam.
Postquam me vulneravit amor, considerabam, qua ratione
Pulcherrime ferrem ipsum. Itaque coepi
Ex eo tempore occultare et celare hunc morbum.
„Nam nihil fidendum linguae, quae alienas quidem
„Hominum cogitationes [24]) corrigere potest;
„Ipsa vero sibi plurima mala accersit.
Secundo, morbum illum bene ferre
Castitate vincens decreveram.
Tertio, ubi non fuit possibile his modis
Vincere amorem, mori mihi visum est
Optimum. Nemo haec mea consilia improbare poterit.
„Mihi contingat neque latere, si recta faciam [25]);
„Neque, si turpia faciam, multos habere testes.
Ego noram hanc rem et morbum istum infamem,
Cum sim ad haec mulier; sciebam bene,
Omnibus rem esse invisam. Quam vellem perire pessime
„Eam, quaecunque coepit committere adulteria apud viros
„Alienos prima. Ex nobilibus familiis
„Hoc malum coepit fieri mulieribus.
„Nam cum turpia placent iis, qui habentur boni,
„Certe valde honesta videntur esse infimis [26]).
„Odi eas, quae castae sunt verbis,
„Iam autem non bona audent.
Quae quomodo, o domina veneranda Venus,
Intuentur in faciem coniugum?
Neque horrent tenebras cooperatrices,
Et habitacula aedium, ne quando edant ea vocem.
Me enim hoc ipsum interficiet, o charae,
Ne quando deprehendar dedecorare meum maritum,
Et liberos, quos peperi; sed libere
Florentes libertate possunt habitare in urbe
Nobili Atheniensium [27]), clari propter matrem.
„Etenim redigit in servitutem virum, etiamsi tolerans sit alias,

---

23) mihi videntur non] sic (= Eurip. μοι δοκοῦσιν οὐ) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. mihi non videntur non — Huic loco in Editt. 1558., 1562. in marg. apposita est annotatio: Pulchra disputatio de causis miseriarum humanarum.

24) alienas quidem Hominum cogitationes] sic (= Eurip. θυραῖα μὲν φρονήματ' ἀνδρῶν) Ed. Fix.; Editt. 1558., 1562. aliena quidem Hominum cogitationes (Musgr.: aliorum quidem Hominum cogitationes; Barn.: prolatas quidem Hominum cogitationes).

25) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Fama.

26) H. l ibid. nota marg.: Autoritas.

27) Nobili Atheniensium] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. κλεινῶν Ἀθηνῶν) Nobilium Athenarum.

„Quando scit matris aut patris mala.
„Solum hoc aiunt certare cum vita,
„Si cui adest iusta et honesta mens.
„Malos homines ostendit, quando contigerit
„Praeponens speculum, quemadmodum puellae,
„Tempus; apud quos ego non videar.
Chor. Heu heu, „quam ubique honesta est modestia,
„Et affert egregiam gloriam inter homines!
Nut. Domina, mihi calamitas prius
Tua repente praebuit ingentem metum;
Nunc vero agnosco me esse timidam. „Inter homines
„Cogitationes posteriores sunt prudentiores.
Nihil enim singulare, et quod superat omne consilium et remedium,
Pateris. Irae Veneris in te irruerunt.
Amas? quid hoc est mirum? cum multis hominibus commune hoc habes.
Deinde vis mori propter amorem?
Nihil prorsus opus esset amore amantibus alios,
Et quicunque amaturi sunt, si quidem ipsos mori oporteret.
„Nam Venus non est tolerabilis, si cum magno impetu irruat[28]).
„Cedentem placide invadit.
„Sed quem eximium et superbientem invenerit,
„Hunc acceptum, quomodo putas? duriter tractat.
„Vadit per aerem, est in marinis
„Fluctibus Venus. Omnia ex ea nascuntur.
„Ipsa est, quae seminat, et dat amorem,
„Cuius amoris omnes in terra sumus posteri.
Quicunque igitur scripta veterum
Habent, et qui semper versantur in poematis,
Norunt, quomodo Iupiter amaverit nuptias
Semeles, et norunt, ut aliquando rapuerit
Pulchra Aurora Cephalum inter Deos
Propter amorem[29]); sed tamen in coelo
Habitant et non fugiunt a Diis.
Sed Dii patiuntur eos, credo, victi calamitate.
Tu vero non sustinebis? oportebat te conditionibus certis
A patre genitam, aut dominis Diis
Aliis, si non acquiescis hisce legibus.
„Quot putas, quamlibet sapientes,
„Videntes languentes thalamos, dissimulare?
„Et quam multos patres liberorum peccata
„Tegere? etenim sapientia
„Haec est hominum, ut occulta sint, quae non sunt honesta.
„Non oportet homines nimis severe agere vitam.
„Neque enim tectum, quo domus teguntur,
„Exacte faciunt artifices. Postquam in malum
„Tantum tu incidisti, quomodo putas te posse evadere?
„Sed si habes plura bona quam mala,
„Cum sis homo, praeclare agitur[30]) tecum.
Atqui, o mea filia, desiste stulta esse,
Et desine repugnare amori; nihil enim aliud quam ferocia
Haec sunt[31]) velle fortiorem esse Diis.
Ausis amare; Deus voluit hoc.
Et languens, bene finias morbum.
Sunt incantationes et verba demulcentia,
Invenietur aliquod remedium morbi.
„Sero aliquid viri invenient,
„Si nos mulieres nullas artes inveniamus[32]).
Chor. Phaedra, haec dicit utiliora
Ad praesentem calamitatem: laudo tamen te.
Sed haec laus odiosior verbis
Huius et tibi molestior ad audiendum.
Phae. „Hoc est, quod bene constitutas hominum civitates,
„Et familias evertit, nimis splendidi sermones[33]).
„Non oportet dicere iucunda auribus,
„Sed id, ex quo gloriosus efficiatur is, qui audit.
Nut. Quid tam graviter loqueris? non decora oratione
Opus est te uti, sed exploranda est voluntas viri
Dicentis apertam orationem de te.
Nisi enim viveres in malis
Tantis, et esses pudica mulier,
Nunquam propter connubium et voluptatem tuam

28) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vis amoris.
29) H. l. ibid. nota marg.: Exempla.
30) agitur] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. agetur. — In Editt. 1558., 1562. h. l. nota marg.: Conditio vitae humanae.
31) Haec sunt] sic (= Eurip. Τάδ' ἐστί) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Haec est.
32) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Artes mulierum.
33) H. l. ibid. nota marg.: Oratio.

Huc te adhortarer; nunc vero est magnum certamen
Servandi tuam vitam, neque negligendum est hoc.
Phae. O atrocia locuta! non claudes os?
Et non omittes turpissimos sermones?
Nut. Sunt quidem haec turpia, sed meliora tamen[34]), quam honesta,
Res est melior, si te servaverit,
Quam nomen, quo tu superbiens morieris.
Phae. Ne per Deos (bene dicis, sed turpia)
Ultra haec progrediaris, quod recte subiecerim
Animam amori, si turpia pulchre dicis.
In eo, quod fugio, peribo.
Nut. Si tibi videtur, non oportebat te peccare;
Sin minus, mihi obtempera, hoc est secundum bonum.
Habeo domi demulcentia philtra
Amoris, venit mihi iam in mentem,
Quae neque turpiter, neque cum laesione mentis
Sedabunt hunc morbum, si tu non fueris ignava.
Oportet ab illo[35]) amatore aliquod
Signum aut sermonem aliquem aut vestem
Accipere, et iungere ex duobus unum amorem.
Phae. Utrum erit inungendum pharmacum, aut bibendum?
Nut. Haud scio, o filia; velis iuvari, non doceri.
Phae. Metuo, ne nimis sapiens videaris.
Nut. Omnia timere te scito; quid vereris?
Phae. Ne quid horum indices Thesei filio.
Nut. Sine, o filia; ego recte curabo haec.
Tantum tu mihi, domina veneranda Venus,
Praesto sis. Caeterum alia, quae cogito,
Sufficiet dicere nostris amicis, qui sunt intus.

[*Strophe* 1.]

Chor. Amor, amor, qui ob oculos
Offundis desiderium[36]), afferens suave
Animae gaudium, in illis, adversus quos militas,
Ne mihi male appareas,
Neque immoderatus venias.
Neque enim ignis,
Neque astrorum superum telum est tale,
Quale Venereum
Mittit e manibus
Amor, filius Iovis.

[*Antistrophe* 1.]

Frustra, frustra ad Alpheum Iovi[37]),
Et in Pythiis in templo Phoebi
Mactationem boum auget Graecia.
Amorem, tyrannum hominum,
Filium Veneris,
Charissimum thalamorum
Ianitorem, non colimus,
Expugnantem, et per omnes
Calamitates euntem
Hominibus, quando venerit.

[*Strophe* 2.]

In Oechalia
Puellam expertem[38]) coniugii,
Quae prius sine marito fuerat, et
Innuptam,
Iungens imperitam fugientem,
Furentem ut Baccham
Cum sanguine et fumo
Et letalibus hymenaeis,
Herculi dedit Venus.
O miseram propter nuptias!

[*Antistrophe* 2.]

O sacer Thebarum
Murus, o os Dircae,
Dicite, quomodo
Venus veniat.
Cum fulmine ignito matrem
Bacchi a Iove geniti
Nubentem fato
Letali collocavit.
Horribiliter ubique spirat, apis
Instar cuiusdam volat.

[*Hippolytus, Nutrix, Phaedra, Chorus.*]

Phae. Tacete, mulieres, perditae sumus.
Chor. Quid est mali, o Phaedra, in tuis aedibus?

---

34) meliora tamen] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (= Eurip. ἀμείνω . . . σοι) meliora tamen tibi; Fix.: meliora . . . tibi.

35) ab illo] sic (= Eurip. ἐξ ἐκείνου) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. ab illa.

36) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vis amoris.

37) Iovi] hoc nomen neque in Editt. recent., neque in textu gr. legitur.

38) expertem] sic (= Eurip. ἄζυγα) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. expertam.

Phae. Cohibete vos, cognoscam clamorem, qui intus sonat.
Chor. Taceo, hoc est malum exordium.
Phae. Heu me, heu heu heu heu!
O me miseram propter ea, quae patior!

[*Strophe* 1.]

Chor. Quam vocem sonas?
Quid clamitas?
Dicito, quae terret tuum
Fama, o mulier, animum tam subita?

[*Systema* 1.]

Phae. Actum est de nobis stantibus ad has portas.
Audite, qualis tumultus ruat in aedibus.

[*Strophe* 2.]

Chor. Tu stes ad ianuam, tibi
Curae est, quae venit
Ex aedibus fama,
Dic mihi, dic,
Quidnam accidit mali?

[*Systema* 2.]

Phae. Filius bellicosae Amazonis clamat,
Hippolytus, dicens contra ancillam[39]) gravia mala.

[*Antistrophe* 2.]

Chor. Audio vocem;
Non possum clare
Percipere vocem.
Ivit per portas,
Venit tibi vox.

[*Antisystema* 2.]

Phae. Aperte illam conciliatricem malorum
Dicit, quae prodiderit thalamum domini.

[*Antistrophe* 1.]

Chor. Heu me, quae mala!
Prodita es, o chara.
Quid tibi dem consilii?
Arcana enim sunt revelata: periisti.
Phae. Heu, heu, heu, heu! *Chor.* Prodita es ab amicis.

[*Antisystema* 1.]

Phae. Perdidit me, dicens mea mala
Amice quidem, sed non curans hunc morbum.
Chor. Quomodo? quid facies, o passa inexplicabilia?
Phae. Nescio, nisi unum, mori quam primum:
Quod est malorum praesentium unicum remedium.
Hipp. O terra mater, et solis volumina:
Cuiusmodi orationis non dicendam vocem audivi?
Nut. Tace, o fili, priusquam audiat vocem aliquis.
Hipp. Non potest fieri, ut taceam, cum tam atrocia audiverim.
Nut. Oro te per tuam pulchram dextram.
Hipp. Ne attingas manum, neque attingas vestem.
Nut. O per genua tua te rogo, ne me perdas.
Hipp. Quid, si quidem, ut dicis, nihil mali locuta es?
Nut. O fili, hoc meum dictum non est divulgandum.
Hipp. „Honesta etiam inter multos honestum est dicere.
Nut. O fili, ne negligas iusiurandum.
Hipp. „Lingua iuravit, mens est iniurata[40]).
Nut. O fili, quid facies? perdes tuos amicos.
Hipp. „Abominor; nemo iniustus est meus amicus.
Nut. Ignosce. Consentaneum est homines errare, o fili.
Hipp. „O Iupiter, quid fucatum malum hominibus
„Collocasti in lumen solis mulieres[41])?
„Si volebas seminare genus humanum,
„Non oportebat hoc fieri ex mulieribus;
„Sed ut homines, ponentes in tuis templis
„Aut aes, aut ferrum, aut pondus auri,
„Emerent semen liberorum, pro suo pretio,
„Dignum aestimatione, et unusquilibet in domibus
„Liberis habitaret[42]) sine mulieribus.

---

39) ancillam] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: famulam (utraque vox = Eurip. πρόσπολον); Barn., Musgr.: nutricem.

40) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Iuramentum.

41) H. l. ibid. nota marg.: Acris in genus muliebre invectio.

42) habitaret] sic scripsi propter praecedens *ut*; Editt. 1558., 1562. habitare. (Pro: „Sed ut homines . . . Emerent. . ., et unusquilibet . . . habitaret. ." Editt. recent. habent: „Sed [*oportebat*] homines . . . emere . . . unumquemque, et . . . habitare . .").

„Nunc vero primum hoc malum ducere in aedes
„Volentes, expendimus omnes nostras facultates.
„Inde quidem manifestum est, quam magnum malum sit mulier.
„Pater enim, qui genuit et educavit, addens
„Dotem, elocat, ut liberetur a malo;
„Et qui recipit in domum malum noxium,
„Gaudet, addens ornatum statuae
„Pessimae pulchrum, et ornat vestibus
„Infelix, omnes facultates auferens.
„Et est constrictus necessitate, ut, contracta affinitate cum bonis
„Propinquis, servet acerbum coniugium gaudens;
„Aut bonum connubium, malos soceros
„Accipiens, lenit bono illud infortunium.
„Melius agit, cui nihil est istorum, sed inutilis
„Propter simplicitatem mulier in aedibus collocatur.
„Odi sapientem mulierem; neque enim in mea domo
„Sit mulier, quae plus sapit, quam oporteat mulierem sapere.
„Nam Venus magis parit astutiam
„In prudentibus; sed mulier simplex
„Simplici animo liberatur a turpitudine.
„Non oportebat ad dominas venire ancillam,
„Sed una habitare cum ipsis muta animantia
„Fera, ne haberent, quocum loquerentur.
„Neque a quoquam reciperent vocem.
„Nunc vero malae mala intus faciunt
„Consilia, et efferunt ancillae.
Quemadmodum et tu, o malum caput, mihi patris
Ut conciliares non tangendos thalamos, venisti,
Quae scelera ego fluentibus aquis abstergam,
„In aures instillans. Quomodo enim fiam malus,
„Qui neque audiens haec, purus esse videor?
„Probe scias, o mulier, mea pietas servat te.
Si non incautus dedissem iusiurandum,
Non potuissem facere, quin dicerem haec patri.
Nunc vero non est domi, e terra profectus
Theseus; abeo, tacite continebimus os.
Videbo autem, eum venero huc cum patre,
Quomodo sis eum inspectura tu et tua domina.
Sciam, postquam gustavi tuam audaciam.
Pereatis. Non desinam odisse
Mulieres, neque, si quis dicat, me hoc semper dicere.
Nam illae semper sunt malae.
Aut nunc eas doceat aliquis moderate agere,
Aut me sinat illis semper maledicere.

[*Antistrophe.*]

Chor. Infelices, o miserum mulierum fatum,
Quam iam artem aut rationem habemus
Frustratae, ad dissolvendum nodum huius causae?
Phae. Nacta sum poenam, o terra et lumen,
Quo effugiam ex hac fortuna?
Quomodo, o charae, occultabo malum?
Quis Deus erit auxiliator, aut quis hominum
Adiutor aut cooperator scelerum
Appareat? nam hoc nostrum malum
Vitae praesens inexplebile venit.
Ego sum miserrima omnium mulierum.
Chor. Heu heu! actum est, non successerunt technae
Tuae ancillae, o domina; male se res habet.
Phae. O pessima et amicorum corruptrix,
Quae fecisti mihi! Iupiter, pater meus,
Perdat te radicitus, fulmine fulgurans.
Nonne dixi? an non praevidi tuum consilium,
Ut taceres in ea re, propter quam nunc male affligor?
Sed tu non obtemperasti. Iam non amplius gloriosa
Moriar, sed opus est nova arte.
Nam Hippolytus animum ira concitatum habens,
Dicet contra nos patri errata,
Dicet Pittheo seni calamitates,
Implebit terram omnem turpissimis sermonibus[43]).
„Et tu pereas, et quicunque amicis repugnantibus
„Paratus vult intempestiva officia praestare[44]).
Nut. Domina, habes causam, cur mecum expostules de meis malis.
Quod te mordet, vincit rectum iudicium:
Possum et ego ad haec, si recipis, dicere aliquid.

---

43) turpissimis sermonibus] sic (= Eurip. *αἰσχίστων λόγων*) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. turpissimum sermonibus.

44) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Intempestiva gratia.

Educavi te, et benevola sum; morbi tibi
Quaerens remedia, inveni non quae volui.
Quod si successisset, valde essem sapiens.
„Iuxta successus habemus consilia [45]).
Phae. Haecne iusta sunt, et iuvant me,
Postquam me vulnerasti, deinde ut indulgeres disputationi?
Nut. Disputamus: ego non recte feci;
Sed, o filia, potest fieri, ut ex his serveris.
Phae. Desiste loqui; nam prius male
Consuluisti mihi, et aggressa es.
Sed discede, et tibi
Consule. Ego enim mea recte curabo.
Vos vero, nobiles puellae Troezeniae,
Tantum mihi petenti praestate,
Silentio tegite, quae hic audivistis.
Chor. Iuro per castam Dianam, filiam Iovis,
Me nihil unquam ex tuis malis prolaturam in lucem.
Phae. Recte dixisti. Unum ego admonens me,
Consilium habeo aliquod huius calamitatis,
Ut addam gloriosam vitam meis liberis.
Ipsa volo me iuvare contra mea errata,
Non dedecorabo familiam Cretensem,
Neque veniam in conspectum Thesei,
Turpibus factis, propter meam vitam [45 a]).
Chor. An facies aliquod immedicabile malum?
Phae. Moriar; quomodo autem, id ego cogitabo.
Chor. Bona verba dic. *Phae.* Et tu me iam admone.
Ego Venerem, quae me perdit,
Discedens e vita hodie
Delectabo: vincar ab acerbo amore.
Et tamen fiam etiam alteri malum
Moriens, ut sciat in meis malis non
Elato animo esse, et huius morbi mecum
Communiter particeps, discat esse modestior.

[*Strophe* 1.]

Chor. Sim [46]) sub altis scopulis,
Ubi me avem volantem
In volatili grege faciat Deus,
Et lever [46 a]) supra mare
Littoris Adriatici et aquam Eridani,
Ubi stillant purpuream
In aquam patris miserae
Puellae, propter Phaëthontem lugentes, lachrymarum
Electreum splendorem.

[*Antistrophe* 1.]

Et ad littus pomis plenum Hesperidum
Nympharum vadam,
Ubi Neptunus maris
Non amplius concedit viam nautis,
Limitem nactus coe-
li, quod Atlas sustinet.
Et fontes nectarei funduntur
Apud cubicula aulae Iovis,
Ubi fortuna et divina feret
Diis felicitatem terra [47]).

[*Strophe* 2.]

O albis velis [47 a]) instructa Cretensis
Navis, quae per marinos
Fluctus salsos et piscosos
Adduxisti meam dominam
A fortunatis domibus,
Ad infelices nuptiarum delicias.
Certe ab utriusque parentibus,
Aut e terra Cretensi infausta
Volavit Athenas laudatas: Mu-
nychio in littore ligaverunt
Initia funium contextorum,
Et conscenderunt in terram continentem.

[*Antistrophe* 2.]

Ex qua causa incestis amo-
ribus animo horribiliter Vene-
ris morbo fracta est.
Saevo onerata
Malo, tecto
A sponsali pendentem
Suspendet sese, laqueum
Applicans candido collo,
Tetro amore pude-
facta, et honestam eligens
Famam, depellens
Ex animo dolentem amorem.

---

45) H. l. ibid. nota marg.: Consilia eventu ponderantur.

45 a) meam vitam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ψυχῆς μιᾶς) animam unicam.

46) Sim] sic (= Eurip. γενοίμαν) Ed. 1558.; Ed. 1562. errore typogr.: Sin; Editt. recent.: utinam essem.

46 a) lever] sic scripsi (= Eurip. ἀρθείην; Barn., Musgr.: tollerer); Editt. 1558., 1562. levet.

47) Ubi fortuna et divina feret . . . terra.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Ubi beata dona dans *et* valde divina feret Tellus . . .; Musgr.: Ubi beata donans divina submittit Tellus . . .; Fix.: Ubi fundit affatim alma divina Tellus . . . (Eurip. Ed. Basil. 1551. et Barn. Ἵν' ὀλβιόδωρος ἄξει ζάθεα Χθὼν . . .; Editt. Musgr., Fix.: Ἵν' ὀλβ. αὔξει ζάθεα Χθὼν . . .).

47 a) albis velis] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. alba vela.

[*Nuntius, Chorus, Theseus, Hippolytus.*]

Anc.[48]) Heu heu, accurrite omnes, qui prope domum estis,
Domina Thesei uxor est in laqueo.
Chor. Heu heu! actum est, regina non est amplius,
Mulier suspensa a pendente laqueo.
Nun. Non festinatis? Non adferet aliquis utrinque acutum
Ferrum, quo solvamus hunc nodum colli?
Semichor. Amicae, quid agimus? an videtur ire in domum
Et solvere dominam ex adstricto laqueo?
Semichor. Cur non adsunt iuvenes famuli?
Multis se immiscere non est tutum[49]).
Nun. Rectam collocate, extendentes miserum cadaver,
Acerbam rem custoditam domi dominis meis.
Chor. Periit infelix mulier, ut audio;
Iam enim collocant ipsam, ut solet cadaver collocari.
Thes. Mulieres, scitis, quid clamoris sit in aedibus?
Vehemens sonitus ancillarum pervenit ad me.
Nam familia non dignatur me ut recentem hospitem,
Hilariter excipere apertis portis.
Num Pittheo seni aliquid novi accidit?
Longa est senectus; sed tamen
Cum magno meo dolore discederet e vita.
Chor. Non ad senes tibi tendit haec fortuna,
O Theseu; iuniores mortui dolore afficient te.
Thes. Heu, an meorum spoliatur vita liberorum?
Chor. Vivunt, mortua matre dolentissime tibi.
Thes. Quid ais? periit uxor? ex quo casu?
Chor. Suspendit laqueum ad strangulationem.
Thes. Dolore congelata, an ab aliquo casu?
Chor. Tantum scimus; recens enim et ego ad aedes
Accedo, Theseu, lugens tua mala.
Thes. Heu heu, cur coronatus sum caput
Contextis foliis, qui sum infelix hospes?
Laxate claustra, ministri, portarum,
Solvite vectes, ut videam fatum
Coniugis, quae me mortua perdidit.
Chor. Heu heu, misera propter misera mala,
Quae passa es? interfecta es
Tantum, ut confundas hanc domum.
Heu heu audaciam! o violenter mortuam, et scelerato casu,
Certamen tuae miserae manus.
Quis delevit tuam miseram vitam?
Thes. Heu quae passus sum, o misera,
Pessima mea mala; o fortuna,
Quam mihi[50]) et meis aedibus saeva accessisti,
Non dicenda macula ex aliqua furia.
Consumit me mea misera vita.
Ego miser intueor pelagus malorum
Tantum, ut ego non possim rursus eluctari,
Neque emergere ex fluctibus huius mali.
Solvite vectes, ut videam miserum spectaculum.
Qua oratione te miser, quam tuam fortunam
Infelicem, misera, compellem?
Periisti e manibus sicut avicula,
Impellens me saltu acerbo ad mortem.
Heu heu, heu heu, miseros miseros hos dolores,
Unde[51]) ex longinquo refero
Fortunam hanc propter errata
Alicuius ex maioribus meis.
Chor. O rex, non tibi soli haec mala acciderunt:
Cum multis aliis perdidisti tuam coniugem.
Thes. Volo caliginem sub terra
Habitare, mortuus in tenebris miser,
Orbatus tua charissima consuetudine,
Perdidisti magis quam perieris.
Quem audio? unde letalis ille casus,
Mulier, accessit ad miserum cor tuum?
Dicat aliquis factum, an frustra turbam
Famulorum meorum continet domus regia?
Heu mihi, mihi, de te sum miser,
Quantum luctum[52]) vidi aedium
Non ferendum, neque dicendum; sed perii.

---

48) *Anc.*] sic (= Eurip. Ed. Basil. 1551. *Θεράπ.*) Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: *Ἄγγελος — Nuntius.*

49) Multis se immiscere non est tutum.] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. Multis immiscere non est tutum; Barn.: Multarum *rerum* satagere, *et curiosum esse*, non *est* in vita tutum; Musgr., Fix.: Multa satagere, non est tutum vitae (Fix.: in vita); Eurip. *Τὰ πολλὰ πράσσειν, οὐκ ἐν ἀσφαλεῖ βίου.*

50) mihi] sic (= Eurip. *μοι*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. multi.

51) Unde] sic Editt. 1558., 1562. quasi legisset *δὲ πόθεν*; Editt. recent. (= Eurip. *δέ ποθεν*) alicunde.

52) luctum] sic (= Eurip. *ἄλγος*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. errore typogr.: lucrum.

Domus deserta est, et liberi sunt orphani.
Chor. Reliquisti[52a]), o chara mulier,
Optimaque, quotquot videt
Lumen solis,
Et noctu splendens luna.
Hei miser, quantum mali habet domus!
Palpebrae meae lachrymis
Fusae madefiunt tuo fato.
Sed et sequens malum horreo.
Thes. Heu, quid istae litterae ex chara manu
Suspensae, quid novi volunt significare?
Sed certe mecum de connubio et liberis litteras
Expostulans scripsit infelix.
Confide, filia[53]). Nam lectus Thesei
Non est, neque domus, in quam aliqua mulier ingrediatur[54]).
Et quidem notae annuli aurei
Huius meae coniugis mortuae, mihi aliquid significant[55]).
Age evolvens complicationem signaturae,
Videam, quid mihi litterae istae dicere velint.
Chor. Heu heu, hoc novum malum, successionem
Malorum addit Deus mihi.
Vitae misera conditio propter factum hoc
Erit. Dico nos periisse[56]), neque amplius esse
(Heu heu!) domum dominorum meorum,
O daemon, si possibile est, ne evertas domum,
Audi me precantem.
Etenim sicut vates auguror aliud malum impendere.
Thes. Heu mihi, quale aliud malum ex alio procedit
Non ferendum, non dicendum, o me miserum!
Chor. Quid rei est? dicito, si quidem coepisti[57]) mecum colloqui.
Thes. Litterae clamitant intolerabilia. Quo quo[58]) effugiam malorum
Ingens pondus? pereo perditus.
Quale[59]) lego in scriptis carmen
Sonans, miser!
Chor. Heu heu, ostendis prooemium malorum.
Thes. Hoc non intra portas oris
Continebo inexplicabile noxium
Malum, o civitas!
Hippolytus ausus est attingere meum thalamum
Violenter, neglecto tetrico[60]) Iovis vultu.
Sed o pater Neptune, quae mihi aliquando
Tria vota promisisti, uno interficias
Ex istis meum filium; non effugiat diem
Hunc, si quidem dedisti vera vota.
Chor. Rex, deprecare haec rursus a Diis,
Intelliges te errare, pare mihi.
Thes. Non fiet. Praeterea expellam ipsum ex hac terra,
Ferietur alterutra duarum conditionum[61]).
Aut enim Neptunus ipsum ad domum Plutonis
Mittet mortuum, reveritus meas preces;
Aut expulsus ex hac terra
In terra peregrina miseram vitam deget.
Chor. Atqui ille ipse filius tuus opportune adest
Hippolytus; remittens malam iram, rex
Theseu, melius[62]) consule[63]) domui tuae.
Hipp. Audiens tuum clamorem, pater, veni
Celeriter. Sed rem, propter quam nunc gemis,
Non novi; volo ex te audire.
Eia, quid rei est? tuam coniugem, pater, video
Mortuam: hoc dignum est maxima admiratione.

52a) Reliquisti] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Reliquisti, reliquisti *nos*.

53) filia] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *τάλαινα*) misera.

54) Nam lectus Thesei Non est, neque domus, in quam aliqua mulier ingrediatur.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.): Lectos (Fix.: torum) enim Thesei Domumque, non est ulla, quae sit ingressura, mulier.

55) mihi aliquid significant] Editt. 1558., 1562. (Ed. 1558 errore typogr.: aliqui) quasi legeretur *προςσημαίνουσί με*; Editt. recent. (= Eurip. *προςσαίνουσί με*) blandiuntur mihi (Fix.: blanditur mihi).

56) Dico nos periisse] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgrav.: Dico enim periisse, Fix.: Nam perditam . . . dico (= Eurip. *ὀλομένους γὰρ . . . λέγω*).

57) coepisti] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. cepisti.

58) clamitant . . . Quo quo] sic Editt. 1558., 1562. quasi legisset interpres: *Βοᾷ . . . ποῦ ποῦ*; Editt. recent. (= Eurip. *Βοᾷ, βοᾷ . . . ποῦ* [Fix.: *πᾶ*]) Clamant, clamant . . . Quo

59) Quale] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Quale, quale; Fix.: Qualem, qualem (= Eurip. *Οἷον, οἷον*).

60) tetrico] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *σεμνὸν*) venerando.

61) alterutra duarum conditionum] sic scripsi; Ed. 1558. alterutro dearum conditionum; Ed. 1562. alterutro duarum conditionum (Editt. recent.: Duorum vero fatorum altero = Eurip. *Δυοῖν δὲ μοίραιν θατέρᾳ*).

62) Theseu, melius] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. male: *Thes.* Melius (ac si verba „melius — tuae." *Thesei* essent).

63) consule] sic (= Eurip. *βούλευσαι*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. consules.

Quam recens iam reliqui in hac luce;
Non multo ante intuebatur hanc lucem.
Quid accidit ei? quomodo periit?
Pater, volo ex te audire
Tacite[64]). Silentium nihil prodest in malis.
Cor cupiens omnia audire,
Deprehenditur curiosum esse in malis.
Non tamen amicis, aut si quid magis quam amicis,
Occultare est iustum, o pater, tuas calamitates.
Thes. O quam in multis rebus errantes homines frustra,
Cur tam multas artes[65]) docetis,
Et omnia machinamini et excogitatis,
Unum non scitis neque invenistis
Docere, quomodo sapiant, qui non habent mentem.
Hipp. Magnum doctorem dicis, qui bene sapere
Stultos cogere posset.
Sed non opportuno tempore disputas, pater,
Metuo, ne tua lingua excedat in malis.
Thes. Heu, oportebat hominibus notam amicorum
Manifestam aliquam esse, et diiudicationem mentis,
Quisquis verax sit, aut non amicus sit[66]).
Et omnes homines duplicem vocem habere:
Unam veracem, alteram qualemcunque,
Ut, quae mentiretur, deprehendi posset[67])
A iusta, neque deciperemur.
Hipp. Si quis me apud tuas aures calumniatus est
Ex amicis, male mecum agitur sine mea culpa.
Obstupui. Nam perterrefaciunt me tua
Verba, erumpentes concitatius, quam fert sedatus animus.
Thes. Heu, quo progredietur[68]) humana mens?
Quis finis temeritatis et audaciae erit?
Nam si per singulos vita cumulabitur[69]),
Et posterior priore valde
„Deterior erit, Deos adiicere terrae
„Oportebit aliam terram, quae capiat
„Eos, qui sunt iniusti et mali.
Intuemini in hunc, qui, cum ex me natus sit,
Polluit meum thalamum, et deprehenditur
A mortua manifeste, quod fuerit flagitiosissimus.
Postquam venisti in illud abominabile scelus, ostende[70])
Tuam faciem hic coram patre.
Tu cum Diis tanquam excellens[71]) vir
Versaris? tu castus es et incorruptus[72]) a malis?
Ego non amplius credam tuae gloriationi,
Tribuens Diis imperitiam et imprudentiam.
Iam gloriare, et esu inanimatorum
Cibis cauponare, et habens magistrum Orphea,
Colito sacra Bacchi, honore afficiens fumos[73]) multarum litterarum,
Posteaquam deprehensus es. Tales ego
Iubeo omnes fugere; nam venantur
Tetrica oratione[74]), cum moliantur turpissima.
Haec est mortua; putas hoc tibi saluti fore?
In hoc ipso tu, o pessime, captus es.
Nam quod iusiurandum gravius? quae tua oratio
Potest esse[75]), ut effugias crimen, et quae plus valeat morte huius?
Dices, quod illa te oderit, et quia sis nothus,
Inimicum esse te germanis, coniugi et liberis legitimis?
Dicis ipsam malam esse commutatricem vitae,

64) Tacite.] sic Editt. 1558., 1562., quasi legeretur *Σῖγα.*; Editt. recent. (= Eurip. *Σιγᾷς;*) Taces?

65) tam multas artes] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. tam multos artes; Editt. recent.: artes quidem sexcentas (Eurip. *τέχνας μὲν μυρίας*).

66) aut non amicus sit] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. corrupte: aut non amisit; Editt. recent.: et quis non [*sit*] *verus* amicus. (= Eurip. *ὅστε μὴ φίλος*).

67) deprehendi posset] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: argueretur (Eurip. *ἐξηλέγχετο*).

68) progredietur] Editt. 1558., 1562. errore typogr.: progedietur.

69) Nam si per singulos vita cumulabitur] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Si enim uniuscuiusque viri vita superbe propagetur (utraque versio sequitur lectionem *Εἰ γὰρ κατ' ἀνδρὸς βίοτος ἐξογκώσεται*, quam Editt. Basil. et Barn. exhibent); Musgr.: Si enim ad seculorum rationem augescet; Fix.: Si enim pro ratione aetatum crescat *audacia* (hae duae interpretationes exprimunt lectionem illi praeferendam: *Εἰ γὰρ κατ' ἀνδρὸς βίοτον ἐξογκώσεται*, quam Editt. Musgr. et Fix. receperunt).

70) ostende] sic (= Eurip. *δεῖξον*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. ostendi.

71) excellens] Ed. 1558. corrupte: excellelleus.

72) incorruptus] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. incorreptus.

73) fumos] sic (= Eurip. *καπνούς*) Editt. 1558., Barn., Musgrav., Fix.; Ed. 1562. summos.

74) Tetrica oratione] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Magnificis verbis (= Eurip. *Σεμνοῖς λόγοισιν*).

75) quae tua oratio Potest esse] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: quae verba Hac *epistola contra te scripta potiora* esse possent; Musgr.: quae verba Hac esse possunt; Fix.: quae verba istâ (i. e. *istius epistola*) *potiora* esse poterint (= Eurip. *τίνες λόγοι Τῆσδ' ἂν γένοιτ' ἄν*).

Si odio tui perdidit eam charissimam[76]).
Sed tu dicis, quod viri non soleant furere amore,
Sed mulieribus hoc innatum esse. Ego novi iuvenes
Nihilo cautiores mulieribus,
Quando Venus turbat iuvenilem animum;
Sed virilitas prodest eis, quae adest.
Quid igitur? quid de his tecum verbis certo,
Cum cadaver adsit, quod est certissimus testis?
Discede ex hac terra quam celerrime exul,
Et non proficiscaris Athenas divinitus aedificatas,
Neque ad fines terrae, cui ego impero.
Si enim affectus iniuria essem, neque te ulciscerer,
Non daret mihi testimonium aliquando latro Isthmius[77]),
Quod occiderim eum; sed me frustra gloriari diceret;
Neque Scironides, quae sunt in mari
Petrae, dicent[78]) me gravem esse malis.
Chor. Nescio, quomodo dicam felicem esse ullum
Hominem; nam summa rursus eversa sunt.
Hipp. Pater, tua ira et commotio animi tui
Vehemens est; res opus habet longa oratione,
Si quis evolveret; sed hoc non est bonum.
Ego non sum idoneus ad dicendum in populo;
Inter aequales essem aliquanto sapientior,
Habet et hoc aliquid momenti: qui inter doctos
Non sunt idonei, illi sunt aptiores ad dicendum in populo.
Tamen necesse est veniente calamitate
Me loqui; primum vero incipiam dicere inde,
Unde me prius adortus es tanquam deterriturus,
Et non contradicturum. Intueris hoc lumen
Et terram? inter hos[79]) non est vir me
Castior natus, etiamsi tu negas[80]).
Nam primum novi colere Deos,
Et uti amicis, qui non conantur iniuria me afficere,
Sed in quibus est pudor; neque petere mala,
Neque concedere turpia rogatus[80a]).
Non sum adulator[81]) conversantium, o pater,
Sed idem sum amicis tam absentibus quam praesentibus.
Ab illo uno sum immunis, quo tu me capere nunc videris.
In hunc diem meum corpus est purum a thalamo:
Neque novi hanc rem, nisi quantum iam audio ex tuo ore,
Et video scripturam; neque enim haec curare
Promptus sum, habens animum virginalem.
Si vero mea pudicitia tibi forte non persuadet,
Oportet te ostendere, quomodo corrupta sit.
Utrum huius corpus pulchritudine superabat
Omnes mulieres, an possidere tuam domum,
Accepta coniuge dotata, speravi?
Stultus essem, et plane desipiens.
Sed quia occupare tyrannidem gratum est castis, ideo feci?
Minime, nisi corrupit animos
Hominum, quibus placet, monarchia[82]).
Ego autem in certaminibus Graecis vincere
Primus[83]) vellem, in urbe secundus esse malo,
Et cum optimis amicis semper esse tranquillus,
Contigit mihi bene vivere, et periculum abest,
Datque gratiam meliorem tyrannide.
Hoc unum ex meis non dixi, caetera habes.
Si esset mihi testis, qualis ego sum,
Et certarem istâ vivâ,
Re ipsa videres malos, si indagares.
Nunc Iovem sancitorem iurisiurandi, et hoc solum terrae
Iuro, me nunquam attigisse tuam coniugem,
Neque voluisse, neque cogitasse:
Alioqui peream inglorius, infamis,
Sine civitate, sine aedibus, exul, errans in terra.

76) eam charissimam (i. e. *vitam*)] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. eam charissima; Barn. (= Eurip. τὰ φίλτατ'): carissima; Musgr.: se ipsam; Fix.: quod dulcissimum est (*vitam*).

77) latro Isthmius] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Ἴσθμιος Σίνις) Isthmius Sinis (Sinis, latro famosus).

78) dicent] sic Editt. 1558., 1562., Musgr., Fix.; Barn.: dicerent (Eurip. φήσουσι).

79) inter hos] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἐν τοῖσδ') in his.

80) etiamsi tu negas] sic Ed. 1562.; Editt. recent.: etiamsi tu neges (Eurip. Οὐδ' ἢν σὺ μὴ φῇς); Ed. 1558. etiam tu negas.

80a) rogatus] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (= Eurip. τοῖσι χρωμένοις) iis qui *turpibus* utuntur.

81) adulator] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἐγγελαστής) derisor.

82) monarchia] huic voci in Editt. 1558., 1562. in marg. adiecta est annotatio: id est, tyrannis.

83) Primus] sic (= Eurip. Πρῶτος) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Primas.

Et neque mare neque terra recipiat meum
Corpus, ubi fuero mortuus, si sum sceleratus vir.
An autem illa hoc metuens, perdiderit vitam,
Nescio; nam mihi non licet dicere ultra.
Fuit casta, cum tamen re vera non esset casta.
Nos habentes castitatem, infeliciter usi sumus.
Chor. Dixisti sufficientem excusationem culpae,
Praebens iusiurandum, non exiguam rem ad fidem faciendam autoritate divina.
Thes. Nonne hic est incantator et praestigiator,
Qui confidit facilitate iurandi se meum
Animum capere posse, cum patrem me ignominia affecerit?
Hipp. Valde, pater, haec de te miror.
Si tu esses filius et ego tuus pater,
Interficerem te, et non exilio punirem,
Si quidem ausa esses meam uxorem attingere.
Thes. Quam recte hoc dixisti, non sic moriaris[84]),
Sicut tu tibi ipsi fers hanc legem.
„Festinata mors est gratissima infelici homini;
Sed ex patria terra exul errans
In terra peregrina miseram vitam ages.
Haec est merces homini impio.
Hipp. Heu mihi! quid facies? neque tempus iudicem[85])
Contra nos recipies, sed me expellis e terra?
Thes. Ultra[86]) mare et loca Atlantica,
Si possem: sic odi tuum caput.
Hipp. Neque iusiurandum neque fidem neque vatum
Dicta explorans, eiicis me terra indemnatum?
Thes. Haec tabella, non recipiens sortem,
Vera accusat te; istas vero supra caput
Volantes aves non curo.
Hipp. O Dii, cur non solvam meum os,
Qui a vobis, quos colo, pereo?
Non possum prorsus persuadere, quibus me oportet,
Frustra confunderem iusiurandum, quod iuravi.
Thes. Heu mihi, quam me interficiet tua severitas!
Non vadis quam primum ex terra patria?
Hipp. Quo miser me vertam? cuius hospitis
Domum ingrediar, propter hanc[86a]) causam exulans?
Thes. Qui libenter corruptores coniugum
Recipit peregrinos, et eos, qui cohabitant cum malis.
Hipp. Heu heu, hoc afficit hepar, et hoc prope lachrymas est,
Quod malus appareo et videor tibi.
Thes. Tunc oportebat gemere et providere,
Cum ausus es iniuria afficere uxorem patris tui.
Hipp. O domus, utinam mihi vocem edere posses
Et testari, an sim malus vir.
Thes. Confugis ad testes mutos? clare
Haec res, quae non loquitur, indicat te esse malum.
Hipp. Heu, utinam esset possibile me ipsum adspicere coram
Stantem, ut deplorarem, qualia mala patior.
Thes. Multo magis assuefecisti te ipsum colere,
Quam pietatem exercere erga parentes iuste.
Hipp. O mater infelix, o acerba generatio,
Nemo meorum amicorum sit nothus.
Thes. Non trahetis eum, servi? non auditis
Me multo ante dicentem, ut hic eiiciatur?
Hipp. Num aliquis ipsorum flens me tanget?
Tu ipse, si tibi animus est, expelle e terra.
Thes. Faciam haec, nisi quis persuadeat verbis,
Neque ulla misericordia intercedet pro tua fuga.
Hipp. Statutum est, ut videtur. O me miserum,
Quod novi haec, sed nescio, quomodo dicam.
O charissima mihi Dea, filia Latonae,
Cohabitatrix, socia venationis, deserendae
Celebratae Athenae[87]), sed valeat urbs,
Et terra Erechthei. O solum Troezenium,
Quam multa habes iucunda ad pubescendum!
Vale; postremum te videns alloquor.
O iuvenes, quos aequales habui in hac terra, ite,
Salutate me, et deducite ex hac terra,
Quia non alium castiorem hominem
Videbitis, etiamsi haec non videntur patri meo.

---

84) moriaris] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: morieris (Eurip. Ed. Basil. 1551., Barn., Musgr. θανῇ; Ed. Fix. θανεῖ).

85) indicem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. μηνυτὴν) indicem (scil. *veritatis*).

86) Ultra] sic (= Eurip. πέραν) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Ultro.

86a) hanc] sic scripsi (= Eurip. τῆσδ'); Editt. 1558., 1562. quam.

87) deserendae Celebratae Athenae] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. φευξόμεσθα δὴ Κλεινὰς Ἀθήνας) fugiemus igitur Inclytas Athenas.

[*Strophe* 1.]

Chor. Certe valde mihi Deorum
„Cogitationes, quando animum subeunt,
„Inferunt tristitiam;
Sed occultans aliquam cogitationem spe
Deficio, et fortunas hominum
Et facta intuens.
Nam est magna rerum vicissitudo,
Et hominibus variatur vita
Semper plena imitationum.

[*Antistrophe* 1.]

„Utinam mihi precanti
„Divinitus fatum hoc concedat,
„Fortunam cum divitiis,
„Et animum non senescentem curis;
„Et existimatio neque eximia neque etiam
„Mala contingat[88])!
„Faciles mores in crastinum
„Tempus semper imitans,
„Vitam beatam degam.

[*Strophe* 2.]

Non amplius puram
Mentem habeo. Video multa praeter spem accidere,
Postquam civitatis Graecae
Athenarum pulcherrimam stellam
Vidimus, patris ira
In aliam terram mitti.
O arena urbani littoris,
Et saltus montanus, quo cum canibus
Celeribus ascendit[89]),
Cum Dea feras interficiens
Circa castam Dictynnam,

[*Antistrophe* 2.]

Non amplius iugum
Equorum Venetorum conscendet[90]),
Ad cursum circa paludes
Tenens pede equos destinatos exercitiis.
Et vigilans Musa sub iugo chordarum
Desinet in domo paterna.
Sine corona erunt arae puellae
Latonae in profundo gramine.
Nuptiae perierunt
Tuo exilio et certamen de nuptiis inter puellas.

[*Epodi.*]

Ego tua calamitate
Lachrymis feram
Miserum fatum. O misera
Mater, peperisti inutiliter! heu
Irascor Diis.
Heu heu, vos Gratiae coniugatae,
Quare hunc miserum e terra patria,
Nullius culpae reum,
Emittitis ex his aedibus?

[*Nuntius, Theseus, Diana, Hippolytus, Chorus.*]

Semich.[91]) Atqui video hunc comitem Hippolyti[91a]),
Celeriter tristem tendentem ad domum.
Nun. Quo vadens dominum huius terrae, Theseum[92]),
Inveniam, o mulieres? si novistis, mihi
Significate; num quid intra hanc domum?
Chor.[93]) Ille ipse egreditur e domo.
Nun. Theseu, affero rem dignam consideratione
Tibi et civibus, qui urbem Atheniensium
Habitant et fines terrae Troezeniae.
Thes. Quidnam est? an nova aliqua calamitas
Duas vicinas urbes cepit?
Nun. Hippolytus est extinctus, ut summatim dicam;
Exiguo temporis momento vidit hanc lucem.
Thes. A quo? num aliquis invasit eum hostiliter,

88) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vita tranquilla.

89) ascendit] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Editt. Basil. 1551. et Musgr. ἐπέβα); Barn., Musgr.: ascendisti (= ἐπέβας, quam lectionem Ed. Barn. exhibet; in Ed. Fix. haec vox cum sequenti Θεᾶς deest).

90) conscendet] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: conscendes (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. ἐπιβάσῃ, Ed. Fix. ἐμβάσει).

91) *Semich.*] sic Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr. (= Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. Ἡμιχόριον); in Ed. Fix. in textu gr. et interpret. lat. deest.

91a) Hippolyti] sic (= Eurip. Ἱππολύτου) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Hippolytum.

92) Theseum] sic (= Eurip. Θησέα) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Theseu.

93) *Chor.*] sic (= Eurip. Editt. Basil. 1551., Musgr., Fix. Χόρος) Editt. 1558., 1562., Fix.; Barn., Musgr. (= Eurip. Ed. Barn. Ἡμιχ.) *Semich.*

Cuius coniugem paternam[94]) violenter polluit?
Nun. Iugum proprii currus perdidit eum,
Et imprecationes oris tui, quas tu patri tuo,
Domino maris, vovisti de tuo filio.
Thes. O Dii, Neptune, quam es pater meus
Vere, postquam audivisti meas imprecationes.
Dic, quando perierit, quomodo vindictae
Clava percussit eum, qui me dedecore affecit?
Nun. Nos iuxta littus, quod alluitur fluctibus,
Curamus[95]) pilos equorum strigilibus
Plorantes; nam venit nuntius quidam, dicens
Quod non amplius in hac terra esset mansurus
Hippolytus, habens a te mandatum miseri exilii.
Ipse venit, ferens idem carmen lachrymans,
Nobis ad littus; magnus sequebatur
Coetus amicorum aequalium, qui una ibant.
Tandem desinens eiulare, dixit:
Quid ista deploro? obtemperandum est verbis patris.
Iungite equos ferentes iuga curribus,
Servi, non amplius est mihi haec civitas.
Inde omnes festinabant,
Et dicto citius apparatos
Equos ad dominum ipsum collocavimus.
Apprehendit manibus habenas a sede currus,
Applicans pedem ipsis calceis.
Et primum ad Deos manus sustulit, dixitque:
Iupiter, peream, si malus sum[96])!
Sentiat pater, quod ignominia me afficit,
Sive vivam, sive mortuus sim.
Deinde accipiens stimulum in manus, admovit
Equis sequendo eos[97]). Nos ministri pone currum
Prope frena sequebamur dominum
Illa via, quae est recta ad Argos et Epidaurum.
Sed postquam transimus in locum desertum,
Est quoddam littus e regione huius terrae,
Situm ad mare Saronicum.
Inde quidam sonitus ex terra, sicut vox Iovis,
Emisit vehementem fremitum horribilem auditu;
Caput statuerunt erectum, et aurem in coelum
Equi. Erat in nobis metus, ut apud iuvenes[98]),
Undenam esset sonitus; sed in marinum
Littus intuentes, vidimus ingentem
Fluctum in coelo stantem, ut non possemus
Videre littus Scironis.
Texit Isthmum et petram Aesculapii;
Deinde intumescens, et undique spumam
Plurimam pellens cum sonitu marino,
Venit ad littus, ubi erant quadrigae;
Et cum ipsa procella et tempestate
Fluctus ille exposuit taurum, ferum monstrum,
Cuius sonitu terra omnis plena
Horribiliter resonabat. Intuentibus
Hoc spectaculum, apparebat terribilius nostro adspectu.
Statim incidit in equos magna consternatio.
Et dominus, in re equestri
Multum versatus, traxit manibus habenas,
Retrahit, remum tanquam nauta,
Flectens corpus retro loris;
Sed equi mordentes frenos in igni factos suis mandibulis
Violenter ferunt, neque manum rectoris,
Neque lora[99]), neque coniunctos currus
Curantes. Et si in plana
Terra habens gubernacula flectebat cursum,
Videbatur anterius, ut converteret,
Taurus perterrefaciens quadriiugum currum.
Quod si ferebantur versus petras rabiosi,
Tacite appropinquans, simul comitabatur currum,
Donec impegit et excussit,
Impellens circulum rotae saxo.
Omnia erant confusa, radii extra
Rotas saliebant, et clavi axium.
Ipse miser haerens inter lora,
Trahitur vinctus vinculo inexplicabili,
Illisus antea charum caput ad petras,
Concutiens corpus, et clamans horribilia auditu:

---

94) paternam] sic (= Eurip. Ed. Basil. 1551. ἐκ πατρὸς) Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: ut patris (= ὡς πατρὸς, quam lectionem illi praeferendam hae Editt. receperunt).

95) Curamus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἐκτενίζομεν) pectebamus.

96) si malus sum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. εἰ κακὸς πέφυκ᾽ ἀνὴρ) si malus sum vir.

97) sequendo eos] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ὁμαρτῇ) simul.

98) metus, ut apud iuvenes] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: metus iuvenilis; Musgr., Fix.: metus ingens (Eurip. φόβος νεανικὸς).

99) lora] sic (= Eurip. ἱπποδέσμων) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. errore typogr.: loca.

State, o equi alti in meis praesepibus,
Ne me perdatis! O misera patris imprecatio!
Quis praesens vult servare virum optimum?
Multi volentes tardo pede
Frustrati sumus[99a]). Iste solutus e vinculis,
Sectis loris, nescio quomodo,
Cadit spirans adhuc exiguo tempore;
Sed equi occultati sunt, et infelix caput
Tauri, haud scio quomodo[100]) in littore[1]).
Ego igitur, o rex, cum sim famulus in domo tua,
Nunquam potero tantum
Persuaderi de filio tuo, quod sit malus,
Neque si totum genus mulierum suspendatur,
Et aliquis litteris impleat hanc in Ida monte
Sylvam, quandoquidem scio eum esse bonum.
Chor. Heu heu, perfectae sunt calamitates novorum malorum,
„Neque est evasio fati huius[2]).
Thes. Odio viri, qui passus est haec,
Delectatus sum istis verbis; nunc autem reveritus
Et Deos et illum, propterea quod est ex me natus,
Neque delector neque indignor his malis.
Nun. Quomodo igitur ferre, aut quid oportet misero
Nos facere, ut gratificemur animo tuo?
Cogita, sed meo consilio usus,
Non eris crudelis in tuum filium infelicem.
Thes. Adferte[3]) ipsum, ut videns coram
Negantem, quod polluerit meum thalamum,
Verbis convincam et ipso eventu[4]).
Chor. Tu Deorum inflexibilem animum
Et hominum ducis, o Venus, tecum
Circumdans te alis variis
Et celerrimis alis[5]).

99a) Frustrati sumus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Eminus sequebamur (Eurip. Ἐλειπόμεσθα).

100) quomodo] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. ὅπως); Barn., Musgr.: ubinam (in textu gr. ὅπου); Fix.: quonam (in textu gr. ὅποι).

1) in littore] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: terrae montosae (= Eurip. λεπαίας . . . χθονός).

2) fati huius] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. μοίρας τοῦ χρεών τ') fati necessitatisque.

3) Adferte] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Auferte (Eurip. Κομίζετ').

4) et ipso eventu] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: deorumque calamitatibus; Fix.: cladeque divinitus illata (Eurip. δαιμόνων τε συμφοραῖς).

5) tecum Circumdans te alis variis Et celerrimis alis] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (= text. gr.) simulque *Puer* varia decorus pluma, circumfusus Celerrimis alis.;

Volitat super terram; et quod sollicitudines affert[6])
Salsum super mare
Mulcet Amor, quem furenti corde
Invaserit alatus
Aureus, naturam
Catulorum in montibus
Et in mari, et quaecunque terra alit,
Quam sol videt,
Et viros. In omnibus,
O Venus, honore regio
His sola dominaris.
Diana. Iubeo te, nobilem Aegei
Filium, audire.
Diana, filia Latonae, compellat te.
O Theseu, cur miser istis delectaris,
Cum iniuste interfeceris tuum filium,
Credens mendaciis uxoris
Incertis? nactus erat manifestum malum[7]).
Cur non sub terram in tartara occultas
Corpus erubescens,
Aut sursum te tollens[8]),
Cohibes pedem extra malum?
Quia cum bonis hominibus non
Tibi *possidenda est pars vitae.
Audi, Theseu, statum tuorum malorum.
Etsi nihil me iuvat, tamen dolore afficiam te.
Ad hoc veni, ut ostendam animum filii
Tui iustum, quod honeste moriatur,
Et uxoris tuae furorem, aut aliquo modo
Magnitudinem animi. A Dea, quae invisissima
Nobis est, quotquot virginitas voluptati est,
Morsa stimulis, amavit tuum filium.
Et cum tentavit vincere Venerem magnitudine animi,
Periit invita, arte nutricis,
Et indicat tuo filio morbum per iusiurandum.
Hic, ut iustum erat, non obtemperabat
Verbis, neque rursum male tractatus a te,

6) quod sollicitudines affert] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: valde resonans; Fix.: alte sonans (utrumque = Eurip. εὐάχητον).

7) nactus erat manifestum malum] sic Editt. 1558., 1562., quasi legisset interpres: φανερὰν δ' ἔσχε ἄταν; Barn., Musgr.: manifestam vero nactus es cladem (Musgr.: culpam); Fix.: manifesta vero evertit te clades (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. φανερὰν δ' ἔσχες ἄταν; Ed. Fix. φανερὰ δ' εἷλέν σ' ἄτα).

8) Aut sursum te tollens] sic Editt. 1558., 1562.: Barn., Musgr. (= Eurip. Ἢ πτηνὸς ἄνω μεταβὰς βίοτον) Aut alatus sursum [*in aërem*] transferens vitam.

Deseruit fidem iurisiurandi[9]), cum esset pius.
Illa timens, ne proderetur,
Scripsit falsas litteras, et perdidit
Dolo tuum filium; sed tamen persuasit tibi.
Thes. Heu heu! *Dia.* Mordet te, Theseu, haec oratio? sed expecta
Audiens, quae sequuntur, ut plus plores.
An nosti, te tres imprecationes habuisse a patre?
Quarum unam tu pessime transtulisti
Ad filium tuum, cum posses ad inimicum aliquem convertere.
Neptunus, pater tuus, bene volens tibi,
Dedit, sicut oportuit, quemadmodum promisit.
Tu vero et in illo et in me[10]) malus videris,
Qui neque fidem neque vocem vatum
Expectasti, neque explorasti, neque longinqui temporis
Tribuisti considerationem, sed citius, quam te oportebat,
Imprecationes emisisti in filium, eumque occidisti.
Thes. Perii, domina. *Dia.* Fecisti atrocia; sed tamen
Adhuc potes horum veniam consequi.
Nam Venus voluit haec sic fieri,
Implens iram suam. Nos Dii habemus istam legem:
Nemo vult occurrere cupiditati
Volentis; sed cedimus semper alii aliis.
Alioqui scito, si non timuissem Iovem,
Nunquam venissem ego ad hoc dedecus,
Ut virum, qui mihi charissimus est inter homines,
Permisissem mori. Tuum erratum
Primum ignorantia liberat a malitia;
Deinde uxor tua morte persolvit
Poenam[11]), quod animum tuum persuaserit.
Nunc maxime tibi haec mala confluxerunt.
Sed et mihi dolet[12]). „Dii pios
„Mori non gaudent, sed malos
„Cum liberis et domo perdimus.
Chor. Atqui miser ille venit
Corpus iuvenile
Et flavum caput laesus.
O qualis miseria in hac familia accidit.
Geminus aedes
Luctus divinitus tanquam furor quidam occupavit.
Hipp. Heu[13])!
Infelix ego ex iniusti patris
Iniusta sententia laesus sum.
Perii miser, heu mihi[14])!
Dolores excitantur per meum caput,
Et in cerebro salit spasmus:
Retine, reddam quieti corpus defatigatum.
Heu[15]), o odiosum iugum equorum, quos mea
Manu alui,
Perdidisti me et occidisti.
Heu[16]), per Deos placide
Contrectate manibus corpus ulceratum.
Quae dextra attingit latus?
Tollite me convenienter, trahite sine quassatione
Maledictum et infelicem
Errato patris. Iupiter, vides haec?
Ego castus et cultor Deorum,
Qui supero omnes modestia,
Vado ad manifestam mortem, prorsus
Perdens vitam.
Frustra labores pietatis
Inter homines exercui.
Heu[13])!
Et nunc dolor me invadit.
Dimittite miserum,
Et veniat mihi mors, quae sit meus hymnus:
Perdite me infe-
licem, expeto hastam utrinque secantem,
Ut me perfodiam,
Et extinguam meam vitam.
O infelicem patris imprecationem,
Et cognatorum pollutorum caede;
Et maiorum, ex quibus natus sum,

9) iurisiurandi] Editt. 1558., 1562. errore typogr.: iusiurandi.

10) in illo et in me] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: in illum et in me (Eurip. *ἔν τ' ἐκείνῳ κἀν ἐμοί*).

11) persolvit Poenam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *ἀνάλωσεν . . Λόγων ἐλέγχους*) consumsit [Musgrav.: praecidit] Verborum probationes [*in epistola scriptas*].

12) dolet] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *λύπη*) dolor.

13) Heu!] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Αἶ, αἶ, αἶ, αἶ.*) Heu, heu, heu, heu!

14) heu mihi!] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: hei mihi, hei mihi; Fix.: hei mihi, mihi (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. *οἴ μοι, οἴ μοι*; Ed. Fix. *οἴμοι μοι*).

15) Heu] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Ἒ, ἕ.*) Heu, heu!

16) Heu] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Φεῦ, φεῦ*) Heu. heu

Malum terminatur in me, neque cunctatur;
Et venit ad me, qui non
Sum reus istorum malorum.
Heu mihi[17]), quid dicam?
Quomodo liberabo vitam
Meam ex isto non dolente[18]) malo?
Utinam me miserum sepeliat
Necessitas mortis nigra et nocturna!
Dia. O infelix, in quam calamitatem incidisti!
Generosus animus ille tuus te perdidit.
Hipp. Sine, o divinum halitum odoris; etenim licet in malis
Sim, tamen sensi te, et levatus sum corpore.
Est in his aedibus Dea Diana?
Dia. O miser, adest tibi charissima tua Dea.
Hipp. Vides me, domina, quam sim miser?
Dia. Video, sed non fas est me lachrymas emittere ex oculis.
Hipp. Non amplius est tuus venator, neque minister.
Dia. Non; sed moreris infelix.
Hipp. Neque agitator equorum, neque custos tuae statuae.
Dia. Venus veteratoria sic machinata est.
Hipp. Heu mihi! Agnosco Deam, quae me perdidit.
Dia. Questa est de honore, infesta tibi fuit, quod castus eras.
Hipp. Venus perdidit, ut sentio, nos tres.
Dia. Patrem et te et tertiam uxorem patris.
Hipp. Deploro infortunium patris.
Dia. Deceptus est consilio Deae.
Hipp. O infelix pater propter hanc calamitatem!
Thes. Perii, fili, vita est mihi ingrata.
Hipp. Doleo magis tuam vicem quam meam propter hoc erratum.
Thes. Utinam, fili, pro te mihi moriendum sit!
Hipp. O dona acerba patris tui, Neptuni.
Thes. Utinam nunquam venissent mihi in meum os!
Hipp. Occidisti tamen me, adeo tunc eras concitatus ira.
Thes. Erat nobis erepta mens a Diis.

17) Heu mihi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Ἰώ μοί μοι) Hei mihi, mihi!

18) non dolente] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: stupidum me reddente; Musgr.: immedicabili; Fix.: crudeli (Eurip. ἀναλγήτου).

Hipp. Proh[19]), quam fuit genus humanum maledictum a Diis!
Dia. Sine; non sub caliginem terrae
Deae Veneris ex cupiditate sine ultione
Irruunt irae in tuum corpus
Propter tuam pietatem et bonam mentem.
Ego alium hac mea manu,
Qui ei inter homines charissimus est,
His telis inevitabilibus puniam.
Tibi vero, o miser, pro his malis
Maximos honores in urbe Troezenia
Dabo; nam puellae innuptae ante nuptias
Tibi tondebunt crines longo tempore
Praestantes maximum luctum lachrymis.
Semper virginum de te musicae
Cantilenae erunt, et non obscurus iacens[20])
Amor Phaedrae in te tacebitur.
Tu vero, o fili senis Aegei, complectere
Tuum filium in ulnas et attrahe.
Invitus eum perdidisti; „homines
„Consentaneum est peccare Diis immittentibus.
Et te adhortor, ut non odio prosequaris tuum patrem,
Hippolyte; fato accidit te periisse.
Et vale; nam non fas est mihi intueri mortuos,
Neque polluere oculos halitu morientis.
Video te iam vicinum esse huic malo.
Hipp. Et tu vale atque vade, beata virgo.
Facile deseris amicum veterem longo consuetudine conversatum;
Remitto culpam patri postulante te.
Nam et antea semper tuis obtemperavi verbis.
Heu[21]), venit mihi caligo in oculos,
Accipe me, pater, et erige corpus.
Thes. Heu mihi, fili! quid mihi facis misero?
Hipp. Perii, et quidem video portas inferorum.
Thes. An moreris relinquens pollutam mentem meam?
Hipp. Nequaquam, quandoquidem te libero ab hac caede.
Thes. Quid ais? dimittis me liberum a culpa necis?

19) Proh] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Heu (Eurip. φεῦ).

20) iacens . . . in te] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: lapsus in te; Musgr.: cadens in te; Fix.: qui cecidit in te (Eurip. πεσὼν . . . εἰς σὲ).

21) Heu] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Αἶ, αἶ) Heu, heu!

Hipp. Testor Dianam iaculatricem.
Thes. O charissime, quam generosus es erga patrem!
Hipp. O pater, vale, et tu vale plurimum.
Thes. Heu mentem tuam piam et bonam!
Hipp. Opta te consequi tales genuinos liberos.
Thes. Ne deseras me, fili, sed sis fortis.
Hipp. Fortis fui, perii pater.
Tegito faciem meam quam celerrime veste.
Thes. O celebrati fines Athenarum et Palladis,
Quali viro orbamini, o ego miser,
Quam saepe, o Venus, recordabor tua mala!
Chor. Communis hic luctus omnibus civibus
Venit praeter expectationem.
Multarum lachrymarum impetus erit.
Nam praestantium virorum luctus
Magis occupant animos hominum.

LX. PHIL. MEL. INTERPRETATIO ALCESTIDIS EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis invenitur in utraque *Xylandrea* Ed. 1558., 1562., quibuscum Editiones recentiores *Barnesii*, *Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones aliasque quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. addidi uncis inclusas.

EURIPIDIS ALCESTIS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum.

Apollo petiit a Parcis, ut Admetus iam moriturus, alium praeberet, qui pro ipso moreretur, et ipse iterum viveret tamdiu, quam antea vixisset. Alcestis autem coniunx se ipsam dedit illi periculo, neutro parente volente pro filio mori. Non multo post quam hic casus accidit, Hercules interveniens, cum a famulo didicisset ea, quae acciderant, accedit, ad sepulchrum, et cogit mortem discedere, sub veste autem occultat mulierem; Admetum vero rogat, ut eam ad se recipiat et custodiat, se enim cepisse eam praemium in pugna; non volente autem illo, retegens ostendit ei, quam lugebat[1]).

Personae huius fabulae.

Apollo	Alcestis
Charon[2])	Servus
Chorus[3])	Admetus
Semichorus	Eumelus[4])
Ancilla Alcestidis	Hercules

Pheres[5]).

ALCESTIS.

[*Apollo, Charon*[6]), *Chorus, Ancilla.*]

Incipit[7]) *Apollo.*

O domus Admeti, in qua sustinui ego
Servilem mensam boni consulere, quamquam Deus.
Iupiter enim, interficiens filium meum, causa fuit,
Aesculapium, immittens fulmen pectori,
Eo quod ego iratus fabros fulminis Iovialis
Occidi Cyclopas: itaque me servire
Apud mortales pro mulcta coegit.
Cum venissem in hanc terram, fui pastor hospitis,
Et servavi hanc domum usque in hunc diem;

---

1) Haec veteris argumenti interpretatio Melanthonis in Editt. 1558., 1562. exstat; in Ed. Barn. cum textu graeco repetita est, altero argumento gr. et lat. adiecto. Eurip. Ed. Basil. 1551. solum illud graece exhibet, qua de causa Melanthon hoc unum vertit.

2) Charon] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. *Χάρων*), quibuscum Ed. et Interpret. Stiblini supra p. 281 sq. nota*) breviter descripta congruit; Editt. recent. in textu gr. habent *Θάνατος*, in lat. interpret. Barn. et Musgr.: Orcus; Fix.: Mors. (Bothe in interpret. german. retinuit graec. vocem Thanatos, quam in personarum catalogo interpretatur: Deum mortis.) Conf. nota 10.

3) Chorus] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. *Χόρος*); Editt. recent. habent: *Χόρος πρεσβυτῶν Φεραίων* — Chorus Senum Pheraeorum.

4) Eumelus] huic nomini in Editt. Barn., Musgr. gr. et lat. adscripta sunt verba: Admeti filius.

5) Pheres] huic nomini in iisdem 2 Editt. gr. et lat. addita sunt verba: Admeti pater — Harum Editt. catalogus personarum ab Editt. 1558., 1562. et Fixii praeterea eo differt, quod post Chorum Senum Pheraeorum affertur „Semichorus" et post Pherem Admeti patrem: „Muta persona, Admeti videlicet et Alcestidis filia."

6) *Charon*] sic Editionibus 1558., 1562. congruenter h. l. scripsi pro *Orcus*, quo nomine Barnesius in lat. interpret. utitur (conf. nota 2. et 10.).

7) Incipit] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. Barn. et Musgr. pro hac voce, personarum catalogo in fine addunt: *Προλογίζει δὲ ὁ Ἀπόλλων* (sic etiam Ed. Basil. 1551.) — Prologum autem agit Apollo.

Quam recens iam reliqui in hac luce;
Non multo ante intuebatur hanc lucem.
Quid accidit ei? quomodo periit?
Pater, volo ex te audire
Tacite[64]). Silentium nihil prodest in malis.
Cor cupiens omnia audire,
Deprehenditur curiosum esse in malis.
Non tamen amicis, aut si quid magis quam amicis,
Occultare est iustum, o pater, tuas calamitates.
Thes. O quam in multis rebus errantes homines frustra,
Cur tam multas artes[65]) docetis,
Et omnia machinamini et excogitatis,
Unum non scitis neque invenistis
Docere, quomodo sapiant, qui non habent mentem.
Hipp. Magnum doctorem dicis, qui bene sapere
Stultos cogere posset.
Sed non opportuno tempore disputas, pater,
Metuo, ne tua lingua excedat in malis.
Thes. Heu, oportebat hominibus notam amicorum
Manifestam aliquam esse, et diiudicationem mentis,
Quisquis verax sit, aut non amicus sit[66]).
Et omnes homines duplicem vocem habere:
Unam veracem, alteram qualemcunque,
Ut, quae mentiretur, deprehendi posset[67])
A iusta, neque deciperemur.
Hipp. Si quis me apud tuas aures calumniatus est
Ex amicis, male mecum agitur sine mea culpa.
Obstupui. Nam perterrefaciunt me tua
Verba, erumpentes concitatius, quam fert sedatus animus.
Thes. Heu, quo progredietur[68]) humana mens?
Quis finis temeritatis et audaciae erit?
Nam si per singulos vita cumulabitur[69]),
Et posterior priore valde
„Deterior erit, Deos adiicere terrae
„Oportebit aliam terram, quae capiat
„Eos, qui sunt iniusti et mali.
Intuemini in hunc, qui, cum ex me natus sit,
Polluit meum thalamum, et deprehenditur
A mortua manifeste, quod fuerit flagitiosissimus.
Postquam venisti in illud abominabile scelus, ostende[70])
Tuam faciem hic coram patre.
Tu cum Diis tanquam excellens[71]) vir
Versaris? tu castus es et incorruptus[72]) a malis?
Ego non amplius credam tuae gloriationi,
Tribuens Diis imperitiam et imprudentiam.
Iam gloriare, et esu inanimatorum
Cibis cauponare, et habens magistrum Orphea,
Colito sacra Bacchi, honore afficiens fumos[73]) multarum litterarum,
Posteaquam deprehensus es. Tales ego
Iubeo omnes fugere; nam venantur
Tetrica oratione[74]), cum moliantur turpissima.
Haec est mortua; putas hoc tibi saluti fore?
In hoc ipso tu, o pessime, captus es.
Nam quod iusiurandum gravius? quae tua oratio
Potest esse[75]), ut effugias crimen, et quae plus valeat morte huius?
Dices, quod illa te oderit, et quia sis nothus,
Inimicum esse te germanis, coniugi et liberis legitimis?
Dicis ipsam malam esse commutatricem vitae,

64) Tacite.] sic Editt. 1558., 1562., quasi legeretur *Σίγα.*; Editt. recent. (= Eurip. *Σιγᾷς;*) Taces?

65) tam multas artes] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. tam multos artes; Editt. recent.: artes quidem sexcentas (Eurip. *τέχνας μὲν μυρίας*).

66) aut non amicus sit] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. corrupte: aut non amisit; Editt. recent.: et quis non [*sit*] *verus* amicus. (= Eurip. *ὅςτε μὴ φίλος*).

67) deprehendi posset] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: argueretur (Eurip. *ἐξηλέγχετο*).

68) progredietur] Editt. 1558., 1562. errore typogr.: progedietur.

69) Nam si per singulos vita cumulabitur] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Si enim uniuscuiusque viri vita superbe propagetur (utraque versio sequitur lectionem *Εἰ γὰρ κατ' ἀνδρὸς βίοτος ἐξογκώσεται*, quam Editt. Basil. et Barn. exhibent); Musgr.: Si enim ad seculorum rationem augescet; Fix.: Si enim pro ratione aetatum crescat *audacia* (hae duae interpretationes exprimunt lectionem illi praeferendam: *Εἰ γὰρ κατ' ἀνδρὸς βίοτον ἐξογκώσεται*, quam Editt. Musgr. et Fix. receperunt).

70) ostende] sic (= Eurip. *δεῖξον*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. ostendi.

71) excellens] Ed. 1558. corrupte: excellellens.

72) incorruptus] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. incorreptus.

73) fumos] sic (= Eurip. *καπνούς*) Editt. 1558., Barn., Musgrav., Fix.; Ed. 1562. summos.

74) Tetrica oratione] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Magnificis verbis (= Eurip. *Σεμνοῖς λόγοισιν*).

75) quae tua oratio Potest esse] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: quae verba Hac *epistola contra te scripta potiora* esse possent; Musgr.: quae verba Hac esse possunt; Fix.: quae verba istâ (i. e. *istius epistola*) *potiora* esse poterint (= Eurip. *τίνες λόγοι Τῆσδ' ἂν γένοιτ' ἄν*).

Si odio tui perdidit eam charissimam[76]).
Sed tu dicis, quod viri non soleant furere amore,
Sed mulieribus hoc innatum esse. Ego novi iuvenes
Nihilo cautiores mulieribus,
Quando Venus turbat iuvenilem animum;
Sed virilitas prodest eis, quae adest.
Quid igitur? quid de his tecum verbis certo,
Cum cadaver adsit, quod est certissimus testis?
Discede ex hac terra quam celerrime exul,
Et non proficiscaris Athenas divinitus aedificatas,
Neque ad fines terrae, cui ego impero.
Si enim affectus iniuria essem, neque te ulciscerer,
Non daret mihi testimonium aliquando latro Isthmius[77]),
Quod occiderim eum; sed me frustra gloriari diceret;
Neque Scironides, quae sunt in mari
Petrae, dicent[78]) me gravem esse malis.
Chor. Nescio, quomodo dicam felicem esse ullum
Hominem; nam summa rursus eversa sunt.
Hipp. Pater, tua ira et commotio animi tui
Vehemens est; res opus habet longa oratione,
Si quis evolveret; sed hoc non est bonum.
Ego non sum idoneus ad dicendum in populo;
Inter aequales essem aliquanto sapientior,
Habet et hoc aliquid momenti: qui inter doctos
Non sunt idonei, illi sunt aptiores ad dicendum in populo.
Tamen necesse est veniente calamitate
Me loqui; primum vero incipiam dicere inde,
Unde me prius adortus es tanquam deterriturus,
Et non contradicturum. Intueris hoc lumen
Et terram? inter hos[79]) non est vir me
Castior natus, etiamsi tu negas[80]).
Nam primum novi colere Deos,
Et uti amicis, qui non conantur iniuria me afficere,
Sed in quibus est pudor; neque petere mala,
Neque concedere turpia rogatus[80a]).
Non sum adulator[81]) conversantium, o pater,
Sed idem sum amicis tam absentibus quam praesentibus.
Ab illo uno sum immunis, quo tu me capere nunc videris.
In hunc diem meum corpus est purum a thalamo:
Neque novi hanc rem, nisi quantum iam audio ex tuo ore,
Et video scripturam; neque enim haec curare
Promptus sum, habens animum virginalem.
Si vero mea pudicitia tibi forte non persuadet,
Oportet te ostendere, quomodo corrupta sit.
Utrum huius corpus pulchritudine superabat
Omnes mulieres, an possidere tuam domum,
Accepta coniuge dotata, speravi?
Stultus essem, et plane desipiens.
Sed quia occupare tyrannidem gratum est castis, ideo feci?
Minime, nisi corrupit animos
Hominum, quibus placet, monarchia[82]).
Ego autem in certaminibus Graecis vincere
Primus[83]) vellem, in urbe secundus esse malo,
Et cum optimis amicis semper esse tranquillus,
Contigit mihi bene vivere, et periculum abest,
Datque gratiam meliorem tyrannide.
Hoc unum ex meis non dixi, caetera habes.
Si esset mihi testis, qualis ego sum,
Et certarem istâ vivâ,
Re ipsa videres malos, si indagares.
Nunc Iovem sancitorem iurisiurandi, et hoc solum terrae
Iuro, me nunquam attigisse tuam coniugem,
Neque voluisse, neque cogitasse:
Alioqui peream inglorius, infamis,
Sine civitate, sine aedibus, exul, errans in terra.

---

76) eam charissimam (i. e. *vitam*)] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. eam charissima; Barn. (= Eurip. *τὰ φίλτατ'*): carissima; Musgr.: se ipsam; Fix.: quod dulcissimum est (*vitam*).

77) latro Isthmius] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Ἴσθμιος Σίνις*) Isthmius Sinis (Sinis, latro famosus).

78) dicent] sic Editt. 1558., 1562., Musgr., Fix.; Barn.: dicerent (Eurip. *φήσουσι*).

79) inter hos] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *ἐν τοῖσδ'*) in his.

80) etiamsi tu negas] sic Ed. 1562.; Editt. recent.: etiamsi tu neges (Eurip. *Οὐδ' ἢν σὺ μὴ φῇς*); Ed. 1558. etiam tu negas.

80a) rogatus] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (= Eurip. *τοῖσι χρωμένοις*) iis qui *turpibus* utuntur.

81) adulator] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *ἐγγελαστὴς*) derisor.

82) monarchia] huic voci in Editt. 1558., 1562. in marg. adiecta est annotatio: id est, tyrannis.

83) Primus] sic (= Eurip. *Πρῶτος*) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Primas.

Et neque mare neque terra recipiat meum
Corpus, ubi fuero mortuus, si sum sceleratus vir.
An autem illa hoc metuens, perdiderit vitam,
Nescio; nam mihi non licet dicere ultra.
Fuit casta, cum tamen re vera non esset casta.
Nos habentes castitatem, infeliciter usi sumus.
Chor. Dixisti sufficientem excusationem culpae,
Praebens iusiurandum, non exiguam rem ad fidem faciendam autoritate divina.
Thes. Nonne hic est incantator et praestigiator,
Qui confidit facilitate iurandi se meum
Animum capere posse, cum patrem me ignominia affecerit?
Hipp. Valde, pater, haec de te miror.
Si tu esses filius et ego tuus pater,
Interficerem te, et non exilio punirem,
Si quidem ausa esses meam uxorem attingere.
Thes. Quam recte hoc dixisti, non sic moriaris[84]),
Sicut tu tibi ipsi fers hanc legem.
„Festinata mors est gratissima infelici homini;
Sed ex patria terra exul errans
In terra peregrina miseram vitam ages.
Haec est merces homini impio.
Hipp. Heu mihi! quid facies? neque tempus iudicem[85])
Contra nos recipies, sed me expellis e terra?
Thes. Ultra[86]) mare et loca Atlantica,
Si possem: sic odi tuum caput.
Hipp. Neque iusiurandum neque fidem neque vatum
Dicta explorans, eiicis me terra indemnatum?
Thes. Haec tabella, non recipiens sortem,
Vera accusat te; istas vero supra caput
Volantes aves non curo.
Hipp. O Dii, cur non solvam meum os,
Qui a vobis, quos colo, pereo?
Non possum prorsus persuadere, quibus me oportet,
Frustra confunderem iusiurandum, quod iuravi.
Thes. Heu mihi, quam me interficiet tua severitas!
Non vadis quam primum ex terra patria?
Hipp. Quo miser me vertam? cuius hospitis
Domum ingrediar, propter hanc[86a]) causam exulans?
Thes. Qui libenter corruptores coniugum
Recipit peregrinos, et eos, qui cohabitant cum malis.
Hipp. Heu heu, hoc afficit hepar, et hoc prope lachrymas est,
Quod malus appareo et videor tibi.
Thes. Tunc oportebat gemere et providere,
Cum ausus es iniuria afficere uxorem patris tui.
Hipp. O domus, utinam mihi vocem edere posses
Et testari, an sim malus vir.
Thes. Confugis ad testes mutos? clare
Haec res, quae non loquitur, indicat te esse malum.
Hipp. Heu, utinam esset possibile me ipsum adspicere coram
Stantem, ut deplorarem, qualia mala patior.
Thes. Multo magis assuefecisti te ipsum colere,
Quam pietatem exercere erga parentes iuste.
Hipp. O mater infelix, o acerba generatio,
Nemo meorum amicorum sit nothus.
Thes. Non trahetis eum, servi? non auditis
Me multo ante dicentem, ut hic eiiciatur?
Hipp. Num aliquis ipsorum flens me tanget?
Tu ipse, si tibi animus est, expelle e terra.
Thes. Faciam haec, nisi quis persuadeat verbis,
Neque ulla misericordia intercedet pro tua fuga.
Hipp. Statutum est, ut videtur. O me miserum,
Quod novi haec, sed nescio, quomodo dicam.
O charissima mihi Dea, filia Latonae,
Cohabitatrix, socia venationis, deserendae
Celebratae Athenae[87]), sed valeat urbs,
Et terra Erechthei. O solum Troezenium,
Quam multa habes iucunda ad pubescendum!
Vale; postremum te videns alloquor.
O iuvenes, quos aequales habui in hac terra, ite,
Salutate me, et deducite ex hac terra,
Quia non alium castiorem hominem
Videbitis, etiamsi haec non videntur patri meo.

---

84) moriaris] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: morieris (Eurip. Ed. Basil. 1551., Barn., Musgr. *θανῇ*, Ed. Fix. *θανεῖ*).

85) iudicem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *μηνυτὴν*) indicem (scil. *veritatis*).

86) Ultra] sic (= Eurip. *πέραν*) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Ultro.

86a) hanc] sic scripsi (= Eurip. *τῇδ'*); Editt. 1558., 1562. quam.

87) deserendae Celebratae Athenae] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *φευξόμεσθα δὴ Κλεινὰς Ἀθήνας*) fugiemus igitur Inclytas Athenas.

[*Strophe* 1.]

Chor. Certe valde mihi Deorum
„Cogitationes, quando animum subeunt,
„Inferunt tristitiam;
Sed occultans aliquam cogitationem spe
Deficio, et fortunas hominum
Et facta intuens.
Nam est magna rerum vicissitudo,
Et hominibus variatur vita
Semper plena imitationum.

[*Antistrophe* 1.]

„Utinam mihi precanti
„Divinitus fatum hoc concedat,
„Fortunam cum divitiis,
„Et animum non senescentem curis;
„Et existimatio neque eximia neque etiam
„Mala contingat[88])!
„Faciles mores in crastinum
„Tempus semper imitans,
„Vitam beatam degam.

[*Strophe* 2.]

Non amplius puram
Mentem habeo. Video multa praeter spem accidere,
Postquam civitatis Graecae
Athenarum pulcherrimam stellam
Vidimus, patris ira
In aliam terram mitti.
O arena urbani littoris,
Et saltus montanus, quo cum canibus
Celeribus ascendit[89]),
Cum Dea feras interficiens
Circa castam Dictynnam,

[*Antistrophe* 2.]

Non amplius iugum
Equorum Venetorum conscendet[90]),
Ad cursum circa paludes
Tenens pede equos destinatos exercitiis.
Et vigilans Musa sub iugo chordarum
Desinet in domo paterna.
Sine corona erunt arae puellae
Latonae in profundo gramine.
Nuptiae perierunt
Tuo exilio et certamen de nuptiis inter puellas.

[*Epodi.*]

Ego tua calamitate
Lachrymis feram
Miserum fatum. O misera
Mater, peperisti inutiliter! heu
Irascor Diis.
Heu heu, vos Gratiae coniugatae,
Quare hunc miserum e terra patria,
Nullius culpae reum,
Emittitis ex his aedibus?

[*Nuntius, Theseus, Diana, Hippolytus, Chorus.*]

Semich.[91]) Atqui video hunc comitem Hippolyti[91a]),
Celeriter tristem tendentem ad domum.
Nun. Quo vadens dominum huius terrae, Theseum[92]),
Inveniam, o mulieres? si novistis, mihi
Significate; num quid intra hanc domum?
Chor.[93]) Ille ipse egreditur e domo.
Nun. Theseu, affero rem dignam consideratione
Tibi et civibus, qui urbem Atheniensium
Habitant et fines terrae Troezeniae.
Thes. Quidnam est? an nova aliqua calamitas
Duas vicinas urbes cepit?
Nun. Hippolytus est extinctus, ut summatim dicam;
Exiguo temporis momento vidit hanc lucem.
Thes. A quo? num aliquis invasit eum hostiliter,

---

88) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vita tranquilla.

89) ascendit] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Editt. Basil. 1551. et Musgr. *ἐπέβα*); Barn., Musgr.: ascendisti (= *ἐπέβας*, quam lectionem Ed. Barn. exhibet; in Ed. Fix. haec vox cum sequenti *Θεᾶς* deest).

90) conscendet] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: conscendes (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. *ἐπιβάσῃ*, Ed. Fix. *ἐμβάσει*).

91) *Semich.*] sic Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr. (= Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. *Ἡμιχόριον*); in Ed. Fix. in textu gr. et interpret. lat. deest.

91 a) Hippolyti] sic (= Eurip. *Ἱππολύτου*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Hippolytum.

92) Theseum] sic (= Eurip. *Θησέα*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Theseu.

93) *Chor.*] sic (= Eurip. Editt. Basil. 1551., Musgr., Fix. *Χόρος*) Editt. 1558., 1562., Fix.; Barn., Musgr. (= Eurip. Ed. Barn. *Ἡμιχ.*) *Semich.*

Quid agis? dimitte, qualem viam ego miserrima ingredior.
Adm. Calamitosam amicis, ex his autem mihi maxime,
Et liberis, quibus hic luctus communis est.

[*Epodus.*]

Alc. Dimittite, dimittite me iam: inclinate me, non valeo
Pedibus, prope est mors,
Tenebricosa nox ad oculos serpit.
O liberi[38]), non amplius
Vestra mater superest,
Beati[39]) hoc lumen intuemini.
Adm. Heu mihi, audio tristem sermonem,
Et qualibet morte maiorem.
Per Deos rogo, ne velis me deserere;
Sed animum recipe: te enim mortua, ego non ero.
Penes te est, ut vivam, vel non vivam;
Tuam enim amicitiam colimus.
Alc. Admete, vides, quomodo se res meae habent.
Dicam tibi, priusquam moriar, quae volo.
Ego te honore afficiens, et pro mea
Vita constituens te vivere,
Morior nunc pro te: cum liceret non mori,
Sed habere virum Thessalum, quemcunque vellem,
Et habitare domum beatam regno.
Non volui tamen vivere a te avulsa
Cum liberis orbis patre, nec peperci mihi
Aurorae habens dona, quibus oblectarer.
Atqui pater tuus et mater proiecerunt te,
Qui eo iam venerant, ut recte morerentur,
Et fuisset eis honestum servare filium.
Te enim unicum habent, et non est spes
Te mortuo genituros aliam sobolem.
Et ego et tu vixissemus reliquo tempore,
Nec tu orbatus coniuge gemeres,
Et liberos ipse educasses. Verum haec
Deorum aliquis ita gubernavit.
Sed sit ita. Tu nobis hanc redde gratiam.
Nunquam enim a te dignam postulabo,
(„Nam nihil est vita pretiosius.)
Iustam tamen, ut ipse dicis: ut ames hos liberos
Non minus quam ego, si quidem sapis.

38) O liberi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Τέκνα, τέκν᾽,) O liberi, liberi.

39) Beati] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (= Eurip. Χαίροντες, ὦ τέκνα) Laeti, o filii.

Et hos educato, ut fiant haeredes meā
domus.
Et non superinducas novercam his,
Quae, cum me deterior sit, ex invidia
Meis et tuis liberis manus iniiciet.
Ne facias hoc, abs te peto.
„Noverca enim succedens, liberis
„Prioribus nihilo mitior est quam vipera.
Filius patrem habet magnum propugnaculu
Quem iam affatus est, et compellatus est
cissim.
Tu vero, o filia, quomodo elocaberis honest
Qualem nacta coniugem a tuo patre,
Ne tibi aliquam[39a]) imponens malam faman
In ipso flore corrumpat tuas nuptias?
Non enim mater te elocabit,
Neque confirmabit te liberos nactum[40]),
Ubi nihil est matre gratius.
„Oportet enim me mori, et hoc malum n
in crastinum
Neque in tertium mensem differtur;
Sed statim dicar esse inter mortuos.
Valete: et tibi, marite[41])
Licet gloriari, te habuisse optimam con
gem;
Vobis autem liberis, matre natos optima.
Chor. Bono sis animo; pro hoc enim dic
non vereor:
Faciet haec, si modo sapit.
Adm. Fient[42]) haec, ne metuas; postqu
enim ego te
Viventem habui: et mortua mea coniu
Sola vocaberis et nulla pro te
Sponsa Thessala me compellabit virum suu
Nulla est tam nobilis,
Nulla tam formosa.
Satis liberorum habeo, et Deum precor
rum fruitionem
Mihi contingere; nam te non fruimur.
Geram luctum non unius anni,
Sed donec vita manet, o coniunx,
Odio habens matrem,

39a) aliquam] sic (= Eurip. γυν᾽) Editt. recent.;
1558., 1562. ea (fortasse pro: eo).

40) liberos nactum (i. e. ad liberos nanciscendos)] sic
1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἐν τόκοισι σοῖσ
partu tuo.

41) marite] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed.
maritae.

42) Fient] sic (= Eurip. ἔσται) Editt. 1558., Barn., Mu
Fix.; Ed. 1562. Faciet.

Et patrem; qui nomine erant amici, non re.
Tu autem dans ea, quae habuisti charissima,
Pro mea vita, servasti me: itaque adest mihi gemere
Amittenti te talem coniugem.
Omittam convivia et convivarum sodalitia,
Et coronas, et cantilenas, quae antea occupaverunt meam domum;
Non amplius attingam barbitum,
Neque animum impellam canere ad Libycam
Tibiam; tu enim eripuisti mihi omnes oblectationes.
Solerti manu artificum corpus tuum
Sculptum, in lecto collocabitur:
Apud quod iacebo, idque complectens manibus,
Vocans tuum nomen, charam in complexu
Videbor habere coniugem, quamvis non habens.
Frigidam quidem opinor[43]) oblectationem, tamen onus
Animae exhauserim: in somnio
Occurrens oblectabis me. „Gratum est amicum
„Etiam noctu videre, quocunque venerit tempore.
Si mihi Orphei adesset lingua et musica,
Ut filiam Cereris aut eius maritum
Demulcens carmine, ab inferis reducerem coniugem:
Descenderem, nec me Plutonis canis,
Neque deductor animarum, Charon nauta
Retineret, priusquam te in vitam reducerem.
Verum illic me expecta, dum moriar,
Praepara domicilium tanquam mecum habitatura.
Faciam testamentum, ut in eodem feretro
Mea latera ponam iuxta
Tua; neque mortuus quidem unquam
Volo esse seiunctus a te, quae sola mihi fuisti fida.
Chor. Et ego hunc luctum tristem ut amicus cum amico
Una geram, ipsa enim est digna.
Alc. O liberi, vos audivistis haec
A patre, quod nunquam aliam ducturus sit
Coniugem, nec neglecturus me.

Adm. Et nunc affirmo eadem et faciam.
Alc. Hac conditione accipe liberos ex meis manibus.
Adm. Accipio: est mihi gratum munus ex amica manu.
Alc. Tu esto istis mater pro me.
Adm. Ingens necessitas orbatis te matre.
Alc. O liberi, morior nunc, cum maxime vita mihi est optanda.
Adm. Heu, quid agam te orbatus?
Alc. Tempus minuet luctum; mortuus nihil est.
Adm. Duc me tecum ad inferos.
Alc. Satis est me mori pro te.
Adm. O fatum, quali coniuge me privas!
Alc. Atque[44]) tenebricosi gravantur oculi.
Adm. Perii, si me deseres.
Alc. Frustra nominas me, quae iam sum mortua.
Adm. Erige faciem, ne relinquas tuos liberos.
Alc. Non volens desero; sed valete, liberi.
Adm. Intuere eos. ***Alc.*** Nihil amplius sum.
Adm. Quid agis? deseris nos. ***Alc.*** Vale.
Adm. Perii miser.
Chor. Vixit, non amplius est Admeti coniunx.

[*Strophe.*]

Eum. Heu fortunam[45]), mater mortua est.
Non amplius est, o
Pater, sub sole,
Deserens meam vitam.
Fecit me orphanum misera.
Vide iam, vide palpebras et
Resolutas manus.
Audi, audi, o
Mater, te obsecro:
Ego te, o mater, compello
Tuus pullus, ad os tuum cadens.
Adm. Vocas neque audientem neque videntem: itaque ego
Et vos gravi calamitate consternati sumus.

[*Antistrophe.*]

Eum. Ego iuvenis adhuc relinquor chara
Matre orbatus,
Tristia patiens

---

43) opinor] sic (= Eurip. οἶμαι) Editt. recent.; in Editt. 1558., 1562. deest.

44) Atque] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Atqui; Fix.: Iam vero (Eurip. καὶ μήν).

45) Heu fortunam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (=Eurip. Ἰώ μοι τύχας) Hei mihi propter calamitatem.

Ego[46]).
Tu soror puella[47])
Eadem sustines. O pater
Infeliciter duxisti uxorem, * neque ad senectae
Finem pervenisti cum ista; prius enim est mortua.
Te moriente, o mater, domus periit.
Chor. „Admete, necesse est hanc calamitatem ferre[48]),
„Tu enim neque primus neque postremus[49]),
„Amittis bonam coniugem; cogita,
„Quod necesse est nobis omnibus mori.
Adm. Agnosco, nec subito hoc[50]) malum
Advolavit: cum scirem impendere, cruciabar.
Sed primum efferemus cadaver.
Adeste, una per vices canite
Hymnum inferorum implacabili Deo.
Omnibus Thessalis, quibus ego praesum,
Mando communem esse luctum[50a]),
Caesarie rasa et nigra veste;
Iungite currus et equorum
Secate ferro iubam collarem;
Non sit in urbe tibia, neque lyra,
Duodecim integris mensibus.
Non enim aliud charius cadaver sepeliam,
Quam hoc, neque quod sit plus de me meritum[51]): digna
Est, quae honore a me afficiatur, si quidem pro me est mortua.

[*Strophe* 1.]

Chor. O Peliae filia,
Vale, apud Plutonem
Tenebricosam domum colas.
Sciat Pluto nigricomus
Deus, et qui ad remum
Et ad gubernaculum senex
Nauta mortuorum sedet,
Se longe optimam mulierem
Transvexisse trans paludem Acherontiam
Cymba biremi.

[*Antistrophe* 1.]

Multum te poetae
Canent in montana habente[52]) septem fides
Lyra et praedicantes te in cantu,
In Sparta quando circulus Carnei
Circumit tempus mensis vernum, exoriente
Plena luna,
Et in divitibus et beatis Athenis.
Talem cantilenam reliquisti moriens
Vatibus[53]).

[*Strophe* 2.]

Utinam penes me esset,
Ut possem te emittere
Ad lucem ex inferna domo,
Et ex fluvio Cocyto,
Fluviatili et infernali remo.
Tu, o unica et chara mulier,
Sustinuisti maritum tuum redimere
Tua vita ex inferis: levis
Terra cadat supra te.
Si eligeret maritus aliud connubium,
Certe esset mihi
Invisus et tuis liberis.

[*Antistrophe* 2.]

Cum eius mater non voluerit
Pro filio mori
Nec pater senex[54]),
Qui ipsum genuit, nec voluerint liberare
Detestandi, habentes canam comam:
Tu iuvencula mortua es pro viro iuvene.
Tali contingat mihi potiri
Chara coniuge.

---

46) Tristia patiens Ego.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Tristia [Barn.: Tr. igitur; Musgr.: Tr. utique] passus Ego mala. (Eurip. *Σχέτλια δὴ παθὼν Ἐγὼ ἔργα.*). — Verba, quae in textu et interpret. Edit. Barn. haec subsequuntur uncis inclusa: [*μακρὸν φίλης Ματέρος στερηθείς·*] — [longum cara Matre orbatus:] in Editt. Basil. 1551., Musgr., Fix. desunt.

47) Tu soror puella] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Tuque mecum soror puella; Fix.: tuque soror mea puella (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. *Σύ τ' ἐμοί, σύγκασι κόρα*, Fix.: *σύ τε σύγκασί μοι κούρα*).

48) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Ferendae communes calamitates.

49) postremus,] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *λοίσθιος βροτῶν*) postremus mortalium.

50) hoc] Ed. 1558. errore typogr.: hac.

50a) luctum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) luctum huius mulieris.

51) quod sit plus de me meritum] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. quod plus de me sit meritum.

52) habente] sic Editt. Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1[...] habentem.

53) Vatibus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eu[...] *Μελέων ἀοιδοῖς*) Carminum cantoribus.

54) Versus, qui hunc in Ed. Barn. subsequitur uncis in[...] sus: [*Θάνατον σφοῦ παιδὸς ἀπείργειν*] — [Mortem a [...] filio depellere], in textu Editt. Basil. 1551., Musgr. [...] deest, in interpret. lat. autem Musgravius eum retinu[...]

(Rara haec est felicitas in vita)
Certe viveret mecum per omnem vitam sine molestia.

[*Hercules*, *Chorus*, *Admetus*, *Pheres*.]

Herc. Populares colentes hunc vicum terrae Pheraeae,
Num Admetus domi est?
Chor. Est domi filius Pheretis, o Hercules.
Verum dicito, quae causa
Mittit te huc accedere ad hoc oppidum Pheras?
Herc. Nunc laborem suscipio Eurystheo.
Chor. Quo vadis, cui peregrinationi instructus es?
Herc. Vado post quadriiugum currum Diomedis Thracis[55].
Chor. Quomodo poteris? an es imperitus hospitis?
Herc. Sum imperitus; nunquam enim veni in Thraciam.
Chor. Non poteris fieri dominus currus sine pugna.
Herc. Non est mihi possibile recusare laborem.
Chor. Venies igitur, ut occidas, vel ut occidaris.
Herc. Talia certamina non primum nunc curro[56].
Chor. Quid lucri facies victo domino?
Herc. Equos adducam Tirynthio regi.
Chor. Non facile frenum iniicitur genis.
Herc. Nisi spirent ignem a naribus.
Chor. Quin homines lacerant rapidis genis.
Herc. Pabulum dicis ferarum bestiarum, non equorum.
Chor. Videbis praesepia sanguine conspersa.
Herc. Ipse rex, qui alit equos[57], cuius patris filium se iactat?
Chor. Martis, et ipse rex est Thraciae, aureum habens scutum.
Herc. Et hunc mihi laborem fatalem dicis.
Semper enim fatum mihi durum est, et ad summum periculi ducit.
Ergo oportuit me cum Martis liberis
Pugnare; primum enim cum Lycaone,
Deinde cum Cygno, et ad hunc tertium
Laborem venio, commissurus certamen cum equis et domino.
Sed nemo est, qui Herculem
Unquam visurus sit metuentem hostilem manum.
Chor. Atqui dominus huius terrae
Admetus egreditur.
Adm. Salve, fili Iovis, orte a Perseo.
Herc. Et tu salve, rex Thessalorum.
Adm. Optarim quidem[58]; scio te mihi esse benevolum.
Herc. Quid sibi vult funebris tonsura?
Adm. Sepulturus sum hodie quoddam cadaver.
Herc. Deus arceat malum a tuis liberis.
Adm. Liberi mei vivunt.
Herc. An pater senex mortuus est?
Adm. Vivit ille et mater.
Herc. An uxor mortua est?
Adm. Dupliciter possum respondere[59].
Herc. Utrum de mortua, an de viva dicis?
Adm. Est et non est, et dolore afficit me.
Herc. Nihilo plus scio; obscura enim dicis.
Adm. Non scis fatum, quod subire eam oportet?
Herc. Scio, eam assensisse pro te velle mori.
Adm. Quomodo igitur amplius est, si quidem hoc promisit?
Herc. Heu, ne prius eam lugeas, quam est mortua[60].
Adm. Moriturus iam est mortuus[61].
Herc. Aliquid interesse existimabam inter esse et non esse.
Adm. Tu sic sentis; ego aliter.

---

55) Vado post quadriiugum currum D. T.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Vado ad quadriiugum currum D. T.; Musgr., Fix.: Ad quadriiugum currum D. T. auferendum.

56) curro] sic Editt. 1558.; Barn., Musgr.: curram ego (= Eurip. *ἂν δράμοιμ᾽ ἐγώ*. Fix.: subibo ego); Ed. 1562. curo.

57) Ipse rex, qui alit equos] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Ipse vero, qui aluit *hos equos* (Eurip. *δ᾽ ὁ θρέψας*).

58) Optarim quidem] his in marg. Editt. 1558., 1562. adduntur verba: salvus esse.

59) Dupliciter p. r.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Dupliciter de ea p. r.; Fix.: Duplex de ea sermo est mihi quem dicam (= Eurip. *Διπλοῦς ἐπ᾽ αὐτὴν μῦθος* etc.).

60) ne prius eam lugeas, quam est mortua.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: ne ante *mortis tempus* uxorem luge, in hoc differ.

61) Moriturus iam est mortuus.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Obiit *illa*; qui *enim mox* est *moriturus*, et qui *iam* mortuus est, non amplius est.

Quid agis? dimitte, qualem viam ego miserrima ingredior.
Adm. Calamitosam amicis, ex his autem mihi maxime,
Et liberis, quibus hic luctus communis est.

[*Epodus.*]

Alc. Dimittite, dimittite me iam: inclinate me, non valeo
Pedibus, prope est mors,
Tenebricosa nox ad oculos serpit.
O liberi[38]), non amplius
Vestra mater superest,
Beati[39]) hoc lumen intuemini.
Adm. Heu mihi, audio tristem sermonem,
Et qualibet morte maiorem.
Per Deos rogo, ne velis me deserere;
Sed animum recipe: te enim mortua, ego non ero.
Penes te est, ut vivam, vel non vivam;
Tuam enim amicitiam colimus.
Alc. Admete, vides, quomodo se res meae habent.
Dicam tibi, priusquam moriar, quae volo.
Ego te honore afficiens, et pro mea
Vita constituens te vivere,
Morior nunc pro te: cum liceret non mori,
Sed habere virum Thessalum, quemcunque vellem,
Et habitare domum beatam regno,
Non volui tamen vivere a te avulsa
Cum liberis orbis patre, nec peperci mihi
Aurorae habens dona, quibus oblectarer.
Atqui pater tuus et mater proiecerunt te,
Qui eo iam venerant, ut recte morerentur,
Et fuisset eis honestum servare filium.
Te enim unicum habent, et non est spes
Te mortuo genituros aliam sobolem.
Et ego et tu vixissemus reliquo tempore,
Nec tu orbatus coniuge gemeres,
Et liberos ipse educasses. Verum haec
Deorum aliquis ita gubernavit.
Sed sit ita. Tu nobis hanc redde gratiam.
Nunquam enim a te dignam postulabo,
(„Nam nihil est vita pretiosius.)
Iustam tamen, ut ipse dicis: ut ames hos liberos
Non minus quam ego, si quidem sapis.

38) O liberi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Τέκνα, τέκν',) O liberi, liberi.

39) Beati] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (= Eurip. Χαίροντες, ὦ τέκνα) Laeti, o filii.

Et hos educato, ut fiant haeredes meae domus.
Et non superinducas novercam his,
Quae, cum me deterior sit, ex invidia
Meis et tuis liberis manus iniiciet.
Ne facias hoc, abs te peto.
„Noverca enim succedens, liberis
„Prioribus nihilo mitior est quam vipera.
Filius patrem habet magnum propugnaculum,
Quem iam affatus est, et compellatus est vicissim.
Tu vero, o filia, quomodo elocaberis honeste?
Qualem nacta coniugem a tuo patre,
Ne tibi aliquam[39a]) imponens malam famam,
In ipso flore corrumpat tuas nuptias?
Non enim mater te elocabit,
Neque confirmabit te liberos nactum[40]),
Ubi nihil est matre gratius.
„Oportet enim me mori, et hoc malum non in crastinum
Neque in tertium mensem differtur;
Sed statim dicar esse inter mortuos.
Valete: et tibi, marite[41])
Licet gloriari, te habuisse optimam coniugem;
Vobis autem liberis, matre natos optima.
Chor. Bono sis animo; pro hoc enim dicere non vereor:
Faciet haec, si modo sapit.
Adm. Fient[42]) haec, ne metuas; postquam enim ego te
Viventem habui: et mortua mea coniunx
Sola vocaberis et nulla pro te
Sponsa Thessala me compellabit virum suum.
Nulla est tam nobilis,
Nulla tam formosa.
Satis liberorum habeo, et Deum precor horum fruitionem
Mihi contingere; nam te non fruimur.
Geram luctum non unius anni,
Sed donec vita manet, o coniunx,
Odio habens matrem,

39a) aliquam] sic (= Eurip. τιν') Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. ea (fortasse pro: eo).

40) liberos nactum (i. e. ad liberos nanciscendos)] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἐν τόκοισι σοῖσι) in partu tuo.

41) marite] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. maritae.

42) Fient] sic (= Eurip. ἔσται) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Faciet.

Et patrem; qui nomine erant amici, non re.
Tu autem dans ea, quae habuisti charissima,
Pro mea vita, servasti me: itaque adest mihi gemere
Amittenti te talem coniugem.
Omittam convivia et convivarum sodalitia,
Et coronas, et cantilenas, quae antea occupaverunt meam domum;
Non amplius attingam barbitum,
Neque animum impellam canere ad Libycam
Tibiam; tu enim eripuisti mihi omnes oblectationes.
Solerti manu artificum corpus tuum
Sculptum, in lecto collocabitur:
Apud quod iacebo, idque complectens manibus,
Vocans tuum nomen, charam in complexu
Videbor habere coniugem, quamvis non habens.
Frigidam quidem opinor[43]) oblectationem, tamen onus
Animae exhauserim: in somnio
Occurrens oblectabis me. „Gratum est amicum
„Etiam noctu videre, quocunque venerit tempore.
Si mihi Orphei adesset lingua et musica,
Ut filiam Cereris aut eius maritum
Demulcens carmine, ab inferis reducerem coniugem:
Descenderem, nec me Plutonis canis,
Neque deductor animarum, Charon nauta
Retineret, priusquam te in vitam reducerem.
Verum illic me expecta, dum moriar,
Praepara domicilium tanquam mecum habitatura.
Faciam testamentum, ut in eodem feretro
Mea latera ponam iuxta
Tua; neque mortuus quidem unquam
Volo esse seiunctus a te, quae sola mihi fuisti fida.
Chor. Et ego hunc luctum tristem ut amicus cum amico
Una geram, ipsa enim est digna.
Alc. O liberi, vos audivistis haec
A patre, quod nunquam aliam ducturus sit
Coniugem, nec neglecturus me.
Adm. Et nunc affirmo eadem et faciam.
Alc. Hac conditione accipe liberos ex meis manibus.
Adm. Accipio: est mihi gratum munus ex amica manu.
Alc. Tu esto istis mater pro me.
Adm. Ingens necessitas orbatis te matre.
Alc. O liberi, morior nunc, cum maxime vita mihi est optanda.
Adm. Heu, quid agam te orbatus?
Alc. Tempus minuet luctum; mortuus nihil est.
Adm. Duc me tecum ad inferos.
Alc. Satis est me mori pro te.
Adm. O fatum, quali coniuge me privas!
Alc. Atque[44]) tenebricosi gravantur oculi.
Adm. Perii, si me deseres.
Alc. Frustra nominas me, quae iam sum mortua.
Adm. Erige faciem, ne relinquas tuos liberos.
Alc. Non volens desero; sed valete, liberi.
Adm. Intuere eos. *Alc*. Nihil amplius sum.
Adm. Quid agis? deseris nos. *Alc*. Vale.
Adm. Perii miser.
Chor. Vixit, non amplius est Admeti coniunx.

[*Strophe.*]

Eum. Heu fortunam[45]), mater mortua est.
Non amplius est, o
Pater, sub sole,
Deserens meam vitam.
Fecit me orphanum misera.
Vide iam, vide palpebras et
Resolutas manus.
Audi, audi, o
Mater, te obsecro:
Ego te, o mater, compello
Tuus pullus, ad os tuum cadens.
Adm. Vocas neque audientem neque videntem: itaque ego
Et vos gravi calamitate consternati sumus.

[*Antistrophe.*]

Eum. Ego iuvenis adhuc relinquor chara
Matre orbatus,
Tristia patiens

43) opinor] sic (= Eurip. οἶμαι) Editt. recent.; in Editt. 1558., 1562. deest.

44) Atque] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Atqui; Fix.: Iam vero (Eurip. καὶ μήν).

45) Heu fortunam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Ἰώ μοι τύχας) Hei mihi propter calamitatem.

Ego[46]).
Tu soror puella[47])
Eadem sustines. O pater
Infeliciter duxisti uxorem, * neque ad senectae
Finem pervenisti cum ista; prius enim est mortua.
Te moriente, o mater, domus periit.
Chor. „Admete, necesse est hanc calamitatem ferre[48]),
„Tu enim neque primus neque postremus[49]),
„Amittis bonam coniugem; cogita,
„Quod necesse est nobis omnibus mori.
Adm. Agnosco, nec subito hoc[50]) malum
Advolavit: cum scirem impendere, cruciabar.
Sed primum efferemus cadaver.
Adeste, una per vices canite
Hymnum inferorum implacabili Deo.
Omnibus Thessalis, quibus ego praesum,
Mando communem esse luctum[50a]),
Caesarie rasa et nigra veste;
Iungite currus et equorum
Secate ferro iubam collarem;
Non sit in urbe tibia, neque lyra,
Duodecim integris mensibus.
Non enim aliud charius cadaver sepeliam,
Quam hoc, neque quod sit plus de me meritum[51]): digna
Est, quae honore a me afficiatur, si quidem pro me est mortua.

[*Strophe* 1.]

Chor. O Peliae filia,
Vale, apud Plutonem
Tenebricosam domum colas.
Sciat Pluto nigricomus
Deus, et qui ad remum
Et ad gubernaculum senex
Nauta mortuorum sedet,
Se longe optimam mulierem
Transvexisse trans paludem Acherontiam
Cymba biremi.

[*Antistrophe* 1.]

Multum te poetae
Canent in montana habente[52]) septem fides
Lyra et praedicantes te in cantu,
In Sparta quando circulus Carnei
Circumit tempus mensis vernum, exoriente
Plena luna,
Et in divitibus et beatis Athenis.
Talem cantilenam reliquisti moriens
Vatibus[53]).

[*Strophe* 2.]

Utinam penes me esset,
Ut possem te emittere
Ad lucem ex inferna domo,
Et ex fluvio Cocyto,
Fluviatili et infernali remo.
Tu, o unica et chara mulier,
Sustinuisti maritum tuum redimere
Tua vita ex inferis: levis
Terra cadat supra te.
Si eligeret maritus aliud connubium,
Certe esset mihi
Invisus et tuis liberis.

[*Antistrophe* 2.]

Cum eius mater non voluerit
Pro filio mori
Nec pater senex[54]),
Qui ipsum genuit, nec voluerint liberare
Detestandi, habentes canam comam:
Tu iuvencula mortua es pro viro iuvene.
Tali contingat mihi potiri
Chara coniuge.

---

46) Tristia patiens Ego.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Tristia [Barn.: Tr. igitur; Musgr.: Tr. utique] passus Ego mala. (Eurip. Σχέτλια δὴ παθὼν Ἐγὼ ἔργα.). — Verba, quae in textu et interpret. Edit. Barn. haec subsequuntur uncis inclusa: [μακρὸν φίλης Ματέρος στερηθείς·] — [longum cara Matre orbatus:] in Editt. Basil. 1551., Musgr., Fix. desunt.

47) Tu soror puella] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Tuque mecum soror puella; Fix.: tuque soror mea puella (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. Σύ τ᾽ ἐμοί, σύγκασι κόρα, Fix.: σύ τε σύγκασί μοι κούρα).

48) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Ferendae communes calamitates.

49) postremus,] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. λοίσθιος βροτῶν) postremus mortalium.

50) hoc] Ed. 1558. errore typogr.: hac.

50a) luctum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) luctum huius mulieris.

51) quod sit plus de me meritum] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. quod plus de me sit meritum.

52) habente] sic Editt. Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. habentem.

53) Vatibus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Μελέων ἀοιδοῖς) Carminum cantoribus.

54) Versus, qui hunc in Ed. Barn. subsequitur uncis inclusus: [Θάνατον σφοῦ παιδὸς ἀπείργειν] — [Mortem a suo filio depellere], in textu Editt. Basil. 1551., Musgr., Fix. deest, in interpret. lat. autem Musgravius eum retinuit.

(Rara haec est felicitas in vita)
Certe viveret mecum per omnem vitam sine molestia.

[*Hercules, Chorus, Admetus, Pheres.*]

Herc. Populares colentes hunc vicum terrae Pheraeae,
Num Admetus domi est?
Chor. Est domi filius Pheretis, o Hercules.
Verum dicito, quae causa
Mittit te huc accedere ad hoc oppidum Pheras?
Herc. Nunc laborem suscipio Eurystheo.
Chor. Quo vadis, cui peregrinationi instructus es?
Herc. Vado post quadriiugum currum Diomedis Thracis[55].
Chor. Quomodo poteris? an es imperitus hospitis?
Herc. Sum imperitus; nunquam enim veni in Thraciam.
Chor. Non poteris fieri dominus currus sine pugna.
Herc. Non est mihi possibile recusare laborem.
Chor. Venies igitur, ut occidas, vel ut occidaris.
Herc. Talia certamina non primum nunc curro[56].
Chor. Quid lucri facies victo domino?
Herc. Equos adducam Tirynthio regi.
Chor. Non facile frenum iniicitur genis.
Herc. Nisi spirent ignem a naribus.
Chor. Quin homines lacerant rapidis genis.
Herc. Pabulum dicis ferarum bestiarum, non equorum.
Chor. Videbis praesepia sanguine conspersa.
Herc. Ipse rex, qui alit equos[57], cuius patris filium se iactat?
Chor. Martis, et ipse rex est Thraciae, aureum habens scutum.
Herc. Et hunc mihi laborem fatalem dicis.
Semper enim fatum mihi durum est, et ad summum periculi ducit.
Ergo oportuit me cum Martis liberis
Pugnare; primum enim cum Lycaone,
Deinde cum Cygno, et ad hunc tertium
Laborem venio, commissurus certamen cum equis et domino.
Sed nemo est, qui Herculem
Unquam visurus sit metuentem hostilem manum.
Chor. Atqui dominus huius terrae
Admetus egreditur.
Adm. Salve, fili Iovis, orte a Perseo.
Herc. Et tu salve, rex Thessalorum.
Adm. Optarim quidem[58]; scio te mihi esse benevolum.
Herc. Quid sibi vult funebris tonsura?
Adm. Sepulturus sum hodie quoddam cadaver.
Herc. Deus arceat malum a tuis liberis.
Adm. Liberi mei vivunt.
Herc. An pater senex mortuus est?
Adm. Vivit ille et mater.
Herc. An uxor mortua est?
Adm. Dupliciter possum respondere[59].
Herc. Utrum de mortua, an de viva dicis?
Adm. Est et non est, et dolore afficit me.
Herc. Nihilo plus scio; obscura enim dicis.
Adm. Non scis fatum, quod subire eam oportet?
Herc. Scio, eam assensisse pro te velle mori.
Adm. Quomodo igitur amplius est, si quidem hoc promisit?
Herc. Heu, ne prius eam lugeas, quam est mortua[60].
Adm. Moriturus iam est mortuus[61].
Herc. Aliquid interesse existimabam inter esse et non esse.
Adm. Tu sic sentis; ego aliter.

---

55) Vado post quadriiugum currum D. T.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Vado ad quadriiugum currum D. T.; Musgr., Fix.: Ad quadriiugum currum D. T. auferendum.

56) curro] sic Editt. 1558.; Barn., Musgr.: curram ego (= Eurip. *ἂν δράμοιμ᾽ ἐγώ*. Fix.: subibo ego); Ed. 1562. curo.

57) Ipse rex, qui alit equos] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: ipse vero, qui aluit *hos equos* (Eurip. *δ᾽ ὁ θρέψας*).

58) Optarim quidem] his in marg. Editt. 1558., 1562. adduntur verba: salvus esse.

59) Dupliciter p. r.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Dupliciter de ea p. r.; Fix.: Duplex de ea sermo est mihi quem dicam (= Eurip. *Διπλοῦς ἐπ᾽ αὐτῇ μῦθος* etc.).

60) ne prius eam lugeas, quam est mortua.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: ne ante *mortis tempus* uxorem luge, in hoc differ.

61) Moriturus iam est mortuus.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Obiit *illa*; qui *enim mox* est *moriturus*, et qui *iam* mortuus est, non amplius est.

Herc. Cur ergo ploras? quis amicorum mortuus est?
Adm. Mulier; mulieris iam meminimus.
Herc. An alienigena, an tibi cognata fuit?
Adm. Alienigena, sed fuit mihi coniuncta.
Herc. Quomodo ergo in tua domo mortua est?
Adm. Hic educata est ut pupilla, patre mortuo.
Herc. Utinam[62]) invenissem te non dolentem!
Adm. Quid facturus, cur hoc dicis?
Herc. Ibo ad aliud hospitium.
Adm. Non licet, non veniat tantum malum.
Herc. Si hospes ad lugentes venit, molestus est illis.
Adm. Mortui sint mortui; tu veni in domum.
Herc. Turpe est apud lugentes epulari hospites.
Adm. Hospitale seorsim est, in quod te introducemus.
Herc. Dimitte me, habeo tibi magnam gratiam.
Adm. Non licebit tibi venire ad domum alterius.
Praecede tu, et quod foris est
Hospitale aperi, et oeconomo dicito,
Ut curet adesse cibi copiam; intus vero claudite
Interiores fores, non convenit epulantes
Audire nostros luctus, neque hospites dolore affici.
Chor. Quid agis? proposita tanta calamitate,
Audes excipere hospites? num insanis?
Adm. Sed si abegissem ab urbe et aedibus
Venientem hospitem, num magis me laudares?
Non certe; nihilo enim mea calamitas
Minor fieret, et ego essem inhospitalior,
Et praeter domesticum malum, aliud esset malum,
Mea domus vocaretur inhospitalis.
Et iste meus hospes longe est optimus,
Quum venio ad sitibundum Argos,
Chor. Quomodo igitur dissimulabas praesentem calamitatem,
Tali viro veniente, sicut tu dicis?
Adm. Nunquam voluisset intrare meam domum,
Si scivisset mea mala.
Atque haec faciens, tibi non videor sanus,
Neque laudabis me[63]); ipse scit, meam
Domum non excludere hospites.

[*Strophe* 1.]

Chor. O hospitalis et semper liberalis
Viri domus!
Te Pythius
Musicus Apollo
Dignatus est inhabitare,
Et sustinuit pastor in tua
Domo fieri
Per obliquas valles,
Canens tuis armentis
Pastorales hymenaeos.

[*Antistrophe* 1.]

Et simul pascebantur oblectatione carminu[m]
Maculosae lynces.
Ivit linquens Othryum
Saltum, leonum
Fulva cohors.
Saltavit circa tuam citharam,
O Phoebe, maculosus
Hinnulus ultra altas
Abietes transiens levi pede,
Gaudens laeto carmine.

[*Strophe* 2.]

Tu enim copiosissimam
Domum inhabitas[64]) circa pulchrifluam
Boebiam paludem, agrorum iugera,
Et solum in camporum finibus,
Circa solis nebulosam[65])
Stationem, quae ultra
Molossorum terram ponitur
Ad littus maris Aegei
Importuosi Pelii, tenes[66]).

[*Antistrophe* 2.]

Et nunc aperiens domum,
Accipit hospitem, humidis palpebris

---

62) Utinam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. φεῦ. εἴθ') Heu! Utinam.

63) Atque haec faciens, tibi non videor sanus, [Ne-] dabis me:] sic Editt. 1558., 1562. quasi leg[isset inter]pres σοὶ pro τῷ (huic) et αἰνέσεις loco αἰνέσει [...] Editt. recent. (= text. gr.) Atque huic [Herc...] opinor, haec faciens sapere non videor. Ne[c lauda]bit me.

64) inhabitas] sic Editt. 1558., 1562. (= Eur[ip. Ba]sil. 1551., Barn., Musgr. οἰκεῖς; Barn., Musgr. [...] Ed. Fix. οἰκεῖ — habitat.

65) nebulosam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. re[centt. ...] duam (Eurip. κνεφαίαν).

66) tenes] sic Editt. 1558., 1562. quasi legiss[et ...] propter praeced. οἰκεῖς (conf. nota 64.); [...] (= Eurip. κρατύνει) tenet imperio [Barn. ...]

Plorans charae coniugis cadaver,
Quae recens est mortua.
„Generosa natura effertur ad pudorem[67]).
„In bonis omnia insunt sapienter.
Et in mea anima fiducia sedet,
Pium virum pie acturum esse.
Adm. O benevole coetus virorum Pheraeorum,
Mei ministri cadaver omnino ornatum
Gerant sublime ad sepulturam et rogum:
Vos mortuam, ut fas est,
Salutate egredientem postremam viam.
Chor. Atqui video tuum patrem senili pede
Euntem, et comites in manibus tuae coniugi
Ferentes ornatum mortuorum.
Pher. O fili, venio dolens tuam vicem.
Bonam enim et pudicam (nemo contradicet)
Coniugem amisisti; verum haec
Ferre necesse est, quamquam sint tristia.
Accipe hunc ornatum, et sub terram
Eat; convenit huius corpus honore afficere,
Quae mortua est pro tua vita,
Et fecit, ne orbarer liberis, neque permisit
Me privatum te contabescere lugubri senecta.
Omnibus fecit laudatissimam vitam
Mulieribus, ausa hoc generosum facinus.
O quae servasti meum filium, et rursus erexisti
Nos cadentes, vale, et apud inferos
Bene sit tibi, dico tales nuptias
„Non dignas esse quae solvantur, aut non erant contrahendae.
Adm. Non venisti vocatus a meis ad hoc funus,
Neque tua praesentia mihi grata est,
Et tuum ornatum haec nunquam induet.
Non enim tuarum rerum indigens sepelietur,
Tunc te dolere oportuit, quando ego perii.
Tu vero stans eminus, relinquens[68]) alium mori
Iuniorem, cum tu sis senex, postea lamentaris hunc mortuum.
Non fuisti vere mei corporis pater,
Neque illa, quae dicitur me peperisse et vocatur
Mater, me peperit: a servili sanguine
Suppositus sum clanculum uberibus tuae coniugis.
Ostendisti manifeste re ipsa, qui sis,
Neque existimo me esse filium tuum.
Adeone omnes excellis timiditate,
Quod tam grandis natu, qui iam ad metam vitae venisti,
Non voluisti neque ausus es mori
Pro tuo filio; sed hanc sivistis
Mulierem alienigenam, quam et matrem
Et patrem meum iuste solam existimo esse?
Atqui decertasses egregium certamen,
Si mortuus esses pro tuo filio; breve est
Reliquum tempus, quod tibi ad vivendum conceditur.
Et ego vixissem et illa mecum,
Nec orbatus gemerem mea mala.
Atqui omnia, quae viro beato contingere possunt,
Accepisti, iuvenis floruisti regnans,
Et ego eram tibi filius haeres huius regni.
Itaque moriens non sine liberis aliis hanc domum
Relicturus eras orbam diripiendam;
Non poteris dicere, propterea, quod contumelia affecerim
Tuam senectam, mori te recusasse: cum reverens
Tui maxime fuerim, et pro his gratiam
Talem et tu et mater mihi rependitis.
Non amplius gignes liberos,
Qui te senem alant, et morientem
Efferant, et sepeliant cadaver.
Non enim ego te mea manu sepeliam.
Mortuus sum, quantum in te est; si nactus sum alium
Servatorem, et vivo: huius me dico esse
Et filium et charum alumnum.
„Frustra igitur senes optant mori,
„Vituperantes senectam et longam vitam.
„Quando enim prope accedit mors, tum nemo vult
„Mori, tum illis senectus non est oneri.
Chor. Desinite, satis est praesens calamitas.
O fili, ne irrites animum patris.
Pher. O fili, quae iactas? utrum Lydum aut Phrygem
Servum aliquem implicari tuis malis?
Num scis[69]) me esse Thessalum, et a Thessalo

67) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Verecundia.
68) relinquens] sic (= Eurip. παρεὶς) Editt. 1562., Bam., Musgr.; Ed. 1558. relinquis.

69) Num scis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: An nescis (Eurip. Οὐκ οἶσθα).

Patre natum, natura esse liberum?
Nimis me contumeliose tractas, et iuveniles sermones
Iacis in nos, non ita me vincens abibis[70]).
Ego te haeredem domus genui,
Et educavi, ut debui, non ut pro te morerer;
Non enim hanc patriam legem accepi,
Ut parentes morerentur pro liberis, neque id consuetum.
„Tibi enim, sive sis infortunatus, sive fortunatus,
„Natus es; et quae ego debebam tibi, illa habes.
Imperas multis, et multos agros
Relinquo tibi; nam et haec ego accepi a patre meo.
Qua re te iniuria affeci, qua re ego te privo?
Ne moriaris pro me, neque ego pro te.
„Gaudes videns lumen, et putas patrem non delectari vita?
„Certe existimo longum post mortem fore
„Tempus; brevis autem est vita et tamen dulcis.
Impudenter autem contendis, ne morereris[71]),
Et vivis, nunc evadens fatalem diem,
Hanc occidens. Deinde vero meam timiditatem
Accusas, o timidissime, a muliere victe,
Quae pro te pulchro adolescentulo mortua est.
Astute hoc excogitasti, ut nunquam moriaris,
Cum persuaseris mori praesentem
Mulierem pro te; deinde vero cum amicis expostulas,
Qui hoc noluerunt facere, cum tu ipse non feceris.
„Tace, et sic cogita, si quidem tu tuam amas
„Vitam, et reliquos suam amare; si nobis
Maledixeris, audies plura et non falsa.
Chor. Nunc nimis plura dicta sunt et ante mala:
Desine, senex, filio tuo male loqui.
Adm. Dic, sicut ego dixi, si doles, audiens
Verum; non oportuit te iniustum esse adversus me.
Pher. Magis peccassem, si fuissem mortuus pro te.
Adm. Idem scilicet est iuvenem mori et senem?

70) non ita me vincens abibis] hic in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta sunt haec: Habeo quod respondeam.

71) morereris] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. errore typogr.: moreris.

Pher. Debemus una anima vivere, non duabus.
Adm. Atqui Iove magis longaevum vivis[72]) tempus.
Pher. Maledicis parentibus nulla iniuria affectus.
Adm. Sentio te amare longam vitam.
Pher. Num quid tu hoc cadaver pro te effers?
Adm. Haec sunt signa tuae timiditatis.
Pher. Mea causa non periit, non dices hoc.
Adm. Heu, utinam experiaris aliquando hunc virum.
Pher. Duc multas, ut plures pro te moriantur.
Adm. Tuum est dedecus; tu enim non voluisti mori.
Pher. Lumen solis et mihi charum est.
Adm. Ignava mens est, neque inter viros commemoranda.
Pher. Non ridebis[73]) me[73a]) efferens.
Adm. Morieris tandem inglorius.
Pher. Male audire mortuus non curo.
Adm. Heu[74]), quam impudens est senectus!
Pher. Alcestis non fuit impudens, sed stulta.
Adm. Abi tu, et sine me sepelire meum cadaver.
Pher. Abeo, sepelias illam, quam occidisti.
Et insuper poenam dabis tuis affinibus:
Vel Acastus non amplius erit inter vivos,
Vel poenam de te sumet pro sanguine sororis.
Adm. Pereas ipse, et tua coniunx
Orbi, vivo filio, sicut digni estis.
Senescite, nunquam redite in meam domum.
Quod si[75]) oportet me renuntiare per praeconem
Patriae domui, renuntiavero.
Sed praesens malum est ferendum.
Eamus, ut ponamus in rogum cadaver.
Chor. O misera, quae generosa ausa es
Et praestantissima,
Vale, benevolus et subterraneus Mercurius
Et Pluto excipiant, si ibi

72) vivis] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (= Eurip. ἂν ζώοις) vivas; Fix: ἂν ζῴης — vixeris.

73) Non ridebis] sic scripsi; Barn., Musgr.: Nonne rideres (Eurip. Οὐκ ἐγγελᾷς); Editt. 1558., 1562. Non videbis.

73a) me] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) vetulum cadaver.

74) Heu] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Φεῦ, φεῦ·) Heu, heu!

75) Quod si] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (= Eurip. Νεῖσθ᾽· εἰ δ᾽) Abite. Si enim [Musgr.: vero].

Melius habent boni, horum particeps
Cures eam Proserpina [76]).

[*Servus, Hercules, Admetus, Chorus.*]

Serv. Scio multos et ex variis locis
Huc venientes hospites,
Quibus adposui cibos; verum nondum hoc hospite
Deteriorem excepi [77]).
Qui primum quidem vidit lugentem herum,
Tamen ingressus est, et ianuam permutavit [78]).
Deinde non frugaliter accepit
Proposita munera, cognita calamitate domus:
Si quid non afferimus, compellit adferre.
Accipiens hederaceum poculum in manus,
Bibit merum vinum nigrae terrae,
Donec inflammavit ipsum ascendens flamma
Vini [79]); et coronat caput myrti frondibus;
Clamat incondita: erat audire diversos sonos.
Iste cantabat, mala Admeti
Nihil curans; nos servi plorabamus
Heram, oculum non ostendimus hospiti
Madefacientes; sic enim mandaverat Admetus.
Et nunc ego in domo pasco
Mirificum hospitem, furem et praedonem.
Domina iam abiit [80]), nec secutus sum,
Neque extendi manum, lugens meam
Dominam, quae mihi et omnibus servis
Mater erat; liberavit enim nos ex innumeris malis,
Molliens viri iram. Itaque hunc hospitem
Iuste odi, qui incommodo tempore advenit.
Herc. Heus tu? quid ita tueris torvum et subtriste?
„Non oportet tristem ministrum hospitibus
„Adesse., verum excipere eos decet comiter.
Tu vero amicum virum heri tui praesentem
Tristi vultu et adductis superciliis
Excipis, externum curans malum.
Huc accede, tradam praecepta, ut fias sapientior.
Scis, quam naturam res mortalium habeant?
„Puto autem te adhuc nescire; unde enim didicisses? itaque ex me audi.
„Omnes homines debent mori,
„Et nemo mortalium est, qui sciat,
„An sit victurus crastinam diem futuram.
„Cursus fortunae incertus, quo evadat,
„Neque disci potest, neque arte ulla deprehenditur.
„Haec audiens disce a me.
„Exhilara te ipsum, bibe, quotidianam
„Vitam tuam ducas esse; reliqua fortunae sunt.
„Cole plurimum suavissimam Deam
„Venerem; comis enim est Dea.
„Reliqua omitte, et obtempera
„Mihi, si quidem videor tibi recte praecipere:
Id quod certo puto. Itaque magnam moestitiam relinque,
Et bibe nobiscum, et superans hunc praesentem casum,
Coronis sis ornatus; et certo scio, quod pro illa
Tristitia et contracta mente
Ducet in portum te strepitus poculi incidens.
„Cum simus mortales, decet nos mortalia sapere;
„Tristibus enim et austeris
„Omnibus est, (si me utantur iudice)
„Vita non revera vita, sed calamitas.
Ser. Scimus haec; nunc autem se res habet,
Quae non digna est laetitia convivali.
Herc. Mulier mortua est alienigena: ne igitur nimium
Lugeas; domini huius domus vivunt.
Ser. Quid vivunt? nondum scis huius domus mala.
Herc. Nisi tuus dominus fefellit me.
Ser. Nimium est ille amans hospitum [81]).
Herc. Nequaquam. Sed de peregrina tantum muliere mortua bene habet.
Ser. Nimium illa fuit cognata.
Herc. An igitur calamitatem domesticam ille non dixit mihi?
Ser. Tu vale, nobis sint curae mala dominorum.
Herc. Iste incipit sermones non alieni mali.

76) Cures eam Proserpina] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Plutonis coniugi assideas (= Eurip. *Ἅιδου νύμφῃ* [Ed. Basil. 1551. *νύμφα*, Fix. *νύμφῃ*] *προσεδρεύοις*).

77) excepi] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: in hanc domum recepi (= Eurip. *ἐς τήνδ' ἑστίαν ἐδεξάμην*).

78) ianuam permutavit] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: ausus est transire fores.

79) Vini] sic (= Eurip. *Οἴνου*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Viri.

80) Domina iam abiit] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Ἡ δ' ἐκ δόμων βέβηκεν*) Haec vero *domina* ex aedibus abiit.

81) Nimium est ille a. h.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Ἄγαν γ' ἐκεῖνος ἔστ' ἄγαν φ.*) Nimium ille, nimium est a. h.

Ser. Alioqui non tristarer videns te convivantem.
Herc. Profecto male acceptus sum.
Ser. Non venisti tempestivus hospes;
Nos enim sumus in luctu; vides rasuram
Et nigras vestes? *Herc.* Quis ergo est mortuus?
An aliquis liberorum aut senex pater mortuus est?
Ser. Uxor Admeti periit.
Herc. Quid ais? tamen me hospitio excepistis?
Ser. Verebatur te repellere ab hac domo.
Herc. O miser, qualem amisisti coniugem!
Ser. Perimus [82]) omnes, non illa tantum.
Herc. Sensi; vidi enim oculos lachrymantes,
Et rasuram et faciem; sed persuasit
Dicens se peregrinum funus curare.
Et ingressus sum in has aedes, coactus mea cupiditate,
Et bibi in domo viri hospitalis,
Cuius res in tam malo statu sunt, et convivatus sum
Coronato capite. Sed tua culpa est, quod non dixisti,
Proposito tanto malo nostrae [82a]) domui.
Ubi eam sepeliit, ubi inveniam eum vadens?
Ser. Recta via, quae ducit Larissam,
Videbis tumulum politum in suburbio.
Herc. O cor, quod multa sustinuit, et o mea anima,
Nunc ostende, qualem te filium [83])
Alcmena, Electryonis filia, Iovi genuerit.
Oportet me nunc servare recens mortuam
Mulierem et restituere in hanc domum,
Et Admeto [84]) gratiam reddere.
Vadens itaque regnantem apud inferos, nigras gerentem vestes [85]),
Mortem observabo, et spero me inventurum ipsam [86]),
Bibentem apud tumulum de primitiis.
Et si insidians illi, ex mea sede properans,
Eam [87]) deprehendero, undique complectar meis manibus.
Nemo eam [87]) mihi eripiet
Certantem lateribus, priusquam mulierem dimiserit.
Si vero hac venatione frustratus fuero, et non venerit
Ad cruentam molam, descendam infra
In obscuram domum Proserpinae et Plutonis,
Et postulabo, et confido me reducturum esse sursum
Alcestem, ut tradam eam manibus mei hospitis,
Qui me excepit hospitio, et non [89]) abegit,
Quamquam gravi calamitate percussus;
Sed occultavit suum luctum excelso animo, venerans me.
Nemo ex omnibus Thessalis magis est isto hospitalis,
Nemo etiam ex universa Graecia: certe non dicet se ignavo
Benefecisse, cum ipse sit animo excelso.
Adm. Heu [90]) odiosi processus, et tristis conspectus
Viduae domus, hei mihi [91])!
Quo vado, ubi sto, quid dico, quid vero non?
Quomodo queam [92]) perire? mater peperit me infelicem,
Magnifacio mortuos, illos amo,
Illam domum habitare expeto;
Non enim possum gaudere hanc lucem intuens,
Neque collocans pedem vadens in terra.
Quando tali me obside privaret
Mors, quum inferis tradidit [93]).

---

82) Perimus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Perlimus (Eurip. Ἀπωλόμεσθα).

82a) nostrae] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: *vestrae*; in textu gr. neutra vox legitur.

83) q. te filium] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: q. te filium Tirynthia (= Eurip. οἷον παῖδά σ' ἡ Τιρυνθία).

84) Et Admeto] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Ἄλκηστιν, Ἀδμήτῳ δ') Alcestin, Admetoque.

85) nigras gerentem vestes] sic scripsi (= Eurip. τὸν μελάμπεπλον; Barn., Fix.: atris indutum peplis); Editt. 1558., 1562. male: nigras gererem vestes.

86) Mortem .... ipsam] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Mortem .... ipsum; Editt. recent.: Orcum .... ipsum (Θάνατος enim h. l. Deum mortuorum significat, conf. supra p. 537. nota 2. et p. 539. nota 10.).

87) Eam (scil. Mortem)] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Eum (scil. Orcum), vide notam praeced.

88) infra] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. intra; Barn., Musgr. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) τὴν κάτω — ad inferos.

89) et non] sic Ed. 1558. (= Eurip. οὐδ', Editt. recent.: nec); Ed. 1562. non.

90) Heu] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. Io, io! Fix.: Heu, heu! (Eurip. Ἰώ, ἰώ.).

91) hei mihi!] sic Editt. 1558., 1562. (Eurip. Ed. Basil. 1551. ἰώ μοι μοι· αἶ αἶ.); Barn., Musgr. ἰώ μοι· αἶ, αἶ. — hei mihi, heu mihi! ae, ae! Fix.: Ἰώ μοί μοι, ἒ ἔ. — Hei mihi mihi, ah ah!

92) queam] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. quam.

93) Quando tali — tradidit.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Talem obsidem mihi ereptum [Fix.: eripiens] Plutoni Mors tradidit.

[*Strophe* 1.]

Chor. Procede, abi in penetralia,
Pateris digna eiulatione.
Es in dolore, bene scio;
Nihil tamen iuvas mortuam.
Non amplius intueri charam coniugem
Et eius vultum, triste est[94]).
Adm. Meministi istius, quod sauciavit meum animum:
„Quod homini maius malum accidere potest, quam amittere
„Charam coniugem? nunquam debui ducens uxorem
Cum hac habitare domum.
„Magnifacio caelibes[95]).
Pro una anima dolere, est adhuc mediocre onus:
Liberorum dolores, et coniugale
Cubile scissum ista morte,
Hoc est miserandum videre, cum licuisset sine liberis
Et sine coniuge semper vivere.

[*Antistrophe* 1.]

Chor. Venit fortuna ineluctabilis.
Nullum finem facis dolorum?
Tristia quidem fers: tamen
Sustineas, non tu primus amisisti
Coniugem: „alios alia calamitas
„Premit, apparens inter homines[96]).
Adm. O longi luctus et o dolores propter amicos,
Qui sunt sub terra! Quare me prohibes
Abiicere in sepulchrum,
Et iacere mortuum cum illa optima?
Duas animas pro una mors
Coniunxisset simul fidelissimas
Transgredientes paludem infernam.

[*Strophe* 2.]

Chor. Mihi erat cognatus, cuius filius lamentabilis
Periit in domo unicus: tamen
Ferebat suum malum, cum esset orbus
In ultima senecta, iam existens praeceps
Et provectae aetatis.
Adm. Qualis est status meae domus? quomodo ingrediar?
Quomodo habitabo mutata
Fortuna? heu, magnum est discrimen.
Tunc enim cum taedis ex monte Pelio
Et cum cantu intro ibam,
Charae coniugis manum tenens;
Sequebatur sonans sodalitium,
Illam, quae iam est mortua, et me beatos esse praedicans,
Quod nobiles, et utrinque
Ex[96a]) nobilissimo genere coniuges essemus:
Nunc autem lamentatio hymenaeo contraria,
Et vestitus contrarius candidis vestimentis,
Mittunt me intus
In thalamum desertum.

[*Antistrophe* 2.]

Chor. Hic dolor tibi antea beato
Accidit, et malorum inexperto.
Verum servasti
Vitam tuam et animam.
Mortua est coniunx,
Et reliquit tuam consuetudinem.
Quid novi hoc est? multis
Interfecit
Mors coniuges.
Adm. O amici, coniugis fortunam beatiorem
Mea esse duco: quamquam non videatur, tamen sic est.

---

94) *Chor.* Procede — triste est.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) habent hosce versus (in Editt. Musgr. et Fix. in 10 s. 11 versus seiunctos):
Chor. Procede, procede. Abi in latebras aedium. *Adm.* Ae, ae. [Fix.: Hei, hei!]
Chor. Passus es digna lamentis. *Adm.* Heu, heu! [Fix.: Ah ah!]
Chor. Es in dolore, bene scio. *Adm.* Heu, heu!
Chor. Nihil tamen iuvas mortuam. *Adm.* Hei mihi, mihi!
Chor. Non amplius intueri carae coniugis
Vultum coram, triste est.
(In Eurip. Ed. Basil. 1551. eaedem exclamationes iisdem locis leguntur, *Admeti* nomine omisso.).

95) Magnifacio caelibes.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Felices duco caelibes et sine liberis [Fix.: et liberis exsortes] mortales.

96) *Chor.* Venit fortuna — inter homines.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) hosce exhibent versus (in Editt. Musgr. et Fix. in 10 s. 11 versus disiunctos):
Chor. Fatum, fatum ineluctabile venit. *Adm.* Heu, heu!
Chor. Nullum vero finem facis dolorum. *Adm.* Heu, heu! [Fix.: Ah ah!]
Chor. Tristia [Fix.: Gravia] quidem sunt haec latn [Fix.: toleratu]; sed tamen — *Adm.* Heu, heu!
Chor. Perfer; non enim tu primus amisisti — *Adm.* Hei mihi, mihi!
Chor. Coniugem: „Alios enim alia calamitas
Premit apparens [Fix.: accidens] mortales.
(Eurip. Ed. Basil. 1551. easdem habet exclamationes, *Admeti* nomine omisso.).

96a) Ex] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Et.

Hanc nullus dolor attinget posthac,
Et cum magna gloria liberata est a multis doloribus.
Ego, cui fatale erat mori, omittens fatum,
Nunc primum discens, tristem degam vitam.
Quomodo sustinebo ingressum huius domus?
Quem compellabo, et a quo compellabor,
Ut habiturus sim iucundum ingressum? quo me vertam?
Solitudo, quae intus est, eiiciet[97]) me,
Cum videro vacuum cubile,
Et sedem, in qua sederat, et in habitaculo
Squalidum solum, et liberos genubus
Adhaerentes, ac plorantes matrem; alii dominam
Gement, qualem amiserint ex domo.
Ita res domi habet; foris autem me
Nuptialia convivia Thessalorum agitabunt, et coetus
Frequentes mulierum; non enim sustinebo,
Videns aequales meae coniugis.
Quisquis mihi inimicus occurret[98]), dicet haec:
Vide istum turpiter viventem, qui non sustinuit mori,
Sed suam coniugem pro se abiiciens prae ignavia,
Effugit mortem; deinde tamen vir esse videtur.
Et odit parentes, cum ipse non velit
Mori. Talem famam praeter reliqua mala
Habebo; quid boni mihi adferet vita
Infami et infelici?

[*Strophe* 1.]

Chor. Ego, etsi propter Musas
„Sublimis exilii[99]), et
„Attigi doctrinae plurimum,
„Nihil tamen potentius fato[100])
„Inveni; neque pharmacum contra id
„In Thraciis tabulis, quas[1])
„Scripsit Orpheus;
„Neque quae Phoebus
„Aesculapii posteris dedit
„Pharmaca miseris
„Tradens hominibus.

[*Antistrophe* 1.]

„Ad huius solius aram
„Non acceditur, neque statua Deae
„Est, non exaudit victimas.
Ne mihi, o veneranda, maior
Venias, quam prius in vita.
Nam quod decreverit Iupiter
Tecum, hoc perfecit.
Et quod apud Chalybes
Ferrum nascitur, domas sine violentia[2]).
„Nulla durissimae
„Necessitatis est verecundia.

[*Strophe* 2.]

Et te, Admete, inevitabilibus
Vinculis cepit Dea.
Etiamsi ausis, non tamen reduces * ex inferis
In vitam mortuos plorando.
Et Deorum obscuri[3]) pereunt
Liberi morte.
Erat tum nobis chara, quando nobiscum erat,
Etiam adhuc mortua nobis chara est.
Generosissimam omnium
Duxisti coniugem domum.

[*Antistrophe* 2.]

Non autem, ut aliorum mortuorum
Tumulus, existimetur
Sepulchrum tuae coniugis;
Verum sicut Dea
Colatur, numen viatorum;
Et aliquis obliquam viam
Vadens, hoc dicet:
Haec est mortua pro viro,
Nunc autem est Dea beata.
Salve, o veneranda, et bona des.
Tales sermones affabuntur[4]) eam.

---

97) eiiciet] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. eiicit; Barn., Musgr. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) ἐξολεῖ — perdet; Fix.: ἐξελᾷ — expellet.

98) occurret] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. errore typogr.: occuret.

99) exilii] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: cucurri; Musgr.: ivi; Fix.: evectus sum (Eurip. ἦξα).

100) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vis fati.

1) quas] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. male: quin (Eurip. τὰς).

2) domas sine violentia.] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. δαμάζεις οὐ βίᾳ); Barn. δαμάζει σου βία — domat tua vis; Musgr., Fix.: δαμάζεις σὺ βίᾳ — domas tu vi.

3) obscuri] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: nothi (Eurip. σκότιοι).

4) affabuntur] sic Ed. 1558. (= Eurip. προςεροῦσι, Editt. recent.: salutabunt); Ed. 1562. effabuntur.

[*Chorus, Hercules, Admetus.*]

Chor.[5]) Atqui, ut videtur, Alcmenae filius
Accedit[5a]) ad tuam domum.
Herc. „Ad amicum libere dicendum est,
„Et non retinendae reprehensiones[6]) in pectore
„Tacite: ego in tuis malis
Huc accedens volebam explorari amicus.
Tu autem non dixisti propositum cadaver
Tuae coniugis, sed me excepisti hospitio,
Tanquam curam habens alieni mali.
Et ego coronavi caput, et libavi Diis
Libationes in domo tristi tali tempore.
Expostulo, postquam hoc mihi accidit.
Non tamen te volo contristari in malis.
Cuius rei causa venio huc, reversus denuo
Dicam. Hanc mulierem serves mihi,
Donec adducens Thracios equos
Huc rediero, interfecto tyranno Thracum[7]).
Si autem sic mecum[8]) agetur, ut nolim (cogito enim redire):
Do hanc ancillam tuae familiae.
Venit in meas manus cum magno certamine.
Invenio aliquos publicum certamen
Ponentes athletis, dignum labore:
Unde abduco hoc praemium victoriae.
Vincentibus[9]) in leviori certamine
Equi erant praemia; qui autem in maiori certamine
Vincebant, in pugillatu aut lucta, armenta.
Supra haec mulier sequebatur, nacto eam
Turpe erat dimittere, mihi hoc gloriosum lucrum est.
Verum ut dixi, tibi oportet curae esse hanc mulierem.
Habeas eam: non furtivam, sed honesto labore partam
Adduco; cum tempore laudabis me pro isto munere.

Adm. Non ut te contumelia afficerem, neque quod te indignum existimarem,
Meas miserias tibi non communicavi;
Sed fuisset mihi dolor additus dolori.
Si ivisses ad alium hospitem.
Satis mihi fuit hoc meum deplorare[10]) malum.
Mulierem si quam habes, peto,
Ut alteri, qui non est passus, qualia ego,
Tradas servandam; multi sunt tibi
Inter Pheraeos hospites: ne redigas mihi in memoriam mea mala.
Non possem, videns hanc in domo,
Sine lachrymis esse; ne dolenti mihi dolorem
Addas, satis gravatus sum mea calamitate.
In qua parte aedium educabitur iuvencula?
(Similis enim iuvenculae est, ut veste ornata est)
An erit in virorum habitatione?
Et quomodo pura, versans inter iuvenes,
Erit? non est facile iuvenes
Arcere; ego vero tibi consultum velim;
An alam eam, abdens in thalamum mortuae?
Et quomodo inferam in lectum illius?
Duplicem metuo reprehensionem: a civibus
Ne me aliquis reprehendat, ut qui meam servatricem
Prodam iacens in toro alterius iuvenculae;
Et huius mortuae (digna enim est, quae colatur)
Oportet me habere rationem. Tu autem, o mulier,
Quaecunque tandem es, similem habere te Alcestidi
Formae modum scito, et es similis corpore.
Heu aufer per Deos a meis oculis
Istam mulierem, ne me occidas perditum.
Videor enim ipsam intuens coniugem intueri
Meam; turbatur meum cor, et ex oculis
Lachrymae erumpunt; o me miserum,
Quam acerbum luctum gusto hunc!
Chor. Ego non possum laudare tuam fortunam.
„Oportet autem unumquemlibet sustinere, quod Deus dat.
Herc. Utinam tantam vim haberem a Deo,
Ut ad vitam reducerem ex inferis

---

5) *Chor.*] haec vox in solis Editt. Barn. et Musgr. h. l. iterum praefixa est; in Editt. 1558., 1562. et Fix. deest, quoniam praecedentes etiam versus *Chori* sunt.

5a) Accedit] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Admete, . . accedit [Barn., Musgr.: venit].

6) reprehensiones] huic voci in Editt. 1558., 1562. adscripta est nota marg.: „Legit μομφὰς. alii μοιρὰς formulas dicendi." (Barn., Musgr., Fix. habent eandem illam lectionem μομφὰς — reprehensiones).

7) Thracum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Βιστόνων*) Bistonum.

8) mecum] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. meum.

9) Vincentibus] sic Editt. 1562., Fix. (= Eurip. *τοῖς νικῶσιν*; Barn., Musgr.: qui vincebant); Ed. 1558. male: Viventibus.

10) deplorare] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. plorare.

Tuam coniugem, et tibi hoc praestarem officium.
Adm. Satis scio tuam voluntatem; sed ubi hoc fieri potest?
„Impossibile est mortuos redire in vitam.
Herc. Ne itaque tu transgrediaris modum, sed feras moderate.
Adm. „Facilius est consolari, quam miseriam sustinere.
Herc. Quid igitur proficis, si semper plores?
Adm. Ipse scio; tamen amor me impellit.
Herc. Amare mortuum, adfert lachrymas.
Adm. Perdidit me magis, quam dicere possum.
Herc. Amisisti bonam coniugem: quis contradicet?
Adm. Itaque ego non amplius delector hac vita.
Herc. Tempus molliet; nunc tuum malum recens est.
Adm. Tempus dicis, si tempus est mori.
Herc. Mulier abducet te a luctu, et desiderium novarum nuptiarum.
Adm. Tace; quid dixisti? nunquam hoc putassem.
Herc. Quid? non duces uxorem, sed manebis viduus?
Adm. Nunquam fiet, ut aliqua mecum habitet.
Herc. Num speras te prodesse mortuae?
Adm. Illam decet honore affici, ubicunque est.
Herc. Laudo; sed stultitiae obnoxius es.
Adm. Nunquam sane sponsus vocabor.
Herc. Laudo, quia coniugi fidus es.
Adm. Moriar, si illam prodidero, quamquam iam sit mortua.
Herc. Recipias nunc in domum istam generosam.
Adm. Ne iubeas; oro te per Iovem, patrem tuum.
Herc. Atqui peccabis, non faciens hoc.
Adm. Faciens autem, mordebor dolore.
Herc. Obtempera, fortasse opportuna erit gratia.
Adm. Heu utinam ex certamine eam non nactus esses!
Herc. Cum ego vinco, tu una mecum vincis.
Adm. Recte dixisti; sed mulier abeat.
Herc. Abeat, si oportet; sed primum vide, an sit utile.
Adm. Oportet, nisi tu voles mihi irasci.
Herc. Sciens quiddam ego, tantopere urgeo.
Adm. Vincas igitur, quamquam non grata mihi facis.
Herc. Erit tempus, cum laudabis nos, obtempera solum.
Adm. Introducite eam, si quidem necesse est eam recipi.
Herc. Non committam mulierem ministris.
Adm. Tu igitur ipsam introducito, si placet, in domum.
Herc. In tuam manum ego tradam.
Adm. Non attingam eam, licet intrare domum
Herc. Commendo eam tantum tuae dextrae.
Adm. Cogis me non volentem haec facere.
Herc. Ausis extendere manum et attingere hospitem.
Adm. Atqui extendo eam tanquam ad abscissum caput Gorgonis.
Herc. Habes? *Adm.* Etiam habeo. *Herc.* Serva eam; et Iovis
Filium dices esse egregium hospitem.
Intuere eam, num quid videatur esse similis
Tuae coniugi, et tu beatus iam muteris ex illo luctu.
Adm. O Dii, quid dicam? miraculum est insperatum.
Coniugemne meam revera video?
Aut conturbat me delusorium gaudium?
Herc. Non est; sed intueris tuam coniugem.
Adm. Vide, ne sit spectrum.
Herc. Non praestigiatorem habes me hospitem.
Adm. Sed video coniugem, quam sepeliebam?
Herc. Certe; non miror autem te fortunae tuae non credere.
Adm. Attingo et alloquor ut viventem?
Herc. Alloquere; habes enim, quod voluisti.
Adm. O charissima coniugis facies et corpus,
Habeo te praeter spem; nunquam existimavi me te visurum esse.
Herc. Habes; Deus autem ne quis invideat.
Adm. O generose fili Iovis,
Beatus sis, et pater tuus
Te servet; tu enim amicus meá restituisti.
Quomodo hanc reduxisti in lucem?
Herc. Committens pugnam cum rege daemonum.
Adm. Ubi hanc cum Morte commisisti pugnam?
Herc. Apud tumulum deprehendens manibus ex insidiis.

Adm. Quare uxor stat muta?
Herc. Nondum fas tibi huius compellationes
Audire, priusquam Diis inferis
Fuerit purificata, et veniat tertius dies.
Introducas eam, et cum sis iustus,
In caeterum sis pius erga hospites:
Vale; ego propositum certamen
Stheneli filio regi ut perficiam, abeo.
Adm. Maneas nobiscum, et sis meus hospes.
Herc. Redibo; nunc oportet properare.
Adm. Vale, et redeas domum.
Civibus autem et toti ducatui mando,
Ut statuant choros propter bonum eventum,
Et compleant odoribus aras copiosis, expiationibus.
Nunc in meliorem vitam transmutati sumus,
Quam quae fuit antea; fateor enim me beatum esse.
Chor. „Multae sunt formae rerum divinitus evenientium,
„Et multa praeter spem Dii perficiunt,
„Ac quae certo decrevimus, non succedunt,
„Insperata autem eveniunt[11]).
Sic accidit in hoc negotio.

11) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Fatum incertum.

LXI. PH. MEL. INTERPRETATIO ANDROMACHES EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis in *Xylandri* Editt. 1558., 1562. reperitur, quibuscum Editiones *Barnesii, Musgravii* et *Fixii* contulimus. — Versuum numeros atque stropharum partitiones aliasque inscriptiones quasdam ex Ed. Barnesii adscripsimus uncis inclusas.

EURIPIDIS ANDROMACHE
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum.

Neoptolemus ad Troiam munus accipiens Andromachen, Hectoris uxorem, filium ex ea genuit Molossum; postea autem superduxit Hermionen, Menelai filiam. Sed cum primum postulasset poenam interfectionis Achillis ab Apolline in Delphis, rediit ad oraculum, agens poenitentiam, ut Deum placaret. Sed regina habens se zelotype erga Andromachen, molita est ei mortem, accersens Menelaum. Illa autem infantem ablegavit, ac ipsa fugit ad templum Thetidis. Porro qui erant circa Menelaum, et puerum invenerunt, et illam deceptam templo eduxerunt; cumque essent interfecturi utrumque, prohibiti sunt ab interveniente Peleo. Menelaus ergo rediit Spartam; Hermione autem egit poenitentiam, verita praesentiam Neoptolemi. Adveniens autem Orestes hanc quidem reduxit Spartam, Neoptolemo autem insidias posuit; isque interfectus apportatur. Peleo autem volenti lugere mortuum, Thetis apparens hunc quidem iussit in Delphis sepeliri, Andromachen autem mitti ad Molossos cum puero. Ipsum autem Pelea dixit immortalitatem habiturum: qua is potitus, habitavit in insulis fortunatis.

Scena fabulae est in Phthia, chorus autem constat ex Phthiis mulieribus. Praefatur Andromache. Haec fabula est secundi ordinis. Prologus est perspicuus et verisimiliter dictus; et elegiaca carmina in querela Andromaches sunt secundi gradus. Oratio Hermiones est regalis, et pulchra etiam oratio ad Andromachen. Bene et Peleus loquitur, liberans Andromachen [1]).

Fabulae personae.

Andromache	Molossus
Famula	Peleus
Chorus ex Phthiis [2])	Orestes
Hermione	Nuntius
Menelaus	Thetis.

1) Hoc argumentum graece legitur in Eurip. Ed. Basil. 1551., Melanthonis autem interpretatio eius latina in Editt. 1558., 1562. exstat, quae una cum textu graeco in Ed. Barnes. repetita est.

2) ex Phthiis] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (= ἐκ Φθιωτίδων) ex Phthiis mulieribus; Fix. singulam vocem Χόρος Chorus habet.

ANDROMACHE.

[*Andromache, Famula, Chorus, Hermione.*]

Praefatur[3]) *Andromache.*

Thebana civitas, decus terrae Asiae,
Unde quondam cum aureis deliciis dotis
Veni ad regiam domum Priami,
Data coniunx foecunda Hectori,
Andromache suspicienda priore tempore;
Nunc autem nulla alia miserabilior mulier
Me fuit, neque erit unquam;
Quae maritum Hectorem ab Achille
Interfectum vidi, et filium, quem peperi marito,
Astyanacta proiectum ab arduis turribus,
Postquam Graeci ceperunt solum Troiae.
Ipsa autem serva, liberrimae
Familiae antea habita, in Graeciam veni,
Insulari Neoptolemo munus belli
Data, electa ex praeda Troiana,
Huius Phthiae et urbis Pharsaliae
Vicinos campos habito, ubi marina
Thetis habitavit cum Peleo seorsim ab hominibus
Fugiens frequentiam hominum. Thessalicus populus hunc locum
Vocat Thetideum[4]) propter nuptias Deae.
Ubi domum hanc nactus est filius[5]) Achillis,
Peleum sinit regere terram Pharsaliam;
Vivo sene sceptrum non vult accipere.
Et ego in his aedibus pario puerum marem
Coniuncta filio Achillis et meo domino:
Et prius iacentem in malis, tamen
Spes me semper sublevabat, vivo filio
Me inventuram aliquod praesidium et auxilium in malis.
Postquam autem Lacaenam Hermionen[6]) ducit
Meus dominus, aversatus servilem lectum,
Agitor ab ipsa miserandis malis.
Dicit enim, quod eam occultis pharmacis
Faciam sterilem, et invisam viro,
Et ego pro ea velim tenere domum
Hanc, eiiciens vi ipsius connubium,
Quod ego primum non volens accepi,
Et nunc reliqui. Magnus Iupiter hoc sciat,
Quod non volens huic sum facta socia tori;
Sed non persuadeo ei, vult me occidere:
Et pater Menelaus in hac re iuvat filiam.
Et nunc in aedibus est, ex Sparta veniens
Propter hoc ipsum. Ego autem territa
In sacellum Thetidis, vicinum huic domui,
Curro veniens, si me prohibeat mori.
Nam Peleus et eius posteri id
Colunt, testimonium[7]) nuptiarum Thetidis;
Meum autem unicum filium ablego clam
In alias aedes, timens ne interficiatur.
Nam pater eius non adest, me
Ut iuvet, et puero nihil prodest, absens
In terra Delphica, ubi Apollini poenam
Solvit furoris, per quam aliquando in Pythum[8]) veniens,
Poposcit ab Apolline vindictam propter patrem, de quo pendit poenam[9]):
Si quo modo expians priora peccata,
Efficiat[10]) Deum placatum in posterum.

Fam. Domina, ego non vereor hoc nomine
Vocare te, si quidem dignabar et in domo
Tua. Quando habitabamus solum Troiae,
Eram fida tibi et tuo marito viventi;
Et nunc venio afferens tibi novos sermones,
Metu quidem, ne quis dominorum sentiat,
Sed miseratione tui; nam atrocia molitur
Adversus te Menelaus et filia, quae tibi sunt cavenda.

Andr. O charissima conserva, (es enim conserva
Prius quidem reginae, sed nunc miserae)

---

3) Praefatur *Andromache*] sic Editt. 1558., 1562.; in Editt. Barn., Musgr. (aeque ac in Ed. Basil. 1551.) h. l. solum personae nomen legitur, sed praecedenti personarum catalogo addita sunt haec: Prologum autem agit Andromache.

4) Thetideum] sic Ed. Barn.; Editt. 1558., 1562. et Fix.: Thetidium; Musgr.: Thetidaeum (Eurip. Θετίδειον).

5) filius] sic (= Eurip. παῖς) Editt. recent.; in Editt. 1558., 1562. deest.

6) Hermionen] sic (= Ἑρμιόνην) Editt. 1558., Fix.; Editt. 1562., Barn., Musgr.: Hermionem.

7) testimonium] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.; monumentum (Eurip. ἑρμήνευμα).

8) in Pythum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: ad Pythonem (Eurip. ἐς Πυθώ).

9) Poposcit — poenam,] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. ᾔτησε Φοῖβον πατρός, οὗ τίνει δίκην); Barn., Musgr.: ᾔτησε Φοῖβον, πατρὸς οὗ τίνειν δίκην — Postulavit Phoebum, ut ob patrem suum caesum rependeret poenas.

10) Efficiat] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. παράσχοιτ᾽) Efficiat sibi.

Quid faciunt, quas insidias struunt nunc,
Volentes occidere me miseram?
Fam. O tu misera, filium tuum volunt
Occidere, quem extra domum ablegasti.
Andr. Heu mihi, rescitum est meum filium ablegatum?
Unde? o misera, quam perii!
Fam. Non scio, haec ego ex illis sensi.
Menelaus extra domum abiit ad tuum filium.
Andr. Perii, o fili, interficient te
Capientes duo vultures; et qui est appellatus
Pater, adhuc manet Delphis.
Fam. Existimo te non futuram fuisse adeo infelicem
Illo praesente; nunc es sine amicis.
Andr. Neque venit fama de Peleo, quod veniat?
Fam. Ille est senior, quam ut possit[11]) te iuvare praesens.
Andr. Atqui misi ad eum non semel tantum.
Fam. Num tibi videtur curare aliquem nuntium?
Andr. Unde? vis tu mihi esse nuntia?
Fam. Quid dicam, si diu absim extra domum?
Andr. Invenies multas technas; es enim mulier.
Fam. Periculum est; nam Hermione est non segnis custos.
Andr. Vides? despondes animum in malis tuorum amicorum?
Fam. Nequaquam, non hoc obiicias mihi;
Sed vado, quia non est suspicienda vita
Mulieris servae, etiamsi quod patiar mali.
Andr. Vade nunc; nos autem, in quibus semper sumus
Fletibus et luctibus et lachrymis,
Suspiciemus ad coelum. „Nam innata est
„Mulieribus levatio praesentium malorum,
„Ut habeant ea semper in ore et lingua[12]).
Adest mihi non unum, sed multa, quae gemam,
Patriam urbem, interfectum Hectorem,
Et meam duram fortunam, cui sum implicita,
Cadens indigne in servitutem.
„Oportet nullum hominem dici felicem,
„Priusquam mortui videas extremam
„Diem, quomodo vitam perficiens moriatur[13]).

11) possit] sic Editt. Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. posset.

12) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Mulieres querulae.

13) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Felicitas incerta.

Ad altum Ilium Paris non nuptias, sed aliquam noxam[14])
Adduxit thalamarem[15]) Helenam in thalamum,
Propter quam, o Troia, ferro et igni captam,
Cepit te velox Mars Graeciae habens mille naves,
Et meum miserae maritum Hectorem, quem circa murum
Aurigans traxit filius marinae Thetidis.
Ego autem ex thalamis ducta sum ad littus maris,
Circumdans caput tristi servitute.
Multae lachrymae defluunt[16]) mihi de corpore, quando reliqui
Urbem et thalamos et maritum in pulvere.
Heu ego misera, quid me oportebat amplius intueri lumen,
Hermiones servam? a qua afflicta,
Ad hanc statuam Deae supplex circumdans manus
Colliquesco, sicut gutta scaturiens ex saxo.

[*Strophe* 1.]

Chor. O mulier, quae solum Thetidis et templum insides
Diu, nec deseris,
Ego Phthia, tamen veni ad te Asiaticam genere,
Si possem tibi aliquod
Remedium difficilium malorum invenire,
Quae te et Hermionen[17]) in odiosam rixam incluserunt.
O misera in gemino
Toro particeps[18])
Apud filium Achillis,

[*Antistrophe* 1.]

Cognosce fortunam, expende praesens malum, in quod venis
Certamine cum dominis,
Existens Iliaca puella, natis ex Lacedaemone.
Relinque recipientem oves[19])

14) Huic versui in Editt. Barn., Musgr. superscripta est vox: Ἔλεγοι. — Elegi.

15) thalamarem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: tori sociam (Eurip. εὐναίαν).

16) defluunt] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. κατέβα) defluxerunt.

17) Hermionen] sic Ed. Fix.; Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr.: Hermionem (conf. supra p. 577. nota 6.).

18) in gemino Toro particeps] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: quae in toro bipartito *Hermiones* socia es (Eurip. ἀμφὶ λέκτρων διδύμων ἐπίκοινον ἐοῦσαν).

19) recipientem oves] sic (= Eurip. δεξίμηλον) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. recipientem (omissa voce: oves).

Domum, victimas marinae Deae: quae est tibi
Utilitas tristi, consumere deformatum corpus
Propter violenta imperia dominorum?
Potentia dominorum persuadebit tibi.
Quid contendis, cum nihil possis?

[*Strophe 2.*]

Sed vade, relinque splendidam sedem Nereidos Deae,
Agnosce, quod sis in terra hospita,
Et ancilla in peregrina urbe,
Ubi neminem vides amicorum
Tuorum, o infelicissima,
O misera puella[19a]).

[*Antistrophe 2.*]

Venisti Iliaca mulier miseranda ad nostras aedes;
Sed metu meorum dominorum
Sumus quieti, tuam fortunam
Fero in miseratione,
Ne filia filiae Iovis
Videat me tibi benevolam esse.
Herm. Ornatum aurearum deliciarum circa caput
Et vestitum corporis variarum tunicarum,
Non ab Achillis neque Pelei
Domo dona habens huc veni;
Sed ex Lacaena Spartana terra
Menelaus pater mihi haec donat
Cum magna dote, ut liceat libere loqui.
Vobis ergo ita respondeo:
Tu autem, cum sis serva et captiva mulier,
Vis tenere aedes, eiiciens nos,
Istas? sum in odio viri tuis pharmacis,
Et venter sine foetu propter te mihi perit.
„Nam est callida ad haec nata in continente[20])
„Mulier[21]): quae prohibebo tibi ego.
Et nihil te iuvabit ista domus Nereidis,
Non ara, non templum; sed morieris.
Si volet te aliquis Deorum aut hominum servare,
Oportet te pro priore beata superbia
Expavescere et humilem accidere ad meum genu,

19a) puella.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: sponsa (Eurip. νύμφα).

20) nata in continente] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Fix.: Epiroticum (utrumque = Eurip. ἠπειρῶτις); apud Musgr. deest.

21) Mulier] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ψυχὴ γυναικῶν) Ingenium mulierum.

Et verrere meam domum, ex aureis
Vasis fundentem rorem Acheloi[22]),
Et cognoscere, ubi terrarum sis: haec non sunt Hector,
Non Priamus, non aurum, sed Graeca civitas.
Eo venis insaniae, misera tu,
Quae cum filio patris, qui interfecit tuum maritum,
Audes dormire et liberos ex interfectore
Parere. „Tale est omne barbaricum genus.
„Pater filiae, et filius matri miscetur,
„Et puella fratri, et per caedem charissimi
„Vadunt, et horum nihil prohibet lex[23]).
„Quae non ad nos affer; non est honestum,
„Unum virum habere habenas duarum mulierum,
„Sed intuens in unum coniugalem Venerem
„Est contentus, quicunque non vult male habitare.
Chor. „Invida res est mulier,
„Et maxime[24]) hostilis unâ nuptis.
Andr. Heu heu!
Mala res est hominibus iuventus, et in iuventute
„Si homo iniustus est[25]).
Ego metuo, ne mea servitus me
Repellat a dicendo, cum habeam multa iusta argumenta,
Et si vicero, ne propter hoc consequar poenam.
Nam superbi meliores rationes
Aegre ferunt ab inferioribus;
Tamen non vincar prodens me ipsam.
Dic, o iuvencula, qua te firma ratione
Confido depellere a tuis nuptiis?
Quia scilicet civitas Sparta est minor Phrygibus,
Et fortuna superat, ac vides me liberam?
An iuventute, et vigenti corpore
Et magnitudine urbis et amicis elata,
Volo tenere tuam domum pro te?
An ut ego pro te pariam liberos
Servos[26]), mihi miseram appendicem?

22) rorem Acheloi] his in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est vox: aquam; Barn. quoque iisdem addit: (i. e. *aquam*.

23) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Barbarorum concubitus.

24) maxime] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. μάλιστ' ἀεί) maxime semper. — H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Zelotypia mulierum.

25) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Iuvenilis improbitas.

26) Servos] sic (= Eurip. Δούλους) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: Serva.

An aliquis sinet meos liberos
Esse dominos Phthiae, etiamsi[27]) tu non parias?
Amant nimirum me Graeci propter Hectorem,
Et ego sum obscura, et non fui regina Phrygum;
Maritus odit te, non ex meis pharmacis,
Sed quia non es idonea ad conversandum.
„Nam et hoc est philtrum: non forma, o mulier,
„Sed virtutes delectant maritos[28]);
Tu si quid pungeris, Lacaena urbs
Est aliquid magni, Scyrum autem nihili facis,
Et ostentas divitias inter inopes; Menelaus tibi
Maior est Achille: propter haec odit te maritus.
„Oportet mulierem, etiamsi malo viro data sit,
„Boni consulere, et non decertare cum eo[29]).
Si in Thracia circumfusa nive
Haberes maritum regem, ubi per vices[30]) lectum
Dat lectis[30a]) unus vir communicans,
An occideres reliquas? deinde infamiam libidinis
Conciliares omnibus mulieribus.
Turpe est, et masculis deteriore morbo
Hoc languemus[31]), sed cohercemus honestae.
O charissime Hector, sed ego tua causa
Amabam tecum easdem, si quid te fallebat Venus.
Etiam saepe ubera tuis spuriis
Admovi, ut tibi nihil darem acerbi.
Et haec faciens, virtute adducebam[32])
Maritum; tu autem neque guttulam aetherei roris
Tuo viro assidere sinis metuens.
Ne matrem libidine, o mulier,
Studeas excedere. „Nam malarum matrum
„Mores oportet fugere liberos, qui sapiunt[33]).
Chor. Domina, quantum tibi adest facultas,
Tantum persuadearis cum ista transigere dicendo.
Herm. Quid arroganter loqueris et venis in certamen dicendo,
Tanquam tu sis sapiens, et mea non sint sapientia?
Andr. Non ita est, ut nunc loqueris.
Herm. O mulier, tuus animus non adsit mihi.
Andr. Es iuvencula, et dicis de turpibus.
Herm. Tu non dicis, sed facis contra me, quantum potes.
Andr. Non tacite perferes dolorem zelotypiae?
Herm. An non[34]) ista sunt summa mulieribus?
Andr. Recte utentibus; sin minus, non sunt honesta.
Herm. Non regimus urbem barbarorum legibus.
Andr. Illic turpia, etiam hic habent dedecus.
Herm. Tu es sapiens, et tamen oportet te mori.
Andr. Vides statuam Thetidis in te respicientem?
Herm. Quae odit tuam patriam propter mortem Achillis.
Andr. Helena, mater tua, eum perdidit, non ego.
Herm. An et ulterius attinges mea mala?
Andr. Ecce taceo et teneo os.
Herm. Illud dic, propter quod adsum.
Andr. Dico te non tantum sapere, quantum oportet.
Herm. Relinques hoc purum templum marinae Deae?
Andr. Si non interficiar[35]); sin autem, nunquam relinquam.
Herm. Hoc quidem fixum est, et non expecto venire maritum.
Andr. Sed neque ego me prius tibi prodam.
Herm. Ignem tibi admovebo, et non curabo tuam vitam.
Andr. Accende igitur; Dii scient hoc.
Herm. Et corpori dolores vehementium vulnerum.

---

27) etiamsi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: si (Eurip. ἦν).

28) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vera dos uxoris.

29) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Officium uxoris.

30) per vices] sic (= Eurip. ἐν μέρει) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. male: per vires.

30a) lectis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. πολλαῖς) multis *mulieribus*.

31) et masculis deteriore morbo Hoc languemus] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. et masculis deteriorem morbum Hunc languemus; Barn.: quamquam gravius viris morbo Hoc *Venereo* laboramus; Musgr., Fix.: quamquam graviori viris morbo Hoc laboramus.

32) adducebam] sic Ed. 1558. (= Eurip. προςηγόμην, Editt. recent.: *mihi* conciliabam); Ed. 1562. abducebam.

33) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Parentes non ubique imitandi.

34) An non] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Quid? An non; Fix.: Quid vero? . . non (= Eurip. *Τί δ'; οὐ*).

35) interficiar] sic scripsi (= Eurip. *θανοῦμαί γ'*. Editt. recent.: moriar); Editt. 1558., 1562. interficiat.

Andr. Pollue Deae aram sanguine, quae sequetur[36]) te.
Herm. O barbarica progenies, et dura ferocia.
Perferes mortem? Sed ego te sede
Ex hac cito volentem pellam,
Talem habeo escam; sed sermonem
Occultabo, res ipsa cito ostendet.
Sedeas firma; nam etsi undique te teneret
Liquefactum plumbum, pellam ego te,
Priusquam veniat filius Achillis, cui tu confidis.
Andr. Confido; „possibile est venenatarum bestiarum
„Aliquem Deum proferre remedia hominibus.
„Quae autem sint supra viperam et ignem,
„Nullus unquam inveniet remedia contra mulierem
„Malam; tantum malum sumus hominibus[37]).

[*Strophe* 1.]

Chor. Certe magnos dolores incepit[38]),
Quando venit in nemus Idaeum
Maiae et Iovis filius[39]),
Trium Dearum currum
Pulchrum ducens,
Odioso certamine
Formae armatum,
Ad stabulum pastoris,
Et ad solitarium pastorem adolescentem,
Et ad stabuli desertos lares.

[*Antistrophe* 1.]

Istae quando venerunt ad arboreum nemus,
Montanum, fontium abluerunt
Nitentia corpora in aqua.
Venerunt ad Paridem, excel-
lentiis astutorum sermonum
Circumdantes[40]).
Venus cepit dolosis verbis,
Dulcibus quidem auditu,
Sed mirabilem confusionem[41]) afferentibus Phrygum urbi
Miserae et moenibus Troiae.

[*Strophe* 2.]

Utinam abiecisset perniciem supra caput,
Quae peperit Parin,
Priusquam habitaret Idaeum montem:
Quando eum apud laurum sacram
Clamavit Cassandra occidendum esse,
Magnam noxam urbis Priami.
Quem non accedebat? quem non rogabat
Principum, occidere infantem?

[*Antistrophe* 2.]

Non super Troiam venisset iugum
Servile, neque tu mulier
Haberes sedem domus tyrannicae;
Solvisset Graeciae miseros
Labores, quos apud Troiam
Decem annis tulerunt iuvenes hastis,
Et lecti non fuissent relicti deserti,
Nec senes orbati liberis.

[*Menelaus, Andromache, Molossus, Chorus.*]

Men. Venio afferens tuum filium, quem in aliam domum
Clam mea filia exposuisti.
Tu sperabas idolum hoc Deae servaturum te,
Et hunc et eos, qui occultaverunt; sed inventa es
Mulier minus sapere isto Menelao:
Et nisi relinquens deseres hoc solum,
Iste interficietur pro tuo corpore.
Hoc ergo cogita, utrum mori velis,
An hunc interfici pro tuo peccato,
Quod peccas contra me et meam filiam.
Andr. O gloria[42]), quam multos homines
„Nihili evehis ad magnam vitam,
„Eos, quibus gloria est ex veritate,
„Beatos duco; sed falso habentes, habere
„Non dignos duco, nisi fortuito videantur sapere.

---

36) sequetur] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: persequetur; Fix.: ulciscetur (Eurip. μέτεισι).

37) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: In malas mulieres.

38) magnos dolores incepit] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: magnorum dolorum [Fix.: magnarum calamitatum] auctor extitit.

39) Scil. Mercurius.

40) excellentiis astutorum sermonum Circumdantes] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: excellentiis astutorum sermonum eum Decipientes; Musgr.: excessibus sermonum inimicorum Se invicem caedentes; Fix.: Certatim vero blandis verbis inter se aemulantibus.

41) mirabilem confusionem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: amaram vitae confusionem [Fix.: eversionem] (= Eurip. Πικρὰν δὲ σύγχυσιν βίου).

42) O gloria] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: O opinio, opinio; Fix.: O fama, fama (Eurip. Ὦ δόξα, δόξα). — H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Aestimatio vana.

Tu aliquando dux exercitibus Graecorum
Troiam abstulisti a Priamo, adeo ignavus existens?
Qui pro filia ex verbis filiae [43])
Adeo es ferox, et cum misera muliere
Serva venis in contentionem; non dignum duco [44])
Neque te Troia, neque Troiam te.
„Qui videntur praestantiores esse, foris sunt
„Splendidi, intus omnibus hominibus similes,
„Praeterquam divitiis: hoc magnum quiddam potest.
Menelae, age absolvamus sermones.
Sim interfecta a tua filia, et me perdiderit:
Non poterit effugere reatum homicidialem,
Et inter multos et tu adiuvabis hanc
Caedem, culpa adiuvans coget te.
Sin ego effugero, ne moriar,
An occidetis puerum? quomodo pater
Filio mortuo hoc aequo animo feret?
Non ita ignavum eum Troia vocat.
Sed vadit, quo oportet. Peleo dignas
Res et Achille patre videbitur facere.
Expellet tuam filiam ex aedibus; et tu dans [45])
Alteri, quid dices, utrum quod malum virum
Fugiat huius modestia? sed falsum erit.
Quis ducet eam? an ipsam sine viro domi
Tenebis viduam canam? o miser vir,
Non vides affluxus tantorum malorum?
Quot thalamis filiam male tractatam
Velles invenire potius, quam patiatur, quod ego dico?
„Non oportet magna mala parvis addere;
„Neque, si nos mulieres sumus nocens malum,
„Viros fieri similes mulieribus natura.
Nos si maleficiis laedimus tuam filiam,
Et debilitamus ventrem, ut ipsa dicit,
Volentes, non volentes [46]), ne quidem ad aram [47])
Procidentes, nos poenam sustinebimus
Quam tuis generis [48]), quibus non minorem
Poenam debeo, addens orbitatem.
Nos sumus tales, sed de tuo animo
Unum metuo, propter muliebrem iram [49])
Qui perdidisti et miseram Phrygum urbem.
Chor. Fortiter dixisti ut mulier adversus viros,
Et sapientiam tuae mentis eiaculata es.
Men. Mulier, ista sunt parva et imperio
Meo [50]) non digna, ut ais, neque Graecia.
„Sed bene scias, quo quis opus habet,
„Hoc cuilibet pluris est, quam Troiam capere [51]).
Et ego filiae, iudico enim ista esse magna,
Ne privetur connubio, sum adiutor.
„Alia quidem inferiora pateretur mulier,
„Sed excidens viro, excidit vita.
Convenit illum imperare meis servis,
Et meos meque illius;
„Amicorum enim nihil est proprium, qui amic
„Vere sunt; sed res sunt communes [52]).
Expectans absentes, si non efficiam
Mea quam optime, nihil sim, et non sapiens.
Sed cede ex hoc templo Deae,
Quia, si tu interficiaris, puer iste effugiet mortem.
Te non volente mori, hunc interficiam:
Necesse est ex duobus alterum relinquere vitam
Andr. Heu mihi, acerbam sortitionem et electionem
Vitae proponis; et eligens misera,
Non eligens infelix sum.
O magna faciens de parva causa,
Audi, quid me interficis? quare? quam urbem
Prodidi? quem tuorum liberorum interfeci?
Quam domum incendi? coacta dormivi
Cum domino, et iam me, non illum interfici
Qui est causa horum. Sed principium omitte
Venis ad finem, qui est posterior?
Heu mihi propter ista mala, o misera m patria,

43) pro filia ex verbis filiae] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr.: filiae iuvenculae ex verbis.

44) dignum duco] sic scripsi (= Eurip. ἀξιῶ; Editt. recent.: iudico dignum); Editt. 1558., 1562. errore typogr.: dignum duce.

45) dans] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: nuptui dans (Eurip. ἐκδιδοὺς).

46) non volentes] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. οὐχ ἄκοντες) non inviti [Fix.: invita].

47) ne quidem ad aram] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. male: ne quidam ad aram; Barn., Musgr.: nec ad aram quidem (Eurip. οὐδὲ βώμιοι).

48) Quam tuis generis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. cent. (= Eurip. Ἐν σοῖσι γαμβροῖς) Apud tuos genero

49) propter muliebrem iram] sic Editt. 1558., 1562.; Ed recent.: propter contentionem ex muliere ortam [Fix.: c. de muliere] (Eurip. διὰ γυναικείαν ἔριν).

50) Meo] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: M

51) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Cupiditas.

52) H. l. iisd. Editt. nota marg.: Omnia amicis communi

Quam horribilia patior, quid mihi opus erat parere,
Et addere duplex onus ad hoc onus?
Sed quid propter haec doleo, et praesentia
Mala non scrutor neque considero?
Quae necem Hectoris raptati curru
Vidi, et misere inflammatum Ilium,
Et ipsa fui serva ad naves Argivorum[53])
Capillo tracta; postquam veni
In Phthiam, sum coniunx interfectoris Hectoris.
Quid mihi potest esse suave vivere? ad quid oportet respicere?
An praesentem fortunam, an praeteritam?
Unus iste filius erat mihi reliquus, oculus vitae:
Hunc sunt interfecturi, quibus illa placent.
Non propter meam miseram vitam:
In hoc est spes, si servatur.
Mihi est turpe non mori pro puero.
Ecce relinquo aram, ego obnoxia
Ad mactandum, ad interficiendum, ad ligandum, ad decollandum.
O fili, ego mater tua, ne tu interficiaris,
Morior; si effugeris fatum,
Memineris matris, qualia sustinens perierim,
Et ad patrem tuum vadens, per oscula
Stillans lachrymas et amplectens manus,
Dicito, qualia fecerim. „Omnibus hominibus sunt
„Liberi vita: et qui vituperat meum dictum inexpertus,
„Minus dolet, et est beatus in illo ipso infortunio.
Chor. „Miserta sum audiens; nam calamitates sunt miserabiles
„Omnibus hominibus, etiamsi quis alienus sit.
Oportet te et tuam filiam in reconciliationem ducere,
Menelae, et istam, ut liberetur a malis.
Men. Prehendite implicantes istius brachia,
Servi, audiet non gratos sermones:
Ego tibi, ut deseras puram aram Deae,
Proposui pueri mortem, qua ratione te decepi,
Ut venires in meas manus ad necem.
Et scito, quae ad te pertinent, sic se habere.
Sed de isto puero mea filia iudicabit,
An velit eum interficere, an non.
Sed vade in hanc domum, ut liberos
Discas non afficere contumelia, serva existens.
Andr. Heu mihi, dolo me decepisti, sumus in fraudem inductae.
Men. Praedica hoc omnibus; non enim nego.
Andr. An sunt haec apud vos, qui ad Eurotam habitatis, recta?
Men. Etiam in Troia rectum est laesos se vindicare.
Andr. Et Deos non Deos putas, neque esse vindictam?
Men. Quando illa erunt, tunc feremus; nunc te interficiam.
Andr. An et pullum hunc sub alis avellens?
Men. Non, sed filiae dabo, si velit interficere.
Andr. Heu mihi! quomodo gemam te, o fili?
Men. Nequaquam eum manet spes ferociendi[54]).
Andr. O omnibus hominibus inimicissimi
Spartae incolae, dolosi consultores,
Domini mendaciorum, suentes mala,
Tortuosa, et nihil sani, sed omnia insidiose
Sentientes, iniuste estis fortunati per Graeciam.
Quid non est in vobis? nonne plurimae caedes?
Nonne rapaces? nonne alia dicentes
Lingua, et alia sentientes deprehendimini semper?
Pereatis. Mihi mors non est adeo gravis,
Ut tibi videtur; illa mala me perdiderunt,
Quando misera urbs Phrygum est consumpta,
Et meus inclytus maritus, qui te saepe pugnando
Fecit malum nautam pro milite[55]).
Nunc contra mulierem appares terribilis miles,
Interficis me. Interfice, quia non delinitum te
Et tuam filiam mea lingua dimittam:
Quoniam tu es magnus in Sparta,
Nos in Troia. „Si ego iam sum in adversa fortuna,

53) Hic versus in Editt. 1558., 1562. aeque ac in Editt. Basil. 1551., Musgr., Fix. praecedentem proxime sequitur; in Ed. Barn. inter utrumque legitur hicce intra cancellos inclusus: [Καὶ παῖδ' ἀποβληθέντα περγάμων ἄκρων] — [Filiumque deiectum a turribus altis?] de quo conf. nota a Barnesio adscripta.

54) Nequaquam eum manet spes ferociendi.] sic Editt. 1558., 1562. quasi interpres legisset θρασεῖν, loco θρασεῖα; Barn.: Annon, audacula tu, spes ipsum manebit? Musgr., Fix.: Nimirum certa illum spes non manet.

55) milite] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. χερσαίου) milite terrestri.

„Non propterea gloriare, quia et tu potes in eam incidere[56]).

[*Strophe* 1.]

Chor. „Nunquam geminos
„Lectos hominum laudabo[57]),
„Neque liberos, qui habent diversas matres,
„Litem in domo,
„Et tristem dolorem.
„Maritus in nuptiis mihi sit contentus uno
„Lecto viri non communicante[57 a]).

[*Antistrophe* 1.]

„Neque enim in urbibus
„Duo imperia
„Facilius possunt ferri uno[58]).
„Est onus supra onus,
„Et seditio civibus.
„Ubi sunt diversi duo artifices in hymnis,
„Musae solent facere discordiam.

[*Strophe* 2.]

Et quando celeres flatus ferunt nautas,
De gubernaculis
Duplex consilium pectorum,
„Magnaque multitudo sapientiorum, minus valet
„Quam una mens etiam non ita sapientis, qui totam potestatem obtineat.
„Unius sit potentia in domo,
„Et in urbibus,
„Quando volunt aliquid bene gerere[59]).

[*Antistrophe* 2.]

Lacaena nostri ducis ostendit,
O Menelae[60]); nam in-
flammata est contra concubinam,
Et interficit[61]) miseram puellam Iliacam,
Et puerum propter stultam discordiam.
Invidia est impia, iniusta, odiosa.
Deinde tibi, o veneranda,
Accedat poenitentia horum factorum,
Et non videam[62]) hoc coniunctum
Par ante domum
Sententia capitali condemnatum.
O misera mulier, et tu infelix puer,
Qui moreris propter thalamum matris,
Non participans,
Neque causa existens regibus.

[*Strophe* 1.]

Andr. Ego manus cruen-
to laqueo ligata
Mittor sub terras.
Mol. Mater, mater, ego cum tua
Ala simul descendo
Et sum victima peritura.
O duces terrae Phthiae,
O pater, o veni
Auxiliator amicis.

[*Systema* 1.]

Andr. Iaceto iam, o chare fili,
Circa ubera tuae matris,
Mortuus sub terra et cum mortua me.

[*Strophe* 2.]

Mol. Heu mihi[63])! quid patior
Ego miser et tu mater?

[*Systema* 2.]

Men. Ite sub terram;
Nam venitis ab hostili domo,
Duo moriemini ex duabus causis:
Te interficit meus calculus,
Et filia mea Hermione istum puerum.
„Est stultitia magna relinquere
„Hostes ex hostibus, cum possis occidere,
„Et auferre a domo terrorem[64]).

[*Antistrophe* 1.]

Andr. O marite, marite, utinam tuam
Manum et hastam auxiliatricem

56) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vicissitudo rerum omnium.

57) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: In coniugio non admitti communicationem.

57 a) non communicante] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: non communicato (= Eurip. ἀκοινώνητον).

58) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Societatem in regnis etiam et administrationibus esse perniciosam.

59) H. l. ibid. nota marg.: Unum debere praeesse rebus.

60) O Menelae] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Editt. Basil. 1551., Musgr. Μενέλαε); Editt. recent.: Menelai (= Ed. Barn. Μενέλεω; Fix. Μενέλα).

61) interficit] sic (= Eurip. κτείνει) Editt. 1558., Musgr.; Editt. 1562., Barn.: interfecit (Fix.: necem molitur).

62) Et non videam] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. Καὶ μὴ εἰςορῶ); Editt. recent. Καὶ μὴν εἰςορῶ — Atqui video.

63) Heu mihi!] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ὤ μοι μοι) Heu mihi, mihi!

64) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Hostes exstirpandos esse.

Haberem, fili Priami.
Mol. Infelix, quod ego mortis
Deprecatorium carmen inveniam?
Andr. Precare genibus
Dominorum appropinquans, o fili.
Mol. O chare, o chare, remitte mihi mortem.

[*Antisystema* 1.]

Andr. Liquesco lachrymis, ex pupillis
Stillo, tanquam ex praerupta petra
Gutta, misera ego.

[*Antistrophe* 2.]

Mol. Hen mihi[64]), quod ego
Consilium contra haec mala excogitabo?

[*Antisystema* 2.]

Men. Quare ad me volveris, ad marinum saxum
Tanquam, aut ad fluctum, deprecatione supplicans?
Nam meis est hoc utile.
Erga te non sum affectus bene, si quidem
Consumens magnam partem meae vitae,
Troiam cepi et tuam matrem,
Propter quam
Descendes ad inferos.

[*Peleus, Menelaus, Andromache, Chorus.*]

Chor. Video Peleum prope
Ponentem celeriter huc senilem pedem.
Pel. Vos interrogo, et te insistentem caedi[65]).
Quare et quomodo haec fiunt? ex qua causa languet
Domus? quid agitis facientes sine iudicio?
Menelae, expecta, ne propera sine iudicio,
Praecede tu citius; nam, ut videtur mihi,
Haec res non est otii, sed repubescens
Velim accipere robur, si unquam alias.
Primum quidem secundo vento, tanquam velo,
Feror ad hanc. Dic, propter quam causam manus
Ligantes laqueis isti ducunt te
Et puerum; nam interficeris[66]), tanquam aliqua ovis cum agno,
Nobis absentibus et domino tuo.
Andr. Isti, o senex, cum filio morituram
Me sic ducunt, ut vides; quid tibi dicam?
Nam non unius vocationis celeritate te
Accersi, sed per multos nuntios.
Scis fortasse audiens litem, quae est in domo
Cum huius filia, propter quae ego pereo.
Et nunc ab ara Thetidis, quae generosum
Filium tibi peperit, et quam tu numen colis,
Avellentes ducunt, neque apud aliquem iure
Agentes causam, neque absentes ex aedibus
Expectantes; sed meam solitudinem
Scientes, et huius pueri, quem nihil culpandum
Volunt occidere cum me misera.
Sed obsecro te, o senex, ad tua
Genua cadens (manu enim non licet mihi
Attingere tuum charissimum mentum),
Libera me per Deos; si non facies, moriemur
Turpiter vobis, et nobis misere, o senex.
Pel. Iubeo laxare vincula, priusquam aliquis lachrymet,
Et huius manus dimitti.
Men. At ego veto, alias non inferior te,
Et magis dominus huius mulieris.
Pel. Quomodo? an gubernabis meam domum veniens
Huc? non est tibi satis imperare Spartae?
Men. Ego cepi ipsam captivam ex Troia.
Pel. Sed meus filius accepit eam, munus filii.
Men. Nonne mea sunt illius, et illius mea?
Pel. Ad bene faciendum, non male, neque ad vi interficiendum.
Men. Nunquam abduces[67]) hanc ex mea manu.
Pel. Cruentabo tuum caput hoc sceptro.
Men. Attinge, ut noris, et accede ad me.
Pel. Tu inter viros sis, o ignavissime, et ex ignavis orte?
Habeturne tui ratio inter viros?
Cui ab homine Phryge est erepta coniunx,
Linquenti domum non clausam, et sine servis,
Tanquam haberes castam mulierem in aedibus,
Quae omnium est pessima. Neque, si velit aliqua
„Puella Spartana, possit esse casta:
„Quae relinquentes domos, cum iuvenibus
„Nudis femoribus et tunicis laxatis,

65) caedi] sic (= Eurip. σφαγῇ) Ed. Barn.; Editt. 1558., 1562. errore typogr.: codi.

66) interficeris] sic Ed. 1562. (= Eurip. ἀπόλλυσαι, Editt. recent.: peris); Ed. 1558. interficieris.

67) abduces] sic (= Eurip. ἀπάξεις) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. male: adduces.

„Cursus et palaestras non tolerandas mihi
„Communes habent; deinde est mirabile,
„Si non educatis mulieres castas?
Helenam convenit haec interrogare, quae ex aedibus
Relinquens tuum testem amoris Larem ivit amatum
Cum viro iuvene in aliam terram.
Deinde propter illam, Graecorum exercitum
Tantum congregans duxisti ad Ilium;
Quam oportebat te conspuentem non movere hastam,
Cum invenisses malam, sed sinere ibi manere,
Addita pecunia, ne recipienda esset domum.
Sed neque huc appulisti tuum animum,
Et perdidisti multos et praestantes viros,
Et fecisti multas anus orbatas liberis in aedibus;
Canis parentibus abstulisti generosos liberos.
Quorum ego infelix unus, te interfectorem
Tanquam aliquem Achillis et pollutum caede intueor,
Qui solus neque vulneratus venisti ex Troia,
Et pulchra arma in pulchris thecis
Similia huc et illuc duxisti.
Ipse quidem suasi ducturo uxorem, ut neque tecum
Affinitatem faceret, neque in aedes reciperet
Pullum malae mulieris. „Efferunt enim
„Materna vitia. Hoc considerate,
„Proci, ut accipiatis filiam honestae mulieris [68]).
Praeterea erga fratrem qualia fecisti?
Iubens interficere filiam stultissime,
Adeo veritus es, ne non haberes malam coniugem.
Capta Troia, (nam et huc vado)
Non interfecisti mulierem potitus capta;
Sed postquam vidisti ubera, abiiciens gladium,
Osculum accepisti, adulans canem proditricem,
Factus inferior Venere, o ignavissime.
Deinde veniens in domum meorum liberorum,
Expugnas absentium aedes, et mulierem miseram
Interficis turpiter, et puerum, qui plorantem te
Et tuam filiam in aedibus faciet,

68) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Qualis mulier ducenda.

Quamquam spurius est. „Saepe
„Arida seminatio vicit pinguem terram;
„Et multi nothi sunt praestantiores legitimis.
„Sed aufer filiam. Melius est hominibus
„Pauperem bonum, quam malum et divitem
„Generum acquirere, et amicum; tu es nihili.
Chor. Ex parvo initio hominibus magnam contentionem
„Lingua excitat; sed hoc prudentes homines
„Cavent, ne litigent cum amicis.
Men. Quid dicas senes esse sapientes,
Et illos sapere, qui visi sunt Graecis sapere?
Quando tu existens Peleus, et natus ex inclyto patre,
Affinitate mecum iunctus, tibi ipsi turpia dicis,
Et nobis probra propter mulierem barbaram,
Quam oportebat te expellere ultra flumen Nili,
Et ultra Phasim, et me etiam [69]) hortari,
Cum sit ex Asia [70]), ubi cadavera
Multa Graeciae iacent interfecta mortuorum,
Et cum sit ex parte rea sanguinis tui filii.
Nam Paris, qui filium tuum Achillem interfecit,
Erat frater Hectoris, et ista coniunx Hectoris,
Et tu vadis in eandem domum cum hac?
Et dignam ducis habere eandem mensam [71])?
Et sinis parere domi invisos liberos?
Quae ego mihi et tibi prospiciens, senex,
Volui interficere hanc, quae mihi rapitur ex manibus.
Sed age (non est enim turpe colloqui),
Si mea filia non pariat, et ab ista
Nascantur liberi, eos huius terrae Phthiae
Facies dominos? et barbari genere
Imperabunt Graeciae? Deinde ego insanio,
Qui odi iniusta, et tu diceris sapiens?
Illud vide, si tu filiam tuam
Dares alicui civium, et accideret hoc,
An sederes tacitus? non quidem existimo: qui pro peregrina
Talia dicis adversus necessarios amicos.
„Idem est ius viro et mulieri
„Iniuria affectae a marito [72]); et sicut viro,
„Cum habet in aedibus mulierem impudicam,

69) etiam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *ἀεὶ*) semper *ad hoc*.

70) ex Asia] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr.: Asiatica; Barn.: epirotica, *Asiae continentem incolens*; Fix.: ex Asiae continente (Eurip. *ἠπειρῶτιν*).

71) mensam] Ed. 1562. errore typogr.: mensa.

72) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Ius coniugii.

„Est magnum robur in manibus:
„Ita mulieri in parentibus et amicis res est posita.
Ergo iustum est me opem ferre meis.
Senex, senex es, et de mea militia
Dicens, plus iuvas me, quam tacens.
Helena venit in aerumnas non volens, sed divinitus,
Et hoc plurimum profuit Graeciae.
Nam cum essent imperiti armorum et pugnae,
Profecerunt ad fortitudinem. „Nam conversatio[73])
„Omnium rerum est hominibus magistra[74]).
Quod autem veniens in adspectum meae
Coniugis cohibui me, ne interficerem eam, modeste egi.
Vellem nec te interfecisse Phocum fratrem.
Haec recte sanus respondi tibi, non iratus.
Tu si indulseris irae, tibi linguae morbus
Est maior, mihi lucro erit modestia.
Chor. Cessate iam, hoc est multo melius,
Quam inania verba, ne ambo peccetis.
Pel. Heu mihi, quam malus mos est in Graecia!
„Quando exercitus statuit tropaea de hostibus,
„Non putant hoc opus esse laborantium,
„Sed dux lucratur gloriam[75]);
„Qui unus vibrans hastam cum aliis innumeris,
„Nihil plus uno faciens, habet maiorem famam.
„Tetrici in imperio sedentes in urbibus[76])
„Sunt superbiores populo, cum nihili sint;
„Illi sunt sapientiores multis aliis,
„Si accedat audacia et consilium.
Sicut tu et tuus frater tumefacti,
Ad Troiam sedistis, imperio illo
Elati, aliorum laboribus et industria.
Ostendam tibi, ne Idaeum Paridem
Putes maiorem hostem Peleo,
Nisi abibis quam celerrime ex ista domo,
Et filia sterilis, quam iste ex nobis natus
Ducet coma trahens in domo,
Quae existens sterilis vitula, non fert
Alias parientes, ipsa non habens liberos.
Sed si hac parte es infelix,
An oportet nos propterea esse orbatos liberis?
Discedite ab ista, servi, ut videam,
Si quis prohibebit me solvere huius manus.
Erige te, ut ego, quamquam tremens,
Remittam consertos laqueos vinculorum.
Sic, o pessime, laesisti huius manus:
Putabas te bovem aut leonem vincire[77]) laqueis?
An, ne accipiens gladium depelleret te,
Metuisti? veni huc sub brachia, o puer,
Solve matris vincula. Ego te in Phthia
Alam magnum istis hostem. Si abesset belli
Gloria Spartanis, et certamen pugnae,
Scitote, quod in caeteris nullo sunt meliores.
Chor. „Genus senum est soluti animi,
„Et aegre potest cohiberi propter iracundiam.
Men. Valde pronus ad conviciandum ferris.
Ego autem coactus venire in Phthiam,
Nihil mali faciam, neque patiar.
Et nunc, nam non multum habeo otii,
Redeo domum. Nam est quaedam non procul
A Sparta urbs, quae antea erat socia,
Nunc gerit se hostiliter, hanc volo ulcisci
Bellum inferens, ut capiam domitam.
Postquam fecero, quae ibi sunt ex sententia mea,
Redibo, et plane praesens ad praesentem
Generum[78]) dicam et audiam sermones;
Et si puniet hanc, et in posterum sit
Modestus erga nos, vicissim erimus modesti.
„Iratus inveniet iratos,
„Et factis facta consentanea recipiet.
Tuam orationem facile fero;
Nam similis umbrae, vocem habes,
Cum nihil aliud possis quam dicere.
Pel. Praecede me huc, fili, stans sub brachiis,
Et tu, o misera; nam saevam tempestatem
Nacta venisti in serenos portus.
Andr. O senex, Dii dent bona tibi et tuis,
Qui servasti filium, et me miseram.
Sed vide nunc, ne in solitudinem viae
Fugientes isti, violenter abducant me,
Videntes te esse senem, et me imbecillem,

73) conversatio] sic Editt. 1558., 1562., Barn.; Musgr., Fix.: usus (quae vox in Editt. 1558., 1562. in marg. est apposita).

74) magistra] sic Editt. 1562., Barn.; Editt. 1558., Musgr., Fix.: magister (Eurip. διδάσκαλος).

75) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Imperatoribus facta militum iniuste arrogari.

76) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Magistratus.

77) vincire] sic (= Eurip. ἐντείνειν) Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. vincere.

78) praesentem generum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. παρόντας . . γαμβρούς) praesentes generos.

Et istum puerum infantem. Vide ista;
Ne nunc effugientes capiamur postea.
Pel. Non afferas sermonem mulierum timidarum.
Vade, quis vos attinget? Plorans
Attinget; nam beneficio Dei et equitatui
Et multis peditibus imperamus in Phthia.
Et nos sumus integro robore et non senes, ut tu putas.
Sed in talem virum intuens tantum,
Statuam tropaeum de ipso, quamquam senex.
„Multis iuvenibus etiam senex, si sit animosus,
„Praestantior est. Quorsum opus est timidum splendide vivere?

[*Strophe.*]

Chor. „Aut non sim nata, aut
„Ex bonis parentibus[79])
„Sim nata, potentium
„Domorum particeps.
„Si enim patiatur aliquis talis rem difficillimam,
„Non est defectus defensionis nobilibus;
„Et ex laudatis familiis
„Est honos et gloria.
„Nunquam reliquias bonorum
„Virorum aufert
„Tempus, virtus
„Etiam mortuis lucet[80]).

[*Antistrophe.*]

„Melius est victoria
„Infami carere,
„Quam cum invidia vincere
„Et vi ius[81]).
„Hoc est quidem dulce in praesentia hominibus,
„Cum tempore autem fit aridum,
Et probris inseritur familiarum.
Hanc laudo,
Hanc etiam affero[82]) vitam,
Si nihil extra ius

79) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Genus et cognati.

80) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Virtus perennis.

81) H. l. ibid. nota marg.: Omnia iustitiâ posteriora.

82) affero] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. effero; Editt. recent.: sequor (Eurip. φέρομαι).

Potentia in thalamo
Et urbe posset[83]).

[*Epodus.*]

O senex Aeacida,
Credo et cum Lapithis et Centaurorum hasta laudatissima rem habuisse te;
Et in Argo navi
Euxinum[84]) humidum traiecisse
Marinum scopulum
Inclyta classe;
Et ad urbem Ilium, ubi prius
Clarus Iovis
Filius implicuit nece,
Communi gloria
Potitum, ad Eurotam venisse.

[*Famula, Chorus, Hermione, Orestes.*]

Fam.[85]) O charissimae mulieres, quam malum ex malis
Sequens hodie cumulatur!
Nam domina in aedibus, Hermionen[85 a]) dico,
A patre deserta, et prae poenitentia
Rei, quam fecit, ut occideret Andromachen
Et puerum, agnoscens culpam[85 b]), vult mori:
Metuens maritum, ne pro factis
Ex istis aedibus ignominiose eiiciatur,
Aut interficiatur, cum voluerit occidere, quos non licebat.
Vix ipsam volentem suspendere collum
Prohibent famuli custodes, et ex dextera
Gladios rapiunt auferentes.
Tam valde dolet[86]), et prius facta
Agnovit non bene facta. Ego quidem
Dominam prohibens a strangulatione defessa sum, amicae.
Vos ingredientes in istas aedes,
Liberate eam a morte; „nam consuetis
„Amicis novi venientes plus habent autoritatis.
Chor. Audivimus ministrorum intus

83) posset] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: possit.

84) Euxinum] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Inhospitales; Fix.: inhospitum (Eurip. Ἄξεινον).

85) *Fam.*] sic h. l. et in sequentibus (= Θεράπ.) Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr.; Fix.: *Τροφός — Nutrix.*

85 a) Hermionen] sic Barn., Fix.; Editt. 1558., 1562., Musgrav.: Hermionem.

85 b) ut occideret A. . . agnoscens culpam,] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: quod A. occidere . . statuisset, Fix.: cum A. occidere . . meditata esset (= Eurip. *Ἀ. κτανεῖν . . βουλεύσασα*).

86) dolet] Ed. 1562. errore typogr.: dolent.

Clamorem de rebus, quas tu venis nuntians:
Videtur ostensura misera, quantum poterit,
Factura atrocia; nam excurrit ex aedibus,
Fugiens manus ministrorum cupiditate mortis.

[*Strophe* 1.]

Herm. Hei mihi[87])! lacerationem comae et unguium foedas laniationes faciam.
Chor. O filia, quid facies? afficies contumelia tuum corpus?

[*Antistrophe* 1.]

Herm. Heu heu, heu heu!
Vade in aetherem a capillis meis
Tenue velum.
Fam. Filia, tege pectus, collige tunicam.

[*Strophe* 2.]

Herm. Quid oportet me tegere pectus veste?
Manifesta, aperta et
Non occulta fecimus contra maritum.
Fam. Doles, quod struxeris necem tuae pellici?

[*Antistrophe* 2.]

Herm. Gemo propter hostilem audaciam,
Quam feci, o execrabilis
Ego, execrabilis viris.
Fam. Condonabit tibi hoc peccatum maritus.

[*Strophe* 1.]

Herm. Quare rapuisti mihi gladium ex manu?
Redde, o chara,
Redde, ut adversam
Infligam plagam;
Quare arces me a laqueis?
Fam. An dimitterem te furentem, ut moriaris?

[*Strophe* 2.]

Herm. Heu exitium, ubi est mihi chara flamma ignis?
Ubi in imum ferar?
In mare an in sylvam a montibus[88]),
Ut mortua sim curae inferis?
Chor. Quid ista paras? „calamitates divinitus
„Omnibus hominibus veniunt aut tunc aut tunc.

87) Hei mihi!] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Ἰώ μοί μοι) Hei mihi, mihi!

[*Strophe* 3.]

Herm. Reliquisti, reliquisti me, o pater, solam tanquam stantem in littore
Orbatam
Marino remo:
Perdes me, perdes me.
Non amplius in hac habitabo
Maritali domo.
Cuius statuas supplex petam?
An serva cadam ad servilia genua
In terra Phthia?
Utinam essem caerulea avis,
Aut pinea navis, aut
Navigarem[89]) per Cyaneum littus
Prima navigio.
Fam. O filia, neque tunc illa valde laudavi[90]),
Quando peccasti in mulierem Troianam;
Neque nunc tuum hunc metum, quo nimium times.
Non sic repellet tuum connubium maritus,
Persuasus mala oratione barbarae mulieris.
Non enim habet te captivam ex Troia,
Sed viri praestantis filiam accipiens cum magna
Dote, et ex urbe non mediocriter beata.
Et pater te non, sicut tu metuis, filia,
Deserens sinet eiici ex hac domo.
Sed vade intro, neque conspiciaris aedes
Ante has, ne afficiaris aliquo probro,
Conspecta ante hanc aulam, o filia.
Chor. Enimvero iste in aliena veste peregrinus hospes
Celeriter ad nos ex illa domo venit.
Ore. Mulieres hospites, an haec est Achillis
Filii domus, et regiae aedes?
Chor. Intelligis, sed qui es, qui interrogas haec?
Ore. Agamemnonis et Clytaemnestrae filius,
Nomine Orestes, venio autem ad Iovis
Oraculum Dodonaeum; postquam veni
In Phthiam, volui percontari de cognata
Muliere, an vivat, et bene valeat,

88) a montibus] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgrav. (= Eurip. ὀρέων) montium.

89) aut Navigarem] sic Editt. 1558., 1562., quasi legisset interpres ἤ . . ἐπέρασ'; Editt. recent. (= Eurip. ἅ . . ἐπέρασ') quae . . penetravit.

90) neque tunc illa valde laudavi] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. τότε λίαν οὔτ' ἐκεῖν' ἐπῄνεσα); Editt. recent. τό, τε λίαν οὔτ' ἐκεῖν' ἐπ. — neque excessum illum tuum [Fix.: exc. istum] laudavi.

Tu aliquando dux exercitibus Graecorum
Troiam abstulisti a Priamo, adeo ignavus existens?
Qui pro filia ex verbis filiae [43])
Adeo es ferox, et cum misera muliere
Serva venis in contentionem; non dignum duco [44])
Neque te Troia, neque Troiam te.
„Qui videntur praestantiores esse, foris sunt
„Splendidi, intus omnibus hominibus similes,
„Praeterquam divitiis: hoc magnum quiddam potest.
Menelae, age absolvamus sermones.
Sim interfecta a tua filia, et me perdiderit:
Non poterit effugere reatum homicidialem,
Et inter multos et tu adiuvabis hanc
Caedem, culpa adiuvans coget te.
Sin ego effugero, ne moriar,
An occidetis puerum? quomodo pater
Filio mortuo hoc aequo animo feret?
Non ita ignavum eum Troia vocat.
Sed vadit, quo oportet. Peleo dignas
Res et Achille patre videbitur facere.
Expellet tuam filiam ex aedibus; et tu dans [45])
Alteri, quid dices, utrum quod malum virum
Fugiat huius modestia? sed falsum erit.
Quis ducet eam? an ipsam sine viro domi
Tenebis viduam canam? o miser vir,
Non vides affluxus tantorum malorum?
Quot thalamis filiam male tractatam
Velles invenire potius, quam patiatur, quod ego dico?
„Non oportet magna mala parvis addere;
„Neque, si nos mulieres sumus nocens malum,
„Viros fieri similes mulieribus natura.
Nos si maleficiis laedimus tuam filiam,
Et debilitamus ventrem, ut ipsa dicit,
Volentes, non volentes [46]), ne quidem ad aram [47])
Procidentes, nos poenam sustinebimus
Quam tuis generis [48]), quibus non minorem
Poenam debeo, addens orbitatem.
Nos sumus tales, sed de tuo animo
Unum metuo, propter muliebrem iram [49])
Qui perdidisti et miseram Phrygum urbem.
Chor. Fortiter dixisti ut mulier adversus viros,
Et sapientiam tuae mentis eiaculata es.
Men. Mulier, ista sunt parva et imperio
Meo [50]) non digna, ut ais, neque Graecia.
„Sed bene scias, quo quis opus habet,
„Hoc cuilibet pluris est, quam Troiam capere [51]).
Et ego filiae, iudico enim ista esse magna,
Ne privetur connubio, sum adiutor.
„Alia quidem inferiora pateretur mulier,
„Sed excidens viro, excidit vita.
Convenit illum imperare meis servis,
Et meos meque illius;
„Amicorum enim nihil est proprium, qui amici
„Vere sunt; sed res sunt communes [52]).
Expectans absentes, si non efficiam
Mea quam optime, nihil sim, et non sapiens.
Sed cede ex hoc templo Deae,
Quia, si tu interficiaris, puer iste effugiet mortem.
Te non volente mori, hunc interficiam:
Necesse est ex duobus alterum relinquere vitam.
Andr. Heu mihi, acerbam sortitionem et electionem
Vitae proponis; et eligens misera,
Non eligens infelix sum.
O magna faciens de parva causa,
Audi, quid me interficis? quare? quam urbem
Prodidi? quem tuorum liberorum interfeci?
Quam domum incendi? coacta dormivi
Cum domino, et iam me, non illum interficies,
Qui est causa horum. Sed principium omittens,
Venis ad finem, qui est posterior?
Heu mihi propter ista mala, o misera mea patria,

43) pro filia ex verbis filiae] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr.: filiae iuvenculae ex verbis.

44) dignum duco] sic scripsi (= Eurip. ἀξιῶ; Editt. recent.: iudico dignum); Editt. 1558., 1562. errore typogr.: dignum duce.

45) dans] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: nuptui dans (Eurip. ἐκδιδοὺς).

46) non volentes] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. οὐκ ἄκοντες) non inviti [Fix.: invita].

47) ne quidem ad aram] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. male: ne quidam ad aram; Barn., Musgr.: nec ad aram quidem (Eurip. οὐδὲ βώμιοι).

48) Quam tuis generis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Ἐν σοῖσι γαμβροῖς) Apud tuos generos.

49) propter muliebrem iram] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: propter contentionem ex muliere ortam [Fix.: pr. c. de muliere] (Eurip. διὰ γυναικείαν ἔριν).

50) Meo] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: Mea.

51) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Cupiditas.

52) H. l. iisd. Editt. nota marg.: Omnia amicis communia.

Quam horribilia patior, quid mihi opus erat parere,
Et addere duplex onus ad hoc onus?
Sed quid propter haec doleo, et praesentia
Mala non scrutor neque considero?
Quae necem Hectoris raptati curru
Vidi, et misere inflammatum Ilium,
Et ipsa fui serva ad naves Argivorum[53])
Capillo tracta; postquam veni
In Phthiam, sum coniunx interfectoris Hectoris.
Quid mihi potest esse suave vivere? ad quid oportet respicere?
An praesentem fortunam, an praeteritam?
Unus iste filius erat mihi reliquus, oculus vitae:
Hunc sunt interfecturi, quibus illa placent.
Non propter meam miseram vitam:
In hoc est spes, si servatur.
Mihi est turpe non mori pro puero.
Ecce relinquo aram, ego obnoxia
Ad mactandum, ad interficiendum, ad ligandum, ad decollandum.
O fili, ego mater tua, ne tu interficiaris,
Morior; si effugeris fatum,
Memineris matris, qualia sustinens perierim,
Et ad patrem tuum vadens, per oscula
Stillans lachrymas et amplectens manus,
Dicito, qualia fecerim. „Omnibus hominibus sunt
„Liberi vita: et qui vituperat meum dictum inexpertus,
„Minus dolet, et est beatus in illo ipso infortunio.
Chor. „Miserta sum audiens; nam calamitates sunt miserabiles
„Omnibus hominibus, etiamsi quis alienus sit.
Oportet te et tuam filiam in reconciliationem ducere,
Menelae, et istam, ut liberetur a malis.
Men. Prehendite implicantes istius brachia,
Servi, audiet non gratos sermones:
Ego tibi, ut deseras puram aram Deae,
Proposui pueri mortem, qua ratione te decepi,
Ut venires in meas manus ad necem.
Et scito, quae ad te pertinent, sic se habere.

53) Hic versus in Editt. 1558., 1562. aeque ac in Editt. Basil. 1551., Musgr., Fix. praecedentem proxime sequitur; in Ed. Barn. inter utrumque legitur hicce intra cancellos inclusus: [*Καὶ παῖδ' ἀποβληθέντα περγάμων ἄκρων*] — [Filiumque deiectum a turribus altis?] de quo conf. nota a Barnesio adscripta.

Sed de isto puero mea filia iudicabit,
An velit eum interficere, an non.
Sed vade in hanc domum, ut liberos
Discas non afficere contumelia, serva existens.
Andr. Heu mihi, dolo me decepisti, sumus in fraudem inductae.
Men. Praedica hoc omnibus; non enim nego.
Andr. An sunt haec apud vos, qui ad Eurotam habitatis, recta?
Men. Etiam in Troia rectum est laesos se vindicare.
Andr. Et Deos non Deos putas, neque esse vindictam?
Men. Quando illa erunt, tunc feremus; nunc te interficiam.
Andr. An et pullum hunc sub alis avellens?
Men. Non, sed filiae dabo, si velit interficere.
Andr. Heu mihi! quomodo gemam te, o fili?
Men. Nequaquam eum manet spes ferociendi[54]).
Andr. O omnibus hominibus inimicissimi
Spartae incolae, dolosi consultores,
Domini mendaciorum, suentes mala,
Tortuosa, et nihil sani, sed omnia insidiose
Sentientes, iniuste estis fortunati per Graeciam.
Quid non est in vobis? nonne plurimae caedes?
Nonne rapaces? nonne alia dicentes
Lingua, et alia sentientes deprehendimini semper?
Pereatis. Mihi mors non est adeo gravis,
Ut tibi videtur; illa mala me perdiderunt,
Quando misera urbs Phrygum est consumpta,
Et meus inclytus maritus, qui te saepe pugnando
Fecit malum nautam pro milite[55]).
Nunc contra mulierem appares terribilis miles,
Interficis me. Interfice, quia non delinitum te
Et tuam filiam mea lingua dimittam:
Quoniam tu es magnus in Sparta,
Nos in Troia. „Si ego iam sum in adversa fortuna,

54) Nequaquam eum manet spes ferociendi.] sic Editt. 1558., 1562. quasi interpres legisset *θρασεῖν*, loco *θρασεῖα*; Barn.: Annon, audacula tu, spes ipsum manebit? Musgr., Fix.: Nimirum certa illum spes non manet.

55) milite] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *χερσαίου*) *milite* terrestri.

Spartana Hermione; nam procul
Habitans a nobis, tamen est chara.
Herm.[91]) O navigantibus portus tempestatis apparens
Agamemnonis fili, oro te per ista genua,
Miserere nostri, quorum fortunam inspicis
Infelicium: non minus valentia, quam ramus supplicum,
Mea brachia appono tibi ad genua.
Ore. Age, quae est res? num erramus? an clare video
Filiam Menelai, reginam harum aedium?
Herm. Quam solam Tyndaris mulier peperit
Helena patri in aedibus, ne ignores.
Ore. O Phoebe medice, des solutionem malorum:
Quae res est? a Diis an hominibus pateris mala?
Herm. Partim a nobis, partim a viro, qui me habet,
Partim a Deo aliquo: ubique periimus.
Ore. Quae potest esse, nondum natis
Liberis, mulieri calamitas, praeterquam de connubio?
Herm. Hac ipsa re languemus, recte meo sermoni subservis.
Ore. Aliud connubium pro te amat maritus?
Herm. Captivam uxorem Hectoris.
Ore. Malum dixisti, unum virum habere duas coniuges.
Herm. Talia sunt haec; deinde ego ulta sum.
Ore. Num adversus mulierem struxisti, qualia solet mulier?
Herm. Necem ipsi et filio notho.
Ore. Et occidisti? an aliquis liberavit a calamitate?
Herm. Senex Peleus, magis curans deteriores.
Ore. Erat aliquis, qui in caede tibi communicaret?
Herm. Pater, ad hoc ipsum ex Sparta profectus.
Ore. Et ille superatus est manu senis?
Herm. Pudore, et me relinquens desertam abiit.
Ore. Intelligo, metuis maritum propter facta.
Herm. Tenes, interficiet me iuste; quid oportet dicere?
Sed rogo te, Iovem invocans, cognatorum praesidem,

---

91) *Herm.*] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. *Chor.*; Ed. Basil. 1551. *Θερ.* (*Fam.*).

Mitte me ex hac regione quam longissime,
Aut ad paternas aedes, quia videntur mihi
Aedes hae expulsurae me, si loqui possent.
Et odit terra Phthia, et si venerit prius
Maritus domum, linquens oraculum Phoebi,
Occidet me propter turpissima; aut serviemus
Pellici, cui antea imperabamus.
Ore. Quomodo in hac re impegisti, ut ita aliquis dicat?
Herm. „Malarum mulierum introitus me perdiderunt,
Quae mihi dicentes[92]) istos sermones tumide amplificarunt:
Tu pessimam captivam domi
Servam tolerabis[93]), communicantem tibi in connubio?
Per reginam, non in mea domo
Videns lucem frueretur meo lecto.
Ego audiens illos Sirenum sermones,
Callidarum, veteratoriarum, loquacium,
Stultitia sum incitata; quid enim opus erat me
Metuere maritum, cui aderant, quibus opus erat?
Multae divitiae, et aedibus imperabamus:
Ego peperissem filios legitimos,
Illa semiservos meis, nothos;
„Sed nunquam, nunquam, non enim semel dicam,
„Oportet prudentes, quibus est mulier,
„Ad uxorem in aedibus sinere ingredi
„Mulieres[94]); ipsae enim sunt doctrices malorum,
„Alia captans lucrum corrumpit lectum,
„Alia, quae peccavit, vult aliam secum aegrotare.
„Multae propter ignaviam: et inde familiae
„Virorum languent. Adversus haec bene munite
„Ianuas aedium claustris et vectibus;
„Nam nihil boni extrinseci introitus
„Mulierum faciunt, sed multa et mala[95]).
Chor. Nimium admisisti linguam in cognatum sexum;

---

92) dicentes] sic (= Eurip. λέγουσαι) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. dicendos.

93) tolerabis] sic (= Eurip. ἀνέξῃ) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. tolerabilis.

94) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Arcenda ab uxoribus mulierum colloquia.

95) multa et mala.] sic (= Eurip. πολλὰ καὶ κακά) Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: multa mala.

Sed sunt ista tibi quidem ignoscenda, sed tamen convenit
Mulieres ornare muliebres naturas.
Ore. „Sapiens res est eius, qui docuit homines
„Audire sermones a contrariis.
Ego enim sciens perturbationem huius familiae,
Et tuam litem et uxoris Hectoris,
Expectabam habens custodias, an hic maneres,
An perterrefacta metu captivae
Mulieris velles discedere ex hac domo.
Veni non expectans tuas epistolas,
Et si redderes rationem, sicut reddis,
Mittam te ab his aedibus. Nam cum prius mea esses,
Habitas cum isto viro perfidia tui patris,
Qui, priusquam facerent irruptionem in fines Troiae,
Dedit te mihi uxorem; et postea promisit
Nunc te habenti, si expugnaret urbem Troianam.
Postquam rediit huc filius Achillis,
Expostulavi cum tuo patre, et istum rogabam,
Ut relinqueret tuum connubium, dicens meas aerumnas,
Et praesentes furias[96]), quod cognatis
„A viris possem ducere uxorem, aliunde non facile,
Exulans ab aedibus, quale exilium ego exulabam.
Ille erat contumeliosus in necem meae matris,
Et furias exprobrabat mihi.
Et ego abiectus domestica fortuna,
Dolebam quidem, dolebam, sed tenebar calamitate,
Et privatus tuis nuptiis, invitus abibam.
Nunc quoniam tua est conversa fortuna,
Et es in angustia, incidens in hanc calamitatem,
Ducam te ab aedibus, et reddam in manum patris.
„Cognatio[97]) multum potest; et in adversis rebus
„Nihil melius est cognato amico.
Herm. Desponsationis meae pater meus
Curam habebit, et non est meum statuere hoc.
Sed quam primum abduc me ex istis aedibus,
Ne antevertat me accedens ad domum et veniens maritus,
Vel deserentem me domum filii resciscens
Peleus persequatur equestri persecutione.
Ore. Confide, senis manum et Achillis
Filium non metuas, qui me iniuria affecit.
Nam tales insidiae ei sunt structae,
Est in laqueis inexplicabilibus necis
Hac manu positis, quas[98]) prius non dicam.
Sed perfecta re, sciet Delphica petra.
Matricida autem (si sociorum meorum
Foedera manserint firma in terra Pythica)
Ostendet ei, ne ducat, quam ego debebam,
Suo malo poscet[99]) poenam paternae necis
A rege Phoebo; neque illum mutatio
Animi iuvabit, dantem nunc poenas Deo;
Sed ex illo et mea accusatione
Male peribit, agnoscet meam inimicitiam.
„Nam virorum inimicorum fatum in conversionem
„Deus dat, et non sinit superbire.

[*Strophe* 1.]

Chor. O Phoebe, qui muniisti in Ilio
Bene munitum vicum, et Neptune
Qui veheris caeruleis equis
Per marinum pelagus,
Quare gratuitam laboran-
tem manum vestri artificii
Marti pugnandi perito prodentes,
Reliquistis miseram miseram Troiam?

[*Antistrophe* 1.]

Et plurimos in littore ad Simoëntem
Equestres currus iunxistis,
Et certamina letalia virorum
Posuistis sine coronis,
Et abierunt mortui
Iliaci re-
ges; neque amplius ignis in ara Troiae
Diis lucet fumo odorato.

[*Strophe* 2.]

Periit Agamemnon manu coniugis,
Et ipsa persolvit caedem sua nece

96) praesentes furias] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: praesentem *malum* daemonem; Fix.: praesentem fortunam (Eurip. τὸν παρόντα δαίμον').

97) Cognatio] sic (= Eurip. Τὸ συγγενὲς) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Cognato. — In marg. Editt. 1558., 1562. h. l. legitur vox: Cognati.

98) quas (*insidias*)] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. quam (Eurip. ἣν [scil. μηχανὴν]).

99) poscet] sic (= Eurip. αἰτήσει) Editt. 1562., Barn., Musgrav., Fix.; Ed. 1558. posset.

Punita a liberis.
Dei, Dei eam
Evertit mandatum
Divinum, quando eam
Ex Argis[99a]) veniens
Agamemnonius iuvenis
Ex adyto loco invasit matris interfector.
O Deus, o Phoebe, quomodo credam?

[*Antistrophe 2.*]

Multa Graecorum
Fora gemitus tristes
Possent canere de infelicibus filiis; coniuges
Reliquerunt domos
Ad alium maritum.
Non tibi soli
Fuerunt infesti,
Non amicis moerores.
Morbum sustinuit Graecia, morbum.
Transiit et ad foecunda iugera Phrygum
Fulmen stillans Plutonias neces.

[*Peleus, Chorus, Nuntius, Thetis.*]

Pel. Phthiae mulieres, interroganti mihi
Indicate; accepi enim non perspicuum sermonem,
Quod Menelai filia relinquens domum
Hanc discesserit: venio habens studium cognoscendi,
An haec sint vera. „Nam absentium amicorum
„Fortunas curare debent ii, qui domi sunt[100]).
Chor. Peleu, recte audivisti, neque me decet
Occultare, in quibus sim malis;
Nam regina discessit fugitiva ex his aedibus.
Pel. Quem metum nacta? dic mihi.
Chor. Metuens maritum, ne eam ex aedibus eiiciat.
Pel. Num propter consilia de morte pueri?
Chor. Sane, et metu captivae mulieris.
Pel. Cum patre, aut cum quo reliquit aedes?
Chor. Filius Agamemnonis venit abducens eam hinc.
Pel. Quam habens spem, an volens ducere?
Chor. Et illaturus necem filio filii tui.
Pel. An per insidias, an in conspectum veniens pugnando?
Chor. In puro templo Apollinis cum Delphicis.
Pel. Hei mihi, hoc est atrox; non iam cito
Ibit aliquis ad Pythicam aram,
Et quae hic acta sunt, dicet amicis ibi,
Priusquam interficiatur filius Achillis ab inimicis?
Nun. Heu mihi mihi,
Qualem calamitatem venio nuntians miser
Tibi, o senex, et amicis domini!
Pel. Heu heu, animus praesagit tanquam aliquid expectans.
Nun. Non est tibi filius filii, ut scias, senex
Peleu: tales plagas ensium habet
A viris Delphicis et Mycenaeo hospite.
Chor. Heu heu, quid facies, o senex? ne cadas,
Erige te. *Pel.* Nihil sum, perii,
Evanida est vox, et evanida membra mea infra.
Nun. Audi, si per tuos amicos ulcisci
Vis factum, erigens tuum corpus.
Pel. O fatum senectutis in extremo limite,
Quale me miserum circumdedisti?
Quomodo periit mihi unicus filius unici filii?
Dic; volo non audire, volo tamen audire.
Nun. Postquam venimus ad clarum solum Phoebi,
Tres lucidos transitus solis
Spectandis rebus dantes, implevimus oculos.
Et hoc iam erat suspectum, ac ad turmas
Et coetus concurrebat populus habitans ibi apud Deum.
Agamemnonis vero filius vadens per urbem,
Singulis in aurem dicebat hostiles sermones:
Videte istum, qui vadit per Dei
Specus plenos auri, thesauros hominum;
Secundo adest[1]) propter eandem causam, ut prius,
Venit huc, volens evertere templum Apollinis.
Ex istis sermonibus magnus rumor movebatur in urbe,
Magistratus legebantur, et in curias,
Et privatim, quicunque praeerant thesauris Dei,
Praesidium collocarunt in vicinis domibus.
Nos interim pecudes, nemoris Parnassi
Alumnos, nihil scientes de his rebus,
Acceperamus, et accessimus ad aras
Cum hospitibus et vatibus Pythicis.
Et aliquis hoc dixit: O adolescens, quid tibi

99a) Ex Argis] sic scripsi (Editt. recent.: Argis); Editt. 1558., 1562. Ex Argo.

100) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Amici absentis ratio habenda.

1) adest] sic Editt. 1558., Barn. (Eurip. παρόντ'); Ed. 1562. abest.

A Deo petemus? cuius causa venis?
Iste dixit: Phoebo pro priore peccato
Poenas dare volumus; postulavi enim
Ab ipso aliquando, ut daret poenam pro sanguine patris.
Et ibi Orestis calumnia multum valens
Apparuit, quod mentiretur meus dominus,
Veniens de turpi causa. Venit autem templi
Intra fastigium, ut ante oraculum
Precaretur Phoebum, et det operam incensis sacrificiis[2]).
Isti[3]) aderant manipulus armatus
Tectus lauro, inter quos Clytaemnestrae filius
Erat unus, autor omnium istorum.
Et ille palam stans precatur Deum;
Isti acutis ensibus armati
Pungunt inermem filium Achillis clam.
Retro cedit, non enim letaliter vulneratus
Erat, et detrahit a columna
Suspensa arma a clavo,
Statque ad aram terribilis bellator adspectu,
Et clamat, Delphicos istos interrogans:
Quare me occiditis, piam viam
Venientem, propter quam causam pereo?
Istorum cum prope essent innumerabiles, nihil quisquam
Dixit, sed iaciebant lapides ex manibus.
Obrutus autem undique densa grandine,
Obiiciebat arma, et cavebat ictus,
Huc et illuc manu obiiciens clypeum;
Sed nihil iuvabat, multa undique tela,
Sagittae, iacula emissa ancipitia,
Lati enses decidebant ante pedes.
Vidisses mirabiles saltationes caventis
Tela filii; postquam autem undique
In orbem urgebant, non dantes respirationem,
Tollens ab ara focum, in quo offeruntur pecudes,
Saltans pedibus Troianum saltum,
Vadit contra eos. Isti, sicut columbae
Videntes accipitrem, ad fugam terga verterunt.
Multi cadebant passim ex vulneribus,
Et ipsi se comprimentes in angusto exitu.
Abominabilis clamor in sacra domo
Resonuit ex saxis; postquam erat tranquillitas[3a]),
Stetit dominus lucens in splendidis armis,
Priusquam aliquis sonuit ex mediis adytis
Terribiliter et horribiliter, et impulit exercitum
Convertens ad pugnam. Ibi cadit Achillis
Filius, vulneratus in latere acuto gladio
A viro Delphico, qui eum perdidit
Cum multis aliis. Postquam ad terram cadit,
Quis non ferrum adegit? quis non saxum
Iaciens, feriens? Consumptum est totum corpus
Pulchrum a magnis vulneribus.
Porro cadaver iacens ante altare,
Eiecerunt extra sacrum templum.
Nos auferentes celerrime manibus,
Portamus eum tibi deflendum lachrymis,
Et lugendum, senex, et ornandum sepultura.
Talia Apollo, qui vaticinatur aliis,
Et est iudex iustitiae omnibus hominibus,
Fecit filio Achillis danti poenas;
Et recordatus est, sicut malus homo,
Vetera iurgia: quomodo esset sapiens?
Chor. Atqui ipse rex gestatur
Ex terra Delphica domum.
Miser, cui accidit, miser senex
Et tu; recipis enim Achilleum
Pullum in aedes, non ut tu vis.
Ipse incidit in mala damna,
Tu incidisti in idem fatum.
Pel. Heu mihi, quale malum video
Hoc, et recipio manu in aedes meas?
Heu mihi, ah ah!
O urbs Thessalica, periimus,
Periimus, non amplius mihi liberi ex genere
Supersunt in aedibus,
O ego acerba passus, in quem
Amicum oculos coniiciens delectabor?
O charum os, et genae et manus,
Utinam te ad Ilium interfecisset fatum
Ad littus Simoëntis.
Chor. Iste fuisset honore affectus, o senex, tunc
Mortuus, et quod ad te attinet, esset tolerabilius.
Pel. O nuptiae, o nuptiae,
Quae has aedes et meam urbem
Perdidistis, ah ah, ah ah, o fili,
Nunquam infelices nuptias tuas
Debuit in meum genus et filios et domum
Recipere

2) et det op. i. s.] sic Ed. 1562.; Ed. 1556. et dat op. i. s.; Editt. recent.: Erat autem [Fix.: eratque] *occupatus* in incensis victimis.

3) Isti] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr., Fix.: Huic; Barn.: Hoc autem *in loco* (Eurip. *Τῷδε*).

3a) postquam erat tranquillitas] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: ceu autem tranquillitas.

Hermione, mortem adversus te, o fili[4]);
Sed antea perire fulmine.
Neque propter letalem iaculationem patris
Vocem factam divinitus
A Phoebo, mortalis in Deum referre[5]).

[*Strophe* 1.]

Chor. Heu heu!
Mortui domini luctus,
Ut ius est manium, inchoabo.
Pel. Heu heu!
Continenter ego miser
Senex et infelix lachrymo.
Chor. Dei fatum est, Deus fecit istas calamitates.

[*Strophe* 2.]

Pel. O chare, domum reliquisti desertam,
Heu mihi[6])!
Miserum me senem orbum orbasti.
Chor. Oportebat te, o senex, mori ante tuos liberos.

[*Strophe* 3.]

Pel. Non lacerabo comam,
Non imponam
Meo capiti planctum noxium manus?
O urbs, duobus liberis
Me privavit Phoebus.
Chor. O infelix senex mala passus et videns,

[*Strophe* 4.]

Qualem vitam habebis in posterum?
Pel. Orbus liberis, desertus, non habens finem malorum.
Exhauriam labores usque ad mortem.
Chor. Frustra te Dii bearunt in nuptiis.

[*Strophe* 5.]

Pel. Avolantia omnia, evanida iacent,
Pompa sublimi quae antea fuit[7]).
Chor. Solus in sola domo versaris.

[*Strophe* 6.]

Pel. Civitas non est mihi amplius civitas.
Valeant sceptra ista per terram;
Et tu, o filia Nerei, in obscuris antris
Videbis me miserum cadentem ad terram.
Chor. O, o,
Quid motum est? quod sentio
Numen? puellae, cernite, videte,
Aliquis Deus in lucido aere
Vectus, alumnos equorum
Campos Phthiae ingreditur.
Thetis. Peleu, propter tuas priores nuptias
Venio Thetis, relinquens Nerei domum,
Et primum te praesentibus malis
Non nimium angi hortata[8]).
Nam et ipsa, quam oportuit non lugendos liberos parere,
Amisi ex te filium velocem pedibus
Achillem pariens, praecipuum Graeciae.
Sed quorum causa veni, indicabo, et tu accipe.
Mortuum hunc filium Achillis
Sepeli, vadens ad forum Pythicum
In probrum Delphis, ut sepultura indicet
Violentam caedem, ab Oreste factam.
Et mulierem captivam, Andromachen dico,
Oportet habitare Molossiam terram, senex,
Coniunctam nuptiis Heleno;
Et istum puerum ab Aeaco solum
Relictum regem; et ex hoc oportet
Alium ex alio regere Molossiam
Felices; non enim sic eversum
Fieri meum et tuum genus oportet, senex,
Et Troiae; nam et illa Diis curae est,
Quamquam eversa Palladis consilio.
Porro te, ut videas gratiam mei connubii,
Dea nata, et filia Dei patris,
Liberans a malis humanis
Immortalem et incorruptibilem faciam Deum;
Deinde mecum in domo Nerei
In posterum iam Deus habitabis cum Dea.

---

4) Nunquam infelices — o fili;] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Utinam nunquam tuarum nuptiarum *causa* infaustum Meum genus in liberos et domum Recepisset Hermiones Plutonem (i. e. *malum genium*), in tuam perniciem, o fili! Musgr.: Nunquam, o tuarum nuptiarum infaustum Meum genus excindere debuit, et domus Circumfundere Hermiones perniciem tibi, o fili! Fix.: Utinam coniugis tuae infaustum Mihi in liberos *meos* et domum genus Ne attulisset tibi Necem ab Hermione destinatam, o fili!

5) Vocem factam — referre.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Sanguinem generosum unquam Phoebo, mortalis Deo, acceptum retulisses, *paternaeque necis eum postulasses.* Musgr.: Caedem Iove-geniti unquam Phoebo Mortalis Deo, ipse imputare. Fix.: caedis Iove geniti crimen unquam in Phoebum, Mortalis in deum, contulisses.

6) Heu mihi!] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (aeque ac Eurip. Ed. Basil. 1551.) *Ἰώ μοί μοι*, — Heu mihi, mihi! In Ed. Fix. haec desunt.

7) Pompa sublimi quae antea fuit.] sic Editt. 1558., 1562.: Barn.: Fastu sublimi *quae tumebant* prius; Musgr., Fix.: A fastu sublimi longe [Fix: procul] distantia.

8) hortata.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: hortor (Eurip. *παρῄνεσα*).

Inde proferens siccum pedem ex Ponto,
Charissimum tibi et mihi filium Achillem
Videbis habitantem domos insulares
In Leucae insulae littore intra Euxinum meatum.
Sed vade ad divinam urbem Delphorum,
Portans istud cadaver, et occultans sub terra,
Rediens in cavum specum veteris scopuli
Sepiae[9]) sede, et expecta, donec ex mari
Ducens chorum quinquaginta Nereidum,
Gestatorem tuum, veniam; „nam fatum
„Oportet te perficere; Iovi enim ista videntur.
Sed desine a dolore pro mortuis.
„Omnibus hominibus a Diis iste
„Calculus est destinatus, debent mori.
Pel. O veneranda, o generosa coniunx,
*N*erei filia, salve, ista digne
Te et tuis liberis facis.
Desino a dolore te iubente Dea,
Vado sepeliens hunc ad latus Pelii montis,
Ubi cepi tuum pulcherrimum corpus manibus.
„Nonne[10]) prodest ducere ex generosis,
„Et dare nuptum in bonas familias, si quis recte consulit[11])?
„Et non concupiscere malam coniugem,
„Ne quidem si afferat domum locupletem dotem?
„Nunquam enim male se divinitus habebunt.
Chor. „Multae sunt species fatorum.
„Multa perficiunt Dii praeter spem,
„Et expectata non eveniunt,
„Non speratorum exitum invenit Deus[12]).
Sic haec res exiit.

9) Sepiae] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Sepiadis (= Eurip. *Σηπιάδος*).

10) Nonne] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. *Κἆτ' οὖν* — Deinde igitur; Musgr., Fix. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) *Κἆτ' οὐ* — Deinde annon.

11) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Coniugium.

12) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Fatum incertum.

LXII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO SUPPLICUM EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis exstat in *Xylandri* Editt. 1558., 1562., quibuscum Editiones recentiores *Barnesii*, *Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. adscripsi intra cancellos inclusas.

EURIPIDIS SUPPLICES
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum.

Scena quidem est in Eleusine; Chorus autem ex Argivis mulieribus, quae matres erant interfectorum ad Thebas procerum. Ipsa fabula est encomium Atheniensium[1]).

Personae fabulae.

Aethra
Chorus
Theseus
Adrastus
Praeco[2])
Nuntius
Evadne
Iphis
Puer[3])
Minerva[4]).

SUPPLICES.

Praefatur autem[5]) *Aethra*.

O Ceres, tutelaris Dea Eleusinis terrae
Huius, et sacerdotes, qui tenetis templa Deae,
Ut ego sim beata, precor, et Theseus, filius meus,
Et civitas Atheniensis, et terra Pitthei,

---

1) Haec annotatio, quae in Editt. 1558., 1562. „Argumentum" inscripta est, graece legitur in Eurip. Ed. Basil. 1551. — Barnesius huic tragoediae praefixit hoc argumentum graece et latine ab ipso adornatum: „Post septem Ducum, qui adversus Thebas expeditionem susceperant, cladem, *Creon*, *Thebano* regno potitus, *Argivorum* cadavera insepulta proiici iubet. *Adrastus* igitur, *Argivorum* rex, viribus inferior quum esset, aegre hoc ferebat, et spem quandam in *Thesei*, regis *Athenarum*, magnanimitate reponens, ad *Eleusina*, urbem *Atticae*, venit, una cum matribus, viduis et filiolis Septemvirorum istorum et aliorum *Thebanorum* Ducum ad *Thebas* defunctorum. Et hic quidem ad Cereris aram confugit, et ramis supplicatoriis positis sepulturae copiam precabatur. Ut autem forte *Aethra*, mater Thesei, aderat, (sacrificabat enim Deae victimas pro fausta aratione) misericordia mota favebat *Supplicibus*, et hortata est filium suum ad bellum. *Theseus* igitur, post irritam legationem, exercitu educto, victor evasit, et reportata ad *Eleusiniam* cadavera sepulturae dedit. Ibi *Capanei* rogo ardente, *Euadne*, illius uxor, *Iphis*que filia, se in illum iniecit, flammisque consumta est. *Theseus Adrastum* dimittit sub iureiurando, nunquam *Argivos* contra *Athenienses* arma laturos.

Scena Fabulae est *Eleusine*; Chorus ex *Argivis* mulieribus constat, quae matres et uxores erant septem Ducum, qui ad *Thebas* ceciderunt. Docebatur sub *Antiphonte* Archonte, Olympiadis 90. anno 3., quando *Argivi* et *Lacedaemonii*, Legatis hinc inde euntibus, pacem inter se fecerunt, et mutuum auxilium pepigerunt. Est autem tota Fabula *Atheniensis* populi encomium.

2) In personarum catalogo, quem Ed. Barn. exhibet, hanc personam sequitur: „Alter Praeco, muta persona."

3) Puer] sic Editt. Barn., Musgr. (in catal. gr. *Παῖς*); Fix.: Pueri (in catal. gr. *Παῖδες*); in catalogo Editt. 1558., 1562. et Ed. Basil. 1551. haec persona est omissa.

4) Minerva] haec quoque persona, quae in catal. Editt. recentiorum h. l. legitur, in catalogo Editt. 1558., 1562. aeque ac in Ed. Basil. 1551. deest.

5) Praefatur autem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. Barn. et Musgr. pro his, personarum catalogo in fine addunt: *Προλογίζει δὲ ἡ Αἴθρα* (sic etiam Ed. Basil. 1551.) — Prologum autem agit Aethra.

In qua me alens in domo locuplete
Aethram pater dat Pandionis filio
Aegeo uxorem propter oraculum Apollinis.
Istas intuens haec sum precata
Anus, quae linquentes domos Argivae terrae
Supplici fronde advolvuntur meis genibus,
Quibus aliquid mali accidit; nam ad portas
Cadmi mortuis septem liberis generosis,
Orbae sunt, quos Argivorum rex
Adrastus duxit, Oedipi haereditatis
Partem volens occupare exuli Polynici
Genero; sed cadavera interfecta in proelio
Istorum matres sepelire volunt in patria.
Prohibent victores, neque deportationem
Dare volunt, contumelia afficientes leges Deorum.
Una autem cum his frondem gestat mei indigens
Adrastus iste, irrigansque oculós lachrymis
Iacet, bellum et infelicem
Gemens expeditionem, quam domo misit.
Qui me hortatur meum filium persuadere precibus,
Ut cadaverum recuperator aut persuadendo, aut hastae
Robore fieret, et autor sepulturae:
Soli meo filio imponens hanc rem
Et civitati Atheniensi. Sed pro terrae
Aratione sacrifico, egressa ex aedibus meis
Ad hoc templum, ubi primum videtur
Rigida super terram spica fructifera.
Tenens autem manipulum graminum non vinctum,
Expectabo ad castos focos duarum Dearum
Cereris et filiae: miserta quidem
Canas istas matres orbatas liberis,
Reverens sacrum ornamentum. Abit mihi
Ad urbem praeco, vocans huc Thesea,
Ut aut auferat istam harum miseriam ex terra,
Aut ista iura[5a]) supplicum solvat, erga Deos
Rem piam faciens. „Omnia enim per masculos
„Mulieribus convenit agere, quae sunt modestae[6]).

Chor. Supplico tibi, anus, ex venerando ore,
Advoluta genibus tuis,
Ut redimas mihi filios
Mortuos, qui relinquunt corpus[7])
Morte solvente membra,
Bestiis montanis escam:
Intuens miserabiles oculorum
Lachrymas circa palpebras
Et rugosas carnes canas,
Gestamen[8]) manuum; quid enim, quae
Mortuos filios meos neque domi
Posui, neque sepulchrorum
Tumulos terrae video.
Generasti[9]) tu quoque, veneranda, filium,
Faciens gratum thalamum tuo marito,
Impertias mihi nunc tuam mentem,
Impertias, quantum doleo misera
De mortuis, quos peperi. Persuade tuum, cui sumus supplices, venire
Filium ad Ismenum, ut in meam manum[10]) ponat
Iuvenilium cadaverum corpora ad lapideum sepulchrum
Sancte; non autem per vim incidens, petens venio ad recipientes ignem Deorum
Aras, et habemus ius; at tibi
Adest facultas, ut felicitate tui filii
Auferas infelicitatem meam.
Fio supplex, cum patiar miserabilia,
Ut ponas mihi filium in misera manu,
Ut circumdem misera membra mortua mei filii.

[*Strophe.*]

Venit alia miseria luctuum
Sequens[11]), dolent ministrorum manus.
Ite, o pueri, mali socii chori,
Ite, o una dolentes,
Ad chorum, quem colit Pluto.
Candidum unguem in genis
Cruentate, et corpora mortua[12]).

5a) ista iura] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: istam necessitatem.

6) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Viris res agendae.

7) corpus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *μέλη*) artus.

8) Gestamen] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Lacerationes manuum vi *factas* (Eurip. *καταδρύματα*).

9) Generasti] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Peperisti (Eurip. *ἔτεκες*).

10) in meam manum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: in mea manu.

11) Venit — Sequens,] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (=text. gr.): Certamen hoc aliud venit luctuum, luctibus *perpetuo* Succedens.

12) et corpora mortua.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: corpusque lacerum [Musgr.: sanguinolentum] (=Eurip. *χρωτά τε φόνιον*).

„Haec enim sunt ornatus mortuorum apud vivos.

[*Antistrophe.*]

Educit me haec insatiabilis voluptas lachrymandi
Miserabilis, tanquam ex petra in mari stante
Humida fluens gutta,
Non desinens semper luctus.
Nam propter mortuos filios
Miserabilis mulieribus
In luctus erumpit affectus: heu heu.
Mortua possim oblivisci horum malorum.
Thes. Quos luctus audivi, et percussiones pectorum
Et lamentationes de mortuis, ab hoc templo
Echo redeunte? quam metus me suspensum reddit,
Ne mater, ad quam vado,
Quae diu abfuit ex aedibus, habeat aliquid novi.
Eia, quae res est? video novas propositiones sermonum,
Matrem anum in ara sedentem,
Et peregrinas simul mulieres, non unum sonum
Habentes luctuum; nam ex venerandis
Oculis mittunt miserabiles lachrymas in terram;
Et puellae[13]), ac vestitus, non qualis est in pompis sacrorum.
Quid haec sunt, mater? tuum est indicare mihi,
Et meum audire; expecto aliquid novi.
Aeth. O fili, istae mulieres sunt matres filiorum,
Qui ad Cadmeas portas occubuerunt,
Septem ducum; et cum ramis supplicum
Observant me, ut vides, undique, fili.
Thes. Quis est iste gemens miserabiliter in porta?
Aeth. Adrastus, ut aiunt, Argivorum rex.
Thes. Sed pueri circa eum an sunt eius filii?
Aeth. Non, sed pupilli mortuorum, qui occubuerunt.
Thes. Quare ad nos venit supplici manu?
Aeth. Scio; sed horum sermo deinceps est, fili.
Thes. Te obvolutum penulis interrogo.

13) puellae] sic Editt. 1558., 1562. quasi legisset interpres κούραι s. κόραι; Editt. recent. (=Eurip.: κουραὶ) rasurae.

Dic, proferens caput, et omitte luctum:
„Nihili efficietur, nisi eloquaris.
Adr. O victoriose rex terrae Atheniensium,
Theseu, venio supplex tibi et urbi tuae.
Thes. Quam rem venans, aut quo opus habens?
Adr. Scis, quam perniciosam expeditionem feci?
Thes. Non enim tacite pertransiisti Graeciam.
Adr. Ibi perdidi Argivorum proceres.
Thes. Talia miserum bellum facit.
Adr. Hos mortuos veni petiturus ab urbe.
Thes. Confidens praeconibus Mercurii, ut sepelias mortuos?
Adr. Sed hostes non sinunt me.
Thes. Quid dicunt, cum tu iusta petas?
Adr. Quid? felices non possunt ferre.
Thes. Ergo venisti consulturus me, aut cuius gratia?
Adr. O Theseu, volens te curare[13a]) filios Argivorum.
Thes. Ubi est nobis[14]) Argos[15])? an frustra gloriatur?
Adr. Periimus frustrati; sed venimus ad te.
Thes. Utrum hoc tuo privato consilio fit, an totius urbis?
Adr. Omnes Danaidae supplicant tibi, ut sepelias mortuos.
Thes. Quare duxisti septem currus ad[16]) Thebas.
Adr. Gratificans in hac re duobus generis.
Thes. Cui elocasti filias tuas Argivorum?
Adr. Non habeo affinitatem civium domi.
Thes. Sed dedisti hospitibus Argivas puellas?
Adr. Tydeo et Polynici Thebano.
Thes. Quomodo venisti in amorem huius affinitatis?
Adr. Obscura aenigmata Phoebi me induxerunt.
Thes. Quid dixit Apollo, parans puellis nuptias?
Adr. Ut darem meas filias apro et leoni.
Thes. Quomodo evolvisti oracula Dei?
Adr. Venerunt exules nocte ad meam portam.

13a) curare] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: recuperare (Eurip. κομίσαι).
14) nobis] sic Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr. (= Editt. Basil. 1551. et Barn. ἡμῖν); Fix.: vobis (= ὑμῖν, quod text. gr. Editt. Musgr. et Fix. exhibet).
15) Argos] sic Editt. 1558., 1562., Fix.; Barn., Musgr.: illud Argos (Eurip. Τὸ δ' Ἄργος).
16) ad] Ed. 1562. errore typogr.: ab.

Thes. Qui fuerint uterque, dic; duo enim dixisti simul.
Adr. Tydeus et Polynices pugnaverunt inter se.
Thes. Verum his dedisti tanquam bestiis tuas filias?
Adr. Coniiciens pugnam duarum ferarum.
Thes. Quomodo venerunt relictis finibus patriae?
Adr. Tydeus fugiens sanguinem cognatum[17]) ex patria.
Thes. Filius Oedipi quare reliquit Thebas?
Adr. Propter diras patris, ne interficeret fratrem.
Thes. Dicis astutam causam exilii huius[18]).
Adr. Sed manens iniuria afficiebat absentem[19]).
Thes. Num frater ipsum fraudat patrimonio?
Adr. Haec ut ostenderem, veni, et sic perii.
Thes. Accessisti vates et vidisti flammas hostiarum?
Adr. Heu mihi, urges me, qua re ego maxime impegi.
Thes. Ut videtur, non venisti volentibus Diis.
Adr. Quid? Imo veni invito Amphiarao.
Thes. Sic Deus facile aversatus est te.
Adr. Iuvenum tumultus impulit me.
Thes. Admisisti audaciam pro consilio.
Adr. Quod multos perdidit duces.
Sed o fortissimum caput Graecorum,
Rex Atheniensium, erubesco quidem
Cadens ad solum, apprehendere tuum genu manu,
Canus vir, qui fui beatus hactenus[20]).
Tamen necesse est cedere meae calamitati.
Serva mortuos meos, et miserans mea mala
Et has matres mortuorum filiorum,
Quibus senectus cana venit ad orbitatem.
Sustinuerunt venire huc, et hospitalem pedem
Ponere, vix moventes senilia membra,
Tanquam legatae, non ad ceremonias Cereris,
Sed ut mortuos sepeliant, quas ipsas oportuit
Sepultas manibus filiorum consequi tempestivum funus.
„Sapientis est, divitem adspicere paupertatem.
„Pauperem autem respicere ad divites[21])
„Imitantem, ut ipse expetat divitias,
„Et fortunati timeant miserias.
„Et poetam, cum parit[22]) versus,
„Gaudentem parere; si non ita est affectus,
„Non potest ipse carens affectu,
„Delectare alios; non enim convenit.
Fortasse dixeris: Peloponnesum linquens,
Quomodo iniungis istum laborem Atheniensibus?
Ego paratus sum dicere hoc.
Sparta quidem mea est, sed habet varios mores;
Reliquae sunt parvae et imbecilles; sed tua civitas
Sola potest sustinere hunc laborem.
Videt[23]) enim miserias, et iuvenem
Habet te rectorem bonum, cuius[24]) defectu urbes
Multae perierunt, indigentes duce.
Chor. Et ego dico idem hoc, quod iste dicit,
Theseu, ut afficiaris mea calamitate.
Thes. Laboravi certans cum aliis oratione
„Tali; dixit enim aliquis, quod mala
„Plura sint bonis apud homines;
„Ego contrariam sententiam habeo his,
„Plura bona quam mala esse hominibus[25]).
„Si hoc non esset, nemo viveret.
„Laudo, qui nobis victum a sordido,
„Deum, et bestiali discrevit[26]).
„Primum indidit intellectum, deinde nuntiam
„Sermonis linguam dedit, ut agnoscamus vocem
„Et nutrimentum frugum, et frugibus de coelo

17) cognatum] Ed. 1562. errore typogr.: cognatam.

18) Dicis — huius.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Prudens dixisti voluntarium hoc exilium.

19) Sed manens — absentem] sic Editt. 1558., 1562.: Editt. recent. (= text. gr.) Sed qui *domi* manebant, absentes iniuria afficiebant.

20) qui fui beatus hactenus] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (aeque ac Ed. Basil. 1551. et Musgr. in textu gr.) *εὐδαιμονῶν ἴσως πάρος*, qui aeque, *ac tu*, fui beatus aliquando; Fix.: *τύραννος εὐδαίμων πάρος*. rex beatus olim; Musgr.: rex olim felix

21) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Contraria praesentibus cogitanda.

22) parit] sic Ed. 1558.; Editt. recent. (= Eurip. *τίκτῃ*) pariat; Ed. 1562. errore typogr.: darit.

23) Videt] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Vidit; Musgr.: Respicit; Fix.: respicere solet (Eurip. *δέδορκε*).

24) cuius] sic (= Eurip. *οὗ*) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. huius.

25) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Bonane an mala plura Dii hominibus tribuerint.

26) Laudo — discrevit.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Laudo autem *eum*, qui nobis vitam a confusa Et ferina, *quisquis ille fuerit* deorum, discrevit.

„Stillas humidas, ut alant illa, quae nascuntur ex terra,
„Et rigent ventrem: ad haec ad frigora
„Depellenda, calida munimenta Deus dedit[27];
„Et maris navigationem, ut contractus[28])
„Haberemus inter nos, quibus indiget terra.
„Quae autem sunt ignota et non perspicua, cognoscimus,
„Intuentes in ignem, et in fibras[28a]) extorum
„Vates praesignificant, et a volucribus.
„Non ergo petulanter agimus, qui, cum Deus apparatum vitae
„Dederit talem, iis non contenti simus?
„Sed superbia plus posse quam Deus
„Quaerit[29]); possidentes autem audaciam,
Videmur esse sapientiores Diis.
Ex illo numero et tu videris non sapiens,
Qui filias, oraculis Phoebi victus,
Sic dedisti peregrinis, tanquam dantibus Diis.
„Miscens splendidam familiam tuam pollutae[30]),
„Vulnerasti domos; oportet enim neque corpora
„Iniusta iustis miscere iustum,
„Et florentes comparare amicos ad terrorem incutiendum.
„Deus ducens communem fortunam,
„Calamitate aegrotantis perdidit
„Coniungentem se, eum, qui nihil peccavit[31]).
Ducens omnes Argivos in expeditionem,
Vatibus dicentibus, praeterea contumelia afficiens oracula[32]),
Negligens Deos, perdidisti civitatem
A iuvenibus adductus, qui, cum honore afficiuntur
„Gaudent et augent bella sine iure
„Corrumpentes cives, alius ut fiat imperator,
„Alius ut alium contumelia afficiat nactus potentiam,
„Alius propter avaritiam, non considerans
„Populo an accidat aliquid detrimenti[33]).
„Tres sunt partes civium: divites
„Inutiles sunt, et semper plura expetunt;
„Pauperes et indigentes victu,
„Vehementes sunt, et tribuentes magnam partem invidiae,
„Emittunt malos aculeos in divites,
„Capti linguis malorum praesidum.
„Trium partium media servat civitatem,
„Conservans bonum statum, quem ordinavit civitas[34]).
Et deinde ego tibi auxiliator fiam?
Quid honesti dicens ad meos cives?
Vale iam; nam non recte deliberasti
Ipse, ut nos urgeamus fortunam.
Chor. Male fecit. „In iuvenibus hominibus hoc
„Inest, sed convenit illi ignoscere.
Sed venimus, o rex, tanquam ad medicum istorum.
Adr. Non elegi te iudicem meorum malorum[35]),
Neque, si quid deprehendor non recte fecisse,
Istorum punitorem et obiurgatorem, o rex,
Sed ut adiuver. Si autem non vis:
Necesse est me contentum esse tuis dictis. Quid enim agam?
Sed, o anus, ite canam[36]) herbam
Frondium relinquentes hic in reditu,
Et Deos et terram et triticum ferentem Deam
Cererem facientes testes, et solis lumen,
Quod nihil iuverit nos ceremonia supplicum.

---

27) ad frigora — dedit.] sic Editt. 1558., 1562. (calida munimenta = Eurip. Ed. Basil. 1551., quae habet *Προβλήματ' αἶθον'* pro *Προβλήματ', αἶθος*); Editt. recent.: adversus hiemem Munimenta *donans* et ad aestum Dei (*Solis*) arcendum.

28) contractus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: commercia (Eurip. *διαλλαγάς*).

28a) in fibras] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: per fibras (Eurip. *κατὰ..πτύχας*).

29) H. l. Editt. 1558., 1562. nota marg.: In superbos et petulantes.

30) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Contagio.

31) Huic loco in iisd. Editt. in marg. adscriptum est Horatii [Od. III, 2, 29. 30.] dictum:

Saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum.

32) Vatibus — oracula.] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr.: Deinde oracula, vatibus edentibus, contemnens.

33) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Iuvenilis cupiditas exitiosa.

34) H. l. ibid. nota marg. : Civium qui optimi.

35) [252] Sed venimus — istorum. [253] *Adr.* Non elegi — malorum.] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551.); in Ed. Musgr. *Adrasti* sermo iam a vs. 252. orditur sic: *Adr.* Atqui ad te, ut ad medicum horum, o rex, venimus: Non quidem iudicem te eligentes horum malorum; in Editt. Barn. et Fix. vs. 253. versui 252. praecedit sic: *Adr.* Non elegi — malorum; Sed ad te, ut ad medicum illorum, o rex, venimus. [Ed. Fix. paululum verbis differt].

36) canam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: viridem (Eurip. *γλαυκὴν*).

Hic indicat Philippus textum esse mutilum. Quare interponi poterunt sequentes versus a Philippo ad complendam sententiam scripti:

τῶν συγγενῶν δ' αἰδεῖσθαι δάκρυα σε χρεὼν,
οἷς οὐ παθοῦσιν ἄξι' ἀμύνειν εὐσεβές.
ἡ γὰρ τεκοῦσά σ' ἐστὶ θυγάτηρ Πιτθέος.

hoc est,

Convenit te vereri lachrymas cognatorum,
Quibus indigna patientibus auxiliari pium est;
Nam mater tua est filia Pitthei [37]).

Qui erat filius Pelopis, et nos ex terra Pelopia,
Possidemus eundem sanguinem paternum tecum.
Quid agis? prodes haec, et eiicies ex terra
Istas anus frustratas rebus, quas oportuit eis contingere?
Nequaquam. „Habet receptum bestia petram,
„Servi aras Deorum, civitas ad urbem
Fugit iactata tempestatibus; „rerum enim humanarum
„Nihil est perpetuo beatum [38]).
Chor. Vade [39]), o misera, a sacro solo Proserpinae,
Vade, et occurre genibus imponens manum,
Ut recipiat cadavera mortuorum filiorum; o misera ego,
Quos iuvenes perdidi sub moenibus Cadmi.
Hei [40]) recipite, auferte, mittite;
Agnoscite [41]) miseras manus seniles.
Per genam, o charissime et praestantissime in Graecia,
Precor, cadens ad tua
Genua et manum miseram:
Miserere de liberis me supplicem,
Aut velut exulem edentem lugubre carmen, miserabile.
Et fili, ne insepultos in
Terra Cadmi escas ferarum
Filios in tua aetate videas, supplico.
Vide lachrymas mearum palpebrarum, quae ad tua
Genua hic cado, sepulturam liberis perficere cupiens.
Thes. Mater, quid ploras, tenue peplum super oculos
Tuos ponens? num miserabilem querelam
Harum audiens? me quoque permovit.
Leva canum caput, ne plora,
Assidens sanctis focis Cereris.
Aeth. Heu heu. *Thes.* Istorum mala non sunt tibi ingemiscenda.
Aeth. O miserae mulieres. *Thes.* Num tu ex illis nata es?
Aeth. Dicam, fili, aliquid tibi, et urbi honestum.
Thes. Quam multa sunt sapienter etiam a mulieribus dicta.
Aeth. Sed sermo, quem celo, affert mihi verecundiam.
Thes. Turpiter dixisti, bona [42]) celans amicos.
Aeth. Non sane tacens, deinde reprehenderem aliquando
Meum silentium, quod turpiter esset tacitum;
Neque quod sit inutile, mulieres aliquid boni dicere
Timens, amittam meum decus metu.
Ego te, o fili, primum religionem
Considerare iubeo, ne negligens impingas;
Nam in hoc impingis tantum, in reliquis satis sapis.
Praeterea si non oporteret iniuste afflictos
Audire [43]), certe tacerem.
Nunc autem tibi hoc gloriam fert,
Et mihi hortari non affert metum, o fili,
Ut viros violentos, et qui interfecerunt eos,
Concedere sepulturam et funera
Tua manu cogas [44]),
Et confundentes legitima totius Graeciae
Coerceas. „Quod continet hominum urbes,

37) In Ed. Barn. horum loco versui 262., ut omissa explerentur, haec in fine addita sunt: *Tua tamen mater, Theseu, erat filia Pitthei.*; Musgr. post vs. 262. adnotavit: *Desunt nonnulla.*; in Ed. Fix., in qua ab hoc loco mutilo *Chori* sermo incipit, asteriscis indicatur, nonnulla h. l. deesse.

38) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Mutuis auxiliis res hominum indigere.

39) Vade] sic (= Eurip. *Βᾶθι*) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Valde.

40) Hei] sic Ed. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Ἰώ μοι*) Hei mihi!

41) Agnoscite] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. Agnoscit; Barn.: Secernite; Musgr.: Extendite; Fix: Erigite (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. *Κρίνετε*; Ed. Fix. *ἀείρετε*).

42) bona] sic Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. ad bona.

43) iniuste afflictos Audire] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: iniuste afflictis Audacter opem ferre; Musgr., Fix.: iniuste afflictorum causa Audacem esse (= Eurip. *ἀδικουμένοις .. Τολμηρὸν εἶναι*).

44) et qui interfecerunt eos — cogas.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) et qui impediunt mortuos, Ne sepulturae debitam partem et parentalia consequantur, Ad hanc *officii* necessitatem tu compellas manu.

„Hoc est, quando leges servantur.
Dicet aliquis, quod timiditate,
Cum liceret tibi consequi gloriam urbi,
Timens omiseris. Et apri quidem
Certamen attigisti, pugnans laborem inglorium;
Ubi vero in galeam intuentem, et in aciem hastae
Oportebat laborare, sis inventus timidus.
Non[45]) facias haec, o fili.]
Vides, quomodo stupens lacessita
A lacessentibus tanquam intuens Gorgonem, inspicit[46])
Tua patria? nam in laboribus crescunt[47]).
Otiosae urbes sunt obscurae,
Et timidae sunt obscurae[48]).
Non vadis mortuis et miseris mulieribus,
O fili, opem laturus petentibus?
Quia neque timeo tibi proficiscenti in causa iustâ,
Et Cadmi populum videns iam fortunatum,
Aliam fortunam aleae experturum
Confido; „nam Deus omnia solet vertere[49]).
Chor. O charissima[50]), recte isti dixisti:
Et mihi duplex gaudium hoc est.
Thes. Mea oratio, mater, dicta
Recte se habuit adversus istum[51]), et dixi
Sententiam, quali consilio frustratus sit.
Video et ipse haec, quae me admones,
Quod meis moribus non sit consentaneum,
Fugere pericula. Nam multis rebus honeste gestis,
Elegi hunc morem inter Graecos,
Ut semper essem punitor malorum.
Non igitur recusare possibile est mihi labores.
Quid dicerent adversus me inimici mei?
Quando tu, mater, et timens pro me,
Prima iubes me suscipere hunc laborem.
Vado ista facturus, et eripiam cadavera
Persuasurus oratione; si autem nihil perfecero, bellando
Iam hoc erit, et quidem propitiis Diis.
Volo decerni haec toti urbi.
Et decernet quidem me volente; sed deliberandi
Facultatem dans, habebo populum magis aequum.
Ego enim constitui ipsum ad principatum,
Liberam faciens urbem, et habentem aequale ius suffragii.
Accipiens Adrastum speciem[52]) meae orationis,
Ad populum vado; et ista persuadens,
Colligens electos viros Athenienses
Veniam; et sedens ad arma, mittam nuntium
Creonti, petens[53]) corpora mortuorum.
Sed, o anus, auferte[54]) sacram coronam
A matre, quia eam duco ad domum Aegei,
Attingens charam manum; „nam parentibus
„Filius qui non iterum servit, infelix est;
„Conferens enim optimum symbolum, consequitur
„A suis liberis talia, quae dederit parentibus[55]).

[*Strophe* 1.]

Chor. Argos equestre, o meum patrium solum,
Audivistis haec, audivistis regis
Sancta erga Deos, et magna
Regio Pelasgorum et circa Argos.

[*Antistrophe* 1.]

Utinam ad metam et supra mea mala
Veniens, matris monimentum
Mortuum[56]) eripiat, et terram amicam
Inachi faciat iuvans.

---

45) Non] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Nequaquam, meus existens, Fix.: Nequaquam, qui ex me natus sis, (= Eurip. *Μὴ δῆτ᾽ ἐμός γ᾽ ὤν*).

46) Vides, quomodo stupens — inspicit] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr., Fix.: Videsne, derisa tanquam imprudens Ut in derisores *suos* torvum adspiciat

47) crescunt] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *αὔξεται*) crescit. — In marg. illarum 2 Editt. h. l. legitur nota: Labor claros facit.

48) Otiosae urbes sunt obscurae, Et timidae sunt obscurae.] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr., Fix.: At otiosae urbes obscure agentes [Fix: degentes] Obscurum quoque adspectum habent nimium timentes [Fix.: dum nimium timent].

49) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vicissitudo.

50) O charissima] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Ὦ φιλτάτη μοι*) O carissima mihi.

51) istum (i. e. Adrastum)] sic (= Eurip. *τόνδε*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. istam.

52) speciem] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: *ad fidem*; Musgr., Fix.: documento (Eurip. *δεῖγμα*).

53) petens] sic Ed. 1558. (= Eurip. *ἐξαιτούμενος*, Editt. recent.: repetens); Ed. 1562. et petens.

54) auferte] Ed. 1558. errore typogr.: arferte.

55) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Gratitudo liberorum.

56) matris monimentum Mortuum] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: matris statuam Funestam; Musgr.: matris decus Cruentum; Fix.: aliquando *meum* matris oblectamentum Cruentum (*filios occisos*) (Eurip. *ἔτι ματέρος ἄγαλμα φόνιον*).

[*Strophe 2.*]

„Praeclarum monimentum est urbibus pius labor,
„Et perpetuam gratiam habet
„Honorata civitas[57]), faciet grata mihi,
Et mihi[58]), et meis liberis recipiemus sepulturas.

[*Antistrophe 2.*]

Iuva matrem, civitas Palladis, pugna[59]),
Ne polluantur leges hominum.
Tu colis iustitiam, et minus iniustitiae
Tribuis semper; iniuste afflictum quemlibet liberas.

[*Theseus, Praeco, Adrastus, Aethra, Chorus.*]

Thes. Habens semper hanc artem, servis
Urbi et mihi, nuntians edicta.
Vade trans Asopum et Ismenum,
Dicque haec gravi tyranno Thebanorum:
Theseus a te amanter repetit cadavera ad sepeliendum,
Habitans vicinam terram, petens consequi
Et facere amicum populum[60]) Atheniensem.
Et si volent annuere, redi;
Si autem dubitabunt, tunc sint hi secundi sermones,
Ut expectent chorum meum armatorum[61]).
Exercitus enim festinat, et praesens inspicitur
Pulcher circa templum, ubi fiunt pulchri chori[62]).
Et quidem volens et libens recepit

---

57) Honorata civitas] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Cultor civitatis (Eurip. *Τιμόπτολις*). — In marg. illarum 2 Editt. h. l. legitur: Beneficentia.

58) faciet grata mihi, Et mihi] sic Editt. 1558., 1562. quasi legisset interpres *Τε μοὶ* pro *Τεμοῖ* (inibit); Barn.: Perficiet autem tandem aliquando, et foedus mecum inibit.

59) Iuva — pugna] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: Succurre matri (*matribus Argivis*), succurre, civitas Palladis.

60) populum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *πάντ᾽ .. λεών*) totum populum.

61) tunc sint hi secundi sermones, Ut expectent chorum meum armatorum.] sic scripsi (= text. gr.); Editt. 1558., 1562. male: tunc sint hi secundi, Ut expectem chorum meum sermones armatorum.

62) Pulcher — chori.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Circa Callichorum *puteum* sanctum paratus [Barn.: bene ordinatus] ille.

Civitas hunc laborem, postquam sensit me velle.
Age, intervenit sermonibus iste quidem[63])
Thebanus, ut videtur (non enim satis scio, an sit,)
Praeco, expecta[64]), si te liberet hoc labore,
Veniens occurrit meo consilio.

Praec. Quis est tyrannus terrae? ad quem oportet me nuntiare
Orationem Creontis, qui imperat Thebis,
Eteocle interfecto apud septemplices
Portas a fratre Polynice?

Thes. Primum cepisti orationem falso, hospes,
Quaerens hic tyrannum; non enim regitur
Ab uno viro, sed est libera civitas,
Et populus imperat per successionem per vices
Annuatim, non ditissimis tribuens
Plurimum, sed etiam pauper habet aequalem pro tempore[65]).

Praec. Unum hoc nobis das, sicut in ludo tesserarum.
„Melius civitas, a qua ego venio,
„Regitur ab uno viro, non a populo[66]);
„Neque est, qui eam verbis inanibus agitans,
„Ad suam utilitatem alius alio vertat.
„Qui iam est gratus, et dans magnam gratiam,
„Rursus laedit; deinde novis calumniis
„Tegens priora errata, effugit poenam,
„Cum alias, tum quomodo non recte iudicans sermonem,
„Recte posset populus regere urbem?
„Tempus doctrinam, quam celeritas,
„Meliorem dat; rusticus enim et pauper
„(Si etiam egeat), cum sit imperitus propter sua negotia,
„Non potest ad communia respicere.
„Porro mala res est praestantioribus,
„Quando improbus vir consequitur dignitatem,
„Tenens populum lingua, qui prius nihil fuit.

---

63) intervenit — quidem] sic Editt. 1558., 1562.; Fix. (= text. gr.) quis hic *nostris* sermonibus intervenit?

64) Praeco, expecta,] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: *Praec.* Expecta (quasi haec *Thesei* verba *Praeconis Atheniensis* essent).

65) aequalem pro tempore.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: ius aequale (Eurip. *ἴσον*).

66) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Democratiae vituperatio.

Thes. Bellus est iste praeco, et supervacanea loquens.
Postquam autem tu certasti hoc certamen,
Audi; tu enim certamen instituisti sermonum.
„Nihil est hostilius urbi quam tyrannus[67]):
„Ubi primum non sunt leges
„Communes: unus imperat, et habet legem
„Ipse pro se, et alteri nihil relinquetur,
„Scriptis autem legibus, imbecillis
„Et dives habent aequum ius[68]),
„Et licet imbecillibus accusare
„Potentem, quando male audit,
„Et vincit minor potentem, habens iustam causam.
„Illud etiam est liberum, si quis vult urbi
„Proponere in medium bonum consilium,
„Et volenti hoc est splendidum; qui non vult,
„Tacet. Quid est aequabilius civitati quam haec?
„Et quidem ubi populus princeps est terrae,
„Delectatur praesentibus civibus fortibus.
„At rex putat hoc sibi inimicum,
„Et praestantissimos, quos putat sapere,
„Interficit metuens de regno.
„Quomodo civitas potest esse firma,
„Quando aliquis, sicut ex prato verno spicam,
„Aufert audaces cives, et demetit iuvenes?
„Quid opus est liberis comparare opes,
„Ubi quis parat maiorem partem facultatum tyranno?
„Item honeste educari[69]) filias,
„Futuras voluptati tyranno, quando vult,
„Et lachrymis parentibus? Ne vivam amplius,
Si mei liberi[70]) nubant vi coacti.
Et haec respondi tibi ad haec.
Quid vero petitum ab hac terra venis?
Venires lachrymatum, si te non misisset civitas,
Cum supervacanea loquaris; „nam nuntium oportet
„Dicentem mandata[70a]), celerrime inde ex urbe
„Abire. In posterum Creon in meam urbem
Mittat nuntios minus loquaces te.
Chor.[71]) „Heu heu, quando fortuna dat malis
„Res secundas, sunt insolentes, tanquam sint perpetui futuri successus[72]).
Praec. Dicam iam; ac de disputatis quidem
Tibi videantur illa, mihi secus.
Ego interdico et totus populus Thebanus,
Ne admittas Adrastum in hanc terram;
Si autem est hîc, ut, priusquam sol occidat,
Solvens sacras coronas[73]),
Tu[74]) expellas eum, neque tollas mortuos
Vi, qui nihil attingis civitatem Argivorum.
Et si mihi obtemperabis, sine fluctibus civitatem
Tuam gubernabis; sin minus, magna procella
Belli erit vobis[75]), et tibi et sociis.
Considera autem, et non iratus meis
Dictis, tanquam habens liberam urbem,
Reddas ferocientem sermonem ex illo brevi dicto[76]).
„Spes enim est pessima, quae multas urbes
„Commisit[77]), efferens iracundiam extra modum.
„Quando venit bellum ad calculos urbis,
„Nullus sibi moriendum putat,
„Sed avertit infortunium in altum.
Si esset in conspectu mors in calculo ferendo,
Nunquam Graecia furens cupiditate belli periisset.
„Et inter duos sermones[78]) omnes homines
„Meliorem intelligimus, et bona et mala,

67) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Tyrannidis vituperatio et laus Democratiae.

68) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Legum vis.

69) educari] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *παρθενεύειν . . ἐν δόμοις*) in aedibus educare.

70) mei liberi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: meae filiae (Eurip. *τἀμὰ τέκνα*).

70a) Dicentem mandata,] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (= text. gr.) Dictis *iis*, quae quis *dici* iusserit. — In marg. illarum 2 Editt. h. l. legitur nota: *Legati* officium.

71) *Chor.*] sic Editt. recent. aeque ac Ed. Basil. 1551.; in Editt. 1558., 1562. omissum est.

72) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: In abutentem fortuna.

73) Solvens sacras coronas] haec in marg. Editt. 1558., 1562. sic explicantur: „id est, rescissa supplicatione." — Barn., Musgr.: Solutis sacris coronarum mysteriis.

74) Tu] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. Ut tu (praecedente *ut* repetito).

75) vobis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) *ἡμῖν* — nobis.

76) ex illo brevi dicto.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: paucioribus *prolatum*; Musgr.: ex brachiis; Fix.: ex lacertorum vi (*ex virium fiducia*) [in duabus prioribus interpretationibus *βραχιόνων* est Genit. Plur. Comparativi Adi. *βραχύς*; in duabus posterioribus Genit. Pl. Subst. *βραχίων*].

77) Commisit] ad hanc vocem explicandam in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta sunt: Bellum ut suscipiatur.

78) inter duos sermones] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: duarum rationum.

„Quanto pax melior sit hominibus, quam bellum[79]),
„Quae primum est gratissima Musis,
„Et inimica furiis, et delectatur procreatione sobolis,
„Et gaudet divitiis. Haec bona dimittentes mali,
„Eligimus bellum, et inferiorem
„Virum redigimus in servitutem, et urbs urbem.
Tu vis beneficio afficere homines inimicos, et mortuos
Sepelire et curare, quos sua ipsorum iniustitia perdidit.
Non recte Capanei fulmine ictum
Corpus fumaret in scalis erectis,
Quas admovens portis, iuravit se urbem
Deleturum volente et nolente Deo;
Neque recte rapuisset[80]) augurem,
Rapiens quadrigas voragine.
Et non recte iacerent alii duces ad portas,
Contriti suturas ossium saxis.
Aut gloriaris te plus sapere quam Iovem,
Aut[81]) Deos iuste perdere malos.
„Oportet sapientes primum amare liberos,
„Deinde parentes et patriam[82]), quam oportet augere,
„Et non frangere. Nimis ferox dux est res periculosa.
„Gubernator navis placidus pro tempore est sapiens,
„Et mihi est pro fortitudine providentia.
„Satis erat Iupiter vindicans;
Vos non oportebat iniuria nos afficere[83]).
Adr. O pessime! *Thes.* Tace, Adráste, contine os,
Et non ante meos sermones tuos
Ponas; non enim venit ad te iste praeco,
Sed ad me: ergo et nos oportet respondere.
Primum respondebo tibi ad primum.
Non agnosco ego Creontem dominum meum,
Neque eum plus posse, ut cogat
Athenas ista facere. Sursum enim fluant
Negotia, si nos erimus subditi vestri.
Ego non ero autor huius belli,
Qui neque veni cum illis Thebas;
Sed mortuos, non laedens urbem,
Neque afferens certamina, in quibus occumbant viri,
Sepelire iustum duco, et communem legem religionum[84])
Servare: quid istorum non recte se habet?
Si quid passi estis ab Argivis,
Mortui sunt, et ulti estis hostes praeclare,
Et turpiter illis poena accidit:
Sinite terra tegi[85]) mortuos.
„Unde unumquidlibet venit in corpus,
„Eo abiit: spiritus ad aetherem,
„Corpus debetur iam terrae. Non enim possidemus
„Proprium corpus, nisi quod habitat aliquantisper in vita,
„Deinde oportet recipere terram, quae aluit hoc corpus.
Videris velle damno afficere Argivos, non sepeliens mortuos.
Nequaquam. Ad totam Graeciam hoc pertinet,
Si fraudabis mortuos iustis, quae debent consequi,
Quis retinebit insepultos? Afferet timiditatem etiam
Fortibus, si talis ponatur lex.
Et mihi venisti minans atrocia.
An timetis mortuos, si sepelientur?
Quidne accidat? ne effodiant terram
Vestram sepulti? ne in angulis terrae liberos
Gignant, qui sint vindicaturi?
„Profusio stulta linguae est hoc,
„Timere vanos et inanes metus.
„O stulti, cognoscite hominum mala.
„Nostra vita est lucta[86]): sunt fortunati

---

79) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Pacis laus.

80) rapuisset] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) rapuisset Charybdis [Fix.: vorago].

81) Aut (scil. *fatearis*)] sic Editt. recent. (= Eurip. ἢ); Editt. 1558., 1562. An.

82) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Amor patriae et suorum.

83) Satis erat — afficere.] Haec in Editt. 1558., 1562. et Barn. aeque ac in Ed. Basil. 1551. sunt verba *Praeconis Thebani*, in Ed. Musgr. *Adrasti*, in Ed. Fix. *Chori*.

84) communem legem religionum] sic Editt. 1558., 1562.; (Eurip. *τὸν Πανελλήνων νόμον*) communem Graecorum legem.

85) tegi] sic (= Eurip. *καλυφθῆναι*) Barn. et Musgr.; Fix.: condi; Editt. 1558., 1562. errore typogr.: legi.

86) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vita hominum qualis.

„Isti cito, alii rursus erunt, alii iam sunt.
„Fortuna ludit, ab infortunato
„Honore afficitur, qui est in secundis rebus
„Beatus, timens relinquere suos successus,
„Attollit illum calamitosum[87]). Haec oportet considerantes
„Iniuria affectos mediocri, non irasci,
Et rursus talia facere contra inimicos, qui non laedant civitatem.
Quomodo liceat mortuos
Sepelire, ostende nobis volentibus scire.
Aut an rata sint, quae inde adfers[88]): vado et sepeliam vi.
Nunquam efferetur inter Graecos,
Quod ad me et Athenas veniens
Vetus divina lex corrupta sit.
Chor. Confide, servans lumen iustitiae,
Effugies multos tales sermones.
Praec. Vis, ut colloquar paucis?
Thes. Dic, si quid vis; es enim satis loquax.
Praec. Non poteris cadavera Argivorum ex nostra terra eripere.
Thes. Nunc me vicissim audi, si vis.
Praec. Audiam; etenim omnino oportet me tibi concedere partem dicendi.
Thes. Sepeliam cadavera, auferens ex terra Thebana.
Praec. Est tibi prius pugnandum cum exercitu.
Thes. Multos alios labores sustinui.
Praec. An pater tuus genuit te, ut semper vincas?
Thes. Adversus improbos[89]); bonos autem non punio.
Praec. Saepe multa soles facere cum tua urbe.
Thes. Quia sustinet magnos labores, ideo etiam est multis nominibus beata.
Praec. Veni, ut te hasta satorum ex terra hominum laedat[90]).
Thes. Quid? extiteritne Mars[91]) ex dracone?
Praec. Tu experieris patiendo; nunc es ferox.
Thes. Non me moves, ut commoveatur animus
Tua iactantia; sed discede ex terra,
Auferens illa inania verba, quae attulisti.
Nihil effecimus colloquendo, movere oportet
Omnes pedites et inscensorem currus,
Et movere phaleratorum equorum ora,
Spumantia super Cadmaeam terram.
Proficiscar enim ad septem portas Cadmi
Ipse praeco. Tibi autem mando, ut maneas
Ipse, tenens ferrum acutum in manibus,
Adraste, et mihi non affrices fortunam
Tuam; ego enim cum mea fortuna
Geram gloriosum bellum.
Una re est mihi opus, habere Deos, qui
Iustis favent[92]). Haec si mihi adsint,
„Dant victoriam; nam virtus nihil prodest
„Hominibus, nisi habeat etiam Deum iuvantem[93]).

[*Strophe* 1.]

Aeth.[94]) O miserae matres miserorum ducum,
Ut mihi turbat pallidus metus sub hepate!
Chor.[94]) Quam novam vocem edidisti?

[*Systema* 1.]

Aeth. Exercitus Palladis eligetur.
Chor. An bello res geretur, an transactione[95])?

[*Strophe* 2.]

Aeth. Efficiatur aliquid[96]): sane Martiae
Caedes, pugnae, planctus in loco,
Et sonitus iterum fient.

[*Systema* 2.]

Chor. O misera, quam orationem,
Quam causam horum accipiam?

---

87) Attollit illum calamitosum.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: illum ... Sublimem tollit; Fix.: eam ... Alte extollit *laudibus* (Eurip. *νιν* ... Ὑψηλὸν αἴρει).

88) Quomodo liceat — adfers,] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (= text. gr.) Quomodo igitur *hoc* erit? mortuorum corpora Sepelire da nobis, qui *sepultos* volumus videre*). Aut manifesta *sunt*, quae postea *fient*. [*) Fix. pro *τοῖς θελοῦσιν εἰςιδεῖν* legit *τ. θ. εὐσεβεῖν* — qui volumus pii esse].

89) Adversus improbos;] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Ὅσοι γ' ὑβρισταί.*) Quotquot *sunt* improbi.

90) ut te hasta — laedat.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: ut te hastâ Thebanus in urbe laedat; Musgr., Fix.: ut te hasta Thebana ad urbem [Musgr.: in agro] capiat. (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn. *ὥς σε λόγχῃ Σπαρτὸς ἐν πόλει βλάβῃ*; Editt. Musgr., Fix. *ὥς σε λόγχη σπαρτὸς ἐν πόλει λάβῃ*).

91) Mars] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (= Eurip. *θοῦρος* .. *Ἄρης*) Mars impetuosus.

92) qui Iustis favent.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *ὅσοι Δίκην σέβονται*) quotquot Iustitiam colunt.

93) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Dei auxilium.

94) *Aeth.* ... *Chor.*] sic h. l. et in seqq. usque ad vs. 633. Editt. 1558., 1562, Barn., Musgr. aeque ac Ed. Basil. 1551.; Ed. Fix. pro *utraque* persona habet *Ἡμιχόριον* — *Semichorus*.

95) An bello — transactione?] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Armisne *rem gestum iri* dixisti, an verborum transactione [Musgr.: verb. commercio]?

96) Efficiatur aliquid] sic Editt. 1558., 1562.; Fix. (= Eurip. *Γένοιτ' ἂν κέρδος*) *Hoc quidem* foret lucrum (*optimum*).

[*Antistrophe* 1.]

Aeth. Sed fortunatum ducem extollit
Fortuna iterum, illa fiducia insidet mihi.
Chor. Dicis Deum esse iustum[97]).

[*Antisystema* 1.]

Aeth. Qui alius dat bonos et malos eventus?
Chor. Video dissimilia multa Deorum erga homines.

[*Antistrophe* 2.]

Aeth. Metu pristino peris.
Iustitia respondebit iustitiae[98]), et caedes
Caedi: metum in mentibus

[*Antisystema* 2.]

Dii hominibus distribuunt,
Qui omnia ipsi determinant.

[*Strophe.*]

Chor. Quomodo veniemus Thebas,
Relinquentes Cereris aquam, ubi sunt pulchri chori?
Aeth. Utinam Dii te faciant volantem.
Chor. Ut veniam ad urbem cinctam duobus fluviis.
Aeth. Noris animas amicorum nostrorum.
O fortuna, quis exitus
Manet fortem
Regem huius terrae?

[*Antistrophe.*]

Chor. Invocamus rursus Deos antea invocatos
„Hoc primum signum est terroris.
O Iupiter, veteris[99])
Marite[100]) vitulae Inachi,
Esto auxiliator mihi, et urbi huic placatus.
Tuum simulachrum et tuam statuam
Ex urbe porto,
Contumelia affectum ad rogum.

[*Nuntius, Chorus, Adrastus.*]

Nun. Mulieres, venio habens multa bona nuntia,

97) Deum .. iustum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Iustos ... Deos.

98) Iust. resp. iust.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Vindicta vindictam evocavit.

99) veteris] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. τᾶς παλαιομάτορος) antiquae matris *nostrae*.

100) Marite] Ed. 1562. male: Maritae.

Et ipse servatus, ereptus sum ex pugna[1]),
Ubi mortui septem manipuli ducum
Pugnaverunt ad flumen Dircaeum.
Nuntiaturus etiam victoriam Thesei, te a sermone
Longo liberabo. Fui enim servus Capanei,
Quem Iupiter fulmine ignito combussit.
Chor. O amice, bene nuntias tuum reditum
Et res Thesei; si etiam exercitus
Atheniensibus est salvus, omnia dicis bona.
Nun. Salvus, et res acta est, sicut Adrastus debuit
Agere cum Argivis, postquam ab Inacho
Mittens exercitum duxit adversus urbem Thebanam.
Chor. Quomodo Iovis tropaea filius Aegei
Constituit et eius exercitus?
Dicito, cum adfueris, exhilarabis eos, qui non adfuerunt.
Nun. Erat serenus dies, et perspicuus radius solis
Percutiebat terram, et ad portam Electram
Steti spectator, tenens sacram turrim.
Video tres ordines trium exercituum,
Populum armatum ducentem superne
Ad ripam Ismeni, ut ferebatur,
Ipsum regem, inclytum filium Aegei,
Et cum eo ordinatos in dextro
Cornu cives veterum Athenarum,
Et Paralum[2]) armatum hasta
Apud ipsum fontem Martis equitem,
Ad extremam partem exercitus ordinatum,
Aequali numero, et currus[3])
Intra sepulchrum Amphionis.
Populus Thebanus sedebat ante moenia,
Cum posuisset retro cadavera, de quibus erat certamen.
Equites equitibus erant oppositi,
Et currus contra currus quadriiugos.
Praeco autem Thesei dixit ita coram omnibus:
Tacete, populi, agmina Thebanorum, tacite
Audite: nos venimus propter cadavera,
Volentes sepelire, legem universae Graeciae

1) ereptus sum ex pugna] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἡρέθην γὰρ ἐν μάχῃ) captus enim sum [Fix.: eram] in pugna.

2) Paralum] sic (= Eurip. Πάραλον) Barn., Musgr.; Fix: Paralios; Editt. 1558., 1562. male: paratum.

3) et currus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) curruum vero [Fix.: porro] vehicula.

Quomodo peream cum ipsis liberis,
Descendens in communem mortem.

[*Strophe.*]

Adr.[27]) Gemitum, o matres,
De mortuis
Clamate, resonate alternis, meos
Gemitus audientes.
Chor. O filii[28]), o acerba chararum
Matrum appellatio:
Alloquor te mortuum.
Adr. Heu heu, o mea mala.
Chor. Ah, ah, passae sumus
Foedissimos dolores[29]).
Adr. O civitas Argiva
Non videtis meum fatum?
Chor. Vident et me mise-
ram orbatam liberis.

[*Antistrophe.*]

Adr. O afferte misero corpora cruenta
Interfecta non digne, neque a dignis,
In quibus finitum est certamen, * date[30]), ut amplexu
Manus applicans meis
In brachiis ponam liberos.
Chor.[31]) Habes, habes. *Adr.*[32]) Satis est illud onus dolorum.
Chor. Heu[33]), non dicis parentibus. *Adr.* Auditis[34]) me.
Chor. Gemis[35]) utrorumque causa.
Adr. Utinam me copiae Thebanae occidissent in pulvere.

---

sera), quod Editt. Basil. 1551. et recentt. habent; Editt. recent.: M. filiorum. O me miseram!

27) *Adr.*] sic Editt. recent.; in Editt. 1558., 1562. (aeque ac in Ed. Basil. 1551.) deest.

28) filii] sic (= Eurip. *παῖδες*) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. fili.

29) dolores] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. addunt: malorum (= Eurip. *κακῶν*).

30) date] sic Editt. 1558., 1562. (Ed. Basil. 1551. *Ἀδ. δόϑ'*); Editt. recent.: *Chor.* Date.

31) *Chor.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.); Editt. recent.: *Adrast.*

32) *Adr.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.); Musgr., Fix.: *Chor.*; in Ed. Barn. neutrum h. l. legitur.

33) Heu] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Αἶ αἶ.*) Heu, heu!

34) Auditis] sic Editt. 1558., 1562., Fix.; Barn., Musgr.: Audite (Eurip. *ἀΐετε*).

35) Gemis] sic (= Eurip. *Στένεις*) Fix.; Editt. 1558., 1562. corrupte: Gentis.

Chor. Et utinam meum corpus nunquam iunctum fuisset
In viri alicuius cubile.
Adr. Videte pelagus malorum, o matres
Miserae filiorum. *Chor.* Unguibus
Laceratae sumus, et cinerem circum
Caput fudimus.
Adr. Heu, heu mihi[36]),
Solum terrae detrahat me,
Et procella dilaceret,
Et flamma ignis
Iovis incidat capiti.
Chor. Vidisti acerbas nuptias.
Et acerbum oraculum Phoebi secutus,
Nuptum dedisti filias viris: luctuosa
Oedipodae domum
Relinquens venit Erinnys.

[*Theseus, Adrastus, Chorus.*]

Thes. Interrogaturus te, quando perfecisses de exercitu
Luctus[37]), omittam id et quos eram habiturus
Sermones de tuis rebus. Nunc Adrastum compello:
Unde illi praestantes fortitudine
Mortales nati sunt? dicas, tanquam sapientior
Iuvenibus istis inter cives; tu enim scis.
Vidi maiora, quam ut dici possit,
Facinora, quibus sperabant se expugnaturos urbem;
Illud non interrogabo, ne deridear,
Cum quo quisque sit congressus in pugna,
Aut cuius hostium hasta acceperit vulnus.
Illi sunt communes sermones audientium
Et dicentium, si quis stans in pugna,
Multis hastis euntibus ante oculos,
Clare narrare velit, quis sit fortis.
Non volo[38]) ista interrogare,
Neque credere istis, qui audent dicere:
„Vix aliquis necessaria videre
„Potest, stans in acie.
Adr. Audi nunc; non invito mihi
Das laudem: volo ego
De amicis vera et iusta dicere.

---

36) mihi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) mihi mihi!

37) Luctus] sic scripsi (= Eurip. *γόους*); Editt. 1558., 1562. male: Luctusque.

38) volo] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *ἂν δυναίμην*) possem [Fix.: potuerim].

Vides illum splendidum, per quem volavit telum[39])?
Iste est Capaneus, qui erat dives,
Et non erat insolens divitiis; superbiae
Nihil magis in eo fuit, quam in paupere,
Fugiens, qui cumularet nimium mensam,
Praesentia illa[40]) spernens; non in crapula
Praestantissimam rem esse, sed mediocria sufficere putabat.
Erat verus amicus, et praesentibus amicus
Et absentibus, quorum non est magnus numerus[41]);
Mores non fucati, et come os,
Nihil locutus est, quod non expleret, neque erga servos,
Neque erga cives. Alium[42]) dico
Eteoclum[43]), qui exercuit bonitatem;
Iuvenis erat, pauper quidem,
Sed habuit praecipuos honores in Argis,
Et donantibus amicis aurum, saepe
Non recepit in domum, tanquam mores
Praeberet serviles victus a pecunia.
„Peccantes, non urbem
„Oderat: quia non culpanda est civitas,
„Male audiens propter malos magistratus.
Tertius iste Hippomedon talis fuit.
Statim a puero ausus est non ad voluptatem
Musarum verti, et ad mollem vitam;
Sed habitabat ruri, exercens vitam duram,
Gaudebat rebus virilibus, et vadens ad venationem,
Et gaudens equis, et tendens arcum manibus,
Volens corpus efficere utile urbi.
Alius, filius venatricis Atalantae,
Puer Parthenopaeus, specie praestantissimus,
Arcas erat: is veniens ad fluenta Inachi,
Educatur Argis, et ibi educatus
Primum, ut convenit inquilinos viros,
Nemini erat molestus, neque invisus urbi,
Neque litigator erat, unde gravis
Est maxime civis et hospes.
Et collocatus in statione, tanquam esset natus Argivus,
Defendebat urbem[44]), et quando bene erat civitati,
Gaudebat; et dolore afficiebatur, quando erant res adversae.
Multos sodales[45]), et quotquot mulierculas
Habens, cavebat, ne quid peccaret.
Dicam brevi magnam laudem Tydei:
Non in dicendo erat vehemens, sed in armis,
Astutus, et ad invenienda multa strategemata.
Inferior autem prudentia Meleagro fratre, robore
Praestitit aequalem laudem arte[46]),
Inveniens accuratam musicam in clypeo:
Gloriae cupida natura et dives; vigor animi
Erat in ipsis factis, non in dicendo[47]).
Ex his dictis ne mirare,
Theseu, hos ausos esse oppetere mortem ante turres.
„Educari sordide affert ignominiam[48]).
„Vir qui bene se exercuit, erubescit
„Facere aliquid ignave; fortitudo
„Doceri potest, si quidem infans docetur
„Dicere et audire, quae non scit.
„Quae didicit aliquis, ea cupit servare
„Ad senectam. Ergo bene instituite pueros.

[*Systema.*]

Chor. O fili, educavi te infelicem,
Gestavi sub hepate,
Sustinens dolores in partu;
Et nunc Pluto meum
Partum habet miserae:
Ego non habeo redditurum mihi in senecta vicem[49])
Misera, quae peperi filium,

---

39) per quem volavit telum] his in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta sunt: qui est ictus fulmine.

40) Praesentia illa] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *τ' ἀρκοῦντ'*) Frugalem victum.

41) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Veri amici rari.

42) Alium] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Secundum.

43) Eteoclum] sic (= Eurip. *Ἐτέοκλον*) Editt. 1558., Barn., Fix.; Editt. 1562., Musgr.: Eteoclem.

44) urbem] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Fix.: agrum; Musgr.: regionem (Eurip. *χώρᾳ*).

45) sodales] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *ἐραστὰς*) amatores.

46) arte] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *διὰ τέχνης δορὸς*) arte bellica.

47) in dicendo.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. addunt: par (= Eurip. *ἴσον*).

48) Educari sordide aff. ignominiam.] sic Editt. 1558., 1562., quasi legisset interpres *κακῶς* pro *μὴ κακῶς*; Barn. (= text. gr.) Educatio enim non sordida (*sed liberalis*) pudorem affert. — In marg. illarum 2 Editt. h. l. legitur nota: Educationis vis.

49) redditurum — vicem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (=Eurip. *γηροβοσκὸν*) *meae* senectutis nutritorem.

Adr. Et generosum partum Ioclis [50])
Dii, rapientes vivum in angulos terrae
Cum ipso curru, laudant clare.
Oedipi filium Polynicen dico,
Nos laudantes non mentiemur;
Erat mihi hospes, priusquam relinquens Thebas
Exilio volens transiret ad Argos.
Sed scis, quid volo facere de istis?
Thes. Non scio, nisi unum hoc, me tibi obtemperaturum esse.
Adr. Percussum igne Iovis Capanea —
Thes. Vis sepelire hunc seorsim tanquam sacrum?
Adr. Certe; omnes alios in uno rogo.
Thes. Ubi facies isti monimentum, separans eum?
Adr. Hic faciens monimentum iuxta istos miseros.
Thes. Ille labor curae erit servis,
Nobis isti: procedant onera cadaverum.
Adr. Ite, o miserae matres filiorum, prope.
Thes. Nequaquam, Adraste, dicis hoc utile.
Adr. Quomodo? non convenit attingi a matribus liberos?
Thes. Peribunt, si videant istos mortuos:
„Adspectus cadaverum est acerbus etiam cum lucro [51]).
Quid vis addere istis miserias?
Adr. Vincis; oportet manere misere [52]); dicit enim recte
Theseus. Quando istos admovebimus igni,
„Ossa convehetis [53]). O miseri homines,
„Quid comparatis hastas et inter vos caedes?
„Quid facitis [54])? cessate. Quin vos desinentes a laboribus
„Servate urbes quieti cum quietis.
„Res brevis est vita, et eam convenit
„Transigere quam facillime et non accersitis laboribus.

[*Strophe.*]

Chor. Non sum amplius beata liberis,
Neque sum particeps felicitatis
Inter matres Argivas.
Neque Diana, quae adest parturientibus,
Salutet nos amissis liberis.
Misera erit vita,
Sicut errans nubes
A saevis ventis impellor.

[*Antistrophe.*]

Septem matres, septem liberos
Peperimus miserae
Praestantissimos Argivorum:
Et nunc sine liberis
Senesco miserrima,
Nec inter mortuos,
Nec inter vivos numerata,
Seorsim ab his sustinens quandam sortem.

[*Epodus.*]

Sunt mihi reliquae lachrymae
Miserae, in domo filii
Iacent monimenta, lugubres
Tonsurae et coronae, comae,
Cantus, quos auricomus
Apollo non recipit.
Et excitata mane luctibus
Lachrymis semper humidam vestis
Laciniam madefaciam ad pectus.
Atqui video hunc thalamum
Capanei, et sacram tumbam
Extra domum
Thesei, monimenta mortuorum.
Et inclytam coniugem mortui
Fulmine, Evadnen [55]), prope,
Quam rex Iphis filiam genuit.
Quidnam stat ad sublimem petram,
Quae superat hanc domum,
Vadens per hanc viam?

50) Ioclis] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Ἰοκλέους*); Editt. recent.: Oiclei [Barn.: Oeclei] = *Οἰκλέους*, quam formam hae Editt. in textu gr. exhibent. — In marg. Editt. 1558., 1562. verbis: „partum Ioclis" adscriptum est huius filii nomen: Amphiaraum.

51) etiam cum lucro] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: etiam primo exitu; Fix.: etiam statim post obitum (Eurip. *χἄμα τῷ τέλει*).

52) misere] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. miserae; Editt. recent.: patienter (Eurip. *τλημόνως*).

53) convehetis] sic (= Eurip. *προςάξεσθ'*) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. convehitis.

54) caedes? Quid facitis?] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) caedes Facitis? — In marg. illarum 2 Editt. legitur nota: Belli detestatio.

55) Evadnen] sic (= *Εὐάδνην*) Barn., Fix.; Editt. 1558., 1562., Musgr.: Euadnem.

[*Evadne, Iphis; Chorus; Theseus, Puer, Athene.*]

Evad. Quam lucem, quem radium
Gubernavit[56]) infelix[57])?
Lunaque[58]) per coelum
Splendorem, ubi celeres Nymphae
Equitant per noctem?
Quando nuptiarum
Mearum civitas Argiva
Cantilenas felicitatis
Exaltavit, et nupta[59])
Armati Capanei
Accessi currens ex meis
Aedibus furens,
Habitura lumen ignis, ad sepulchrum
Vado, et eadem morte[60])
Solutura laboriosam * vitam
Et labores vitae.
„Dulcissima mors est,
„Commori morientibus amicis.
„Si fortuna[61]) hoc efficiat.
Chor. Vides hunc, supra cuius portam stas,
Rogum[62]), Iovis thesaurum? ibi est tuus
Maritus interfectus face fulminis.

[*Antistrophe.*]

Evad. Video meum finem, ad quem accessi. Mea fortuna
Iungit pedem; sed
Propter gloriam
Inde impetum faciam
Ab hac petra,
Saltans in ignem;
Et in ardenti flamma corpus
Charum marito miscens,
Ponens corpus prope corpus,
Veniam ad thalamum Proserpinae.
Te mortuum nunquam mea
Anima prodet in terra: * valeat lumen et nuptiae.
Utinam aliqui thalami iustarum nuptiarum
Argis appareant liberis;
Tuus generosus maritus
Consumptus est in flamma cum coniuge generosa[63]).
Chor. Tuus pater accedit prope
Ad novum sermonem, senex Iphis,
Quem non audiens prius, iam audiens dolebit.
Iph. O misera; et ego miser senex
Venio habens duplicem luctum divinitus:
Filium interfectum in pugna Thebana,
Eteoclum[64]), in patriam revecturus mortuum,
Et quaerens meam filiam, quae extra domum
Egressa est saltu, uxor Capanei,
Volens mori cum marito,
Prius est custodita domi; sed postquam ego
Dimisi custodes, ad praesentia mala
Hoc accessit[65]). Sed hîc ipsam coniicimus
Maxime esse: dicite an sciatis?
Evad. Quid istas interrogas? ecce ego in saxo
Sicut aliqua avis supra rogum Capanei
Allevabo miserum corpus, pater.
Iph. Filia, quis flatus? quae classis[66])? propter quam causam
Relinquens domum venisti huc?
Evad. Posses intelligere, impetum meorum consiliorum
Audiens; sed non volo te audire, pater.
Iph. Quid? non est iustum patrem tuum scire?
Evad. Esses iudex non sapiens meae voluntatis.
Iph. Hoc apparatu cuius causa ornas corpus?

---

56) Gubernavit] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Curru invexit (Eurip. Ἐδιφρεύετο).

57) infelix?] sic scripsi (= Editt. Basil. 1551., Musgr. τάλας;); Editt. 1558., 1562. infelix (quasi hoc Masc. τάλας cum seq. Fem. Luna coniungendum sit); Editt. Barn., Fix. habent: γ' ἅλιος; — sol? (quod etiam Musgr. in interpr. lat. retinuit).

58) Lunaque] sic (= Σελάνα τε) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Luna, et

59) nupta] sic Editt. 1558., 1562. quasi legeretur γαμετά s. γαμετή (uxor); Editt. recent. (= Eurip. γαμέτα, Genit. Dor. vocis γαμέτας) mariti *mei*.

60) eadem morte] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. eadem mortem. — Pro „ad sepulchrum Vado, et eadem morte Solutura l. v." habent Barn. et Musgr. (= text. gr.): *in* sepulchrum itura Idem, apud Plutonem finitura l. v.

61) fortuna] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. δαίμων) Deus.

62) Rogum] sic (= Eurip. Πυρὰν) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: Regum.

63) Tuus generosus m. — generosa.] sic Editt. 1558., 1562.; Fix., qui in textu gr. ὅσιος pro ὁ σὸς habet, hunc locum sic interpretatur: et castus lecti coniux *evadat*, coniunctus spiritu sincero generosae animae uxori.

64) Eteoclum] sic (= Ἐτέοκλον) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Eteoclem.

65) ad praesentia mala Hoc accessit] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: propter praesentia mala Excessit.

66) quae classis?] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: quis ornatus (= Eurip. τίς στόλος;).

Evad. Iste ornatus[67]) postulat aliquid eximium, pater.
Iph. At non convenit te talem videre, propter virum lugendum.
Evad. Ego sum parata ad rem novam.
Iph. Accedis ad tumbam et rogum nimis prope.
Evad. Venio huc triumphatura.
Iph. Quam habitura victoriam? postulo a te audire.
Evad. Vincam omnes mulieres, quas videt sol.
Iph. Operibus Minervae, an prudentia?
Evad. Fortitudine; iacebo moriens cum marito.
Iph. Quid ais? quid significas hoc aenigmate inepto?
Evad. Desilio in rogum Capanei mortui.
Iph. O filia, nequaquam dicas hunc sermonem inter multos.
Evad. Volo hoc scire omnes Argivos.
Iph. Non obtemperabo tibi facienti haec.
Evad. Simile est, si quidem non possis me prehendere rapiens manu.
Iam demittitur corpus, tibi non gratum;
Nobis autem et isti combusto amico[68]).
Chor. O mulier, atrocem rem fecisti.
Iph. Perii miser, o filiae Argivae.
Chor. Heu[69]), horrenda passus
Vides, miser, audacissimam rem.
Iph. Neminem alium invenietis miseriorem.
Chor. O miser, cepisti
Senex fortunae Oedipi
Partem, et tu, misera civitas[70]).
Iph. Hei mihi, „quare non licet hominibus
„Bis fieri iuvenes, et rursus senes?
„Sed in negotiis domesticis si quid non placet,
„Posteriori sententia emendamus;
„Vitam non licet; si autem essemus iuvenes
„Bis et senes, si quis peccavisset,
„Nactus aliam vitam, id emendaret[71]).
Ego enim videns alios habentes liberos
Cupiebam etiam liberos, et peribam desiderio;
Si eo venissem, et fuissem expertus liberos[72]),
Et[73]) quale sit patrem privari liberis,
Nunquam venissem ad hoc malum, in quod nunc venio;
Qui plantavi et genui iuvenem
Fortissimum, nunc privor eo.
Eia, quid oportet me miserum facere?
Ire domum? ibi video solitudinem
Multarum aedium, et desperationem meae vitae.
An vadam ad domum Capanei?
Libentissime quidem, dum haec erat mea filia.
Sed iam non est, quae meas genas
Admovit semper ori, et hoc caput
Tenebat manu. „Nihil dulcius est patri
„Seni quam filia; masculorum sunt generosiores
„Animi, sed minus dulces ad blanditias.
Non quam celerrime abducetis me domum,
Et abducetis in tenebras, ubi inedia meum
Corpus senile consumptum perdam?
Quid me iuvabit contingere ossa filiae?
„O ineluctabilis senectus, quam te odi!
„Odi, quotquot volunt extendere vitam
„Vehiculis et lectis et incantationibus[74]),
„Avertentes cursum, ne moriantur.
„Quos[75]) oportebat, quia nihil iuvabant civitatem,
Mori, et cedere iunioribus.
Semichorus. O vos ista filiorum, qui mortui sunt,
Ossa levate[76]); tenete, ancillae,
Anum infirmam; nullum enim inest
Robur propter luctum filiorum.
In longo tempore servas eas,
Liquescentes multis doloribus.
„Quod hominibus maius hoc
„Malum invenias,
„Quam intueri mortuos liberos?

---

67) ornatus] sic (= Eurip. στόλος) Editt. 1558., Barn., Musgrav., Fix.; Ed. 1562. conatus.

68) amico] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. πόσει) marito.

69) Heu] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἒ, ἒ.) Heu, heu!

70) civitas] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) mea civitas.

71) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vitae errores irreparabiles.

72) liberos] sic Editt. 1558., 1562. (= Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. τέκνων); Fix.: τεκὼν — gignendo (quod etiam Musgr. in interpr. lat. exhibet).

73) Et] sic Editt. 1558., 1562.; in Editt. recent. (= text. gr.) non legitur.

74) Vehiculis, et lectis et incantationibus] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Esculentis et potulentis et blanditiis exquisitis; Musgr., Fix.: Balneis [Fix.: Esculentis] et stragulis et magicis artibus.

75) Quos] sic (= Eurip. Οὓς) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. Quo.

76) levate] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. φέρετε); Editt. recent. φέρεται — efferuntur.

[*Strophe* 1.]

Puer. Fero, fero,
O misera mater, ex rogo membra patris,
Pondus non leve propter dolores,
Exigua urna componens omnia mea.

[*Strophe* 2.]

Semich. Hei hei!
Quo gestas charas lachrymas
Matri mortuorum,
Exiguam copiam cineris pro corporibus
Eorum, qui fuerunt olim clari Myoenis?

[*Antistrophe* 1.]

Puer. Ego miser orbatus misero patre.
Accipiens desertam domum vivam orbus
Non in manibus patris, qui me genuit.

[*Antistrophe* 2.]

Semich. Heu heu, ubi est labor meorum filiorum?
Ubi gaudium nocturnum[77])?
Et educatio materna, et vigilatae noctes[78])?
Et amici contuitus vultuum[79])?
Puer. Abierunt, non amplius tibi sunt superstites liberi, o mater,
Abierunt, aer habet eos iam
Consumptos in cinere ignis,
Et volantes confecerunt iter ad Plutonem.
Evad. Fil.[80]) Pater, tu audis filiorum tuorum sermones.
Num miles aliquando militabo propter
Necem tuam? *Iph.*[81]) Utinam fiat, fili,
Quando, volente Deo, mihi fiat vindicta
Paterna; nondum hoc malum dormit.
Puer.[82]) Ah[83]), satis est luctuum de fortuna:
Satis dolorum adest mihi.
Sistam. Ubi me accipiet solatium
Cum ducibus Danaidum in aeneis armis
In ultionem mortui patris?
Evad. Fil.[84]) Videor intueri te, pater, oculis
Ponentem dulce osculum ad genas meas.
Sed adhortatio tuorum sermonum
Abiit sublata in aerem.
Reliquisti matri luctus duorum.
Te nunquam paterni dolores relinquent.
Iph.[85]) Habeo tantum onus, quantum me perdit.
Age circa ubera[86]) subiiciam cineres.
Evad. Fil.[87]) Lamentor audiens hunc sermonem
Tristissimum, attigit meum cor.
Iph.[88]) O fili, abis, non amplius charam
Charam effigiem videbo tuae matris.
Thes. Adraste, et mulieres ex Argivo genere,
Videte istos pueros, gerentes in manibus
Corpora fortissimorum parentum, quae recepi.
His ego te et civitas donamus:
Vos oportet recordantes horum gratiam
Servare, cum videatis, quae nacti sitis ex me.
Omnes admoneo horum sermonum,
Ut honore afficiatis hanc urbem semper, filiis filiorum
Denuntiantes memoriam eorum, quae adepti estis.
Iupiter testis sit, et Dii in coelo,
Quali beneficio a nobis affecti abeatis.
Adr. Theseu, intelligimus omnia, quanta Argivis
Bona feceris, beneficio afficiens rogantes.
Habebimus non senescentem gratiam; nam praeclara
Accipientes, debebimus vobis vicissim paria facere.
Thes. Quid aliud oportet me vobis praestare?
Adr. Salvus sis: dignus es eo tu et tua urbs.
Thes. Sint ista, sed tu eadem consequaris.

---

77) gaudium nocturnum] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: excubiarum gratia; Fix.: vigiliarum gratia.

78) vigilatae noctes?] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (= text. gr.) insomnes oculorum impensae?

79) amici contuitus vultuum?] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: dulces oris *ad os* applicationes (i. e. *osculationes*)?

80) *Evad. Fil.*] sic Editt. 1558., 1562. (Ed. Basil. 1551. *Εὐαδ.*); Fix.: *Παῖς* — *Puer*; in Editt. Barn., Musgr. neutrum huic vs. praefixum est.

81) *Iph.*] sic Editt. 1558., 1562., Barn. (aeque ac Ed. Basil. 1551.); Musgr. *Adr.*; Fix.: *Chorus*.

82) *Puer*.] sic Editt. 1558., 1562., Barn.; Musgr., Fix. *Chor*. (Vss. 1145. et 1146. in his 2 Editt. sunt verba *Pueri*).

83) Ah] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Al* *al.*) Ah, ah!

84) *Evad. Fil.*] sic Editt. 1558., 1562. (Ed. Basil. *Εὐαδ.*); Musgr. *Adr.*; Fix.: *Puer*; in Ed. Barn. nihil horum legitur.

85) *Iph.*] sic Editt. 1558., 1562., Barn.; in Ed. Musgr. haec verba sunt *Adrasti*, in Ed. Fix. *Chori*.

86) circa ubera] sic Editt. 1558., 1562.; in Editt. recent.: in pectore meo.

87) *Evadn. Fil.*] sic Editt. 1558., 1562. (Ed. Basil. 1551. *Εὐαδ.*); Barn., Fix. *Puer*; Musgr. *Adr*.

88) *Iph.*] sic Editt. 1558., 1562., Barn.; Musgr., Fix. *Chor*.

Minerva. Audi, Theseu, sermonem Minervae,
Quid oporteat te facere, idque ex usu dico,
Ne des haec ossa istis Argos
Pueris ferre, sic facile dimittens eos,
Sed pro tuis et urbis laboribus
Recipe primum iuramentum. Oportet iurare hunc
Adrastum; hic enim rex habet potestatem,
Ut iuret pro universa terra Danaidum.
Hoc erit iusiurandum: nunquam Argivos terram
In hanc adducturos hostilem exercitum;
Et aliis venientibus repugnaturos.
Si violato iuramento veniant contra urbem,
Imprecare terrae Argivorum, ut male pereant.
Audi [89]), ubi oportet te secare hostias.
Est tibi tripos aeneis pedibus intra domum,
Quem quondam afferens ex sedibus Troiae [90])
Ad aliud negotium Hercules tendens
Mandavit statui ad aram Pythicam.
In hoc secans tria guttura trium ovium,
Inscribe iusiurandum in cava superficie tripodis.
Deinde des servandum Deo, qui Delphis praesidet,
Ut sit monimentum foederis et testimonium Graeciae,
Ubi aperies victimas, et vulnerabis nece [91]),
Acutum gladium in angulos terrae
Occulta ad ipsos septem rogos mortuorum:
Metum ipsis, si quando venient contra urbem
Ostensus faciet, et infelicem reditum.
Postquam haec feceris, mitte extra terram mortuos;
Lucum etiam, ubi ipsorum corpora puri-ficentur igne,
Concede ad ipsum trivium Deae Isthmiae.
Tibi haec dixi; sed Argivorum dico filiis:
Adulti capietis Thebas,
Et ulciscentem [92]) necem parentum mortuorum
Tu, Aegialeu, dux pro patre eris,
Cum fueris robustus, et ab Aetolis veniens fi
Tydei, quem nominavit Diomedem pater.
Sed non oportet invidere occultatis genis;
Quin incitare oportet universum exercitum Argivorum
Adversus septem turres Thebanorum,
Ubi creveritis, venietis acerbi ipsis,
Tanquam catuli leonum, expugnatores urbis
Non fiet aliter. Epigoni [93]) per Graeciam
Vocati facietis posteris cantilenas.
Talis exercitus ibitis cum Deo.
Thes. Domina Minerva, obtemperabo sermo-ni tuo.
Tu me dirigis, ut non errem.
Et istum iuramento obligabo, tantum tu me
Dirigas; nam te, propitia urbi
Existente, in posterum secure habitabim
Chor. Eamus, Adraste, iusiurandum demu
Isti viro et urbi: digna nobis
Laboraverunt, ut colantur.

---

89) Audi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἄκουέ μου) Audi ex me.

90) afferens ex sedibus Troiae] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Ilii sedibus eversis.

91) vulnerabis nece] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: peregeris caedem.

92) Et ulciscentem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. re (= Eurip. ἐκδικάζοντες) ulciscentes.

93) epigoni] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adscr est haec annotatio: „id est, posteri. Hoc nomine de re scripsit Aeschylus tragoediam, quae periit."

LXIII. PH. MEL. INTERPRETATIO EURIPIDIS IPHIGENIAE IN AULIDE.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis in *Xylandri* Editt. 1558., 1562. exstat, quibuscum Editiones *Barnesii, Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros et stropharum partitiones aliasque inscriptiones quasdam ex Ed. Barnesii adscripsi uncis inclusas.

EURIPIDIS IPHIGENIA IN AULIDE

PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Huius tragoediae interpretationi a *Xylandro* hoc praemissum est argumentum:

Argumentum Xylandri.

Graecorum classis ad Troiam proficiscens Aulide detinebatur, quod nullus ventus navigationem dabat. Calchas vates respondit, Iphigeniam Agamemnonis filiam Dianae immolandam: ita fore, ut ventus existat. Agamemnon domum mittit, accersitque Iphigeniam, Achilli se eam locaturum praetendens. Mater Clytaemnestra unâ venit. Sed re comperta, acriter cum marito expostulat, Achillem quoque sibi adstipulantem habens. Iphigenia autem persuadet utrisque, ut ipsam pro salute Graeciae sinant immolari. Diana vero eam, cum esset mactanda, abripit, inque locum eius cervum supponit. Scena tragoediae est in Aulide. Chorus constat Aulidensibus mulieribus[1]).

Personae.

Agamemnon
Senex[2])
Chorus
Menelaus
Clytaemnestra
Iphigenia
Achilles
Minister[2])
Nuntius.

Praefatur Agamemnon.

IPHIGENIA IN AULIDE.

[*Agamemnon, Senex.*]

Agamemnon.

O senex ante hanc domum
Procede. *Sen.* Procedo.
Quid facis novi, rex Agamemnon?
Agam. Audies. *Sen.* Festino.

1) Hoc argumentum Xylander ipse composuit; aliud Barnesius ab ipso graece et latine scriptum huic tragoediae praefixit; in Eurip. Ed. Basil. 1551. argumentum graecum non invenitur.

2) Senex (*Πρεσβύτης*) — Minister (*Θεράπων*)] sic in Editt. 1558., 1562. (aeque ac in Ed. Basil. 1551.), Barn., Musgr. tanquam duae personae in hoc catalogo et in fabula ipsa afferuntur; at si vss. 891—895. cum vss. 109—156. et 303—316. confers, illas personas unam esse eandemque intelliges. Quapropter Fixius optimo iure unam „*Senex*" in hoc personarum catalogo proposuit, et in ipsa tragoedia, ubicunque illae 5 Editt. *Θεράπων* — *Minister* s. *Famulus* habent, scripsit *Πρεσβύτης* — *Senex*; conf. pag. 685. nota 7.

Mea senectus est pervigil,
Et acumen adest in oculis.
Agam. Quae stella haec vehitur coelo?
Sen. Sirius prope septemplicem
Pleiada incedens, in medio sublimis adhuc.
Agam. Non ergo est sonitus neque avium,
Neque maris, et silentium ventorum
Se habet circa hunc Euripum.
Sen. Quid autem tu extra tabernaculum procedis,
Agamemnon rex?
Est adhuc tranquillitas circa Aulidem,
Et sunt immotae custodiae etiam moenium.
Abeamus intro. *Agam.* Suspicio te, senex,
„Et magnifacio ex hominibus, quicunque sine periculo
„Vitam transegit ignotus et inglorius;
„Minus suspicio illos, qui sunt in honoribus[3]).
Sen. Atqui inde est decus vitae.
Agam. Hoc decus est periculosum:
„Et gloriae cupiditas
„Dulcis quidem, sed dolore afficit, cum ea adest.
[Aliquando enim Deorum cultus non rite peractus evertit vitam[4]).]
Aliquando hominum opiniones multae
Et infestae mordent.
Sen. Non laudo ista in viro principe.
„Non ad omnia bona genuit te,
„O Agamemnon, Atreus;
„Oportet te gaudere et dolore affici.
„Es enim mortalis; et etiamsi tu non voles,
„Tamen divina sic volent[5]).
Tu proferens lumen facis,
Scribis tabellam
Hanc, quam adhuc geris in manibus;
Et easdem litteras rursus confundis,
Et obsignas, et solvis postea.
Abiicis taedam in solum, largas
Lachrymas effundens.
Et nulla angustia[6]) indiges,
Ne insanias: quid laboras?
Quid novi, quid novi tibi adest, o rex?
Age, communica sermonem nobis;
Dices homini bono et fideli.
Nam tuae coniugi aliquando Tyndarus
Misit me dotem, iustum curatorem sponsae.
Agam. Fuerunt Ledae Thyestiadi tres virgines,
Phoebe, et Clytaemnestra mea coniunx,
Et Helena: huius praestantes opibus
Proci fuerunt, adolescentes Graeciae.
Atroces minae, et inter se caedes
Parabantur ab eo, quisquis non consequ… virginem.
Res habebat dubium patrem Tyndare…
Daret, an non daret, et quomodo fort…
Optime attingeret; et[7]) ei venit in ment…
Ut iusiurandum darent, et dextras apud sa…ficia[8]) iungerent
Proci inter se, et per sacra
Facerent foedus, et iurarent haec:
Cui uxor contingeret Tyndaris puella,
Huic opitulaturos esse, si quis ex domo
Abiret, et depulsuros a lecto habentem,
Et adversus illum militaturos et vast… urbem,
Graecam pariter et barbaram, manu
Postquam foedere coniuncti sunt, recte
Tyndarus eos fefellit bono consilio;
Concessit filiae eligere unum ex procis,
Quo eam chari flatus amoris ferrent.
Illa elegit (utinam nunquam duxisset
Menelaum. Veniens autem ex Phrygibu…rum
Iste iudex, ut habet sermo hominum,
Lacedaemona, florens ornatu vestium
Et auro splendens, barbarico apparatu,
Abiit capiens amans amantem
Helenam, ducens abeuntem ad stabula
Menelaus ergo in Graecia incitatus oestr… sertus a coniuge,
Testatur vetus iusiurandum Tyndareo
Quod oporteat opem ferre iniuria affecto.
Inde surgentes Graeci ad bellum,
Sumentes arma, ad angustam sedem Aul…
Huius veniunt, navibus et clypeis simul,
Ac equis et multis curribus instructi.

---

3) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vita magnatum qualis.

4) Hos duos versus in Editt. 1558., 1562. omissos (quamquam in Ed. Basil. 1551. graece reperiuntur) ex Ed. Barn. adscripsi eamque ob causam intra cancellos inclusi.

5) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Conditio humana.

6) nulla angustia] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: nulla inopia consilii; Musgr., Fix.: nulla perturbatione (Eurip. τῶν ἀπόρων οὐδενός).

7) et] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: et ho… rip. καὶ . . τάδε).

8) apud sacrificia] sic Editt. 1558., 1562.; in Edit… (= text. gr.) haec desunt.

Et me, ut essem dux, Menelai causa
Elegerunt cognatum. Dignitatem
Hanc utinam aliquis alius nactus esset pro me.
Collecto et congregato exercitu,
Sedemus, cum non possimus navigare, in Aulide.
Calchas autem vates, cum valde angeretur animo,
Respondit: Iphigeniam, quam genui ego,
Mactandam Dianae habitanti hoc solum;
Sic futuram navigationem et eversionem Phrygum
Mactantibus; non sacrificantibus non fore haec.
Ego audiens haec, recto praeconio
Iussi Talthybium dimittere totum exercitum,
Tanquam non sustinens interficere meam filiam.
At me frater, obiiciens omnem sermonem [9]),
Persuasit sustinere atrocia; et in volumine tabulae [10])
Scribens misi ad meam uxorem,
Ut mittat filiam tanquam nupturam Achilli:
Amplificans dignitatem viri,
Et dicens, quod non vellet navigare cum Achivis,
Nisi a nobis veniat connubium in Phthiam.
Hanc persuasionem habui ad coniugem meam,
Coniungens commenticias nuptias de filia.
Soli ex Graecis scimus, quomodo se habeant,
Calchas, et Ulysses, et Menelaus. Sed quae non recte
Tunc decrevi, rursus retracto bene
In his litteris, quas in umbra noctis
Solventem et colligantem vidisti me, senex.
Sed eia vade accipiens hanc epistolam
Ad Argos. Sed quae occultat tabella in involucro,
Oratione exponam tibi omnia inscripta;
Es enim fidelis coniugi et meae familiae.
Mitto tibi supra priores
Litteras, o Ledae germen.
Sen. Dic et significa, ut etiam lingua
Consentientia litteris dicam.
Agam. Non mitte tuam filiam ad
Sinuosam alam Euboeae,
Aulidem, quae non obruitur fluctibus.
Nam in aliud tempus
Filiae hymenaeos accendemus [11]).
Sen. Et quomodo Achilles frustratus coniugio,
Non valde incandescens incitabit iram
Adversus te et tuam coniugem?
Hoc etiam est periculosum; dicas, quid velis.
Agam. Nomen praebens, non rem, Achilles;
Nescit nuptias, neque quid agamus [12]),
Neque quod illi filiam promiserim [12])
In nuptiales complexus
Daturum thalamis.
Sen. Atrocia audes, rex Agamemnon.
Sic Deae [13]), tuam filiam sponsam
Dicens, ducebas victimam pro Danais?
Agam. Heu heu [14]), insanii;
Heu heu, incido in calamitatem;
Sed vade agitans tuum pedem, senectae
Nihil cedens.
Sen. Propero, rex. *Agam.* Non sedeas iuxta nemore cinctos
Fontes, neque demulcearis somno. *Sen.* Bona verba [15]).
Agam. Ubique praeteriens biviam viam,
Vide observans, ne te lateat
Rotis praetervectus
Currus adducens filiam [16]) huc,
Ad naves Danaorum.
Sen. Fiet. *Agam.* Vade extra septa.
Utinam vero occurrens [17]) comitatui eius,
Rursus reflectas frena,
Mittens ad solum Cyclopum.
Sen. Quomodo credetur mihi, dicenti haec
Filiae tuae, et tuae coniugi? dic
Agam. Custodi sigillum, quod supra litteras
Has portas.
Vade, hoc lumen iam candefacit,

---

9) omnem sermonem] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: omnem rationem; Musgr.: omne argumentum (Eurip. *πάντα . . λόγον*).

10) in volumine tabulae] sic Editt. 1538., 1562.; Editt. recent.: in epistolae plicis.

11) accendemus] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: celebrabimus; Barn., Musgr.: dilatos celebrabimus.

12) agamus . . . promiserim] sic Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. agimus . . . promisi.

13) Sic Deae,] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Basil. 1551. *Οὕτω τῆς θεᾶς*); Editt. recent.: *Ὅς τῷ τῆς θεᾶς* — Qui Deae (*Thetidis*) filio.

14) Heu heu] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Οἴ μοι*) Hei mihi.

15) Bona verba] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Bona verba, quaeso (Eurip. *Εὔφημα θρόει*).

16) filiam (*meam*)] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. filium (Eurip. *παῖδα*).

17) Utinam vero occurrens] sic Editt. 1558., 1562. (Eurip. Ed. Basil. 1551. *Ἢν γὰρ ἀντήσας*); Editt. recent.: Nam si occurras (= Barn. *Ἢν γὰρ ἀντήσαις* [Musgr., Fix. *ἀντήσῃς*]).

Aurora fulgens,
Et ignis curruum solis,
Adiuva me in his laboribus.
„Nemo mortalium est ad finem usque beatus,
„Neque felix.
„Nullus enim natus est, cui non aliquid triste accidetit[18]).

[*Strophe* 1.]

Chor. Veni ad littoralem
Arenam maritimae Aulidis,
Per fluctus Euripi
Navigans, angustam
Chalcidem, urbem meam, relin-
quens, altricem aquarum vicinarum mari,
Inclytae Arethusae,
Ut videam exercitum Achivorum,
Et remos, qui naves promovent Achivorum
Semideorum, quomodo[19]) ad Tro-
iam remis mille navium
Flavum Menelaum
Nostri mariti
Sequuntur, et nobilem Agamemnonem,
Ut veniant ad Helenam,
Ab Eurota[20]), in quo nascuntur arundines,
Quam abduxit Paris pastor,
Munus Veneris,
Quando ad rorem fontanum,
Cum Iunone et Pallade litem[21])
De forma Venus habuit.

[*Antistrophe* 1.]

Per nemus multorum sacrificiorum Di-
anae veni conspicuam[22])
Genam meam rubefaciens
Pudore iuvenili
Munitionem clypei et tentoria
Vehentia armatos[23]) Danaorum, vo-
lens et equorum strepitum videre,
Vidi duos Aiaces cohabitantes,
Oilei et Telamonis filium,
Coronam Salaminis,
Et Protesilaum, in sedibus
Delectantes se tesserarum figu-
ris multiplicibus.
Et Palamedem, quem genuit filius Ne-
ptuni et Diomedem volu-
ptatibus disci gaudentem.
Et iuxta Merionen[24]), Martis
Ramum, miraculum hominibus.
Et a montibus insularibus
Laërtis filium, et simul Ni-
reum, formosissimum Graecorum.

[*Epodus* 1.]

Et parem ventis pedibus
Celerem Achillem,
Quem genuit Thetis, et
Chiron instituit,
Vidi in littore
Et ad arenas
Cursum habentem cum armis;
Et faciebat certamen pedibus
Cum curru quadriiugo
Agitans corpus de victoria.
Auriga clamabat Eu-
melus Pheretiades,
Cui videbam pulcherrimos
Equos variatos frenis[25])
Stimulo impelli,
Medios iugales va-
riis pilis maculosos
Exteriores catenatos
Obliquos flexibus cursuum
Fulvos, integris
Ungulis sub talos,
Maculosos;
Iuxta quos saltabat
Iuxta orbitam Pelides armatus
Et canthos currules.

[*Strophe* 2.]

Porro veni ad classem,
Et spectaculum magnum,
Muliebrem visum oculorum,

18) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Miseria hominum.

19) quomodo] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Editt. Basil. 1551., Musgr. ὡς); Barn., Fix.: οὓς — quos (sic etiam Musgr. in lat. interpr.).

20) Ab Eurota] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Quam ab Eurota.

21) litem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: litem, litem (= Eurip. ἔριν, ἔριν).

22) conspicuam] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Editt. Basil. 1551. et Musgr. δρωμέναν, Musgr. in interpr.: spectatam); Barn., Fix.: δρομένα — concitata.

23) Vehentia armatos] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Armifera (= Eurip. Ὁπλοφόρους).

24) Merionen] sic (= Μηριόνην) Barn., Fix.; Editt. 1558., 1562., Musgr.: Merionem.

25) variatos frenis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.): frenis auro varie ornatis insignes.

Ut implerem blanda voluptate.
Et cornu
Dextrum habebat remis[26])
Phthioticus exercitus Myrmidonum,
Quinquaginta in navibus militaribus:
Et aurea simulacra
In fastigiis stabant Nereidum Dearum
In puppibus, signum exercitus Achillei.

[*Antistrophe* 2.]

Argivorum apud has totidem[27])
Stabant naves prope,
Quarum dux Mecistis
Erat filius, quem educat pater Talaus,
Et Capanei filius,
Sthenelus. Ex Attica ducens
Sexaginta naves Thesei
Filius deinde habebat stationem, Deam
Pallada in equestribus
Alatis curribus signum habens,
Iucundum ostentum nautis.

[*Strophe* 3.]

Et exercitum Boeotorum, marinas
Naves quinquaginta vidi,
Ornatas signis.
His erat Cadmus
Tenens aureum draconem
Circa navium rostra;
Et Leitus indigena[28])
Erat dux navali exercitui.
A terra autem Phocensi,
Et ex Locris totidem ducens
Naves Oilei[29]) filius claram
Throniada urbem relinquens.

[*Antistrophe* 3.]

Ex Mycenis Cyclopeis
Filius Atrei mittebat nautas
Centum navium collectos.
Et simul erat Adrastus
Dux, tanquam amicus apud amicum;
Fugientis[30]) domum
Propter barbaricas nuptias,
Ut susciperet Graecia negotium.
Ex Pylo autem Nestoris
Senis[31]) vidi
Puppes, signum tauri specie,
Quod videbatur[32]), Alpheus accola.

[*Epodus* 3.]

Aenianorum autem duodecim classes
Navium erant, quibus rex Iuneus[33])
Imperabat; prope istos
Elidis duces,
Quos Epeos vocabat omnis populus:
Eurytus imperabat his;
Et exercitum navalem
Taphinum[34]) ducebat, quibus Meges
Praeerat, Phylei filius,
Relinquens Echidnas
Insulas[35]), inaccessas nautis.
Aiax autem alumnus Salaminis
Dextrum cornu
Sinistro coniungebat.
His propius habebat stationem remis,
Extremis coniungens
Duodecim celerrimas
Naves, ut audivi, et nauticum
Populum vidi.
Cui si quis committat
Barbaricas naves,
Non auferet reditum.
Ibi audivi, vidi
Navale agmen,
Haec audiens domi, convocati
Exercitus memini.

---

26) Et cornu Dextrum habebat remis] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. male: Et cornu Dextrum, habebam remis; Fix.: Et cornu quidem erat dextrum classis occupans.

27) totidem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *ἰσήρετμοι*) paribus instructae remis.

28) indigena] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: terrigena (utrumque = Eurip. *γηγενής*).

29) Oilei] sic (= *Ὀϊλέως*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Oitei.

30) Scil. Helenae.

31) Senis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Gerenii (Eurip. *Γερηνίου*).

32) tauri specie, Quod videbatur,] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr., Fix.: taurinis pedibus videndum [Fix.: t. p. adspectu].

33) Inneus] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Ἰουνεύς*); Editt. recent. *Γουνεύς* — Guneus.

34) Et exercitum navalem Taphinum] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (= text. gr.) Albis vero remis instructum (*navalem*) exercitum Taphium.

35) Rel. Echidnas Ins.] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551., Musgr. *Τὰς Ἐχίδνας λιπ. Νησ.*); Editt. recent.: Relictis Echinadibus Insulis (Ed. Barn. *Τὰς Ἐχινάδας λ. Ν.*, Ed. Fix. *Τὰς Ἐχίνας λ. Ν.*).

[*Senex, Menelaus, Agamemnon, Chorus.*]

Sen. Menelae, audes atrocia, quae te non decet facere[36]).

Men. Apage, nimis fidelis es dominis.

Sen. Honestum probrum mihi exprobras.

Men. Plorabis, si facies, quae te non decet facere.

Sen. Non oportet te aperire litteras, quas ego fero.

Men. Neque oportet te ferre mala omnibus Graecis.

Sen. Frustra certas haec[37]), relinque mihi tabulam.

Men. Non reliquero[38]). *Sen.* Neque ego dimittam.

Men. Cito cruentabo caput tuum sceptro.

Sen. Sed gloriosum est mori pro domino[39]).

Men. Dimitte, existens servus dicis longas orationes.

Sen. O domine, iniuria afficimur, tuas epistolas
Iste rapiens ex meis manibus vi,
Agamemnon, non vult uti iure.

Agam. Eia, quis tumultus est in foribus, quae deformitas verborum?

Sen. Mea, non huius ratio est potior dictu.

Agam. Tu Menelae, quare venisti cum isto in contentionem, et ducis eum vi?

Men. Respice ad nos, ut hinc sumam initium orationis.

Agam. Num timens non aperiam palpebras, natus ex Atreo?

Men. Vides hanc tabulam, ministram pessimarum litterarum?

Agam. Video, et primum abiice hanc ex tuis manibus.

Men. Non, priusquam ostendero omnibus Graecis inscripta[40]).

Agam. An scis, quae non decet te scire, relaxato sigillo?

Men. Aperui, ut tu doleas, quae fecisti mala clam.

Agam. Ubi accepisti[41])? o Dii[42]), tuum impudentem animum!

Men. Expectans tuam filiam, an ex Argis[43]) veniat ad exercitum.

Agam. Quare tu mea observas? non sunt haec impudentis?

Men. Quia voluntas me vellicabat, et non eram tuus servus.

Agam. Non sunt ista atrocia, non sinar regere meam domum?

Men. Tu sentis inconstantia, iam sic,
Deinde aliter, mox rursus sic.

Agam. Es argutus; lingua arguta est odiosum malum.

Men. Inconstans animus est iniusta res, et non perspicua amicis.
Volo tecum expostulare, et tu non prae ira
Aversare verum. Non valde laudo te.
Scis, quando cupiebas praefici Graecis ad Ilium,
Non petens in speciem, sed volens re ipsa,
Quam eras humilis, omnem dextram attingens,
Et habens ianuas non clausas volenti ex populo,
Et dans alloquium ordine omnibus, etiam si quis non volebat,
Moribus quaerens imperium a vulgo redimere.
Deinde postquam potitus es imperio, mutans mores,
Amicis non amplius fuisti, sicut ante, amicus,
Difficilis in aggressu, et rarus intra claustra.
„Atqui non convenit virum
„Praestantem, in imperio
„Mutare mores[44]);
„Sed tunc maxime firmum esse amicis,
„Quando ipse fortunatus maxime potest eos iuvare.
Haec tibi primum obiicio[45]), ubi te

---

36) facere] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *τολμᾶν*) audere.

37) Frustra certas hacc] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Alias [Musgr., Fix.: Cum aliis] de his contendito (Eurip. Ed. Basil. 1551. *Ἄλλως ἁμιλλᾷ ταῦτ'*, Barn., Musgrav.: *Ἄλλως ἁμιλλῶ τ.*, Fix.: *Ἄλλοις ἁμιλλῶ τ.*).

38) reliquero] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: relinquam.

39) domino] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *δεσποτῶν*) dominis.

40) inscripta] sic scripsi (= Eurip. *τἀγγεγραμμένα*, Editt. recent.: quae in *ea sunt* scripta); Editt. 1558., 1562. male: inscripto.

41) accepisti?] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) has [Fix.: istas] *litteras* cepisti?

42) o Dii] sic (= Eurip. *ὦ θεοί*) Barn., Musgr.; Fix.: Proh dii; Editt. 1558., 1562. odi.

43) Argis] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Argo.

44) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Ob honores non esse mutandos mores.

45) obiicio . . . invenio] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Fix. (= text. gr.) obieci . . . inveni.

Primum invenio[45]) malum.
Postquam vero in Aulin venisti cum toto Graecorum exercitu:
Nullus es, sed consternatus calamitate divinitus immissa,
Quando cares secunda navigatione; Graeci autem, ut dimitteres
Naves, flagitabant, neque frustra laboraretur in Aulide:
Quam miserum nomen habebas, et quantam perturbationem, ne navibus
Mille praepositus non[46]) esses, et Priami
Campum impleres exercitu?
Et me consulebas: Quid faciam? quamnam
Viam inveniam?
Ne amisso imperio, perderes tuam dignitatem.
Deinde postquam in sacrificiis Calchas dixit, ut mactares tuam filiam
Dianae, atque ita secundam navigationem fore Graecis,
Gavisus animo,
Libens te mactaturum esse filiam tuam promisisti, et volens iubes
Uxorem tuam, non coactus vi (ne dixeris istud), ut tuam filiam
Huc mittat, hoc praetextu tanquam nupturam Achilli.
Deinde mutata sententia clam alias litteras misisti,
Quod non sis futurus interfector filiae tuae.
Iste aer est testis, qui de te haec audivit.
„Innumeris hoc accidit in negotiis gerendis,
„Laborant, ut rei praesint, deinde male languescunt[47]),
„Partim propter stultas civium voluntates, partim iuste,
„Cum non possint retinere civitatem.
Ego potissimum gemo miseram Graeciam,
Quae, cum velit aliquid gloriosum gerere contra barbaros nihili homines,
Dimittet eos ridentes propter te et tuam filiam.
„Neminem ego facerem praefectum alicuius loci propter opes,
„Neque ducem exercitus: oportet sapere ducem,
„Civitatis; omnis hic vir dux est, qui sapientia est praeditus[48]).
Chor. Acerba res est, inter fratres incidere lites
„Et certamina, quando in discordiam venerint.
Agam. Volo tibi recte maledicere, idque breviter, ne nimis
Impudens videar, sed modestus,
„Ut puta qui sis frater meus. Homo enim turpis non solet pudore affici.
Dic mihi, quare acerba spiras, habens cruentum oculum?
Quis te iniuria afficit? qua re indiges? coniugium
Vis illud bonum recuperare?
Non possum equidem tibi praestare: quae possides[49]), male
„Cepisti[50]), deinde ego poenam dabo, qui non peccavi?
Aut te meus honos mordet? sed in complexu
Formosam coniugem vis, ratione omissa
Et honestate, habere? „Hominis mali malae sunt voluptates.
Quod si ego, non bene prius decernens, ut melius sentirem, sum mutatus[51]):
Num insanire tibi videar? tu magis, qui amissum malum coniugium
Vis repetere, cum Deus tibi dederit illam fortunam[52]).
Iuraverunt Tyndareo iuramentum stulti
Proci[53]): haec spes vel potius Deus aliquis[54])
Effecit hoc magis quam tu aut tua virtus.

46) ne . . . non] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: nisi; Fix.: si . . . non (Eurip. μὴ).

47) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Remissio in rebus gerendis.

48) H. l. ibid. nota marg.: Bonus magistratus.

49) possides] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἐκτήσω) possidebas.

50) Cepisti] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr., Fix. (= Eurip. ἦρχες) rexisti.

51) non bene prius decernens, ut melius sentirem, sum m.] sic ordinem verborum commutavi; Editt. 1558., 1562.: prius decernens, ut melius sentirem, non bene, sum mutatus; Editt. recent.: non recte prius sentiens, sententiam mutarim [Fix.: mutavi] prudenter.

52) cum D. t. dederit illam fortunam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Deo tibi fortunam secundam largiente (Eurip. θεοῦ σοι τὴν τυχὴν διδόντος εὖ).

53) Proci] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Φιλόγαμοι μνηστῆρες) Nuptiarum cupidi proci.

54) haec spes vel p. D. al.] sic Editt. 1558., 1562. (Ed. Basil. 1551. ἥδέ γ' ἐλπὶς etc.); Barn.: sed Spes (ut arbitror) dea (= Eurip. ἡ δέ γ' ἐλπὶς, οἶμαι μὲν, θεός).

Quos accipiens duc eos; experieris autem stultitia[55])
Et vi coactum male pactum esse iusiurandum.
Ego non interficiam meos liberos, quod ad te attinet,
Supra iustitiam est vindicta malae coniugis;
Me vero conficient dies noctesque lachrymis,
Facientem iniqua, et quae non iustum est me facere in meos liberos, quos genui.
Haec tibi breviter dicere volui, quae sunt clara et facilia.
„Quod si non vis sapere, ego mea recte curabo.
Chor. Hi dissimiles sunt prius dictis
Sermonibus; probe autem monent parcere liberis.
Men. Heu heu, non habeo miser amicos?
Agam. Si non vis perdere amicos.
Men. Ubi ostendes, quod sis meus frater?
Agam. Volo tecum sapere, sed non simul furere.
Men. „Atqui oportet amicos cum amicis dolere in commune.
Agam. Adhibe me, cum recte facturus es; sed non, cum me dolore affecturus es.
Men. An non tibi videtur in his laborandum esse cum Graecia?
Agam. Graecia tecum videtur divinitus insanire.
Men. Tu gloriaris nunc regno, prodens tuum fratrem;
Ego vero alias artes quaeram,
Et alios amicos.
Nun.[56]) O rex Graecorum
Agamemnon, veni adducens tibi tuam filiam,
Quam Iphigeniam aliquando nominasti in aedibus.
Mater autem comitatur, tua Clytaemnestra,
Et filius Orestes, ut delecteris conspectu horum,
Postquam iam longo tempore non fuisti in aedibus.
Sed postquam longum iter fecerunt ad Eurytum
Fontem[57]), reficiunt femineos pedes,
Et equae ipsae: in gramen pratorum
Dimisimus ipsas, ut gustarent cibum.
Ego vero praecursor propter tuum apparatum
Venio; exercitus enim audivit, velox autem
Fama pervasit[58]) venisse tuam filiam.
Omnis exercitus cursu venit ad spectaculum,
Ut videant tuam filiam. „Felices
„Inter omnes homines sunt clari et suspiciendi.
Dicunt autem: Estne hymenaeus? aut quid agitur?
An desiderio affectus rex Agamemnon filiae
Curavit adduci eam? Ab aliis haec audires:
Artemidi initiant adolescentulam,
Reginae Aulidis; quisnam eam ducet?
Sed omittamus haec: tu primitias fer Dianae domi[59]),
Coronate capita, et tu, rex Menelae,
Appara nuptias, et in domo
Sonet tibia, et sonitus sit pedum;
Venit enim hic dies felix puellae.
Agam.[60]) Laudo; sed vade intro.
Reliqua, eunte fortuna, belle erunt.
Heu mihi, quid dicam miser? a te incipiam,
In quale vinculum fati incidimus?
Subiit fortuna, ut consilio
Multo esset meo sapientior.
„Ignobilitas quantum habet utilitatis[61])!
„Etenim licet illis lachrymari
„Et dicere tristia, nobilibus vero
„Omnia ista negata sunt: gubernatorem vitae
„Habemus populum, et servimus plebi.
Equidem vereor emittere lachrymas,
Rursus pudet me miserum non lachrymari,
Postquam in maximas calamitates perveni.
Esto; quid dicam ad meam coniugem?
Quomodo excipiam eam? quomodo adspiciam?
Etenim me perdidit propter mala, quae mihi adsunt,
Cum venerit non vocata; iure secuta est,
Filiam desponsans, et carissima
Dans, ubi nos inveniet perfidiosos.
Miseram hanc virginem (quid virginem?

55) duc eos — stultitia] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (= text. gr.) bellum auspicare: nosces autem (opinor) stultitia mentis.

56) *Nun.*] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. h. l. retinuerunt graecam vocem *Ang.* (Ἄγγελος).

57) ad Eurytum Fontem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: ad limpidum Fontem (Eurip. εὔρυτον παρὰ Κρήνην).

58) pervasit] sic (= Eurip. διῇξε) Editt. 1558., Barn., Musgrav., Fix.; Ed. 1562. male: persuasit.

59) Sed — domi,] sic Editt. 1558., 1562.; Fix. (= text. gr.) Sed age, quod proximum est, auspicare canistra.

60) *Agam.*] in Ed. 1562. h. l. deest.

61) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Laus ignobilitatis.

Pluto, opinor, eam brevi ducet.)
Ut miseret me eius! Sic enim, puto, supplicabit mihi:
O pater, occides me? tales nuptias
Ipse habeas, et quisquis tibi charus est.
Orestes autem prope stans[62]), clamabit
Non intellecta intelligibiliter; adhuc enim est infans.
Heu heu, perdidit me nuptias cum Helena
Celebrans Paris, filius Priami, quae mihi fecerunt haec.
Chor. Et ego misericordia commoveor, quemadmodum decet mulierem peregrinam,
Propter calamitatem principum ingemiscere.
Men. Frater, concede mihi, ut possim tangere manum tuam.
Agam. Permitto; tua est enim potentia[63]), ego vero miser.
Men. Iuro Pelopem, qui pater mei patris
Et tui vocabatur, et Atreum, qui genuit illum,
Certe dicturum me tibi esse ex animo,
Et nihil artificiosum, sed ita, ut sentio.
Ego cum viderem te ex oculis emittere lachrymas,
Misertus sum tui, et ipse vicissim emisi lachrymas,
Et discedo a priore sententia.
Non volo in te esse crudelis; vado eo, ubi tu nunc es[64]),
Et tibi suadeo, ne interficias filiam tuam,
Neque anteferas meam utilitatem; non enim iustum est
Te gemere, me vero suaviter habere;
Et mori tuos, meos autem[65]) adspicere hanc lucem.
Quid enim volo? an non egregias nuptias
Alias apparare possum, si nuptias desidero?
Sed perdens fratrem, quem me minime oportebat perdere,
Helenam accipiam, malum pro bono?
Stultus et iuvenilis eram prius; sed propius rem
Inspiciens, vidi, quale sit interficere liberos,
Et me inprimis miseratio infelicis puellae
Subiit, cogitantem cognationem,
Quae propter meas nuptias mactanda
Est, quid tuae filiae cum Helena?
Eat exercitus dimissus ex Aulide.
Tu vero desiste oculos tuos irrigare lachrymis,
Frater, et me provocare ad lachrymas.
Quod si quae oracula habes de tua filia,
Nihil ad me pertinent; tibi tribuo meam partem.
Sed veni in mutationem a crudeli sententia,
Aequum mihi accidit, fratrem
Amans mutatus sum. „Boni viri mos est
„Ille, semper optima sententia uti.
Chor. Praeclara dixisti, et Tantalo, filio Iovis,
Digna; non dedecoras tuos maiores.
Agam. Laudo te, Menelae, quod praeter meam opinionem
Recte haec verba subiecisti, et ut te decet.
Men. Discordia fit aliqua fratrum propter amorem
„Et cupiditatem familiae; abominor
„Talem cognationem acerbam inter sese.
Agam. Atqui pervenimus in necessarias calamitates,
Ut cruentam caedem exerceam in filiam meam.
Men. Qui? quis coegerit te, ut eam occidas?
Agam. Totus Graecorum exercitus.
Men. Non, si ipsam rursus mittas ad Argos.
Agam. Eatenus possim fallere; sed illa in re non potero fallere.
Men. Quid est illud? non oportet populum nimis timere.
Agam. Calchas aperiet oracula exercitui Graecorum.
Men. Non, si ante moriatur; hoc autem facile est.
Agam. Totum genus vatum est gloriae cupidum et malum.
Men. Neque inutile neque utile est.
Agam. Non times illud, quod mihi subit?
Men. Quomodo possum suspicari eum sermonem, quem tu non dicis?
Agam. Genus Sisyphi novit haec omnia.
Men. Nihil est, in quo me et te laedere possit Ulysses.
Agam. Semper est varius[66]) apud populum.

---

62) prope stans] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. prope adstans.

63) potentia] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: victoria (Eurip. τὸ κράτος).

64) es] sic (= Eurip. εἶ) Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; in Ed. 1558. deest.

65) autem] sic Ed. 1558. (= Eurip. δ'; Editt. recent.: vero); in Ed. 1562. deest.

66) varius] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: disertus; Musgrav.: dolosus; Fix.: versutus (Eurip. ποικίλος).

Men. Ipse est ambitiosus, quod est ingens malum.
Agam. Ergo puta nunc eum stantem in medio Graecorum,
Dicere oracula ea, quae enarravit Calchas,
Et quomodo ego promiserim sacrificium, quod deinde recusem
Artemidi facturum: ita in suam sententiam pertrahens exercitum,
Me et te interfectis Graecos puellam
Mactare iubebit, quod si ad Argos fugero,
Venientes cum ipsis moeniis Cyclopis
Devastabunt et evertent terram.
Talia sunt mea mala, o me miserum,
Ad quam angustiam a Diis in hac re nunc redigor!
Unum caveto[67]), Menelae, per exercitum
Veniens, ut ne Clytaemnestra haec
Resciscat, priusquam accipiam filiam meam, et eam immolavero,
Ut sim miser brevissimis lachrymis.
Vosque, o peregrinae, silentio haec occultabitis.

[*Strophe.*]

Chor. „Beati, qui moderatae Veneris
„Cum modestia sunt participes[68]),
„Qui connubii
„Tranquillitate fruuntur
„Amantes inter se, ubi
„Cupido auricomus geminos
„Arcus tendit gratiosos,
„Unum ad felicem vitam,
„Alterum ad confusionem vitae.
Deprecor hoc a nostris
Thalamis, o pulcherrima Venus.
Sit mihi moderata
Gratia, et sancti amores.
Et sim particeps Veneris;
Immoderatam reiicio.

[*Antistrophe.*]

„Diversae sunt naturae hominum
„Dissimiles moribus; ille mos rectus est[69]),
„Bonum et semper candidum ingenium,
„Et educatio cum disciplina
„Multum conferunt[70]) ad virtutem.
„Adsuefieri ad pudorem, prudentiae est[71]),
„Et aliam quoque habet
„Gratiam; videre prudenter,
„Quid conveniat, id gloriam affert,
„Gloriam non senescentem in vita.
„Magnum quiddam est venari virtutem,
„Mulieribus quod attinet ad Venerem
„Furtivam; viris autem contra
„Modestia multiplex
„In maius auget urbem.

[*Epodus.*]

Venisti, o Paris, ubi tu
Pastor educatus es candidos
Apud Idaeos vitulos,
Canens barbaricos Phrygiorum
Modos, in calamis Olympi
Imitationem faciens.
Foecundae boves alebantur,
Quando te Dearum iudicium expectavit,
Quod mittit te in Graeciam
Ante eburneas
Domos, qui Helenam
Tuo adspectu
In amorem pellexisti[72]).
Ipse amore[73]) stupefactus es,
Unde discordia[74]) Graeciam cum hastis
Et navibus ducit
Ad Pergama Troiae.
„Io, io[75]),
Magnae sunt felicitates magnorum hominum. Regis[76])
Videte Iphigeniam, reginam meam,

67) caveto] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) mihi caveto.

68) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Mediocris amoris laus.

69) H. l. ibid. nota marg.: Qui mores optimi.

70) educatio cum disc. m. conferunt] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: educatio cum disciplina m. confert; Musgr., Fix.: educatio recte instituens [Fix.: instituta] m. confert.

71) prudentiae est] sic Editt. 1558., 1562. (= σοφία, quam lectionem Ed. Fix. habet; in interpr. exhibet: sapientia *est*); Barn.: cum sapientia (= σοφίᾳ, quam lectionem Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. praebent).

72) Hel. . . In amorem pell.] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. Hel. . . In amore pell. (Editt. recent.: Helenae . . Amorem iniecisti).

73) amore] sic (= Eurip. ἔρωτι) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. amorem.

74) discordia] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) discordia, discordia.

75) Io, io.] sic Editt. 1558., 1562., Fix.; Barn., Musgr.: *Chor.* Io, io.

76) hominum. Regis] sic scripsi (= text. gr. et Editt. recent.); Editt. 1558., 1562. hominum regis.

Et Clytaemnestram, filiam Tyndarei,
Quomodo ex magnis natae sunt,
Et veniunt ad magnam calamitatem[77]).
Dii sunt potentes, et qui largiuntur opes
Hominibus miseris.
Stemus, Chalcidenses nos,
Excipiamus reginam a turba venientem[78]),
Ne lubrice in terram hanc cadat,
Hilariter manibus et comiter,
Ne consternata fiat recens nunc adveniens
Filia[79]) Agamemnonis.
Non tumultum neque terrorem
Praebeamus Argivis hospites hospitibus.

[*Clytaemnestra, Iphigenia, Agamemnon, Orestes, muta persona.*]

Clyt. Bonum augurium facimus hoc,
Quod tam comiter excipimur[80]):
Spes me tenet, quod ad bonas nuptias
Adsim, adducens sponsam. Sed e curru
Efferte munera, quae puellae fero,
Et mittite diligenter in aulam.
Tu vero[81]), o filia mea, relinque currum[82]),
Ponens pedem tenerum et simul infirmum.
Vos autem in iuvenilibus brachiis
Excipite eam, et ducite a curru;
Et mihi det aliquis fulcrum manus,
Ut bene relinquam sedem currus;
Vos vero, ancillae, state ante equos,
(Est enim terribilis equorum adspectus)
Et hunc filium Agamemnonis,
Orestem, capite; est enim adhuc infans.
Dormis, o fili mi, victus equestri vectatione?
Exuscita te feliciter ad nuptias sororis;
Praeclari viri affinitatem, cum ipse honestus sis,
Accipies, divinum genus puellae Nereidos.
Assideas huc ordine ad meum pedem, o mea filia,
Iphigenia, ad matrem, beatam me
Des istis hospitibus, vicina stans,
Et saluta hic tuum charum patrem.
Iph. O mater accurrens, ne irascaris,
Applicabo pectus meum ad pectus patris.
Clyt. O rex Agamemnon inprimis colende[83]),
Venimus non immorigerae tuis mandatis.
Iph. Ego volo, o pater, me ad tuum pectus
Accurrens applicare post longum tempus;
Cupio enim tuo conspectu frui, ne irascaris.
Agam. Fruere, o mea filia, semper patrem dilexisti
Prae liberis aliis, quos ego genui.
Iph. O pater, intueor te lubens post longum tempus.
Agam. Et ego te, ex aequo utrisque convenit, quod dicis.
Iph. Salve, bene fecisti, pater, quod me adduci curasti.
Agam. Equidem, o mea filia, nescio, quid vel affirmem vel negem.
Iph. Hei mihi, quam me non tranquille intueris, cum me libens videris.
Agam. „Multa regi et duci curanda sunt.
Iph. Da te mihi nunc, et non ad curas convertaris.
Agam. Atqui sum tecum totus, non alibi.
Iph. Remitte nunc supercilium, hilariter me intuere.
Agam. Ecce iam laetor, sed tantisper, dum te video[84]).
Iph. Deindene lachrymaris?
Agam. Ventura peregrinatio[85]) longa nobis erit.
Iph. Nescio, mi charissime pater, nescio, quid dicas.
Agam. Quod prudenter loqueris, eo magis me ad miserationem commoves[86]).
Iph. Dicemus stulta, si quidem te exhilarabo.
Agam. Papae, non possum tacere; te vero laudo.
Iph. Mane, o pater, domi cum tuis liberis.
Agam. Volo, et cum non possim velle, doleo.

---

77) ad magnam calamitatem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: ad summam [Musgr.: prolixam, Fix.: altam] fortunam (Eurip. ἐπὶ . . εὐμήκεις . . τύχας).

78) a turba venientem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ὄχων Ἄπο) curru de *suo* [*descendentem*].

79) Filia] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Inclyta filia.

80) Quod tam com. exc.] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr. (= text. gr.) Tuam bonitatem et verborum comitatem.

81) vero] Ed. 1558. errore typogr.: fero.

82) currum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text, gr.) equestrem currum [Barn., Musgr.: equestres currus].

83) colende] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) mihi colende [Fix.: venerande].

84) te video] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) te video, filia.

85) peregrinatio] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ἀπουσία) absentia.

86) commoves] sic scripsi (= Eurip. ἄγεις; Editt. recent.: moves); Editt. 1558., 1562. commoveres.

Iph. Valeant hastae, et mala Menelai.
Agam. Prius alios perdent, quae me perdiderunt.
Iph. Quam longo tempore abes in Aulide[87]?
Agam. Prohibet me nunc aliquid non traiicere exercitum.
Iph. Pater, ubi dicunt Phrygas habitare?
Agam. Ubi vellem nunquam natum esse Parin, filium Priami.
Iph. Procul navigas, o pater, deserens me.
Agam. Eodem, o mea filia, tu quoque venis cum patre.
Iph. Oh.
Ut conveniret mihi[88], ut me una duceres.
Agam. Quid postulas? et tibi erit navigatio, ut sis memor patris.
Iph. An cum matre navigans, an sola proficiscar?
Agam. Sola segregata a patre et matre.
Iph. Pater, traduces me in aliam domum?
Agam. Mitte haec, non oportet puellas haec scire.
Iph. Pater, propera, ut redeas ex Phrygibus, rebus illic recte curatis.
Agam. Oportet me prius hic sacrificium facere.
Iph. Atqui cum sacerdotibus oportet deliberare hanc sacram rem.
Agam. Tu scies; adstabis enim prope lavacrum.
Iph. O pater, faciemusne chorum circa aram?
Agam. Duco te hoc esse beatiorem, quam me, quod non intelligas.
Vade in aedes, ut videant te puellae.
Dedisti mihi acerbum osculum et dextram,
Cum sis longo tempore abfutura a patre.
O pectora et genas, o flavos capillos,
Quantum dolorem nobis attulit Troia,
Et Helena! desino loqui; subitus enim
Humor oculorum urget me, cum te tango.
Abi in aulam. Te vero deprecor,
O filia Ledae, quod valde misericordia afficior,
Collocaturus filiam meam Achilli.
„Est quidem felix ablegatio, sed tamen
„Mordet parentes, quando alienis aedibus
„Tradit liberos pater, quos multo labore educavit[89].

87) in Aulide] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) in Aulidis recessibus [Fix.: recessu].

88) mihi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. μοι, σοί τ') mihi, tibique.

89) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Nuptias liberûm adferre dolorem.

Clyt. Non ita stulta sum: passuram me
Et ipsam eadem existimes (ut nihil opus sit te monere),
Quando puellam educam cum hymenaeo.
Sed et lex et aetas idem postulant, ut elocetur.
Nomen scio eius, cui destinasti filiam.
Cupio autem scire, ex quo genere sit, et unde.
Agam. Asopus genuit filiam Aeginam.
Clyt. Mortalium haec aut Deorum cui nupserat?
Agam. Iovi; et Oenones procreavit Aeacum ducem.
Clyt. Sed quisnam filius Aeaci obtinuit domum?
Agam. Peleus. Peleus autem habebat filiam Nerei.
Clyt. Deo concedente an invitis Diis eam accepit?
Agam. Iupiter desponsavit, pater locavit.
Clyt. Ubinam ducit illam? an in fluctibus marinis?
Agam. Ibi, ubi Chiron inhabitat[90] honestam sedem Pelei.
Clyt. Num hic[91] aiunt inhabitare genus Centaurorum?
Agam. Ibi, ubi Dii praebuerunt epulum nuptiale Pelei.
Clyt. Sed utrum mater[92] educavit Achillem, an pater?
Agam. Chiron, ne disceret mores malorum hominum.
Clyt. Hem.
Sapiens educator, at sapientior, qui tradidit educandum.
Agam. Talis vir maritus erit tuae filiae.
Clyt. Non contemnendus. Sed in qua urbe Graeciae habitat?
Agam. Ad flumen Apidanum in finibus Phthiae.
Clyt. Eone abducet meam[93] filiam?
Agam. Haec erunt curae illi, postquam eam duxerit.
Clyt. Sint beati. Quando faciet nuptias?

90) inhabitat] sic Ed. 1558. (= Eurip. οἰκεῖ; Musgr., Fix.: habitat); Ed. 1562. inhabitabat (Barn.: habitabat).

91) Num hic] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Οὗ) Ubi.

92) mater] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Θέτις) *mater* Thetis.

93) meam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. σὴν ἐμήν τε) tuam meamque.

Agam. Cum erit plenilunium.
Clyt. Mactastine Deae initialia filiae?
Agam. Mactabo; nam in eo iam sum.
Clyt. Ac deinde celebrabis convivium nuptiale?
Agam. Cum mactavero victimas, quas me Diis immolare oportet.
Clyt. Sed ubinam faciemus convivium mulieribus?
Agam. Hic ad naves Graecorum bene puppatas.
Clyt. Probe et necesse est ita fieri; attamen confer aliquid.
Agam. O uxor, scis, quod facturus sum? pare mihi.
Clyt. Quid hoc rei est? nam soleo tibi obtemperare.
gam. Nos illic, ubi est sponsus.
Clyt. An facietis quid sine matre, quae me facere oportet?
Agam. Elocabimus tuam filiam inter Graecos.
Clyt. Sed ubi nos interim oportet esse?
Agam. Proficiscere Argos, et cura virgines.
Clyt. Relicta filia? quis praeferet facem?
Agam. Ego exhibebo facem, quae convenit sponsis.
Clyt. Non hoc moris est, et tu ipse iudicas haec indecora.
Agam. Non te decet versari in exercitu.
Clyt. Atque convenit, ut ego elocem meos liberos, quos peperi.
Agam. Honestum est, etiam puellae non sint solae domi.
Clyt. Bene custodiuntur firmis gynaeceis.
Agam. Pare. *Clyt.* Non per Deam, reginam Graecorum:
Quin tu[94]), quae foris sunt, agas, ego quae domi,
Quae oportet habere puellas nubentes.
Agam. Heu mihi! Frustra veni, frustratus sum spe,
Volens coniugem dimittere e conspectu,
Utor fallaciis etiam adversus charissimos meos,
Excogito technas, et tamen undique vincor.
Atqui cum vate Calchante,
Quid Deae gratum, mihi vero non iucundum sit,
Vado absolutius inspecturus, et labores Graeciae.
„Oportet virum sapientem in aedibus alere
„Uxorem commodam et bonam, aut omnino nullam alere.

[*Strophe.*]

Chor. Veniet ad Simoënta et
Limpidos vortices
Coetus[95]) exercitus Graecorum,
In navibus et cum armis
Ad Ilium Troiae,
Phoebi solum,
Ubi audio Cassandram
Concutere flavum capillitium,
Viridi corona lauri
Ornatam, quando Dei
Varia vaticinia adspirant,

[*Antistrophe.*]

Stabunt in Pergamis
Troiae[96]), et in moenibus
Troiani, cum Mars scutatus
Per mare vectus, in navibus velocibus
Remigatione appropinquabit
Ad alveum Simoëntis,
Geminorum in coelo
Sororem Helenam[97])
Auferre volens a Priamo
In terram Graecorum, militaribus
Clypeis, et hastis Graecorum;

[*Epodus.*]

Pergamum vero, urbem Phrygum,
Turres lapideas
Cingens cruentâ pugnâ,
Praecisa capita
Auferens, urbem Troiae
Evertens funditus,
Faciet puellas lachrymari,
Et coniugem Priami,
Helena, Iovis
Filia, lachrymans intus sedet,

94) Quin tu] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Profectus igitur [Fix.: Prof. tu] Eurip. Ἐλθὼν δὲ).

95) Coetus] sic (= Eurip. ἄγυρις) Editt. 1558., Barn., Musgrav., Fix.; Ed. 1562. errore typogr.: Foetus.

96) in Pergamis Troiae] sic Barn., Musgr. (Fix.: in arcibus Troiae); Editt. 1558., 1562. male: in Pergamorum Troia.

97) Sororem Helenam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Dioscurorum sororem Helenam.

Relicto marito,
Neque mihi
Neque meis posteris
Haec spes unquam[98]) obveniat,
Qualem divites Ly-
dae[99]) et uxores Phrygum
Statuent, ad telam collo-
quentes haec inter sese:
Quis mihi pulchros capillos,
Audiens, quam miseranda sit arx nostra
Eversa patria, evellet?
Propter te, filiam cygni superbientis longo collo,
Si vera est fama,
Quod Leda rem habuerit cum volanti ave
Iovis, in quam permutatum est corpus;
Sive, quae sunt in tabulis Pieridum,
Fabulae haec ad homines
Obiter attulerunt.

[*Achilles, Clytaemnestra, Minister, Chorus.*]

Ach. Ubinam hic est dux Graecorum?
Quis ministrorum dicet, Pelei
Filium, Achillem, quaerere eum in portis?
Non enim aequaliter expectamus portas Euripi[100]).
Aliqui ex nobis caelibes
Relictis aedibus desertis hic
Sedent in littore; alii habentes uxores
Sine liberis: tam vehemens amor incidit
Non sine Diis in Graeciam huius expeditionis.
Quod[1]) ad me pertinet, id oportet me dicere;
Alius, cui opus est, ipse pro se dicat.
Relictis terra Pharsalo et Peleo,
Expecto ad tenues flatus Euripi,
Continens Myrmidones, qui mihi semper instantes
Dicunt: Achilles, quid expectamus? quam longo tempore
Adhuc oportet emetiri navigationem ad Troiam?
Fac, si quid es facturus, aut abduc exercitum domum,
Non expectans moram Agamemnonis et Menelai.
Clyt. O Achilles, intus sermonem
Tuum audiens exivi ex aedibus.
Ach. O veneranda verecundia, quamnam video
Formosam prae reliquis feminam?
Clyt. Non est mirum te nos non novisse, quas ante non
Vidisti; laudo te, quod colis verecundiam.
Ach. Quae vero es? cur venisti in exercitum Graecorum,
Mulier, ad viros munitos scutis?
Clyt. Sum filia Ledae, Clytaemnestra mihi
Nomen, maritus est mihi rex Agamemnon.
Ach. Apte dixisti breviter opportuna,
Non decet me loqui cum mulieribus.
Clyt. Hem, quid fugis? dexteram[2]) manui meae
Adiunge, felix principium desponsationis.
Ach. Quid ais? Egone tibi dexteram? veremur
Agamemnonem, si tangamus, quae me non oportet tangere.
Clyt. Maxime fas est, quoniam duces meam
Filiam, o fili marinae Thetidis.
Ach. Quas mihi nuptias tu dicis? equidem stupor me habet, o mulier,
Nisi quid errans dicis novum sermonem.
Clyt. „Omnibus hoc solet accidere, ut vereantur, cum affines
„Novos vident, et cum mentio fit nuptiarum.
Ach. Nunquam, mulier, ambivi tuam filiam,
Neque mihi venit sermo ab Atridis de nuptiis.
Clyt. Quid hoc tandem fuerit? tu iterum meum sermonem
Mirare; nam mihi mirus est tuus.
Ach. Coniice, commune est utrique hoc quaerere;
Nam fortassis non mentimur ambo.
Clyt. Male mecum agitur: concilio nuptias,
Quae non sunt, ut videtur. Pudet me[3]).
Ach. Fortasse illusit aliquis mihi et tibi.
Sed ne cures ista, feras leviter.
Clyt. Vale; non enim rectis amplius te oculis tueor,
Cum sim[4]) mendax facta, et indigna mihi acciderint.

98) unquam] sic (= Eurip. ποτ') Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. nunquam.

99) Lydae] sic (= Eurip. Λυδαὶ) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Ledae.

100) portas Euripi] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: *ad* Euripi ostia; Musgr., Fix.: iuxta Euripum (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. Εὐρίπου πύλας, Ed. Fix. Εὐρίπου πέλας).

1) Quod] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr. (= text. gr.) Quod igitur ius.

2) dexteram] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. dextram.

3) Pudet me.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Horum me pudet.

4) sim] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: sum.

Ach. Mihi idem accidit[5]; maritum tuum
Vado quaerens extra aedes[6].

Min.[7]) O hospes, nepos Aeaci, mane, te appello
Filium Deae, et te filiam Ledae.

Ach. Quis vocat apertis portis? tanquam attonitus vocat.

Min. Servus; non insolesco hoc meo ministerio; non me sinit fortuna.

Ach. Cuius? non meus; mea et Agamemnonis sunt seiuncta.

Min. Harum aedium, ante quas sto, dante patre Tyndareo.

Ach. Stamus, dic, si quid vis, propter quae me sistis.

Min. An soli vos duo statis hic ante aedes ad portas?

Ach. Potes loqui tanquam solis; egredere ex aedibus regiis.

Min. O fortuna et mea providentia, serva eos, quos volo.

Ach. Oratio erit prolixa; habet aliquod pondus.

Clyt. Per dextram te oro, ne cunctare, si quid mihi vis dicere.

Min. Tu scis, qualis sim, et tibi et tuis liberis fuerim fidus[8])?

Clyt. Scio ego te veterem mearum aedium ministrum.

Min. Et quia[9]) me rex Agamemnon accepit cum dote tua?

Clyt. Venisti Argos nobiscum, et meus semper fuisti.

Min. Sic habet res; equidem tibi sum benevolus, minus autem tuo marito.

Clyt. Aperito nunc tandem nobis, quod vis dicere.

Min. Pater vult filiam tuam, quam genuit, sua manu occidere.

Clyt. Quomodo? abominor hunc sermonem; non es compos mentis[10]).

Min. Caedens gladio candidam cervicem miserae puellae.

Clyt. O me miseram! an maritus meus insanit?

Min. Constans sibi, praeterquam hac in re non sapit erga te et filiam tuam.

Clyt. Qua de causa? quis diabolus illam agitat?

Min. Oracula, ut inquit Calchas, ut exercitus proficiscatur.

Clyt. Quo? me miseram, infelicem illam, quam pater est interfecturus.

Min. Ad Troiam, ut recipiat[11]) Helenam, uxorem Menelai[12]).

Clyt. Num igitur reditus Helenae Iphigeniae erat fatalis?

Min. Rem tenes omnem. Pater vult filiam tuam immolare Dianae.

Clyt. Nuptiae vero quem praetextum habebant, qui me ex aedibus adduxit?

Min. Ut volens et lubens adduceres tuam filiam tanquam desponsura eam Achilli.

Clyt. O filia, venis ad necem et tu et mater tua.

Min. Misera vos ambae patimini, et dira ausus est Agamemnon.

Clyt. Perii misera, oculi non amplius retinent lachrymas.

Min. Si quidem acerbum est lachrymari orbatam liberis.

Clyt. Sed tu, o senex, unde dicis te scire atque audivisse?

Min. Ibam adferens litteras tibi praeter illas, quae ante erant scriptae.

Clyt. An prohibens, an iubens adducere filiam ad necem?

Min. Ut ne adduceres; tunc enim resipuerat tuus maritus.

Clyt. Quomodo, cum ferres litteras, mihi non dabas eas?

---

5) Mihi idem accidit;] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Et tibi hoc *ipsum* a me sit *responsum* [Musgr.: dictum].

6) extra aedes.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) istis [Fix.: hisce] in aedibus.

7) *Minister*] sic h. l. et in seqq. Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr., quamquam in personarum catalogo *Θεράπων* itidem voce *Minister* vertunt, tamen h. l. et in seqq. voce *Famulus* utuntur; Fix., qui in illo catalogo hanc personam omisit idque optimo iure, quoniam una eademque est ac illa *Senex* appellata, ubicunque illae 4 Editt. *Min.* s. *Fam.* habent, in textu scripsit *Πρεσβύτης*, in interpr. *Senex* (conf. supra pag. 658. nota 2.).

8) et tibi . . . fidus?] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Fix.: et quam . . . fidus?

9) Et quia] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: Et quod.

10) non es comp. m.] sic (= Eurip. *οὐ . . εὖ φρονεῖς*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. non est comp. m., (quasi legisset interpres: *οὐ εὖ φρονεῖ*).

11) recipiat] sic (= Eurip. *λάβῃ*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562.: recipiam.

12) uxorem Menelai] sic Editt. 1558., 1562., Barn.; Musgr., Fix. (= Eurip. *Μενέλεως*) Menelaus.

Men. Menelaus mihi eripuerat, qui autor est horum malorum.
Clyt. O Achilles[13]), audis haec?
Ach. Audio te esse miseram; quod ad me attinet, non leviter fero.
Clyt. Interficient filiam meam, circumvenientes nos praetextu nuptiarum tuarum.
Ach. Et ego indignor marito tuo, neque leviter curo.
Clyt. Non verebor accidere ad genua tua,
Ego mortalis tibi nato ex Dea; quid enim superbe agere iam volo[14])?
„Pro quo mihi magis laborandum, quam pro filia?
Sed, o Achilles, auxiliare meo infortunio,
Et ei[15]), quae est dicta tua uxor: frustra quidem, attamen
Coronans eam adduxi tanquam nupturam tibi.
Nunc vero ad mactationem adduco; tibi erit probro,
Si non adiuveris eam. Etsi non duxisti eam in matrimonium,
Tamen nominatus es charus maritus miserae puellae.
Per mentum, per tuam dextram, perque matrem
(Nam nomen tuum me perdidit, quo te oportet opem ferre)
Non possum ad aliam aram confugere, quam tua genua,
Neque amicus ullus mihi adest. Audis Agamemnonis
Crudele et audax consilium; veni, ut vides, mulier
Ad navalem exercitum seditiosum, et ferocem ad mala perpetranda.
Is est utilis, quando vult opitulari. Quod si tu ausus fueris
Manum tuam super nos extendere, salvi sumus; sin minus, periimus.
Chor. „Res est vehemens parere, et adfert ingens desiderium;
„Commune omnibus est, ut laborent pro liberis[16]).
Ach. Animus meus magnus attollitur ulterius:
Novit dolere malis,
Et moderate gaudere secundis.
Chor. „Tales homines sunt prudentes,
„Qui sciunt recte vitam agere consilio.
Ach. „Est, ubi dulce sit, non nimium sapere;
„Est etiam tempus, in quo utile sit esse sapientem.
Ego autem enutritus in aedibus pientissimi viri,
Chironis, didici habere simplices mores.
Et Atridis, si recte praeerunt,
Parebimus; quando autem non recte, non parebimus.
Sed hic et in Troia liberum animum
Praebens, eum[17]) (quantum in me est) ornabo pugnando;
Te vero, o passa miseranda a charissimis,
Quae autem potest fieri a iuvene,
Reddam quietam,
Tantam induens tui commiserationem, tegam;
Et nunquam mactabitur a patre tua filia,
Quae mea dicta est; non enim abuti ad suas fraudes
Concedam tuo marito mea persona.
Nomen enim meum, etiamsi non sustulit ferrum,
Interficiet tuam filiam; causa est eius
Maritus tuus; tamen meum corpus non est sine causa[18]).
Quod si propter me et propter meas nuptias peribit
Virgo, atrocia et non ferenda sustinens,
Miris et indignis modis contumelia affecta:
Ego Graecorum omnium essem pessimus,
Et nullius pretii, (at Menelaus in numero virorum,)
Non tanquam Peleo natus, sed ex malo genio,
Si quidem meum nomen caedem administraret tuo marito.
Per educatum in humidis fluctibus
Nereum, patrem Thetidis, quae me peperit.
Non tanget tuam filiam rex Agamemnon,

---

13) O Achilles] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) O fili [Musgr.: puer] Nereidis, o fili [Fix.: nate] Pelei.

14) superbe agere iam volo?] sic Ed. 1558. (Eurip. *σεμνύνομαι*; Editt. recent.: superbe iam agam?); Ed. 1562. superbe agere tibi iam volo?

15) Et ei] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. errore typogr.: Ei ei.

16) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Liberorum amor.

17) eum] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Fix.: Martem; Musgr.: Marti (Eurip. *Ἄρει*).

18) non est sine causa.] sic Editt. 1556., 1562.; Barn., Musgr. (= text. gr.) non amplius est purum.

Ne quidem summa manu, ut attingat vestem eius.
Aut Sipylus, finis barbarorum, erit urbs,
Unde nascuntur duces generis;
At Phthia nunquam vocabitur patria mea.
Noxia vasa [19]) et aquam, qua manus abluuntur, auferet
Calchas vates; qui enim vir est vates?
Is, qui multa falsa, pauca vera dicit,
Si ita ceciderit; sin minus, nullus est.
An propter eos, qui collocant, innumerabiles puellae
Petunt meas nuptias? dictum sit hoc [20]).
Sed rex Agamemnon afficit nos contumelia.
Ipse debuit a me petere nomen meum ad
Venationem filiae. Clytaemnestra vero, ut mihi
Potissimum elocasset filiam, a marito persuasa.
Ac dedissem eam etiam Graecis, si ad Ilium
In hoc laborat [21]) reditus, non recusassem
Augere commune bonum eorum, quibuscum milito.
Nunc vero nihil sum apud duces.
Facile erit facere, aut non facere recte [22]).
Ensis hic fortasse noverit, quem, priusquam ad Troiam
Perveniamus, polluam sanguine caedis,
Si quis mihi tuam filiam volet eripere.
Sed sis quieta, ego tibi apparui Deus
Maximus: quamquam is non sum, sed tamen ero fortassis.
Chor. O Achilles, dixisti, quae te digna sunt,
Et matre tua [23]), Dea marina veneranda.
Clyt. Heu,
Quomodo te laudavero verbis neque nimis,
Neque tenuiter, ne amittam gratiam?
Boni enim cum laudantur, aliquo modo
„Oderunt eos, qui laudant, si immodice ii praedicent [24]).

19) Noxia vasa] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Amaras autem molas salsas (Eurip. *Πικροὺς δὲ προχύτας*).
20) An propter eos — sit hoc.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: An matrimonii causa sexcentae puellae Petunt meas nuptias? Dictum est hoc: — Aptior autem mihi videtur Fixii, qui pro ἢ legit *Οὐ*, interpretatio haecce: Non matrimonii illius causa (sexcentae puellae Petunt meas nuptias) dictum est hoc.
21) laborat] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Mangn.: laborasset; Fix.: laboraret (Eurip. *ἔκαμνε*).
22) Facile erit — recte:] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: nulliusque momenti res *ipsis est*, bene agant an male mecum.
23) matre tua] sic Barn.; Editt. 1558., 1562. male: mater tua.
24) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Nimiae laudes.

Vereor afferre querelas,
Cum malum ad me, non ad te pertineat.
„Sed tamen habet aliquam speciem, ut, etiam si sit alienus,
„Vir bonus, tamen ut iuvet miseros.
Miseret te nostri, miseranda patimur.
Quae ego primum existimans, me habiturum te generum,
Habui vanam spem: tibi fortassis
Omen fuerit nuptiis futuris,
Moriens mea filia, quod te cavere oportet.
Sed bene initio dixisti, bene etiam in fine.
Si enim volueris, servabitur mea filia.
Visne eam supplicem amplecti tuum genu?
Non est hoc quidem usitatum virgini, tamen si videbitur tibi,
Veniet, quamquam oculos habet liberos pudore suffusos.
Aut absente ea, consequar haec abs te?
Ach. Maneat domi, pudicam decet pudor.
Clyt. Attamen, quantum fieri potest, oportet pudere.
Ach. Tu neque filiam tuam adducito in meum conspectum,
Neque veniamus in probrum, o mulier, inconsideratum.
„Exercitus enim collectus, quando est otiosus,
„Amat malas et maledicas fabulas.
Idem plane consequeris, sive supplex
Sive non supplex fueris; nam mihi certandum est
Maxime, ut vos a malis liberem.
Postquam semel hoc audivisti, scito me non mentiri.
Quod si falsa dicam, et frustra vos ludam,
Moriar; quod si puellam servavero, non moriar.
Clyt. Sis felix, semper iuvans afflictos.
Ach. Audi nunc, ut res recte geratur.
Clyt. Quidnam dixisti? te quidem audiam volens.
Ach. Persuadeamus patri, ut melius sapiat [25]).
Clyt. Est timidus, et nimis timet exercitum.
Ach. Sed rationes evertuntur rationibus.
Clyt. Frigida spes; sed dic, quidnam oportet me facere?

25) sapiat] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. saperet.

Ach. Supplicem te primum illi praebeas, ne occidat filiam;
Quod si restiterit, tibi ad me eundum est.
Si enim persuadebitur id, quod vis, non opus est meam operam
„Procedere; nam ipsa res salva est,
„Et ego habebo illum amicum,
Et exercitus non culpabit me, si negotium
Ratione magis quam viribus administravero;
Et rebus bene perfectis, cum gratia amicis
Et tibi haec erunt tranquilla etiam sine me.
Clyt. Quam sapienter dixisti! faciam, ut tibi videtur.
Quod si ista non perfecero, quae volo,
Ubi te videbo? quo me miseram
Ire oportet, ut inveniam tuam manum auxiliatricem malis?
Ach. Nos te custodes, ubi opus est, observabimus,
Ne quis te videat ire consternatam
Per exercitum Graecorum, ne familiam tuam[26])
Dedecores. Nam Tyndareus non dignus est,
Ut male audiat. Fuit enim magnus inter Graecos.
Clyt. Sic est; tu praecipe:
Decet me tibi obedire.
„Si sunt Dii: tu, cum sis iustus,
„Bona consequêris; sin minus, quid opus est labore?

[*Strophe.*]

Chor. Qualis erat hymenaeus, fistula cantatus Libyca
Et cithara amante choreas,
Et tibiis in calamorum
Sonitu?
Quando per Pelium montem pulchrae
Pierides in convivio Deorum
Vestigium aureorum sandaliorum
In terram incutientes,
Venerunt ad nuptias Pelei
Canentes, Thetim cantu et Peleum,
In montibus Centaurorum cantantes
In sylva Peliaca.
Dardanides vero, Iovis
Thalamorum deliciae charae,
Hausit nectar ex aureis
Cyathis in poculum
Ganymedes Phrygius.
Iuxta autem in candida
Arena convertentes sese[27])
In orbem quinquaginta filiae
Nerei saltabant in nuptiis.

[*Antistrophe.*]

Per abietes vero et viridia prata
Venit multitudo[28])
Centaurorum, ad convivium Deorum
Et craterem Bacchi.
Magna autem voce clamaverunt: O Nereïs filia,
Filiae Thessalicae, magnum lumen,
Phoebus vates, quique Musarum
Generationes novit
Chiron, nominavit eum,
Qui veniet[29]) hastatis cum Myrmidonum[30])
Militibus, Priami bonam
Terram devastaturus,
In corpore aureis
Armis, factis a Vulcano,
Armatus, indutus dono a Dea
Matre, quod habebat,
Thetide, quae ipsum peperit
Felicem. Tunc daemones nobilis
Nereidis nuptias celebrarunt
Primae, et Pelei hymenaeum;

[*Epodus.*]

Te vero, Iphigenia, coronabunt in capite pulchro
Graeci[31]),
Sicut venientem ex petreis speluncis
Montium teneram iuvencam

---

26) familiam tuam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) paternam domum.

27) convertentes sese] sic scripsi (= Eurip. εἱλισσόμ[illegible] Editt. recent.: saltantes); Editt. 1558., 1562. corru[illegible] convenienter sese.

28) Per abietes — multitudo] sic Editt. 1558., 1562.; E[illegible] recent.: Cum abiegnis vero telis et gramineis cor[illegible] Turba venit equestris.

29) veniet] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Fix.: venie[illegible] Troianum agrum; Musgr.: veniet in terram (Eurip. [illegible] χθόνα).

30) Myrmidonum] sic (= text. gr.) Editt. recent.; E[illegible] 1558., 1562. Myrmidonis.

31) c. in capite pulchro Graeci,] sic Editt. 1558., 15[illegible] Barn.: c. in capite pulchricomam Nexis *florum* cor[illegible] Graeci, maculosam, (seu velocem,)

Cruentantes guttur, sanguine fluens [32]),
Non aliam ad fistulam neque
Ad cantum pastorum,
Sed apud matrem ornantem sponsam,
Ut parantes Argivis nuptias.
„Ubi pudoris
„Aut virtutis habet vim,
„Ut possit aliquid facies?
„Quando impietas magnam habet
„Vim, virtus vero retro
„Ab hominibus negligitur,
„Iniquitas vincit leges,
„Et communne hominibus periculum,
„Ne veniat Deorum poena.

[*Clytaemnestra, Iphigenia, Agamemnon, Chorus, Nuntius.*]

Clyt. Exivi ex aedibus; quaerens maritum,
Qui diu abest, et reliquit aedes.
Et mea filia misera in lachrymis est,
Emittens multas mutationes gemituum,
Postquam audivit de morte, quam pater molitur.
Feci [33]) autem mentionem prope accedentis
Agamemnonis, qui adversus liberos suos
Impia facere mox deprehendetur.
Agam. Clytaemnestra, opportune te extra domum
Invenio, ut dicam seorsum a virgine,
Quae non decet audire nupturas.
Clyt. Quidnam id est, cuius opportunitas tibi iam incumbit?
Agam. Mitte filiam cum patre ex aedibus,
Quia sacra aqua adest parata,
Et placentae ut coniiciantur in ignem lustralem,
Et iuvencae, quas ante nuptias oportet mactari Deae
Dianae, halitus nigri sanguinis.
Clyt. In speciem bene dicis; sed facta tua
Haud scio, quomodo oporteat me, si nominare velim, probare.
Exi, filia. Scis enim, quae pater
Molitur omnino; et sub veste adduc
Orestem, tuum fratrem [34]).

32) sanguine fluens] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. βρότειον) humanum.

33) Feci] sic (= Eurip. εἶχον) Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. Fecit.

34) tuum fratrem.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) tuum fratrem, filia.

Ecce adest, quae obtemperet tibi;
Alia, quae ad ipsam et me pertinent, ego dicam.
Agam. Filia, quid fles? non vides hilariter,
Sed oculis in terram defixis, veste tergis eos.
Iph. Heu,
Quod accipiam principium meorum malorum?
Licet omnibus uti primis,
Sive de ultimis, sive de mediis incipiam undecunque.
Agam. Quid est? quomodo omnes convenietis in unum,
Habentes perturbationem animi, et conturbationem vultus?
Clyt. Dic mihi, marite ingenue, quae te interrogabo.
Agam. Nihil opus est hortatu, volo, ut me interroges.
Clyt. Visne interficere meam tuamque filiam?
Agam. Hem.
Dixisti misera, suspicaris, quae te non oportet suspicari.
Clyt. Illud volo te primum mihi respondere.
Agam. Si interrogaveris convenientia, convenientia audies.
Clyt. Non interrogo alia, et tu non debes mihi alia dicere.
Agam. O fortunam venerandam, o fatum et genium meum.
Clyt. Et meum et huius, unus est trium infelicium.
Agam. Qua in re laesa es?
Clyt. Audies ex me istud [35]).
Consilium tuum non est astutum.
Agam. Perii, mea arcana sunt prodita.
Clyt. Novi omnia et audivi, quae tu mihi facturus es.
Illud tuum silentium est signum confitentis,
Et tui crebri gemitus: ne labores dicendo.
Agam. En taceo. Oportet enim me, ut videar impudens, *dicendo falsa assumere ad calamitatem.
Clyt. Audi nunc; aperte loquar,
Et non amplius utemur aenigmatibus a proposito alienis.
Primum, ut hoc primo loco tibi exprobrem,
Duxisti me invitam, et rapuisti vi,

35) Audies ex me istud.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Hoc ex me quaeris?

Occiso priore marito, Tantalo,
Et meum infantem tuae sorti vindicans,
Avulsum violenter a meis uberibus,
Et filii Iovis meique fratres
Conspicui equis contra te militaverunt;
Sed Tyndareus, pater senex, te liberavit,
Factum supplicem, et habuisti meum connubium:
Ubi reconciliata sum tibi, erga te et domum.
Ipse testis eris, quod fuerim inculpabilis uxor,
Casta[36], et tuam
Rem familiarem augens, ut sive intrares,
„Gauderes; et sive foras[37]) exires, tranquillo animo esses.
„Rara haec est venatio viro, ut talem consequatur
„Uxorem; sed non est rarum habere malam uxorem[38]);
Et praeter tres filias peperi tibi filium
Hunc, ex quibus una me miserabiliter privabis.
Et si quis rogabit te: Ob quam causam interficies ipsam?
Dic, quidnam dicturus es? ego pro te dicam:
Ut Menelaus accipiat[39]) Helenam. Honestum est scilicet,
Nos solvere nostros liberos mercedem malae mulieris,
Redimentes invisissima charissimis.
Age, si vis bellare, me relicta in aedibus,
Et ibi eris diu,
Quo me animo domi futuram putas,
Quando videbo omnes sedes vacuas,
Et vacuum gynaeceum? in lachrymis
Sedebo sola, lugens semper istam.
Perdidit te, filia, pater, qui te genuit.
Interfecta es ab illo, non ab alio, neque alia manu:
Et cum is reliquerit talem mercedem familiae:
Brevi tantum occasione opus erit,
Qua ego et relictae filiae
Sequamur, sicut te sequi debemus.
Non per Deos me cogas,
Ut impia in te sim[40]), neque tu sis.
Age,
Mactabis filiam? quae precaberis in sacris?
Quid tibi boni in sacrificio filiae petes?
Num reditum malum, cum turpiter domo proficisceris?
Sed me iustum est aliquid boni precari tibi?
„Nonne putemus Deos stultos,
„Si faveamus parricidis?
An vero ad Argos reversus, applicabis te ad liberos tuos?
Non licet tibi. Quis vero adspectu dignabitur
Te ex liberis, si consulto aliquem ex ipsis occideris?
Suntne haec tibi cogitata? an te sceptris
Solum excellere, et ducem esse oportet,
Quem conveniebat honesta proponere inter Graecos?
Vultis, Graeci, navigare ad Troiam?
Ducatis sortem, cuius filiam oporteat mori.
Hoc fuisset aequale, neque te unum ex omnibus oportuit
Praebere tuam filiam victimam Graecis,
Aut iubere Menelaum interficere Hermionem matris causa,
Cuius negotium erat. Nunc ego, quae tuum
Connubium servo, spoliabor filia mea;
Sed quae peccavit, reducem puellam
Spartam ducens[41]), erit beata.
Responde mihi de his, si quid non recte dico:
Quod si probe dixero, non occides
Meam ac tuam filiam, et modestus eris.
Chor. Obtempera; nam honestum est servare liberos,
Agamemnon; nemo mortalium contra hoc dixerit.
Iph. O pater, si haberem orationem Orphei,
Ut possem incantando persuadere lapides, me sequerentur,
Et demulcere dicendo, quos vellem,
Uterer illa; iam vero, quae una mea est sapientia a me,
Lachrymas dabo; haec enim possumus.

---

[36]) Casta] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Et in rebus venereis [Fix.: in re venerea] casta.

[37]) foras] sic (= Eurip. θύραζ(ε)) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. fores.

[38]) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Rarae bonae uxores.

[39]) Ut . . accipiat] sic scripsi (= Eurip. ἵνα λάβῃ; Editt. recent.: Ut . . . recipiat); Editt. 1558., 1562. male: Ut . . accipit.

[40]) Ut impia in te sim] sic scripsi (= Eurip. Κακὴν γενέσθαι περὶ σέ; Editt. recent.: Malam in te esse); Editt. 1558., 1562. Ut impius in te sim.

[41]) Spartam ducens] sic scripsi (Eurip. Σπάρτῃ κομίζουσα; Barn.: Spartam deducens; Musgr.: Spartae educans; Fix.: Spartae servans); Editt. 1558., 1562. Sparta ducens.

Applico, tuis genibus, tanquam ramum supplicantium,
Meum corpus, quod illa peperit tibi,
„Ne me interficias immaturam: iucundum est hanc lucem
„Adspicere; neque me cogas videre ea, quae sunt sub terra.
Prima ego te patrem appellavi, et tu me filiam;
Prima etiam admovens corpus meum tuis genibus,
Gratas voluptates dedi, et recepi vicissim.
Ista erat tua oratio: O filia, tene
Videbo in aedibus beati viri
Viventem et florentem, ut me dignum est?
Mea oratio haec erat, pendentis a tuis
Genis, quas nunc manibus contingo:
Quid? an ego te senem excipiam,
Pater, grato hospitio meis aedium,
Reddens tibi gratiam nutricationis?
Hos sermones ego recordor;
Tu vero oblitus es, et me vis occidere.
Non per Pelopem, et patrem Atreum,
Et per matrem, quae me prius pariens
Nunc capit secundos hos dolores partus.
Quid mihi rei est cum nuptiis Alexandri
Et Helenae? unde, pater, venit ad meam necem?
Respice me, largire mihi tuum adspectum et osculum,
Ut, si mihi moriendum sit, habeam [42]) vel hoc saltem tui
Memoriale, si non obtemperaveris verbis meis.
Frater, exiguus tu quidem auxiliator amicis:
Tamen sis supplicator ad patrem lachrymans,
Ne occidat tuam sororem. „Sensus aliquis
„Malorum est etiam in infantibus.
Ecce, o pater, tacens supplicat tibi;
Sed exorabilem te praebe et miserere vitae meae.
Nae nos duo chari rogamus te per tuas genas.
Alter infans adhuc est, altera grandiuscula.
Conferens in unum totam orationem, hoc unum obtinebo.
„Gratissimum est hominibus intueri hanc lucem [43]),
„Sed nemo ea, quae infra sunt, cupit videre; insanit, qui vult
„Mori. Melius est male vivere, quam bene mori.
Chor. O infausta Helena, propter te et tuas nuptias
Magnum venit certamen inter Atridas et liberos.
Agam. Ego intelligo, ubi sit opus miseratione, et ubi minus,
Amans meos liberos; insanirem enim, si id non scirem.
Acerbum mihi est, uxor, ista audere;
Grave etiam, non audere; oportet enim me hoc facere.
Videtis, quantus hic sit navalis exercitus?
Quot Graecorum reges in armis?
Quibus non est iter ad Ilium,
Nisi te mactavero, quemadmodum dicit Calchas vates,
Neque licet capere novam sedem Troiae.
Libido quaedam incessit exercitum Graecorum
Navigandi quam celerrime in terram barbarorum,
Ut vetent, ne posthac Graecorum uxores rapiantur:
Qui meas filias in Argis [44]) occident,
Et vos meque, si solvero oraculum Deae.
Non me Menelaus, filia, expugnavit,
Neque veni, ut illius voluntatem explerem;
Sed Graecia me cogit, cui oportet me, seu velim, seu nolim [45]),
Mactare te; hac necessitate sumus inferiores.
Oportet eam liberam, quantum in te est, filia,
Et me, fieri, neque a barbaris
Eos, qui sunt Graeci, coniugibus per vim spoliari.
Clyt. O filia, o peregrinae;
Heu me miseram propter tuam mortem.
Fugit pater, tradens te morti.
Iph. Heu mihi, mater, mater, (idem enim
Carmen convenit ad utriusque fortunam)
Non amplius mihi lumen,
Neque solis splendor.
Heu heu nivosa
Phrygum nemora,

42) Ut, si m. m. sit, habeam] sic (= text. gr.) Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. Ut, si m. m. sit, ut habeam.

43) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vitae dulcedo.

44) in Argis] sic scripsi (Editt. recent.: Argis); Editt. 1558., 1562. in Argo.

45) nolim] sic Editt. 1562., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1558. non velim.

Et montes Idae, ubi Priamus olim
Exposuit tenerum infantem,
Abstractum a matre
Ad mortem [46])
Parin, qui Idaeus Idaeus
Dicebatur dicebatur in urbe Phrygum.
Utinam ille nunquam circa
Boves pastorem educatum
Parin collocasset
Ad aquas limpidas, ubi fontes
Sunt Nympharum,
Et pratum floribus
Florens viridibus,
Et rosae hyacin-
thique, ut decerpantur a Nymphis:
Quo venit Pallas, et
Venus dolosa,
Et Iuno, et Mercurius, nuntius Iovis,
(Venus superbiens [47]) donando amore,
Pallas hasta,
Iuno regis Iovis
Regiis nuptiis)
Ad odiosum iudicium
Et contentionem formae,
Mihi mortem, laudem
Graecis parientem, o puellae.
Chor. Diana accipit [48]) te victimam ad Ilium.
Iph. At qui me miseram genuit,
O mater, o mater,
Abit, prodens me desertam.
O me miseram, quae acerbam
Acerbam Helenam vidi,
Interficior, pereo
Impia caede
Impii patris.
Utinam non navium ceratarum [49])
Puppes Aulis [50]) excepisset
In hunc portum; ad Troiam
Utinam rectus esset cursus.
Neque spiraret contrarium flatum in Euripo
Iupiter, demulcens auram aliis

46) ad mortem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) ad mortem funestam.

47) superbiens] sic (= Eurip. τρυφῶσα) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. superbius.

48) accipit] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: accepit (Eurip. ἔλαβεν).

49) ceratarum] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. χαλκεμβολάδων) aereis rostris munitarum.

50) Aulis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) haec Aulis.

Aliam hominibus, ut gaudeant velis,
Aliis difficultatem, aliis necessitatem;
Aliis ut eant, aliis ut pergant,
Aliis ut maneant.
Miserum est genus
Miserum hominum.
Quorsum opus est
Hominibus accersere malam mortem?
Chor. Heu heu magnos dolores [51])
Graecis faciens filia Tyndari,
Miseret me tui, quae calamitatem malorum
Nacta es, in quam debuisti non incidere.
Iph. O mater, quae me peperisti, video turbam virorum advenientem.
Clyt. Et filium Deae, o filia, cui huc venisti ut nuberes?
Iph. Aperite mihi domum,
Famulae, ut occultem corpus.
Clyt. Quid fugis, filia?
Iph. Achillem, quem pudet me videre.
Clyt. Quid ita?
Iph. Infelicitas mearum nuptiarum adfert mi[hi] pudorem.
Clyt. Non sis delicata in hoc negotio,
Sed mane; non est locus iam apti verecundi[ae], si possumus.
Ach. O miseram mulierem, filiam Ledae.
Clyt. Vera dicis.
Ach. [52]) Atrociter clamatur inter Argivos.
Clyt. Quis clamor? indica mihi.
Ach. [52]) Super tua filia. *Clyt.* Malum om[...] affers.
Ach. [52]) Quod oporteat eam mactari.
Clyt. Et nemo istis contradicit?
Ach. Ego ipse veni in periculum.
Clyt. In quod, o hospes?
Ach. [52]) Ne corpus meum obrueretur la[pi]dibus.
Clyt. An ob id, quod meam filiam servare [vo]lebas?
Ach. Hoc ipsum negotii fuit.
Clyt. Quis ausus est attingere tuum corpus?
Ach. Omnes Graeci.
Clyt. An non aderat tibi exercitus Myr[mi]donum?

51) magnos dolores] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. rec[ent.] (= text. gr.) magnas clades, magnos etiam dolores.

52) *Ach.*] sic Editt. recent. aeque ac Ed. Basil. 1551.; E[ditt.] 1558., 1562. *Chor.*

Ach. Ille primus erat adversarius.
Clyt. Periimus, filia.
Ach. Qui me accusabat inferiorem nuptiis esse.
Clyt. Verum quid respondisti?
Ach. Ne interficerent eam, quae esset futura mea coniunx.
Clyt. Idque recte dixisti.
Ach. Quam mihi nuncupasset pater.
Clyt. Et misisset ex Argis[53]).
Ach. Sed vincebar clamore.
Clyt. Est vehemens malum multitudo.
Ach. Attamen iuvabo te.
Clyt. An tu unus pugnabis cum multis?
Ach. Hosne vides afferentes arma?
Clyt. Macte hoc animo.
Ach. Fruar. *Clyt.* Non amplius mactabitur filia?
Ach. Non me volente. *Clyt.* An veniet, qui nobis puellam sit erepturus?
Ach. Plurimi; Ulysses ducet eam.
Clyt. Num propago Sisyphi?
Ach. Ille ipse.
Clyt. Privatimne id faciens, an adornatus ab exercitu?
Ach. Ipse sumpsit sibi[54]) volens.
Clyt. Electionem malam, ut se caede[55]) polluat.
Ach. Sed ego arcebo eum. *Clyt.* An ducet eam raptam non volentem?
Ach. Scilicet flava coma.
Clyt. At quid me tunc[56]) oportet facere?
Ach. Retine filiam. *Clyt.* An propter hoc non mactabitur?
Ach. Sed ad hoc veniet. *Iph.* Mater, audite
Mea verba; frustra enim te video irasci
Marito tuo; „quae nobis sunt impossibilia, non facile est sustinere.
Istum hospitem aequum est laudare propter promptam animum iuvandi;
Sed et te illud videre oportet, ne apud exercitum accuseris,
Et nihil tamen plus efficiamus; Achilles autem in calamitatem incidat.
Audi, mater, quae mihi cogitanti in mentem venerint:
Decrevi mori; hoc volo
Gloriose facere, omittens procul indignationem.
Considera nobiscum, mater, quam recte dicam.
Tota Graecia in me nunc intuetur,
Et in me traiectio navium sita est,
Et eversio Phrygum.
Si quid faciant barbari venturis mulieribus:
Non amplius permitterem, ut rapiant ex Graecia felice,
Postquam ulti sunt perniciem Helenae,
Quam rapuit Paris.
Haec omnia morte mea liberabo, et mea gloria
Erit beata, quod liberaverim Graeciam.
Etenim non valde opus est mihi amare vitam.
„Peperisti enim me in commune omnibus Graecis, non tibi soli.
Multi viri muniti clypeis,
Multi etiam remiges propter iniuria affectam patriam
Audebunt aliquid facere contra hostes,
Et mortem oppetere pro Graecia;
Ego una possum haec mea morte omnia impedire.
Quod iustum argumentum possumus contra hoc opponere?
Veniamus etiam ad illud: Non oportet hunc pugnare
Cum omnibus Graecis propter mulierem, neque mori.
„Unus vir dignior est quam innumerae mulieres, ut vivat.
Si autem Diana voluit accipere meum corpus,
An ego, quae sum homo, obsistam Deae?
Sed impossibile est; do meum corpus Graeciae.
Mactate, devastate Troiam; haec enim mea monumenta
Erunt longo tempore, et liberi, et nuptiae et mea gloria.
Convenit Graecos imperare barbaris, atqui non barbaros
„Graecis[57]), mater. Barbari enim sunt natura servi, Graeci vero liberi.

53) ex Argis] sic scripsi (Editt. recent.: Argis); Editt. 1558., 1562.: ex Argo.

54) Ipse sumpsit sibi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Αἱρεθείς) Electus ad hoc.

55) caede] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. corrupte: corde.

56) tunc] sic (= Eurip. τότε) Editt. 1558., Barn., Musgr., Fix.; Ed. 1562. nunc.

57) barbaros Graecis] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: barbaris Graecos.

Chor. O puella, quod ad te attinet, generose facis;
Sed fortunam atque Deam habes iniquam.
Ach. O filia Agamemnonis, beatum me Deorum aliquis
Facturus esset[58]), si tuas nuptias possem habere:
Admiror Graeciam propter hanc tuam virtutem, et propter Graeciam te.
Recte dixisti haec, et pro dignitate patriae,
Omittens repugnare oraculo, quod te vincit.
Expendisti bona et necessaria.
Magis me tenet desiderium nuptiarum tuarum,
Postquam animadverti tuam indolem; es enim generosa.
Vide autem, ego volo tibi benefacere,
Et ducere in aedes; male habet me, testis sit Thetis,
Nisi te servo cum Graecis pugnans.
Considera, mors magnum est malum.
Iph. Loquor ista, neminem respiciens.
Helena propter formam autor est, quae bella
Et caedes faciat inter viros; tu vero, o hospes,
Non moriaris propter me, neque occidas quemquam,
Sine me Graeciam servare, si possimus.
Ach. O praeclaram voluntatem, non possum ad haec amplius
Dicere, si quidem tibi ista videntur. Generosa
Sentis; cur enim non dicam[59]) verum?
Sed tamen fieri potest, ut te consilii huius poeniteat.
Ut igitur scias haec a me tibi dicta,
Vadens ponam haec arma iuxta aram,
Tanquam non sinens te, sed prohibens mori.
Et tu fortasse mox meo consilio uteris,
Quando videbis ensem prope tuum collum:
Non sinam te ista tua temeraria audacia mori;
Sed veniens cum armis istis ad templum Deae,
Expectabo illic tuam praesentiam.
Iph. Mater, quid tacite oculos humectas lachrymis?
Clyt. Ego misera habeo causam, cur doleam animo.
Iph. Potius me compescas, ne languefacias; obtempera mihi in hac re.

58) esset] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. erat.

59) non dicam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) non dicat quis

Clyt. Dicito, filia, quid a nobis non afficieris iniuria.
Iph. Non igitur evellas capillum tuum,
Neque circa corpus circumda nigras vestes.
Clyt. Cur hoc dixisti, o filia? ubi te perdidero, an non lugeam?
Iph. Non; salva sum, quod ad me attinet, clarior eris.
Clyt. Quomodo dixisti? non convenit me lugere tuam mortem?
Iph. Minime, quia mihi non excitabitur tu-
Clyt. Quid vero, an non ipsa mors existi- sepultura?
Iph. Ara Deae, filiae Iovis, erit pulchrum.
Clyt. Atqui, o filia, obsequar tibi: ben-
Iph.[60]) Ero beata, et beneficio afficiens ciam.
Clyt. Sed quid nuntiabo tuis sororibus?
Iph. Ne circumdes illis nigras vestes.
Clyt. Quodnam gratum verbum dicam ginibus ex te?
Iph. Ut valeant; Orestem hunc educ- virum.
Clyt. Complectere eum, quem pos- vides.
Iph. O charissime, iuvisti, quantum p- amicos.
Clyt. Estne aliquid, quod Argis tibi facere possim?
Iph. Meum patrem tuumque ma- oderis.
Clyt. Oportet illum dura certamina p- subire.
Iph. Invitus me pro Graecia perdidit.
Clyt. Sed dolo, non generose, et i- ne Atrei.
Iph. Quis vadit, ducturus me, anteq- rentur comae?
Clyt. Ego tecum ibo.
Iph. Nequaquam, non recte dicis.
Clyt. Adhaerens tuae vesti. *Iph.* O- mihi, mater.
Mane, hoc melius et mihi et tibi.
Aliquis horum famulorum patris comi-
In pratum Dianae, ubi mactabor.
Clyt. O filia, vadis. *Iph.* Et non

60) *Iph.*] in Ed. 1562. omiss.

Clyt. Relicta matre. *Iph.* Non vides[61]), non merito.
Clyt. Ne propera, non me deseras. *Iph.* Non sino te lachrymari.
Vos vero, o puellae, accinite
Calamitati meae Paeana ad Iovis filiam,
Dianam: veniat bonum omen Graecis.
Aliquis sumat flores ex calatho[62]), et accendatur ignis
Placentis lustricis, et pater meus
Teneat aram, quia salutarem
Graecis victoriam datura venio.
Ducite me, Ilii
Et Phrygum expugnatricem.
Date coronas contextas, affer-
te, ut coronetur mea coma;
Et fontanis lavacris
Vocate ad templum
Ad aram Dianam[63]),
Dianam reginam
Divam,
Quia meo, si opus erit,
Sanguine et mactatione
Delebo oracula.
Chor. Veneranda, veneranda mater,
Lachrymas tibi iam
Nostras dabimus.
Non enim licet in sacris.
Iph. O puellae,
Concelebrate Dianam,
Quae est e regione Chalcidis,
Ubi naves
Bellicae expectant propter meum nomen
In angusto huius Aulidis
Portu; o terra mater,
O Thessalia[64]),
Et Mycenae meae famulae.
Chor. Nominas urbem Persei,
Laborem manuum Cyclopicarum.
Iph. Educasti magnum lumen Graeciae;

61) Non vides] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ὡς ὁρᾷς γ') Ut vides, [Fix.: Ut vides quidem,].

62) Aliquis sumat flores ex calatho] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Canistra igitur aliquis auspicetur.

63) Vocate — Dianam] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Saltate circa templum, Circa aram, *circa* Dianam; Musgr.: Circuite circa templum, ô Circa aram, Dianam; Fix.: Saltantes circa delubrum, Circa aram, celebrate Dianam.

64) O Thessalia] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: O terra Argiva; Fix.: o Pelasgica (*terra Argiva*) (Eurip. Ὦ Πελασγία).

Non recuso mori.
Chor. Gloria te nunquam deseret.
Iph. Io io, dies tenens facem,
Et Iovis lumen, aliam,
Aliam vitam
Et fatum habitabimus.
Vale mihi, charum lumen.
Chor. Io io, videte Ilii
Et Phrygum expugnatricem
Euntem, coronam supra caput
Ponentem, cum aqua lavacrorum
Ad aram Deae
Guttis stillantibus sanguine
Morituram, et generosam corporis
Cervicem interficiendam; conspersiones roscidae
Patris, et lavacra expectant te,
Et exercitus Graecorum volens
Proficisci ad Troiam.
Sed filiam Iovis,
Dianam vocabimus, reginam Deorum,
Ut bonum successum det exercitui.
O veneranda, quae humanis victimis
Gaudes, mitte in Phrygum
Terram exercitum Graecorum,
Et dolosam terram Troiae,
Et Agamemnoni armatisque
Graeciae inclytam coronam
Des circa caput[65])
Perpetua gloria poni.
Nun. O Clytaemnestra, filia Tyndari, aedibus
Egredere, ut audias mea verba.
Clyt. Audiens tuam vocem, veni huc
Consternata misera metuque perterrefacta.
Anne venis nuntians mihi novam calamitatem
Ad praesentem? *Nun.* De tua filia
Volo tibi mira et horrenda dicere.
Clyt. Ne cuncteris, sed quam primum dicito.
Nun. O chara domina, ut audias omnia manifeste,
Dicam ordine ab initio, nisi aliquid praeterierit meam
Memoriam, turbaveritque meum sermonem.
Postquam venimus ad filiae Iovis,
Dianae, nemus et hortos floridos,

65) circa caput] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: circa caput tuum (= ἀμφὶ κάρα τεὸν, quam lectionem Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. exhibent); Fix.: ἀμφὶ κάρα θ' ἑὸν — circaque suum caput; Musgr., eandem lectionem in interpr. sequens, vertit: et circa caput suum.

Ubi erat coetus exercitus Graecorum
Ducentes tuam filiam, statim turba Graecorum
Congregabatur. Ut vero rex Agamemnon vidit
Puellam euntem ad nemus, ut interficeretur,
Ingemuit, et iterum vertens caput,
Emisit lachrymas ex oculis, veste tegens eos.
Illa autem prope patrem stans,
Talia dixit: O pater, adsum apud te,
Meum corpus pro mea patria
Et pro tota Graecia
Trado volens, ut mactetur ad aram Deae, iis,
Qui me ducunt[66]), si quidem hoc postulat oraculum.
Et quod ad me attinet, sitis fortunati, et victoriae
Donum consequamini, et redeatis in patriam.
Ad haec non attingat me aliquis Graecorum
Clam; praebebo enim cervicem animose.
Tantum dixit; omnes autem, qui audiverunt, obstupuere
Ob magnitudinem animi, et virginis virtutem.
Talthybius autem stans in medio, cui hoc erat curae,
Imperavit silentium[67]) exercitui.
Calchas igitur vates in aureum calathum
Posuit acutum gladium, cum extraxisset manu
E vagina, et coronavit caput puellae.
Sed Achilles circum aram Deae,
Accepto calatho et simul aqua, cucurrit.
Dixit autem: O Diana, quae gaudes venatione, filia Iovis,
Agitans clarum lumen noctu,
Recipe hanc victimam, quam tibi donamus,
Et Graecorum exercitus et simul rex Agamemnon,
Impollutum sanguinem cervicis pulchrae virginis;
Et concede nobis, ut tuto possimus navigare,
Et armis expugnare Troiam.
Et exercitus[68]) et Atridae steterunt, intuentes terram;
Sacerdos vero accepto gladio precatus est,
Et consideravit guttur, ubi feriret.
Mihi autem non levis dolor subibat animum;
Et stabam inspiciens terram. Subito erat videre miraculum.
Omnes plane audiebant sonitum ictus;
Sed nemo vidit virginem, quo terrae subierit.
Clamat sacerdos, acclamat universus exercitus,
Inspicientes insperatum ab aliquo Deorum
Spectrum, cui ne tum quidem, cum videbatur, fides adhibebatur.
Etenim cerva palpitans iacebat in terra
Maxima visu et eximia spectatu,
Cuius sanguine ara Deae conspergebatur undique madefacta.
Tunc quanto[69]) gaudio Calchantem dixisse putas:
O duces communis huius exercitus Graecorum,
Videte hanc victimam, quam Dea
Obiecit ad aram, cervam montanam?
Hanc magis quam puellam amat,
Ne contaminet aram caede istius generosae puellae;
Libenter hoc accepit, et secundam navigationem
Dabit nobis et accessum ad Troiam.
Ad haec omnes milites sumserunt animos,
Et iverunt ad naves: sicut convenit hoc die
Nos relicto portu Aulidis
Traiicere mare Aegeum. Postquam vero tota
Victima combusta est igni,
Precatus est utilia, ut exercitus consequeretur reditum.
Mittit autem me Agamemnon, ut tibi haec indicem,
Et dicam, quale fatum nactus sit ex Diis,
Et ut habeat gloriam immortalem in Graecia.
Ego, qui adfui, et rem vidi, dico tibi haec:
Filia tua[70]) palam ad Deos avolavit.
Aufer dolorem, et remitte indignationem adversus maritum.
„Quae a Diis eveniunt, sunt inexpectata[71]),
„Et servant eos[72]), quos amant; dies hic
„Vidit mortuam et vivam tuam filiam.
Chor. Quam delector tua causa, audiens ista de nuntio,
Qui dicit filiam tuam manere vivam inter Deos
Clyt. O filia, es facta furtum alicuius Dei.

66) ut mactetur — ducunt] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: ut mactetis me ad aram deae Ducentes.

67) silentium] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) bonam ominationem et silentium.

68) Et exercitus] Ed. 1558. errore typogr.: Eexercitus.

69) quanto] sic (= Eurip. πῶς) Editt. 1562., Barn., Musgrav., Fix.; Ed. 1558. quando.

70) tua] Ed. 1558. male: tuam.

71) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Fatum incertum.

72) eos] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. ii.

Quomodo appellem te? quomodo te vocem.
Fingi puto ad consolationem frustra hos sermones,
Ut desinam te lugere.
Chor. Atqui et ipse rex Agamemnon venit
Eadem tibi dicturus verba.
Agam. Uxor, quod ad filiam attinet, sumus beati;
Habet enim vere societatem cum Diis;
Oportet autem te, accepto hoc tenero vitulo [73],
Ire domum, quia exercitus spectat ad navigationem.
Et vale. Ex longo intervallo tibi colloquia mea
Erunt, cum ex Troia redibimus, et bene tibi sit.
Chor. Gaudens, Atrida, venias in terram Phrygum.
Laetus redi,
Adferens pulcherrima spolia [74]) ex Troia.

73) accepto hoc tenero vitulo] sic scripsi (Editt. recent.: assumto hoc tenero vitulo); Editt. 1558., 1562. male: accepta hoc tenera vitulo. — Voci: vitulo in Editt. recent., et in marg. Editt. 1558., 1562. adscriptum est interpretamentum: Oreste.

74) Adferens pulcherrima sp.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Adferens mihi pulcherrima spolia; Fix.: Pulcerrimis mihi spoliis . . captis (= text. gr.).

LXIV. PHIL. MEL. INTERPRETATIO EURIPIDIS IPHIGENIAE IN TAURIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis invenitur in *Xylandri* Editt. **1558.**, **1562.**, quibuscum Editiones recentiores ***Barnesii***, ***Musgravii*** et ***Fixii*** contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones et quasdam alias inscriptiones ex Ed. Barnes. addidi uncis inclusas.

EURIPIDIS IPHIGENIA IN TAURIS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum[1]).

Orestes oraculo iussus, veniens in Tauros[2]) Scythiae cum Pylade, insania commotus furtim auferre simulacrum Dianae, quod apud eos colitur, instituit. Progressus autem a navibus, conspectus est ab incolis, et captus una cum Pylade. Adductus est autem ad templum Dianae, ut ibi mactaretur, prout ipsorum erat consuetudo, ut eo navigantes hospites occiderent[3]). Scena fabulae fingitur in Tauris Scythiae. Chorus constat ex Graecis mulieribus, ancillis Iphigeniae.

Personae fabulae.

Iphigenia
Orestes
Pylades
Chorus
Pastor
Thoas
Nuntius
Minerva.

Incipit Iphigenia.

IPHIGENIA IN TAURIS.

Iphigenia.

Pelops, Tantali filius, Pisam veniens
Velocibus equis, Oenomai duxit filiam,
Ex qua Atreus natus est: Atrei vero filius
Menelaus et Agamemnon; ex hoc nata sum ego

1) Haec veteris argumenti, quod in Eurip. Ed. Basil. 1551. graece legitur, interpretatio Melanthonis in Editt. 1558., 1562. exstat. Ed. Barn. et textum graecum et interpretationem auctiorem praebet (vide notam 3.).

2) in Tauros] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. errore typogr.: in Tauro.

3) His verbis in Ed. Barn. graece et latine haec adduntur: Ibi vero mutua agnitione facta, simul consultabant Orestes, Pylades et Iphigenia: adeo ut tandem sacram Dianae imaginem una cum sorore Iphigenia Orestes abripiens, nave conscensa, domum abierit.

Iphigenia, filia Tyndaridis[4]) Clytaemnestrae.
Me circa vortices, quos crebro Euripus densis
Auris agitans, vertit caeruleum mare,
Mactavit propter Helenam, ut putat, pater
Dianae, in claro sinu Aulidis,
Ubi mille navium classem
Graecorum contraxit Agamemnon rex,
Victoriosam coronam Ilii volens
Capere Graecos, et[5]) contumelia affectum connubium
Helenae volens persequi, Menelao gratiam ferens.
Cum enim esset difficultas navigandi, cumque non haberent ventos secundos,
Ad ignem fatidicum venit Calchas, et dicit:
O qui es dux exercitus huius Graeci[6]),
Agamemnon, non discedet portu navis,
Priusquam filiam tuam Iphigeniam Diana
Accipiat[7]) mactatam; quod enim annus pareret ille
Pulcherrimum, novisti Luciferae te sacrificaturum Deae.
Filiam itaque in domo tua coniunx Clytaemnestra[8])
Peperit, (transferens in me laudem summae pulchritudinis,)
Quam oportet te immolare. Et me Ulyssis artibus
A matre abduxerunt quasi[9]) ad nuptias Achillis.
Cumque Aulidem venissem misera, super rogum
Sublimis collocata eram, interficienda gladio;
Verum furata est, cervam pro me subiiciens
Diana Graecis, et per lucidum aerem
Dimisit et collocavit me in hac terra Taurorum,
In qua terra imperat barbaris barbarus
Thoas, qui celerem pedem ponit velut ales,
Unde hoc nomen[10]) habet propter pedum celeritatem.
Is in hoc templo sacrificulam facit me,
Ubi legibus talibus delectatur Dea
Diana, cuius festivitatis nomen tantum est honestum.
Caetera taceo, Deam reverita.
Sacrifico enim (existente hac lege veteri[11]))
Quicunque huc appulerit vir Graecus,
Facio tantum primitias; sed victima aliis est curae,
Non dicenda[12]) intra hoc templum Deae.
Iam quae nox attulit recentia visa,
Dicam ad aerem, si quod hoc est remedium.
Videbar in somno, relicta hac terra,
Habitare Argis[13]), et inter virgines
Dormire; terrae autem tergum motu concuti.
Videbar autem fugere, et foris stans fastigium intueor
Aedium cadere, et totam ruere contignationem
Deiectam ad solum[14]) ex imis postibus.
Relicta fuit una columna, ut putabam,
Paternae domus; ex fastigio vero columnae[15]) comam
Flavam suspendi, et illa videbatur loqui.
Ego vero artem, quam hic exerceo, occidens hospites,
Honorans aqua eum, et tanquam mortuum[16]),
Lamentans, sic somnium interpretor hoc:
Mortuus est Orestes, quem initiabam ego.
„Columnae enim familiarum sunt liberi masculi.
Moriuntur, postquam lavacra conspergunt me[17]).
Non volo accommodare ad amicos somnium.

---

4) Tyndaridis] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Tyndaris.

5) et] sic (= text. gr.) Editt. 1562. et recentt.; in Ed. 1558. deest.

6) huius Graeci] sic (= text. gr.) Editt. 1562. et recentt.; in Ed. 1558. desunt.

7) Accipiat] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Acceperit (Eurip. *λάβοι*).

8) Clytaemnestra] sic (= text. gr.) Editt. 1562. et recentt.; in Ed. 1558. deest.

9) quasi] sic Editt. 1562. et recentt.; in Ed. 1558. (et textu gr.) non legitur.

10) hoc nomen (scil. Thoas)] his verbis in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est annotatio: *θοός* enim celer est Graecis.

11) hac lege veteri] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) addunt: civitati.

12) victima . . . Non dicenda] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: caedes . . . Nefandae.

13) Argis] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. in Argis.

14) ad solum] sic scripsi (= Eurip. *πρὸς οὖδας*; Editt. recent.: humi); Editt. 1558., 1562. male: ad solium.

15) ex fastigio columnae] his verbis in marg. Ed. 1562. adscripta est annotatio: id est, vertice capitis mei. Eustath. in 2. et 8. Iliad. sic exponit et ratio poscit. — [Eustathii commentar. ad Hom. Il. II, 118. et VIII, 84.].

16) Honorans — mortuum] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (= text. gr.) Honorans, aqua lavabam ipsam *columnam* ut morti destinatam.

17) postquam lavacra conspergunt me.] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *ὡς ἂν χέρνιβες βάλωσί με.*); Editt. recent. *οὓς ἂν χέρνιβες βάλωσ' ἐμαί.* — quos lavacra mea consperserint.

Strophio enim non erat filius, quando perii.
Nunc fratri volo facere inferias,
Et omnino adesse[18]) (tantum enim possumus
Cum ancillis, quas nobis dedit rex
Graecas mulieres); sed ex causa aliqua
Nondum accedunt[19]) ad me intra domum,
In qua habito, huius templi[20]).
Or. Vide, observa, ne quis homo sit in via.
Pyl. Video, considero, convertens oculos undique.
Or. Pylade, videturne tibi hoc esse templum Deae,
Ad quam ex Argo[21]) applicuimus navem marinam?
Pyl. Mihi quidem videtur[22]), tibi idem videri convenit.
Or. Et ara, ex qua Graecus stillat sanguis?
Pyl. Ex sanguine quidem igitur rubras habet lineas.
Or. Vides sub fastigio suspensa donaria?
Pyl. Quae sunt monumenta interfectorum hospitum.
Or. Verum opus est circumspicientem bene considerare,
O Phoebe, quo me rursus in has casses illaqueas,
Dederas oraculum[23]), postquam paternam caedem ultus,
Matrem interfeci, succendentibus invicem furiis[24])
Agitabamur[25]) exules extra patriam.
Navigavi multos et varios meatus,
Et veniens interrogavi te, quomodo agitantis
Furoris tandem ad finem veniam, et mearum miseriarum,
Quas pertuli vagabundus per Graeciam.
Tu iussisti venire in terram Tauricam,
Ubi Diana cognata tua habet aram;
Et rapere statuam Deae, quam dicunt huc
In hoc templum de coelo decidisse:
Et cum accepissem sive dolo sive casu,
Periculum effugientem Atheniensium terrae
Dare id[26]) (verum quomodo hoc efficiendum sit, nullus modus dictus est),
Et haec facientem dixisti me habiturum respirationem.
Venio, itaque, tibi obtemperans, huc
In terram ignotam et inhospitalem. Te autem interrogo,
Pylade (tu enim adiutor mihi es horum laborum),
Quid faciemus? munitiones murorum vides
Altas; utrum in fastigium domus
Scandemus? quomodo hoc discemus?
Aut aenea claustra solvemus vectibus?
Quorum nihil scimus; quod si aperientes portas
Capti fuerimus, ingressum machinantes,
Moriemur. Verum priusquam moriamur, ad naves
Fugiamus, quibus[27]) huc navigavimus.
Pyl. Fugere non volumus, neque id consuevimus:
De oraculo Dei non est male sentiendum.
Verum discedentes de templo occultabimus nos
In antris, quae Pontus[28]) alluit aquis,
Sed procul a navi, ne quid videns in navibus[29])
Regibus dicat, et vi abripiamur.
Quando vero venit oculus noctis obscurae,
Audendum erit, ex templo rapere[30])
Statuam, quocunque tandem modo.
Vide tantum intra cancellos quomodo per inane

18) Et omnino adesse] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Παροῦσα παντί*); Editt. recent.: *Παροῦσ' ἀπόντι* — Praesens absenti.

19) accedunt] sic Editt. 1562., Barn., Musgr. (Fix.: accesserunt); Ed. 1558. male: accedit.

20) huius templi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) addunt: Deae. — (His verbis dictis Iphigenia exit.).

21) ex Argo] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: ex Argis.

22) Mihi quidem vid.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Mihi quidem videtur, Orestes.

23) Dederas oraculum,] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Respondens oraculo? Barn., Musgr.: Edito oraculo (Eurip. *χρήσας*;).

24) succendentibus invicem furiis] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. succendentibus furiis; Editt. recent.: perpetuis vicibus Furiarum (= Eurip. *διαδοχαῖς Ἐρινύων*).

25) Agitabamur] sic (= text. gr.) Editt. 1562., Barn., Fix.; Editt. 1558., Musgr.: Agitamur.

26) id] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: hanc (scil. statuam); Eurip. *τόδ'* (scil. *ἄγαλμα*).

27) ad naves . . quibus] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Fix. (= text. gr.) ad navem . . qua.

28) Pontus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Pontus niger.

29) ne quid videns in navibus] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. Fix. (= text. gr.) ne quis *nostram* conspicatus navem [Fix.: ratem].

30) rapere] Editt. recent. (= text. gr.) rapere politam.

Corpus possis demittere[31]). „Labores vero viri fortes
„Audent suscipere; timidi nihil unquam[32]) audent.
Or. An non longum iter venimus navi,
Suscipiemusque rursus reditum re confecta?
Recte dixisti; obtemperandum est: procede, et vide,
Ubi occultantes corpora latere possimus.
Deus non erit culpandus,
Quod oraculum irritum sit. Audendum est.
Nullus labor iuvenibus tergiversationem concedit.
Iph. Bene precamini, o Ponti
(Ubi sunt duo concurrentia promontoria)
Euxini habitatores.
O filia Latonae
Dictynna montana,
*Ad tu*am aulam
Templi ornati[33])
Virginalem pedem
Sanctum, sanctae
Clavigerae ancilla[34]) immitto.
Graeciae bellicosae turres
Et fortunam et agros uberes[35])
Reliqui Europam[36]),
Paternae domus sedem.
Chor. Adsum. Quid novi? quid es sollicita?
Cur me ad templum duxisti, duxisti[37])?
O filia illius, qui ad Troiam
Venit cum inclyta classe
Mille navium armatarum,
Atridae inclyti[38]).

31) Vide — quomodo per inane Corp. possis demittere.] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Vide — quomodo inane Corp. possis deferre; Fix.: At vero vide, ubi vacuum spatium sit intro ex triglyphis Corpori demittendo.

32) unquam] sic Ed. 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *οὐδαμοῦ*) usquam; in Ed. 1558. deest.

33) Ad tuam aulam Templi ornati] sic Editt. 1558., 1562.; Fix. (= text. gr.) Ad tuam aulam, pulcris columnis ornati Templi *ad* aureas pinnas

34) ancilla] sic scripsi (= Eurip. *δούλα*; Editt. recent.: serva); Editt. 1558., 1562. ancillae.

35) fortunam et agros uberes] sic Editt. 1558., 1562. quasi legisset interpres *τύχην* (fortunam) pro *τείχη* (muros); Barn.: muros, agrisque nemorosis insignem

36) Europam] sic Editt. 1558., 1562., Fix. (= Eurip. Editt. Basil. 1551., Musgr., Fix. *Εὐρώπαν*); Barn. *Εὐρώταν* — Eurotam.

37) duxisti, duxisti] sic (= text. gr.) Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. duxisti.

38) Atridae inclyti] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Atridarum inclytorum.

Iph. O famulae, difficili
Lamentatione occupata sum,
Clamando carmen non musicum
Insuavibus elegis,
Heu, heu, in familiari luctu
Quae mihi accidunt mala,
Fratrem meum
Lugenti ob vitam[39]).
Quale vidi somnium[40])
Hac nocte, cuius abiit caligo.
Perii[41]),
Non est domus paterna.
Heu mihi, interiit meum genus,
Heu aerumnas in Argo[42]),
Heu fatum, quod
Fratre, quem habui unicum, me spolias,
Et ad inferos mittis: cui has
Inferias paro, et poculum
Mortuorum volo
Fundere super terram,
Et fontes ex montanis vitulis
Et Bacchi vineam libationem,
Et fuscarum apum opus,
Quae sunt sacrificia pro mortuis.
Verum da mihi aureum
Vas et libationem inferorum.
O infra[43]) terram
Agamemnonium germen,
Tanquam mortuo haec tibi
Mitto. Tu suscipe; non enim ante
Tuum sepulchrum[44]) flavam comam
Neque lachrymas adfero.
Procul enim absum a tua
Patria, et mea[45]), ubi inclyta
Iaceo, misere mactata.

39) ob vitam] sic (= Eurip. *ζωᾶς*) Editt. 1562., Musgr., Fix.; Barn.: ob *amissam* vitam; Ed. 1558. vivens. — In marg. Ed. 1562. illi voci additur annotatio: id est, amissam.

40) somuium] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. somnum; Barn. (= text. gr.) faciem somniorum.

41) Perii] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Perii, perii.

42) Heu aerumnas in Argo] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. Heu heu, *propter toleratos* Argis labores.

43) infra] sic (= Eurip. *κατὰ*) Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. supra.

44) ante Tuum sepulchrum] sic (= Eurip. *πάρος Τύμβου*) Editt. 1558., Barn., Musgr.; Fix., qui *πρὸς τύμβον* habet, vertit: ad *tuum* tumulum; Ed. 1562. ante Tuum ad sepulchrum.

45) et mea] sic Editt. 1558., 1562., Musgr., Fix. (= Editt. Basil. 1551., Musgr. *κἐμᾶς*, Fix. *καὶ ἐμᾶς*); Barn. *κεμὰς* — hinnula.

Chor. Responsionem[46])
Et hymnum Asiaticum tibi
Barbarica voce,
O domina, sonabo[47]),
Musam lugubrem
Pro mortuis miseram[48]),
Quam in carminibus Pluto
Sonat per vices sine Paeane.
Iph. Heu mihi, Atridarum familia,
Periit lumen regni,
Heu paternam domum.
Qualis ex potentissimis
Argivorum regibus
Principatus? Labor ex laboribus
Exoritur. Rotantibus[49]) equis
Volucribus mutans sol
Sacrum oculum sui splendoris fugit.
Et accesserunt alia ad alia,
Dolores[50]) in aula propter aureum agnum,
Caedes supra caedem,
Dolor supra dolorem.
Inde a prius afflictis
Tantalidis vadit
Poena in familiam, festinat
Temere contra te[51]) fatum.
Initio me invasit infelix
Fatum coniugii materni
Et illius noctis, ab initio
Partum et difficilem educationem
Fatales Deae tendunt.
Ego, quae petita sum in connubium a Graecis,
Quam primogenitum germen in thalamo
Ledae infelix iuvencula
Victimam propter patris errorem
Et sacrificium non iucundum
Peperit et educavit, optandam
In curribus

46) Responsionem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Respondentes cantilenas.

47) O domina, sonabo,] hic versus in Ed. 1558. versui 178. praecedit sic:
Chor. O domina, sonabo,
Responsionem etc.

48) miseram] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. irritam (utrumque = *μέλεον*, quod Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. exhibent).

49) Rotantibus] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. errore typogr.: Rorantibus; Barn.: agentibus; Musgr.: in gyrum actis (Eurip. *δινευούσαις*).

50) Et accesserunt alia ad alia, Dolores] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Fix.: Ad alios vero alius accessit Dolor

51) contra te] his in marg. Ed. 1562. additur interpretamentum: domum scilicet Tantali.

Arenosae Aulidis collocarunt[52])
Sponsam, heu me[53]) infelicem sponsam
Filiae Nerei filio[54]).
Heu heu, nunc inhospitalis Ponti hospes,
Herba carentes domos[56]) habito
Sine nuptiis, sine liberis, sine civitate, et sine amicis.
Non canens Iunonem Argivam[57]), neque in tela
Celebrata
Radio Palladis Atticae imagines
Titanum varians.
Sed sum sacrificula occisorum
Hospitum, * cruentans (luctuosam miseriam)
Aras miserabiliter clamantium, et
Emittentium miserabiliter lachrymas.
Nunc vero illorum
Mihi sit oblivio, hunc vero Argis mortuum
Deploro meum fratrem,
Quem reliqui lactentem
Adhuc infantulum in manibus[58])
Matris admotum[59]) pectori,
Orestem, principem Argivorum.

[*Chorus, Pastor, Iphigenia.*]

Chor. Atque hic relinquens littus marinum[60])
Pastor venit significaturus aliquid novi.
Past. O filia Agamemnonis et Clytaemnestrae,
Audi novum ex me praeconium.
Iph. Quid est re in nova terroris? dic[61]).
Past. Venerunt in terram Symplegadum Cyanearum[62])

52) Arenosae Aulidis collocarunt] sic Editt. 1558., 1562.: Fix.: in arenas Aulidis delatam.

53) me] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; in Editt. 1558. Fix. et in textu gr. deest.

54) filio] in Ed. 1558. deest. — In marg. Ed. 1562. h. l. legitur: id est, Achilli.

55) Heu heu,] sic Editt. 1562., Barn., Musgr. (= text. gr.); Ed. 1558. Heu.

56) Herba carentes domos] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Non munitas domus; Editt. recent.: Inamoenas domos.

57) Argivam] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. in Argis.

58) Adhuc — manibus] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgrav. (= text. gr.) habent pro hoc uno vs. hosce duos:
Adhuc infantulum, adhuc tenellum,
Adhuc germen in manibus

59) admotum] Ed. 1558. male: admodum.

60) marinum] in Ed. 1558. deest.

61) Quid est re in nova terroris? dic.] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Quid est rei novae? dic; Editt. recent. (= text. gr.) Quid vero terroris est in praesenti nuntio?

62) Cyanearum] in Ed. 1558. deest.

Navi advecti[63]) duo[64]) adolescentes,
Deae grata victima et sacrificium
Dianae: lavacra et initiationes
Non maturabis?
Iph. Qui sunt, et ex qua terra oriundi?
Past. Graeci: hoc unum tantum scio, et nil ulterius.
Iph. Non potes nomen dicere?
Past. Pylades alter ab altero appellabatur[65]).
Iph. Socii hospitis quod erat nomen?
Past. Nemo scit; non enim audivimus.
Iph. Quomodo vidistis et cepistis eos?
Past. In littore ad cavam rupem Ponti.
Iph. Quid pastoribus rei est cum mari[66])?
Past. Boves venimus lavaturi marino rore.
Iph. Huc redi, quomodo eos cepistis,
Et qualiter? hoc enim scire cupio.
Diu enim nemo huc venit, et nondum ara Deae
Madefacta est Graeco sanguine.
Past. Postquam ad influentem per Symplegades
Pontum nos pastores boves deduximus,
Et ibi alta ad aquas
Rupes excavata, et tectum purpureum[67]):
Ibi aliquis nostrum vidit duos iuvenes
Pastor[68]), et iterum regressus est,
Summis pedibus transferens vestigium,
Et dixit: Num videtis daemones quosdam
Hic sedere? ibi aliquis ex nobis superstitiosior
Sustulit manus, et adoravit intuens:
Fili venerandae Leucotheae, navium custos,
O inclyte Palaemon, sis mihi propitius:
Sive[69]) in littore sedetis vos Gemini,
Sive Nerei propago, qui generosum
Genuit quinquaginta Nereidum chorum.
Alius vero vanior et impietate ferox,
Risit has preces, nautasque male affectos
Sedere in specu metu legis dixit,
Qui audiverint, quod hic mactemus hospites.
Visus is[70]) est recte dixisse plurimis nostrum,
Et venari constituimus Deae victimam usitatam.
Tunc vero alter ex illis relinquens alterum,
Stetit in rupe, et movit caput supra et infra,
Et ingemuit tremens summis humeris
Insaniens, et clamabat sicut venator:
Pylade, vides hanc? num vides illam
Serpentem ex inferis, quae me vult interficere
Armata aciem[70a]) in me horribilibus viperis?
Altera vero spirans ignem ex vestibus et necem
Remigat alis, matrem meam in humeris
Tenens, ut in hunc saxeum tumulum abiiciat.
Heu mihi, interficient[71]) me: quo fugiam?
Licebat videre
Non eosdem formae gestus, sed saepe variabat
Sonos vitulorum et latratus canum,
Et illos, quos dicunt furiae mittere, imitantia.
Nos metu territi, tanquam morituri,
Sedemus taciti; ille vero evellens ensem,
Impetum faciens in vitulos velut leo
Verberat ense ilia et latera,
Existimans se ulcisci Erinnyas,
Adeo ut cruentaretur spuma maris.
Postquam vero universus pastorum conventus videt
Cadentes et dissipatos boves, armabatur,
Inflato cornu congregans indigenas.
Nam adversus generosos et adolescentes hospites
Existimabamus nos imbecilliores, quam ut cum illis possemus congredi.
Plures itaque convenimus exiguo tempore.
Cadit autem remisso stimulo furoris[72]) hospes
Stillans in genas[73]) spumam; ut vero vidimus
Cadentem in tempore, ibi omnes eramus occupati[74])
Iaciendo et pulsando; alter vero hospitum
Detergebat spumam, et curabat corpus,

63) Navi advecti] sic Ed. 1558.; Editt. recent. (= text. gr.): Navi fugientes [Fix.: effugientes] *huc*; Ed. 1562. Rupibus evitatis.

64) duo] Ed. 1558. male: duae.

65) ab altero appellabatur] sic Editt. 1562. et recentt; Ed. 1558. ad alterum clamabat.

66) Quid — mari?] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Quid vobis rei est in littore?

67) purpureum] huic voci in marg. Ed. 1562. adscripta est annotatio: „purpuram captantium, aut ubi ostrea laterent." (Barn., Musgr. in interpret. habent: purpuras captantium; Fix.: purpurarum piscatorum).

68) Pastor] sic Editt. 1562. et recentt.; in Ed. 1558. deest.

69) Sive] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. Sive igitur (= Eurip. *Εἴτ' οὖν*).

70) is] in Ed. 1558. deest.

70a) aciem] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: ruens.

71) interficient] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) interficiet.

72) remisso stimulo furoris] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. remittens certamen furoris.

73) in genas] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. in genua; Editt. recent.: mentum (= Eurip. *γένειον*).

74) omn. er. occupati] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. omn. er fortes; Barn. (= text. gr.) omnis vir sustinebat laborem

Et tegebat tunicis bene textis,
Cavens quidem venientia vulnera,
Amicum tamen suum molliter tractans.
Rursus vero sanus surgens a lapsu,
Ut[75]) agnovit tumultum praesentem,
Et prope vidit praesentem calamitatem,
Ploravit; nos non intermisimus saxa
Iacere, alius aliunde instans.
Tum vero atrocem adhortationem audivimus:
Pylade, moriemur: verum ut moriamur
Honestissime, sequere me, ensem tenens[76]) manu.
Postquam vidimus utrumque vibrantem ensem:
Fuga promontoriales implevimus sylvas[77]).
Sed cum fugeret aliquis, alii instantes
Percutiebant eos; cum autem hos pepulissent,
Nemo iterum subeundo pulsabat saxo.
Non enim erat tantum[78]); ex innumeris manibus
Nemo unus potuisset capere hanc victimam.
Vix enim nunc non audendo[79]) quidem cepimus;
Sed globo facto circumdantes extorsimus
Saxis ex manibus ensem, ad terram vero genua
Defatigatione demiserunt. Nunc ad regem
Adduximus; ille intuens, celerrime
Ad lavacra, ad[80]) mactationem misit tibi.
Optabis autem talem hospitum
Victimam adesse, et cum perdes[81]) hospites
Tales, tum Graecia compensabit tuam caedem,
Pendens poenam caedis in Aulide factae.
Chor. Mira dixisti de illo, qui conspectus est, quicunque tandem sit,
Qui ex Graecia venit ad Pontum inhospitalem.
Iph. Bene est; tu vade, adduc hospites.
Quae hic facienda sunt, nos curabimus, ut solet.
O miserum cor, prius erga hospites

75) Ut] sic Ed. 1562.; in Ed. 1558. deest.

76) tenens] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. tenes.

77) promontoriales impl. sylvas] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. Lepaeos impl. campos.

78) Non enim erat tantum] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Non enim erat tutum; Editt. recent. (= text. gr) Sed *res* erat incredibilis.

79) audendo] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. male: audiendo.

80) ad] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. et.

81) perdes] sic Ed. 1562. (Editt. recent.: mactes); Ed. 1558. errore typogr.: pedes.

Tranquillum fuisti, et semper misericors,
In meam gentem compescens lachrymas,
Quando Graecos in manus acciperem;
Nunc vero ex somniis, quibus perturbata sum,
Existimans Orestem mortuum esse,
Inimica eis ero, quicunque huc venerint.
Et hoc verum est, irascor Graecis;
„Calamitosi beatioribus
„Propterea quod ipsis male est[82]), non bene volunt.
Verum nunquam ventus veniet,
Nec navis[83]), quae per saxa Symplegadum
Helenam adducat huc, quae me perdidit,
Neque Menelaum, ut de illis poenam sumerem,
Reponens hanc Aulidem pro illa, quae istic est,
Qui Danaidae[84]) me sicut vaccam eligentes
Mactaverunt: huius sacri sacerdos fuit pater.
Hei mihi, malorum illorum non possum non meminisse.
Quoties ad genas manus eiaculata sum[85]),
Pendens a genibus patris,
Dicens haec: O pater, sponsa sum
Nuptiarum turpium a te; mater vero mea
(Dum tu me interficis) et Argivae[86])
Celebrant hymenaeum, et personat cantu fistulae[87]) tota
Aula; ego interea interficior a te.
Mors erat, non Achilles, non Pelei filius,
Cui me despondisti, inque curribus
Ad cruentas nuptias duxisti dolo.
Ego vero prospiciens extra tenue velum,
Fratrem accipiebam in manus,
Qui nunc periit; et quamquam soror eram,
Tamen non admovi os prae pudore, tanquam itura ad Pelei
Aedes, ac multas distuli salutationes[88]),
Tanquam aliquando iterum Argos reditura.
O miser, si es mortuus, ex quantis malis
Abes, et quibus patris periculis.

82) Propterea quod ipsis male est] sic Ed. 1562.; in Ed. 1558. desunt.

83) navis] sic Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. avis.

84) Danaidae] sic Editt. 1562. et recentt.; in Ed. 1558. deest.

85) eiaculata sum] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. admovi.

86) Argivae] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. Argos.

87) fistulae] sic Editt. 1562. et recentt.; in Ed. 1558. deest.

88) ad Pelei Aedes — salutationes] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. ad Peleum. Multas reddidi ei salutationes.

„Reprehendo Deae cavillationes.
„Si enim aliquis hominum caedem fecit,
„Aut partum aut cadaver manu attigit,
„Eum haec arcet ab ara, putans esse abominandum[88a]).
„Ipsa interim delectatur hostiis humanis.
„Non est, quod Iovis coniunx Latona
„Peperit tantam insaniam; ego etiam
Tantali epulationem Diis exhibitam
Fictitiam puto, laetatos scilicet esse devorato infante.
Homines huius loci[89]) cum sua natura sint homicidae,
Puto interim in Deum culpam[90]) transtulisse.
„Neminem enim Deorum censeo malum esse.

[*Strophe* 1.]

Chor. Caerulei, caerulei[91])
Congressus maris,
Ad quod Ister veniens ex Adria[92])
In Euxinum mare
Transit,
In Asiam
Ex Europa veniens.
Quisnam aquosum
Et arundinosum relinquens Eurotam,
Aut fontem Dirces
Venit in hanc barbaram
Terram, ubi puella
Madefacit aras,
Et circa columnas
Templorum sanguinem humanum fundit?

[*Antistrophe* 1.]

An in undis abiegnis
Duplicibus remis
Navigarunt ad Pontum,
Navale vehiculum
Velis excipientibus flatus,
Avarum certamen
Exercentes pro suis aedibus?
„Grata quidem spes est
„Malo hominum, et insatiabilis
„Divitiarum magnarum[93]), qui feruntur
„Errantes supra aquas, et ad urbes
„Barbaras perveniunt.
„Communis[94]) haec est opinio, et
„Quidam intempestive sentiunt de opibus,
„Quidam mediocriter[95]).

[*Strophe* 2.]

Quomodo ad haec concurrentia saxa,
Et quomodo Phinei
Littus transierunt,
Marinum littus
In Amphitritae undis
Currentes? ubi quinquaginta puellarum
Nereidum chori
Canentium perpetuo
Et implentium secundis flatibus vela
Fixo in puppe
Firmo gubernaculo,
In flatibus Austri vel
Zephyri
Ad terram avibus abundantem[96]),
Album littus Achillis
Cursu pulchri stadii
Ad Pontum Euxinum.

[*Antistrophe* 2.]

Utinam precibus herae nostrae
Helena, Ledae chara filia,
Huc veniret
Relicta Troia,
Ut circa capillum cruore
Volutata, incidente fauces
Herae[97]) manu, moreretur,
Dans poenas mutuas.
Dulcissimum hoc nuntium
Acciperemus, si quis ex Graecia

88a) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Similis locus est apud Plutarch. Pelopida. [Plut. vita Pelop. c. 33.].

89) huius loci] sic Ed. 1562. (Editt. recent.: huius regionis); in Ed. 1558. desunt.

90) culpam] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. errorem.

91) Caerulei, caerulei] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. Caerulei.

92) Ad quod Ister veniens ex Adria] sic Editt. 1558., 1562. (Ister = Ed. Basil. 1551., quae habet *Ἴστρος* pro *οἶστρος*); Editt. recent.: Quod [Fix.: Ubi] oestro percita Io, volans ab Argis.

93) Malo hominum — magnarum] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. In malis humanis, Divitiae onus hominum.

94) Communis] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Κοιναὶ*); Barn., Musgr. *Κεναὶ* — Inanes.

95) opinio, et Quidam — mediocriter.] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. sententia hominum, Quibus haec absurda est opinio beatitudinis, His haec accidunt.

96) avibus abundantem] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. quae vocatur.

97) Herae] sic Ed. 1562. (Editt. recent.: dominae); Ed. 1558. Hera.

Huc adferet navigans,
Meam servitutem
Miseram finiret,
Et essem, iuxta somnium nostrae dominae,
Domi et in civitate patria
Delectata hymnis,
Et tranquillitate in communi solatio.

[*Iphigenia, Chorus, Orestes, Pylades.*]

Iph. Verum isti manus geminis vinculis
Vincti veniunt nova
Deae victima. Tacete[98]).
Ecce Graecorum victimae
Veniunt iam prope ad templum hoc,
Neque falsum nuntium renuntiavit pastor.
Chor. O veneranda, placeat tibi
Hoc publicum urbis sacrificium, et excipere hostiam,
Quam nostra lex non piam
Esse pronuntiat.
Iph. Age, ut primum Deae cultus rectus sit[99]),
Mihi est curae. Relaxate hospitibus manus,
Cum iam sint consecrati, ne sint amplius vincti,
Ingredientes in templa, curate
Ea, quibus opus est, quae constituta sunt.
Age, quae est mater vestra?
Et qui pater? an habetis sororem?
Qualibus tum illa privata geminis iuvenibus,
Carebit fratre[100])? „Quis hominum novit eventus,
„Et quales sint futuri? Divina omnia
„Sunt obscura, et nemo hominum scit impendentes casus.
„Fortuna ducit nos ad obscuritatem istam.
Unde advenitis, o miseri hospites?
Quam per longum intervallum navigastis ad hanc terram?
Et quam longo tempore estis perpetuo abfuturi a patria?
Or. Cur tu haec deploras, et cur de futuris nostris

98) Tacete] sic Editt. recent. (= Eurip. σιγᾶτε); Editt. 1558., 1562. Iacete.

99) Deae cultus rectus sit,] sic Ed. 1562. (Editt. recent.: Deae cultus recte se habeat); Ed. 1558. apparem quae sunt apparanda,

100) Qualibus — privata geminis iuvenibus Carebit fratre?] sic (= text. gr.) Ed. 1562.; Ed. 1558. (Qualibus — privata erit fratribus) An caretis sorore?

Malis contristaris, quaecunque tandem es, o mulier?
„Non existimo sapientem, qui moriturus
„Ploratione metum exitii vincere vult;
„Neque istum, qui moriturus est, plorat
„Desperata salute, qui ex uno geminum
„Facit malum, estque[1]) obnoxius stultitiae,
„Et tamen cogitur mori; fortunam sinamus valere.
Tu ne nos deplora[2]); ea, quae hic fiunt,
Sacrificia novimus.
Iph. Uter ex vobis
Pylades vocatur? hoc primum scire volo.
Or. Hic, si quidem hoc est tibi voluptati cognoscere.
Iph. Cuius patriae civis est Graecae[3])?
Or. Quid cognoscens haec, plus habebis?
Iph. Utrum estis fratres uterini[4])?
Or. Amicitia sumus, non nati fratres.
Iph. Quod est tuum nomen?
Or. Vero nomine possemus vocari miseri.
Iph. Non hoc interrogo, hoc relinquas fortunae.
Or. Ignoti moriamur, ne rideamur[5]) insuper.
Iph. Quid hoc curas? aut es adeo superbus?
Or. Meum corpus mactabis, non nomen.
Iph. Neque civitatem dicturus es, ex qua oriundus es?
Or. Interrogas ea, quae nihil commodi adferunt mihi morienti.
Iph. Quid prohibet, quo minus hoc beneficium mihi praestes?
Or. Argis[6]) natus sum.
Iph. Per Deos, num vera haec dixisti?
Or. Ex Mycenis, quae olim erant beatae.
Iph. Num discessisti exul, aut quali fortuna?
Or. Exulo aliquomodo nolens volens.
Iph. Num dicturus es mihi, quae volo?
Or. Obiter hoc fiet in mea infelicitate[7]).
Iph. Profecto desideratus mihi venis ex Argo.

1) estque] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Editt. 1558., Fix.: est.

2) Tu ne nos deplora] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. Tu ne plora.

3) Graecae?] sic Editt. 1562., Musgr., Fix.; Ed. 1558. cum sitis Graeci?

4) uterini] sic Ed. 1562. (Barn., Musgr.: ex una matre geniti); in Ed. 1558. deest.

5) rideamur] Ed. 1558. errore typogr.: videamur.

6) Argis] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Ex Argis.

7) Obiter — infelicitate.] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. Si aliquid alienum a mea miseria interrogaveris.

Or. Mihi quidem[8]) non, tu hoc amas forte[9]).
Iph. Novisti Troiam, cuius ubique fama?
Or. Utinam non nossem, et nunquam vidissem ne in somnio quidem[10]).
Iph. Dicunt periisse eam bello.
Or. Est ita, neque falsum audivisti.
Iph. Num Helena rediit rursus in Menelai domum[11])?
Or. Rediit, sed ob id ipsum[12]) male evenit cuidam ex meis.
Iph. Ubi est? nam et iam ante[13]) et mihi dedit[14]) malum.
Or. Est in Sparta apud priorem maritum.
Iph. O scelus inter Graecos, non mihi tantum.
Or. Et ego damnum tuli ex ipsius connubio[15]).
Iph. Redieruntne Graeci, ut dicitur?
Or. Interrogas me, simul omnia complectens.
Iph. Priusquam moriaris, hac narratione frui volo.
Or. Interroga, respondebo, si quidem hoc amas.
Iph. Rediitne Calchas ex Troia?
Or. Periit, ut dicebatur inter Mycenaeos[16]).
Iph. O Dea veneranda[17]). Vivitne[18]) filius Laertis?
Or. Nondum domum rediit, vivit tamen, ut dicunt.
Iph. Pereat, neque unquam domum redeat.
Or. Ne male preceris illi; tota familia male habet.
Iph. Vivitne Achilles?
Or. Non vivit; frustra petivit connubium in Aulide[19]).

quidem] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. autem.

tu hoc amas forte.] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. si tu hoc amas; Barn. (= text. gr.) si vero tibi, tu hoc ama.

) ne in somnio quidem] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. ne quidem in somnio.

rursus in Menelai domum?] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. rursus domum?

ob id ipsum] sic Ed. 1562.; in Ed. 1558. desunt.

nam et iam ante] sic Ed. 1562.; in Ed. 1558. desunt.

) dedit] sic Editt. 1562., Barn.; Editt. 1558., Musgr., Fix.: debet.

) Et ego — connubio.] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Et ego plector propter ipsius connubia.

) inter Mycenaeos.] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. Mycenis.

) O Dea veneranda] sic Editt. 1562. et recentt.; in Ed. 1558. desunt.

) Vivitne] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Ubi est

) in Aulide] sic Editt. 1562. et recentt.; in Ed. 1558. desunt.

Iph. Commenticium, ut dicunt, qui sciunt.
Or. Quae es, aut unde es, quae tam bene scis Graecorum res[20])?
Iph. Inde sum, et puella etiamnum perii[21]).
Or. Recte ergo cupis scire, quae ibi acta sunt.
Iph. Ubi est dux, quem dicunt esse beatissimum?
Or. Quisnam? ego neminem beatum ibi novi.
Iph. Agamemnon rex, Atrei filius.
Or. Nihil scio; omitte hunc sermonem.
Iph. Nequaquam per Deos; sed dic, ut exhilarer.
Or. Periit, et praeterea perdidit quempiam.
Iph. Mortuus est? quo fato? heu me miseram.
Or. Cur gemis? num attingebat te?
Iph. Deploro priorem eius fortunam[22]).
Or. Periit miserabiliter, interfectus a muliere.
Iph. Deploranda et quae interfecit et interfectus.
Or. Desine iam, et ne interroges ulterius.
Iph. Adhuc tantum, vivitne eius coniunx?
Or. Non; sed filius, quem genuit, interfecit eam.
Iph. O confusa domus! cur eam interfecit?
Or. Voluit ulcisci mortem patris.
Iph. Recte iustum malum exegit.
Or. Quamquam iustus est, tamen habet Deos infensos[23]).
Iph. Reliquitne aliam sobolem?
Or. Reliquit Electram, virginem unicam.
Iph. Est aliquis sermo de mactata filia?
Or. Nullus alius, nisi eam esse mortuam.
Iph. Miseram illam, et patrem, qui interfecit eam.
Or. Illa periit propter malam mulierem inutili officio.
Iph. Estne interfecti filius Argis?
Or. Ille miser est nusquam et ubique[24]).

20) Graecorum res?] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. principum negotia?

21) etiamnum perii] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. inde abducta sum.

22) priorem eius fortunam] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. vicissitudines rerum humanarum.

23) t. habet Deos infensos] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. t. est miser.

24) *Iph.* Est aliquis — et ubique (vs. 563—568.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. horum loco habet haecce:
Iph. Ecquid, occisae filiae est aliqua fama?
Or. Nulla, nisi mortuam non esse vivam.
Iph. Misera illa, et qui peremit illam pater?

Iph. „Falsa somnia valete; nihil enim estis:
„Nec genii, qui vocantur sapientes,
„Minus sunt mendaces somniis.
„Magna confusio est in rebus divinis
„Et humanis; hoc unum reliquum est,
Quod non stultus existens filius, sed vatum verbis persuasus
Periit, si saltem periit ille.
Chor. Heu heu, quid nos et nostri parentes,
„Num sunt, an non sunt? quis queat dicere [25])?
Iph. Audite, si quidem venimus in hoc colloquium,
Et venimus ad quiddam, quod erit vobis utilius, et quod accipietis studiose;
Et quod ad me attinet, recte fiet,
Si nobis placuerit res omnibus.
Vis, si te servavero, nuntius mihi esse,
Ad Argos veniens, meis amicis,
Et illis ferre litteras, quas quidem me miserans
Captivus scripsit, meam non
Existimans manum esse homicidialem: tamen lege
Est interfectus, Dea indicante haec esse iusta?
Neminem enim habui, qui servatus perferret
Meas litteras Argos
Ad meos amicos.
Tu autem (es enim, ut videtur, mihi non infestus,
Et Mycenas novisti, et quos ego volo)
Servaberis, et accipies mercedem non vilem
Propter leves litteras, vitam videlicet.
Iste vero, si quidem civitas hoc cogit,
Deae fiat hostia seiunctus a te [26]).

Or. Recte dixisti caetera, praeter hoc unum;
Nam illum interfici esset mihi grave.
Ego enim sum gubernator navis harum calamitatum,
Iste una navigat propter meam calamitatem.
Non iustum est me cum huius nece
Tibi praestare officium, et me ipsum eripere ex malis.
Sed sic fiat: huic trade litteras;
Nam ad Argos mittet, ut tuas res curet;
Nos autem, quicunque vult, interficiat. „Amicos
„Quisquis in calamitatem proiicit,
„Et ipse elabitur, turpissimus est. Hic est mihi amicus.
„Quem non minus volo vivere quam me [27]).
Iph. O voluntatem egregiam: ut ex generosa
Radice ortus es, qui est rectus amicus amicis.
Talis sit meus frater,
Qui relictus est; nam neque ego
Sine fratre sum, nisi quod eum nunc non video.
Postquam vero hoc vis, hunc mittamus,
Qui perferat litteras, et tu morieris: si quidem tam magna

Or. Propter malam mulierem gratia ingrata periit.
Iph. Mortui vero est filius Argis patris?
Or. Est infelix, et nusquam, et ubique.

25) *Iph.* Falsa — dicere (vs. 569 — 577.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. haec habet:
Iph. „Vana insomnia, valete, nihil estis utique.
„Neque qui sapientes Dii vocantur,
„Volucribus somniis sunt certiores.
„Magna perturbatio in rebus divinis est,
„Atque in humanis; unum superest solum,
Quod alias non imprudens existens, vatibus fidem habens
Periit, tanquam periret videntibus.
Chor. Papae, papae, quid nos et nostri genitores,
„Num sunt? an non sunt? quis dicere queat?

26) *Iph.* Audite — a te. (vs. 578 — 597.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. Audite, in colloquium enim venimus,
Et vobis auxilium, o hospites, valde studiose,
Et mihi hoc commodum in primis sic fieret,
Si omnibus hoc negotium placeat.
Velis, si servarem te, nuntium mihi perferre,
Argos profectus, meis, quos illic habeo, amicis?
Et epistolam perferre? quam quispiam misertus mei
Scripsit captivus, nequaquam meam
Interfectricem existimans manum, in hac consuetudine
Mori, Dea haec iusta existimante?
Neminem enim habui, qui annuntiaret, profectus
Ad Argos retro, meas epistolas
Perferret servatus meorum amicorum cuiquam.
Tu vero es, ut videris, nequaquam improbus,
Et Mycenas novisti, et eos, quos ego cupio.
Sis salvus, et tu mercedem non turpem accipiens
Leves propter litteras, salutem.
Iste vero, quoniam haec civitas cogit,
Deae fiat victima, separatus a te.

27) *Or.* Recte — quam me (vs. 597 — 608.)] sic Ed. 1562; Ed. 1558.:
Or. Bene dixisti caetera, nisi unum, o hospita.
Etenim mactare hunc mihi, molestia magna.
Qui enim navi duco, ille sum ego, calamitates.
Iste vero una navigat propter meos labores.
Non igitur iustum, propter perniciem huius me
Gratiam aestimare, et me ipsum emergere malis.
Sed ut res commode fiat, huic quidem epistolam da:
Vehet enim Argos, ut tibi bene habeat.
Nos vero, qui velit, interficiat. „Res amicorum
„Turpissimum est quicunque coniecerit in mala,
„Ipse salvus sit. Existit vero hic amicus,
„Quem nihil minus quam me lucem videre cupio.

Sollicitudo te habet[28]) pro isto[29]).
Or. Quis interficiet me, et haec atrocia audebit?
Iph. Ego; huius enim Deae expiationem habeo.
Or. Indignam, o iuvencula, et tristem rem.
Iph. Venimus in hanc necessitatem, quae antea fuerat cavenda.
Or. Tu, cum sis femella, ense mactas mares?
Iph. Non; sed lavabo tuam comam.
Or. Sed quis est mactator? si licet hoc interrogare.
Iph. Intra hanc domum sunt, qui haec curant.
Or. Quale sepulchrum accipiet me mortuum?
Iph. Sacer ignis intus, et tenebrosus hiatus saxi[30]).
Or. Heu quomodo me sororis manus tumulabit[31])?
Iph. Inane votum, o miser, quisquis tandem es,
Fecisti; habitat enim tua soror procul ab hac barbara terra.
Verum quia Argivus es,
Quantum possibile est, non omittam officium:
Ponam ornatum tibi ad tumulum,
Et montanae delicias ex floribus factas[32])
Flavae apis iniiciam in tuum rogum.

---

28) te habet] sic scripsi (= Eurip. σε . . ἔχουσα, Editt. recent.: te tenet); Ed. 1562. habet (omisso *te*).

29) *Iph.* O voluntatem — isto. (vs. 609—616.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. O fortitudinem eximiam, ut a generosa quadam
Radice natus es, et amicis integer amicus,
Utinam talis sit ex meis germanis,
Qui superstes est. Etenim neque ego, o hospites,
Absque fratre sum, nisi quatenus non cernens ipsum.
Sed quoniam vis haec, hunc mittamus
Epistolam ferentem; tu vero moriare. Ingens quaedam
Alacritas te huius rei habet.

30) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: Vide Diodorum Siculum lib. 20. de Saturni sacris. [Diod. Sic. XX, 14.].

31) *Or.* Quis — tumulabit. (vs. 617 — 627.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Or. Mactabit vero quis me? et gravia ista perpetrabit?
Iph. Ego; Deae enim huius cultum habeo.
Or. Invidiose, o puella, et infeliciter.
Iph. Verum in necessitate constitutae sumus, quae custodienda.
Or. Ipsa gladio mactans mulier viros?
Iph. Non; sed crines tuos circumcirca imbuo.
Or. Sed ipse mactator quis? si haec percontari me aequum est.
Iph. In istis aedibus intro sunt, quibus curae sunt haec.
Or. Sepulchrum vero quale excipiet me, ubi mortuus fuero?
Iph. Ignis sacratus intus, et hiatus tenebrosius petrae.
Or. Eheu.
Quomodo me sororis manus circum ornaverit?

32) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: id est, mel.

Sed vado[33]), et litteras ex sacello Deae
Portabo; non deprehendes me tibi infestam esse.
Ministri, custodite eos sine vinculis.
Fortasse insperata meis amicis
Mittam ad Argos, quos maxime ego amo.
Et litterae illis vivere, quos mortuos crediderunt,
Significantes, incredibiles voluptates nuntiabunt[34]).

[*Strophe* 1.]

Chor. Deploro te
Guttis lavacrorum
Debitum cruentis.
Or. Haec quidem non miseranda, sed valete, o peregrinae.

[*Strophe* 2.]

Chor. Te autem propter fortunam,
O adolescens,
Praedicamus, quod in patriam
Rediturus sis.
Pyl. Fugiendum hoc amicis, moriente amico.

[*Strophe* 3.]

Chor. O miserandum comitatum.
Heu periisti.
Uter est interficiendus?
Adhuc mens gestit ambigue
Te ne, an te prius lugebo[35])?

---

33) vado] sic scripsi (= Eurip. εἶμι; Barn., Musgr.: ibo, Fix.: vadam); Ed. 1562. vade.

34) *Iph.* Inane — nuntiabunt. (vs. 628—641.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. Vanas preces, o miser, quicunque tandem sis,
Precatus es; procul enim a barbara habitat terra.
Verum postquam existis Argivus,
Tamen illarum rerum, quarum possibile est, intermittam officium.
Magnum enim tuo ornatum addam tumulo.
Et montanae floridum liquorem
Flavae apis in ignem infundam tuum.
Sed eo, et tabulam ex Deae adytis
Afferam; certe malevolum ne mihi accipias.
Servate ipsos, o famuli, absque vinculis.
Fortasse insperata alicui meorum amicorum
Mittam Argos, quem maxime ego amo.
Et tabula ei viventes, quos existimat mortuos esse,
Dicens, incredibiles voluptates annuntiabit.

35) *Chor.* Deploro — lugebo? (vs. 642—656.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Lamentor te,
Sacrarum lotionum guttis
Destinatum cruentis.
Or. Miseratio quidem haec non est, sed bono animo estote, o hospitae.

Or.[36]) Pylade, dic per Deos, affectusne es sicut ego?
Pyl. Nescio, interrogas me, cum non possim respondere.
Or.[36]) Quae est haec, quae ita Graece
Interrogavit nos de bello ad Troiam
Et de Graecorum reditu, et de vate
Calchante, et de Achille? et miserum
Agamemnonem quam est miserata! interrogavit me
De uxore et liberis eius. Ista hospita
Est Argiva; nunquam enim
Litteras mitteret istuc, nec scrutaretur haec,
Tanquam ad ipsam spectaret, cum Argis recte se habeant omnia.
Pyl. Antevertis me, et eadem dicis, quae ego,
Praeter hoc unum: „Regum dolores
„Omnes norunt, qui considerant eos.
Sed et aliud quiddam dixit.
Or. Quid? dic, ut possimus melius in commune colloqui[37]).
Pyl. Turpe est, te mortuo, me vivere.
„Una navigavi, una etiam mori oportet.
Alioqui assequar famam timiditatis et turpitudinis
In Argo et Phocide multos habente recessus.
Videbor multis (multi enim sunt mali),
Te prodito, solus rediisse domum,
Aut occidisse te in calamitatem familiae,
Et struxisse interitum tibi propter tuum principatum,
Ut ducam tuam sororem bene dotatam.
Haec metuo, et horum pudet:
Itaque necesse est me tecum mori,
Et una interfici et una cremari,
Cum fuerim amicus tuus, et metuam reprehensionem[38]).
Or.[36]) Bona verba; mea mala ferre oportet:
Cum possim ferre simplicem moestitiam, non feram geminam.
Quod tibi triste et pudendum dicis,
Hoc mihi accidet, si te socium
Interfecero; quod ad me attinet, nihil mali mihi accidit,
Si moriar, cum exercear a Diis, sicut exerceor.
Tu vero es beatus, nec habes pollutam
Domum; ego vero sum pollutus et infortunatus.
Si tu fueris servatus, et liberos ex mea sorore
Consequeris, quam tradidi tibi uxorem:
Manebit meum nomen, neque sine liberis domus
Paterna mea delebitur unquam.
Sed vade, et vive, et inhabita domum paternam,
Et cum veneris in Graeciam, et ad equestre Argos,
Obtestor te per datam fidem,
Ut excites mihi sepulchrum, et imponas monumenta mihi.
Et soror det lachrymas et comam tumulo:
Et nuntia, quomodo ego perierim ab Argiva
Muliere, circa aram ablutus ad caedem.
Ne deseras unquam meam sororem,
Deserens affinitatem et domum paternam.

Chor. Te vero propter fortunam felicem,
O adolescens,
Colimus, in patriam
Quod tandem redibis.
Pyl. Invidiosa amicis, morientibus amicis.
Chor. O infelicia sacra,
Eheu eheu, perdentia.
Ae, ae, ae, ae,
Uter cunctatur?
Adhuc enim bifariam
Dubitanter fertur animus:
Te antea, aut de deplorabo luctibus?

36) *Or.*] in Ed. 1562. omiss.

37) *Or.* Pylade — colloqui. (vs. 657 — 673.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Or. O Pylades, affectus es eodem modo mecum per Deos?
Pyl. Nescio; interrogas non valentem loqui me.
Or. Quaenam est haec puella, quam Graecanice
Interrogavit nos? et apud Ilium labores,
Reditumque Graecorum, et in auguriis peritum
Calchantem, et Achillis nomen, et infelicem
Agamemnonem miserata est? et interrogavit me
Uxorem et filios. Est haec hospita secundum genus
Inde Argiva quaedam; nunquam enim
Et epistolam mitteret, et haec percunctaretur,
Ut publice agat Argos, an bene habeat.
Pyl. Praevenisti me paululum; haec vero consulto loqueris,
Nisi unum. „Regum enim casus
„Norunt omnes, quibus consideratio aliqua est.
Sed dixit et alium sermonem quendam.
Or. Quem? „Communicans mecum melius didiceris.

38) *Pyl.* Turpe — reprehensionem. (vs. 674 — 686.)] sic Ed 1562.; Ed. 1558.:
Pyl. „Turpe est, mortuo te, nos vivere.
„Pariterque navigavi, oportet me etiam pariter mori
„Notam timiditatis enim et ignaviae comparavero
Et Argis, Phocensiumque in montosa terra.
Videbor praeterea plerisque (plerique enim improbi),
Prodito te, servari me solum ad facultatem domus,
Aut etiam peracta caede ad afflictam familiam.
Consuisse caedem tibi, propter tuum imperium.
Cum integra haereditate utpote tuam sororem ducens.
Haec igitur metuo, et horum me pudet.
Neque est, quod non aequum sit una tecum expirare me,
Et una mactari, et concremari corpore,
„Amicum existentem, et metuentem infamiam.

Iam vale, quem habui omnium amicorum charissimum,
O convenator et coalumne,
Quam multos labores suscepisti propter mea mala!
Nos autem Apollo vates existens fefellit,
Et astute imposuit nobis, ut procul a Graecia
Abigeret, pudore oraculorum prius datorum;
Cui ego omnia mea permisi, et verbis eius obtemperavi,
Interfeci matrem: nunc ipse vicissim pereo[39]).
Pyl. Erit sepulchrum tibi; et sororis tuae coniugium
Nunquam deseram, quia
Te mortuum magis, quam vivum habebo amicum.
„Sed nondum perdidit me penitus Dei
„Oraculum, quamquam vicinum neci.
„Fit interdum, ut magna calamitas
„Accipiat subitam mutationem, si quando usus ita sit.
Or. Tace, Phoebi vaticinium nihil mihi prodest.
Mulier egreditur extra templum[40]).

[*Iphigenia, Pylades, Orestes, Chorus.*]

Iph. Discedite vos et apparate
Intro euntes ea, quae solent adhiberi ad necem.
Litterarum quidem lachrymosarum haec volumina
Hospitibus adsunt; quae vero praeter haec volo,
Audite: Nemo calamitosus sui similis est,
Quando cadit ex metu ad confidentiam.
Ego metuo, ne dimissus ex terra
Nihil curet meas litteras
Is, qui debet eas ad Argos perferre.
Or. Quid vis? et de qua re angeris?
Iph. Det iusiurandum has litteras portaturum se
Ad Argos, et missurum amicis, quibus volo.
Or. Et tu vicissim ei reddes iusiurandum?
Iph. Quid faciam, aut omittam? dic.
Or.[41]) Quod tu dimissura sis non interfectum ex hac barbara terra.
Iph. Recte dixisti; quomodo alioqui posset perferre litteras[42])?
Or.[41]) Num tyrannus ista concedet?
Iph. Etiam persuadebo ei, et ipsa collocabo eum in navim.
Or. Iura tu, et incipe iusiurandum, quod sit pium.
Pyl. Dabo. *Iph.* Adde verba: epistolam meis amicis.
Pyl. Dabo has litteras tuis amicis.
Iph. Et ego te servabo extra Cyaneas petras.
Or. Quem Deorum iuras?

---

39) *Or.* Bona — pereo. (vs. 687—715.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Or. „Auspicata loquere, mea oportet ferre mala.
„Simplicem vero dolorem cum liceat, non feram duplicem.
Quod enim tu triste et infame praedicas,
Eadem sunt nobis, si te una laborantem mecum
Interfecero. Non enim male cedit in me,
Agentem, quae ago, a Diis mori.
Tu vero et beatus es, puraque non aegrotantia habes
Atria; ego contra, impia et infelicia.
Servatus vero, filios ex mea sorore
Ubi susceperis, quam dedi tibi, ut uxorem habeas;
Et mentio mei fieret, neque absque liberis domus
Paterna mea extingueretur unquam.
Quare abi, et vive, et domos incole patris.
Cum vero ad Graeciam et equestre Argos perveneris,
Per dextram te hanc obtestor haec,
Tumulumque aggere facto statue, et adde monumenta mei,
Et lachrymas soror et crines det sepulchro.
Dic vero, quod perii ab Argiva quadam
Muliere, ad aram expiatus caede.
Et ne deseras meam sororem unquam,
Desolatam affinitatem et domus deserens patris.
Et vale; meorum enim charissimum invenite amicorum,
O socius in venatione, et educatus una mecum,
Quam plurimos qui pertulisti meorum dolores malorum.
Nos vero Phoebus vates existens fefellit,
Commentus artem, ut quam longissime a Graecia
Abiret, prae pudore praedictorum vaticiniorum.
Cui omnia ego credens mea, et fretus verbis
Matrem ubi interfeci, ipse vicissim pereo.

40) *Pyl.* Erit — templum. (vs. 716—724.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Pyl. Erit sepulchrum tibi, et sororis connubium
Non deseram, o miser, quandoquidem te ego
Mortuum potius quam viventem habebo amicum.
„Sed Dei me fefellit nunquam
„Vaticinium, quamvis prope steti caedem.
„Verum omnino incredibilis infelicitas,
„Incredibiles dat perturbationes, quando venerit.
Or. Sile. Phoebi vero nihil iuvant me carmina.
Haec enim mulier prodit foras.

41) *Or.*] in Ed. 1562. deest.

42) *Iph.* Discedite — litteras? (vs. 725—740.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. Abite vos, et bene adornate
Ea, quae intus insunt euntes, iis qui praesunt victimis.
Tabulae quidem haec lachrymosa volumina
Hospitibus adsunt; quae vero ad haec volo,
Audite. „Nullus sibi similis in periculis homo,
„Quoties ad audaciam ex metu venerit.
Sic ego metuo, ne, ubi evaserit ex hac terra,
Faciat nihili hasce meas epistolas
Ille, qui hanc tabulam Argos laturus est.
Or. Quid tandem vis? cuius rei gratia haesitas?
Iph. Iuramentum det mihi, haec laturum scripta
Ad Argos, quibus volo mittere amicis.
Or. Num vicissim dabis huic eosdem sermones?
Iph. Quid rei facere, aut quid non facere? dic.
Or. Ex terra dimittere salvum barbara?
Iph. Recte dixisti; quomodo enim nuntium perferret?

Iph. Dianam, cui hîc servio.
Pyl. Ego regem coeli Iovem venerandum.
Iph. Si relicto iureiurando feceris mihi iniuriam?
Pyl. Sim sine reditu; quod si tu me non servaveris?
Iph. Nunquam viva perveniam ad Argos.
Pyl. Audi sermonem, quam praeterivimus.
Iph. Rursus dabitur oratio, si quid boni dicis[43]).
Pyl. Da mihi hanc exceptionem, si navis fuerit fracta,
Et litterae in procellis cum meis rebus
Pereant, et solus ego enatavero,
Ne sim reus huius iurisiurandi.
Iph. Scis, quid sim factura? multa enim multis accidunt,
Quae sunt scripta in litteris.
Dicam verbis, ut omnia possis dicere amicis.
Res tuta est: si servaveris litteras,
Tum ipsae dicent tacente te;
Si vero litterae in mari deletae fuerint,
Et si tu servatus fueris, servabis etiam negotium.
Pyl. Recte dixisti pro religione iurisiurandi, et me.
Significa, cui debeam has litteras ferre
Argis, et quid dicere oporteat me audivisse ex te.
Iph. Dic Oresti, filio Agamemnonis:
In Aulide interfecta mittit has
Viva Iphigenia, quae illis, qui istic sunt, non vivit amplius.
Or. Ubi illa est? num mortua revixit?
Iph. Quam vides, illa est; ne interturba me.
Ducito me ad Argos, frater, priusquam moriar,
Ex hac terra barbara, et abducito a Deae
Victimis, propter quas honorem hospitum interficiendorum[44]) habeo[45]).
Or. Pylade, quid dicam tibi? quonam devenimus?
Iph. Aut diris agam tuam domum,
Orestes, (repeto enim nomen, ut discas, quem intelligam).
Pyl. Proh Deos!
Iph. Cur Deos invocas in meis periculis?
Pyl. Nihil; pertexe modo, aberraram cogitando.
Fortasse interrogans te perveniam ad incredibilia.
Iph. Dic: eo quod cervam dederit pro me
Diana, servavit me, (quam cervam mactavit meus pater,
Cum putaret in nos acutum ensem immittere),
Et in hanc terram collocavit. Haec est summa rei,
Et haec sunt scripta in litteris.
Pyl. O obstringens me facili iureiurando.
Ego sanctissime iuratus non diu differam,
Et quod iuravi, firmum faciam.
Ecce fero tibi litteras et trado,
Oreste, a tua sorore scriptas.

---

43) *Or.* Num — dicis. (vs. 741—754.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Or. Num etiam tyrannus haec concedet?
Iph. Certo persuadebo ipsum, et ego ipsa navis conscendam scapham.
Or. Iura; imo tu prior iurato, qui pius es.
Pyl. Praestabo. *Iph.* Dicere oportet: hanc meis amicis.
Pyl. Tuis amicis litteras reddam has.
Iph. Et ego te salvum dimitto Cyaneas extra petras.
Or. Quem igitur iuras super haec testem iuramenti Deorum?
Iph. Dianam, in cuius templis officium habeo.
Pyl. Ego vero per regem coeli venerandum Iovem.
Iph. Si vero neglecto iuramento iniurius mihi fueris?
Pyl. Reditum non consequar; quid vero tu, si me non servaveris?
Iph. Num quid Argis viva vestigium ponam pedis?
Pyl. Audi iam nunc, quem omisimus sermonem.
Iph. Verum iterum erit novus sermo, si recte se habuerit.

44) hospitum interficiendorum] sic (= Eurip. ξενοκτόνους) Editt. recent.; Ed. 1562. interficiendorum (omissa voce *hospitum*); Ed. 1558. interficiendi hospites (conf. nota seq.).

45) *Pyl.* Da — habeo. (vs. 755—776.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Pyl. Per exceptionem mihi concede hoc: si quid navis passa fuerit,
Et tabula in fluctu cum aliis rebus
Perierit, corpus vero servaro solum,
Iuramentum hoc non amplius ratum haberi.
Iph. Sed scin, quid agam? multa enim multis accidunt.
Ea, quae insunt, quae inscripta sunt in tabulae plicis,
Verbis dicam tibi omnia, ut annuntiare possis amicis.
Tuto enim si quidem servaris scriptum,
Ipsum scriptum dicet tacens, quae inscripta sunt.
Si vero in mari litterae perierint hae,
Salvo corpore, sermones servabis mihi.
Pyl. Bene dixisti et de Diis, et de me.
Sed dic, cui oporteat has epistolas ferre
Argos, et quid oporteat ex tuo ore dicere?
Iph. Annuntia Oresti, filio Agamemnonis:
Quae in Aulide mactata est, mittit hasce
Vivens Iphigenia, illis, qui istic sunt, non vivens amplius.
Or. Ubi illa est? mortua rediit?
Iph. Hanc, quam cernis tu, ne verbis interturba me.
Defer me Argos, o mi frater, antequam moriar,
Ex barbara terra, et transfer Deae
A victimis, in quibus interficiendi hospites officium habeo.

Or. Accipio; omittens convolutas litteras,
Voluptatem primum non verbis capiam.
O charissima soror, perculsa re subita,
Quamquam non credens, tamen circumdans brachia,
Capio voluptatem audiens admiranda[46]).
Chor. Hospes, non recte Deae sacrificam
Polluis, vinciens manum tunicae non tangendae.
Or. O soror ex eodem patre
Agamemnone nata, ne me averseris,
Cum teneas fratrem, quem non putasti te habiturum unquam.
Iph. Ego vero te meum fratrem? quin desinis loqui[46a])?
Is quidem est Argis aut in Nauplia[46b]).
Or. Non illic est tuus frater.
Iph. Num Lacaena Tyndaris te peperit?
Or. Et quidem ego sum natus ex filio filii Pelopis.
Iph. Quid ais? habesne aliquod signum?
Or. Habeo; audies aliquid ex domo paterna.
Iph. Dic ergo, et ego audiam.
Or. Dicam hoc primum, Electra[47]).
Scis Atrei et Thyestis dissensionem.
Iph. Audivi, quae erat de aureo vellere.
Or. Texuisti[48]), ut scis, in sericis telis.
Iph. O charissime, attingis prope meum sensum.
Or. Item in tela imaginem solis deficientis.
Iph. Texui hanc imaginem subtilibus filis.
Or. Et accepisti a matre lavacrum ad Aulidem.
Iph. Novi; nam nuptiae abducebant me non bonae[49]).
Or. Cur dedisti comam tuam perferendam matri?
Iph. Monumentum pro meo corpore ad sepulturam.
Or. Ea, quae ipse vidi, dicam signa.
Pelops antiquam hastam in domo paterna
(Quam vibrans manibus puellam in Pisa
Adeptus est Hippodamiam, cum occidisset Oenomaum)
In tuum gynaeceum collocavit.
Iph. O charissime, nihil enim es aliud; es enim charissimus;
Teneone te, Oreste procul hinc nate
In patria
Argis, o charissime.
Or. Et ego te mortuam, ut existimant.
Lachrymae et luctus cum gaudio
Tuos oculos aeque ac meos humectant.
Iph. Hunc reliqui infantem in brachiis
Recentem nutricis,
Et in domo.
O beata sis magis, quam dici potest,

---

46) *Or.* Pylade — admiranda. (vs. 777 – 797.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Or. O Pylades, quid dicam? Ubinam existentem inveniemus?
Iph. Aut tuae diras familiae imprecabor,
O Oresta, ut denuo nomen bis audiens teneas.
Pyl. O Dii.
Iph. Cur Deos invocas in rebus meis?
Pyl. Nihil, sed perge; excidi enim alio.
Mox certe interrogans te, ad incredibilia veniam.
Iph. Dic, quod in vicem mei exhibens cervam,
Diana servavit me, quam mactavit meus pater,
Existimans in nos acutum gladium immittere.
In hanc vero transtulit terram. Hae sunt epistolae;
Haec sunt in tabulis scripta.
Pyl. O quam facilibus iuramentis adstrinxisti me!
Pulcherrime vero iurans ipsa, non diutius continebo.
Hoc iuramentum, quod iuravi, confirmabimus.
En fero tibi tabulam, et reddo,
Orestes, ab hac tua sorore.
Or. Accipio; omittens vero litterarum plicas,
Voluptatem nunc primum non verbis capiam.
O charissima mihi soror attonita,
Tamen diffido; complectens brachiis,
Ad iucunditatem eo, audiens admirabilia mihi.

46a) quin desinis loqui?] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. quin desinis.; Editt. recent. (= text. gr.) non desines *hoc* dicere?

46b) Nauplia] sic Ed. 1558. (= *Ναυπλία*; Barn., Fix.: Nauplia terra); Ed. 1562. Nauplio.

47) hoc .. Electra] sic Ed. 1562. (= Editt. Basil. 1551., Barn. *Ἠλέκτρα, τάδε.*); Barn. in interpr.: hoc .. Iphigenia; Musgr. (aptius) *Ἠλέκτρας τάδε* — Electrae narrationem; Fix., eandem lectionem exhibens: quae ab Electra audivi. (conf. vs. 822., ubi sequuntur, quae *ipse* vidit).

48) Texuisti] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. Texuit; Editt. recent.: (scis) te texuisse

49) *Chor.* Hospes — bonae. (vs. 798 — 819.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. O hospes, non iuste Deae ministram
Polluis, non tangendis implicans peplis manum.
Or. O germana soror, et ex eodem patre
Agamemnone nata, ne me averseris,
Habens fratrem, non existimans habituram unquam.
Iph. Ego te fratrem meum? quin desinis loqui?
Ipsum Argos eo plenum, atque Nauplia.
Or. Non est illic tuus, o misera, frater.
Iph. Num Lacaena Tyndaris te genuit?
Or. Pelopis filii ex filio natus sum ego.
Iph. Quid ais? Habes horum aliquid mihi indicium?
Or. Habeo, paternis ex domibus aliquid interroga.
Iph. Imo loqui quidem aequum est te, discere vero me.
Or. Dicam. Audi primum, o Electra, haec.
Atrei et Thyestae scis factam litem?
Iph. Audivi, de aureo ariete cum fuit.
Or. Haec igitur texuisti per sericam texturam.
Iph. O charissime, prope meum animum commoves.
Or. Et imaginem in tela, solis retrogradum cursum.
Iph. Texui et hanc formam tenuibus nexibus.
Or. Et lavacra ad Aulidem a matre accepisti.
Iph. Novi; non enim hae nuptiae bonae existentes, me abduxerunt.

Mea anima, quid dicam?
Ultra admirationem
Et ultra quam dici potest, haec acciderunt.
Or. In reliquum sumus una beati[50]).
Iph. Insperatam voluptatem cepi, o amice.
Metuo, ne ex manibus in aerem
Volitans elabaris. O domus a Cyclopibus conditae[51]),
O chara patria,
Habeo tibi gratiam pro vita,
Et pro nutricatione,
Et quod mihi fratrem in domo
Educasti, qui est meum lumen.
Or. Genere quidem beati sumus, sed ad calamitatem
Nostra vita nata est.
Iph. Ego misera hoc experta sum, quando ensem
Ad collum posuit mihi
Miser pater.
Or. Heu, videor non praesens te videre ibi.
Iph. Quando sine hymenaeo, frater, Achillis
In tentorium luporum
Fraudulentum ducebat,
Et circa aram erant
Lachrymae et luctus.
Or. Heu lavacra, quae ibi erant.
Iph. Deplorabam et ego audaciam, quam pater ausus est,
Indignam patre, et indignum patre
Fatum nacta sum.
Or. Alia ex aliis sequuntur.

50) *Or.* Cur — beati. (vs. 820—842.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Or. Quid enim, comas tuas matri dans tuae ferre?
Iph. Monumenta utique pro corpore meo sepulchro.
Or. Quae vero vidi ego ipse, haec dicam indicia.
Pelopis vetustam in domo hastam patris,
Quam manibus vibrans virginem Pisanam
Sui iuris fecit Hippodamiam, Oenomao occiso,
In cubili tuo absconditam.
Iph. O charissime, nihil aliud; charissimus enim es.
Teneo te, o Orestes, charissimum
A terra patria,
Ab Argis, o chare.
Or. Et ego te mortuam, ut existimatur.
Lachrymae lachrymae, et luctus cum gaudio,
Tuas humectant palpebras, similiterque meas.
Iph. Hunc sane infantem reliqui in ulnis
Iuvenem nutricis,
Pusillum in domo.
O ultra quam eloqui queam beate,
O anime mi, quid dicam?
Ultra mira,
Et plus quam loqui queam, haec evenerunt.
Or. In posterum felices simus apud nos mutuo.

51) O domus a Cycl. cond.] his in Ed. 1562. adscripta est nota marg.: quia Cyclopes aedificaverunt Argivos muros.

Quam fere tuum fratrem perdidisses
Fato aliquo!
Quam hoc fuisset atrox facinus[52])!
Iph. Atrocia ausa sum, atrocia ausa sum,
O frater.
Quam vix effugisti
Iniustam necem, meis
Interfectus manibus! quis
Post haec finis erit?
Quae fortuna mihi concedet?
Quem portum inveniam tibi
Rursum ab hac urbe
Et ab hac nece, ut remittam te
In patriam,
Priusquam ensis
Propter tuum sanguinem stringatur?
Hoc tuum erit, o miser,
Negotium invenire,
Utrum terra, non navi,
Sed pedum impetu,
Adducens ad mortem
Barbaras gentes,
Et vadens per invia loca,
Per Cyanea
Angusta
Saxa, longum iter
Per navales vias facias.
Misera, misera[52a])!

52) *Iph.* Insperatam — facinus! (vs. 843—868.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. Incredibilem voluptatem accepi, o chare.
Metuo vero, ex manibus ne mihi ad aethera
Avolans elabatur. O Cyclopici lares,
O patria Mycenae chara,
Gratiam habeo ob vitam,
Gratiam habeo ob alimoniam,
Quod mihi hunc fratrem domibus
Educasti lucem.
Or. „Genere quidem beati sumus; ad calamitates vero,
O soror, nostra infelix est vita.
Iph. Ego infelix, novi quod gladium
Cervici apposuit meae
Infelix pater.
Or. Eheu, imaginor enim, non praesens, te videre illic.
Iph. Absque rectis nuptiis, o mi germane, Achillis
Ad tentoria a lupis
Fraudulenta quando ducebar.
Ad aram vero erant
Lachrymae et luctus.
Or. Eheu lotionum sacrarum quae illic erant.
Iph. Deploravi etiam ego scelus, quod ausus fuit pater.
Nequaquam conveniens patri
Fatum sortita sum.
Or. Alia ex aliis eveniunt.
Si tuum fratrem, o misera, perdidisses,
Dei fortuna alicuius,
O misera dirae audaciae.

52a) Misera, misera!] hunc vs. in Ed. 1562. omissum, ex Ed. 1558. addidi.

Quis igitur
Deorum aut hominum
Aut quicquid rerum insperatarum
Hanc inviam viam conficientibus
Nobis duobus
Ostendet finem malorum[53])?
Chor. In hoc admirando casu, qui omnem sermonem superat,
Ea, quae vidi et audivi, recito.
Amicos venientes in conspectum amicorum,
Oresta, rectum est complecti se mutuo;
Sed finito luctu etiam eo eundum est,
Quo inclytum nomen salutis
Accipientes, discedamus hinc.
„Sapientis enim viri est non negligere fortunam,
„Cum ceperit occasionem, non debet aliis voluptatibus indulgere.
Or. Recte dixisti, fortunae curae erit
Haec res nobiscum; si quis ipse promptus fuerit,
Consentaneum est plus Deum efficere.
Iph. Nihil me remoratur, neque abducet ab hac oratione,
Quin primum interrogem, quomodo vivat Electra,
Quae est mihi charissima.
Or. Iste est, cui ea nupsit, ac beate vivit[54]).
Iph. Unde est iste, et cuius filius?
Or. Strophii Phocensis est filius.
Iph. Est filius filiae Atrei, mihi cognatus?
Or. Est noster consobrinus, solus mihi firmus amicus.
Iph. Nondum erat, quando pater me mactavit?
Or. Non erat; aliquamdiu Strophius fuit sine liberis.
Iph. Salve, marite meae sororis.
Or. Et meus servator est, non tantum[55]) cognatus.
Iph. Quomodo sustinuisti ista atrocia facta de matre?
Or. Taceamus de illis; feci, ut ulciscerer necem patris.
Iph. Quae fuit causa, quod occidit maritum?
Or. Sinamus haec; non est tibi honestum audire.
Iph. Taceo. Num Argos in te respicit?
Or. Menelaus tenet imperium; nos sumus exules.
Iph. Num patruus iniuria affecit familiam afflictam?
Or. Non; sed terror Erinnyum exturbat me ex terra.
Iph. Illud est, quod in littore accidit; nam et illic nuntiatum est te insanire.
Or. Sumus conspecti non nunc primum in hac miseria.
Iph. Intelligo, propter matrem agitaverunt te Erinnyes.

---

53) *Iph.* Atrocia — malorum? (vs. 869—899.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. Scelesta patrassem, gravia patrassem,
O mi frater.
Minimo momento effugisti
Caedem impiam, ex meis
Occisus manibus. Sed
Istorum quisnam finis?
Quae fortuna mihi concedet?
Quam tibi viam excogitans,
Iterum ab hac civitate,
Ab hac caede mittam
In patriam Argivam,
Antequam gladio
Tuo sanguine lucter?
Hoc hoc tuum, o miser anime mi,
Officium excogitare,
Utrumne per terram, neque navi,
Sed pedum impetu
Morti appropinquans,
Per barbaras gentes
Et invios transitus iter faciens,
Per Cyaneas
Imo angustas
Petras, longa itinera
Navalibus cursibus.
Misera, misera!
Quis igitur haec,
Aut Deus, aut homo,
Aut aliquid ex inopinatis,
Viam impeditam expediens
Duobus solis Atridis
Ostendet malorum solutionem?

54) *Chor.* In hoc — vivit. (vs. 900—915.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Inter miranda, et ultra quam dici possit,
Haec ego ipsa vidi, et audiens nuntio
Hoc, amicos venisse in conspectum amicorum,
O Orestes, manuum complexus, ut decet, accepisse.
Te vero desinentem a miseratione, ad istud etiam venire necesse est,
Ut inclytum nomen salutis
Nacti, ex terra discedamus barbara.
„Sapientium enim virorum haec: non egredientes fortunam
„Occasione capta, voluptates alias capere.
Or. Recte dixisti, fortunae tamen arbitror curae fore
„Hoc nobiscum; si vero benevola tu es,
„Valere ipsum numen plus consentaneum est.
Iph. Nihil me continebo, neque avertet a sermone,
Quin primum interrogem, quodnam Electra fatum
Sortita sit vitae; charissima enim erunt omnia mihi.
Or. Huic cohabitat, victum habens locupletem.

55) tantum] sic (= Eurip. *μόνον*) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. errore typogr.: tuum.

Or. Ita quidem, ut adiicerent[56]) mihi cruentos stimulos[57]).
Iph. Cur in hanc terram venisti?
Or. Veni iussus oraculo.
Iph. Quid acturus? licetne dicere?
Or. Dicam. Initium hoc multorum laborum est.
Postquam haec mala matris, quae iam taceo,
Acciderunt, incursibus Erinnyum
Pulsi sumus exules; unde me proficisci
Athenas iussit Phoebus,
Venire illic in iudicium innominatis Deabus.
Est ibi sanctum iudicium, quod aliquando Marti
Iupiter constituit ob quandam contaminationem manuum[58]).
Postquam eo veni, nemo
Recipiebat me tanquam pollutum;
Qui vero aliquam mei reverentiam habuerunt,
hospitium, in quo solus versarer,
Praebuerunt mihi, in eadem domo commorantes;
Silentium autem fecerunt, nemo loquebatur mecum, ut abstinerent omnes
A meo convivio et compotatione.
In vas proprium aequaliter omnibus Bacchi
Mensuram implentes habebant voluptatem,
Et ego reprehendere hospites non audebam:
Dolebam tacens, et videbar ista non videre,
Valde ingemiscens, quod eram matris interfector.
Audio Athenis propter meam calamitatem
Factum esse sacrificium, et adhuc manere morem,
Libatorium vas Palladis populum honorare[59]).
Postquam veni in tumulum Martis, in iudicio
Steti, ego accepi alteram sedem,
Alteram sacrificula Erinnydum.
Dixi ego, audivit causam caedis
Phoebus, ac testificans servavit me, aequales
Vero calculos mihi numeravit Pallas cubito[59a]);
Atque victor abii de iudicio caedis.
Quaecunque vero Furiarum legibus stantes sedebant, persuasae apud ipsum calculum,
Decreverunt se habituras esse me pro puro;
Quaecunque vero non obtemperaverunt illi sententiae,
Cursu vago agitarunt me semper,
Donec rursus redii ad Phoebi planitiem.
Et ante sacellum iacens ieiunus a cibo,
Iuravi mihi me abrupturum esse vitam,
Nisi me servaret Phoebus, qui perdiderat.
Ibi ex aurea tripode loquens
Phoebus misit me huc, ut delapsam coelo auferrem
Statuam, et collocarem in terra Atheniensi.
Sed quam constituit salutem nobis,
Adiuva me; si enim statua potitus fuero,
Cessabit insania, et te in navim multiremem
Collocabo, et Mycenas perferam.
Age, o tu charissima et o sororium caput,
Servaveris paternam domum, si me servaveris,
Quia simul omnia perierunt et totum genus Pelopidarum,
Nisi hanc statuam abstulerimus[60]).

---

56) adiicerent] sic scripsi (= Eurip. ἐπεμβαλεῖν; Barn., Musgr.: iniecerint); Ed. 1562. male: abiicerent; Ed. 1558. iniiciant (vide notam seq.).

57) *Iph.* Unde — stimulos. (vs. 916—935.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. Iste vero cuias, et cuiusnam filius existit?
Or. Strophius Phocensis huius vocatur pater.
Iph. Hic nimirum est Atrei ex filia consanguineus mihi?
Or. Certe consobrinus, solus mihi certus amicus.
Iph. Non erat tum iste, cum pater interfecit me?
Or. Non erat. Tempore enim Strophius caruit filiis aliquo.
Iph. Salve o marite mihi meae sororis.
Or. Imo meus quoque servator, non cognatus tantum.
Iph. Dira vero facinora quomodo ausus es de matre?
Or. Silentio praetereamus ea, de patre supplicium sumens meo.
Iph. Sed quae causa, pro qua interfecit maritum?
Or. Omitte facta matris, neque tibi audire honestum.
Iph. Taceo. Argos vero ad te nunc respicit?
Or. Menelaus imperium obtinet, exules sumus ex patria.
Iph. Anne afflictam patruus iniuria affecit domum?
Or. Non; sed Erinnyum pavor me eiicit ex terra.
Iph. Haec igitur in littoribus etiam hic dictus fuisti furens?
Or. Visi sumus non nunc primum esse miseri.
Iph. Agnosco, propter matrem furiis exagitant Deae.
Or. Ita ut cruenta frena iniiciant mihi.

58) ob quandam contam. man.] his verbis in Ed. 1562. adiecta est nota marg.: propter Halirrhothium filium Neptuni caesum.

59) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: „Loquitur de festo quod Choes dicitur. Vide Athenaeum lib. 10. fol. 215. et Suidam ac alios." (Athen. X. p. 437. Ed. Casaub. Suid. s. v. Χόες, et Pauly: Real-Encycl. d. class. Alterth. Vol. II. p. 1061 sq.).

59a) cubito] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. manu sua; Editt. recent.: manu (Eurip. ὠλένῃ).

60) *Iph.* Cur — abstulerimus. (vs. 936—986.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. Curnam in terram hanc contulisti pedem?
Or. Phoebi iussus oraculis deveni.
Iph. Quid rei facturus, quod dici aut taceri debet?
Or. Dixero exordia haec mihi multorum laborum.
Ex quo matris haec, quae reticemus, mala
Ad manus venerunt, incursionibus Furiarum

Chor. Gravis Deorum ira efferbuit
Adversus semen Tantali, quod semper est in aerumnis.
Iph. Hanc voluntatem habui, priusquam huc venisti,
Ut essem Argis, et tuo conspectu fruerer.
Idem volo, quod tu, te liberare ab hac miseria,
Et restituere labefactatam domum: non iam me interficienti patri
Irascor, sed potius est mihi familiam erigere.
Possum manum abstinere a tua caede,
Et possum te servare; quomodo autem Deam fallere possim,
Metuo, et tyrannum, quando vacuam
Sedem saxeam statuae invenerit.
Quomodo tunc non moriar? quae erit excusatio?
Verum si simul haec omnia unum fierent,
Ut et statuam auferres, et me in navim
Abduceres, esset quidem praeclarum facinus.
Verum ego separata ab hoc, peribo;
Tu tamen tua re bene constituta redibis.
Ego non defugio periculum, ne quidem si moriendum sit,
Modo te servem. „Vir enim in familia mortuus
„Desideratur, mulierum imbecilla est vis[61]).
Or. Nunquam fiam et tuus et matris inter fector:
Satis est illius mors; consentio tibi,
Volo pariter tecum vivere aut mori.
Veniam quidem, etsi[61a]) ipse quidem hic occumbam,
Domum, si manebo moriens tecum.
Audi autem sententiam meam, si hoc adversum esset
Dianae, quare Phoebus iussisset
Avehere statuam Deae in urbem Palladis,
Et tuam intueri faciem? haec omnia enim
Confeceris in unum, spero nos redituros esse incolumes.
Iph. Quomodo potest ergo fieri, ut non interficiamur,
Et consequamur ea, quae volumus? sic enim cogita
Reditum ad domum. Voluntas quidem adest.

Exagitamur errabundi. Unde mihi pedem
Athenas utique misit Apollo,
Causam dicere non nominandis Deabus.
Est enim sacrosanctum iudicium, quod Marti olim
Iupiter constituit ex manuum piaculo.
Profectum vero illuc, primum quidem nullus hospitum
Lubens suscepit, tanquam Diis invisum.
Qui vero ducti sunt pudore, domicilia unam mensam habentia
Exhibuerunt domuum, existentes in eodem tecto.
Tacite vero apparabant, paucis verbis me salutatum, ut
A cibo essem et poculo separatus.
In poculum vero proprium, parem omnibus vini
Mensuram implentes, habebant voluptatem.
Et ego redarguere hospites nolui.
Dolebam autem tacite, et videbar non animadvertere,
Valde ingemiscens, quod fui matris interfector.
Audio vero Atheniensibus meam infelicitatem
Festivitatem esse, atque adhuc manere ritum,
Capax unius choae poculum Palladis colere populum.
Postquam ad Martium tumulum veni, et in iudicium
Constitutus sum, ego quidem unum occupans subsellium,
Aliud honoratissima, quae erat inter Furias.
Cum causam dixissem, et audivissem de matricidio,
Phoebus me servavit, testimonium praebens; paria vero mihi
Suffragia recensuit Pallas manu sua.
Victor autem discessi de capitali iudicio.
Quotquot igitur sederunt persuasae iudicio,
Iudicium apud se sacrosanctum constituerunt habere.
Sed quotquot Furiarum non persuasae sunt lege,
Cursibus irrequietis exagitant me usque,
Usque dum ad sanctum veni iterum Phoebi templum.
Et ante adyta porrectus, ieiunus cibo,
Iuravi illic vitam abrupturum moriens,
Nisi me servaret Phoebus, qui me perdiderat.
Inde vocem ex tripode aureo accipiens,
Phoebus me misit huc, quod e coelo lapsum est, capere
Simulachrum, et Athenarum collocare in terram.
Quare, quam salutem constituit nobis certo termino,
Coadiuta. Si enim Deae nacti fuerimus simulachrum,
Ab insania desinam, et te multiremi navi
Vehens, Mycenis statuam iterum.
Verum, o chara, o germanum caput,
Servato paternam domum, et serva me,
Quoniam meae res perierunt omnes, et Pelopidarum,
Coeleste nisi acceperimus Deae simulachrum.

---

61) *Chor*. Gravis — vis (vs. 987—1006.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Vehemens quaedam ira Deorum ingruit
In Tantalium genus, et in laboribus usque.
Iph. Promptam voluntatem, antequam tu huc venires, habeo,
Argos proficisci, et te, frater, adspicere.
Cupio eadem, quae tu, et una tecum defungi laboribus,
Et domum afflictam, minime occidenti me
Irata, paternam erigere volo.
Itaque a caede tui manus abstinebimus.
Servabo familiam. Sed ipsam Deam quomodo lateam,
Metuo, et tyrannum, quando vacuas
Thecas invenerit lapideas simulachro,
Qui non moriar? quae mihi erit excusatio?
Verum si quidem unum hoc simul fieret,
Ut ferres simulachrum, et me in forti navi
Veheres, haec periclitatio esset egregia.
Ab hoc autem facto semota, ego quidem pereo,
Tu vero fortasse rebus tuis bene dispositis reditum sortieris;
Non tamen abnuo, neque si mihi moriendum sit,
Servare te. „Namque vir quidem ex familia
„Cum moritur, desiderabilis; mulieris vero res imbecilles.

61a) etsi] sic Ed. 1562. (= Editt. Basil. 1551., Musgr. ἤνπερ); Barn. ἢν μή — nisi; Fix. ἤνπερ μή — nisi

Or. Quid si licet interficere ipsum regem?
Iph. Rem dixisti difficilem advenis, interficere hospitem.
Or. Verum si hoc fuerit saluti mihi et tibi, periclitandum.
Iph. Non possumus; magnitudinem tui animi laudo.
Or. Quod si occultes me clam in templo?
Iph. Ut expellamur[62]) quaerentes latebras.
Or. Nox[62a]) enim furum.
Iph. Sunt intus sacri custodes, quos non fallemus.
Or. Heu perimus; quomodo igitur servabimur[63])?
Iph. Videor habere quoddam novum consilium.
Or. Quale? impertias, ut et ego sciam.
Iph. Utar tuo furore ad fallendum.
Or. „Mulieres sunt ingeniosae ad excogitandam technam.
Iph. Dicam te venire matricidam ex Argo.
Or. Utere meis malis, si utile est.
Iph. Quod non fas sit sacrificare Deae, dicam.
Or. Propter quam causam? dubito enim.
Iph. Dicam te esse pollutum, purificatum vero interficiendum.
Or. Quomodo hac re magis statua capietur?
Iph. Volo eam purificare aquis marinis.

62) expellamur] sic Mel. vertit ἐκσωθεῖμεν (Editt. recent.: evadamus incolumes). Xylander huic voci in marg. Ed. 1562. hanc adscripsit annotationem: „Lego ἔξω θεῖμεν et verto: An ut tenebrarum beneficio statuam ex aede auferamus."

62a) Nox] sic Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Non

63) *Or.* Nunquam — servabimur? (vs. 1007—1028.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Or. Nequaquam fiam et tui matris occisor.
Satis superque sanguis illius. Sentio autem tecum,
Et vivere velim, et mortuus sortiri paria.
Certe veniam, si quidem et ipse occumbam hic,
Domum, si moriens una tecum permansero.
Sed sententiam meam audi. Si adversarium hoc fuisset
Dianae, quomodo ipse Apollo per vaticinia iussisset
Auferre me simulachrum Deae Palladis ad civitatem,
Et tuum vultum adspicere? Omnia enim
Colligens haec in unum, reditum spero consequuturum.
Iph. Quomodo igitur fieret, ut non nos moriamur,
Et capiamus, quae volumus? hac enim via dispice
Reditum domum; haec consultatio proposita est.
Or. Anne tyrannum perdere possumus?
Iph. Arduum hoc dixisti, hospites occidere advenas.
Or. Verum si te servat et me, periclitandum.
Iph. Non queam; sed alacritatem probo.
Or. Quid vero, si me in hoc templo occultares clam?
Iph. Ut sane tenebras nacti effugeremus?
Or. Furibus enim idonea est nox, sed veritati lux.
Iph. Sunt intus sacri custodes, quos non latebimus.
Or. Eheu, occidimus, quomodo salvi esse possumus?

Or. Estne intus statua, propter quam huc venimus?
Iph. Dicam, quod cupiat statua lavari contrectata a te.
Or. Num ut in mare id eiiceretur?
Iph. Ibi, ubi navis tua stat ligata funibus.
Or. An aliquis alius manibus gestabit statuam?
Iph. Ego, quia mihi soli licet attingere.
Or. Pylades in quo loco huius caedis ponetur?
Iph. Dicetur simile crimen tecum habere.
Or. Facies haec clam, an sciente rege?
Iph. Persuadebo ita ei; non enim possum eum latere.
Or. Atqui facilis cursus navis adest.
Iph. Reliqua tu curabis, ut recte fiant.
Or. Una re adhuc opus est, ut istae hoc occultent.
Age obtestare eas, et sermones persuadentes
Invenies; habet vim ad commiserationem mulier.
Reliqua, ut spero, bene se habebunt[64]).
Iph. O charissimae mulieres, ad vos respicio;
Meae res penes vos sitae sunt, ut bene se habeant;
Vel secus, ut priver patria,
Et fratre et cognato charissimis.

64) *Iph.* Videor — habebunt. (vs. 1029—1055.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. Habere videor novum mihi inventum quoddam.
Or. Quale tandem? sententiam communicato, ut et ego discam.
Iph. Tuae dementiae utar consiliis.
Or. Ingeniosae enim mulieres ad inveniendum fraudes.
Iph. Occisorem te dicam matris ab Argis venisse.
Or. Utere malis meis, si utile futurum est.
Iph. Quod nefas sit, dicemus, mactare Deae.
Or. Quam causam praetexens? suspicor enim quiddam.
Iph. Non purum esse, sed sanctum dabo neci.
Or. Quid vero magis hac ratione Deae simulachrum capitur?
Iph. Ponti te fontibus lustrare volo.
Or. Manet vero in domo simulachrum, pro quo huc navigavimus?
Iph. Et illud, quod lavari velit, te attingente.
Or. Ubinam? ponti ad humida dic ostia?
Iph. Ubi navis funibus ex lino factis stationem tenet tua.
Or. Tibi itaque quis alius in manibus feret simulachrum?
Iph. Ego; attingere enim fas est soli mihi.
Or. Pylades vero hic nobis ubi constituetur ad caedem?
Iph. Idem manuum tibi dicetur piaculum quod habeat.
Or. Clam rege, aut conscio facies haec?
Iph. Persuadens verbis; non enim latuero ipsum.
Or. Atque navis impetus expeditus paratus est.
Iph. Tibi certe convenit curae esse caetera, ut bene habeant.
Or. Unius tantum opus est, hasce occultare haec.
Sed obsecrato, et sermones persuasibiles
Excogita; habet enim vim quandam ad movendam misericordiam mulier.
Caetera fortasse cuncta succedent prospere.

Atque hoc sit initium sermonis.
„Nos mulieres inter nos vere amamus,
„Et sumus firmissimae nos mutuo iuvare.
Tacete, et adiuvate
Hanc fugam. „Egregia res est lingua, quando fides adest.
Videte, quomodo tres charissimos una fortuna
Potest reducere in patriam aut occidere.
Ego servata, si tu meam fortunam adiuveris,
Et ego te servabo in Graeciam: age te per dextram
Et te, et te, te vero precor per charas genas,
Et genua, et per ea, quae charissima habetis in domo,
Per matrem, patrem, liberos, si quibus sunt.
Quid dicitis? quae vestrarum affirmat, aut quae non vult
Dicere haec? non approbantibus enim vobis ea, quae dixi,
Perii ego et miser frater[65]).
Chor. Sis bono animo, et cura tantum, ut libereris:
Quantum ad nos pertinet, omnia tacebimus,
(Sciat magnus Iupiter) de omnibus illis, quae mandasti.
Iph. Bene sit vobis propter hunc sermonem, et felices sitis:
Tuum iam erit, ac tuum ingredi in domum,
Quia statim iam rex veniet,
Ut scrutetur sacrificium, num interfecti sint hospites.
O veneranda, quae me in Aulidis sinu[65a])
Liberasti a periculo, et a paterna interfectrice manu,
Serva me et hos nunc; aut Apollinis
Non amplius hominibus propter te erit verum os.
Verum placata abeas[65b]) ex hac barbara terra
Athenas; non enim decet te hic
Manere, cum liceat inhabitare civitatem florentem[66]).

[*Strophe* 1.]

Chor. Avis, quae circa saxea
Ponti littora Halcyon[67]),
Canis lugubre carmen
Voce, quae a prudentibus intelligi potest,
Semper marito tuo sonans cantum:
Ego tibi similis sum
Luctu, avicula sine alis,
Desiderans coetus Graecorum,
Et desiderans Dianam Lucinam,
Quae habitat ad Cynthium tumulum,
Et palmam habentem egregias comas,
Et laurum ramosam,
Et sacrum germen caeruleae oleae,
Partui Latonae amicum,
Et paludem volventem aquam
Cygneam, ubi canorus cygnus
Colit Musas[68]).

[*Antistrophe* 1.]

O stillae lachrymarum multae,
Quae per meas gênas

---

65) *Iph.* O charissimae — frater. (vs. 1056—1074.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. O charissimae mulieres, ad vos respicio,
Et res meae in vobis sitae sunt, aut bene habere,
Aut nihil esse, et privari patria,
Et charo fratre, et charissimo cognato.
Et primum quidem mihi haec mei sermonis exordia sint.
„Nos mulieres sumus benevolae invicem omnes,
„Et ad servandum communes res certissimae.
Tacite [*pro*: Tacete] nobis, et una elaborate
Effugium; „eximia quaedam res est lingua, cui fides adfuerit.
Videtis vero, quod tres una eademque fortuna charissimos,
Aut ad terrae patriae reditum, aut mori habet.
Servata vero ego, ut et tu quoque particeps fias fortunae,
Servabo te ad Graeciam. Sed te per dextram
Te et te obtestor, te porro per charam genam,
Et per genua, et per eos, qui domi sunt charissimi,
Per matrem, per patrem, et liberos, si cui sunt.
Quid dicis? Quis vestrum respondet? Quae non vult
Probare haec? non enim vobis approbantibus consilia,
Perii et ego, et frater infelix.

65a) quae me in A. s.] sic scripsi; Ed. 1562. quae in me A. s.
65b) abeas] sic scripsi (= Eurip. ἐκβηθι; Editt. recent.: exeas); Ed. 1562. aberas; Ed. 1558. egedere (v. not. seq.)
66) *Chor.* Sis — florentem. (vs. 1075—1088.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Sis bono animo, chara domina, et salva sis tantum.
Nam ex me omnia tacita erunt,
Sciat magnus Iupiter, de quibus me obtestaris.
Iph. Bene sit vobis propter sermones, et sitis felices.
Tuum opus iam est, et tuum, ire intro,
Quoniam mox veniet huius tyrannus terrae,
Victimam explorans, an confecta sit hostium.
O veneranda, quae me Aulidis in sinubus
Ex dira servasti patris interfectoris manu,
Serva me, et nunc hos quoque; aut Apollinis
Non posthac hominibus per te verax erit os.
Verum benigna egredere ex terra barbara
Athenas. Etenim non convenit hic
Habitare, cum liceat tibi civitatem habere felicem.
67) Halcyon] sic Editt. recent. (= Ἀλκυών); Ed. 1562. Alcyon.
68) *Chor.* Avis — Musas. (vs. 1089—1105.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Ceciderunt, quando turribus
Eversis inscendi naves,
Remigio hostium et hastis
Et per venditionem, quae fit auro,
Veni in hanc terram barbaram,
Ubi servio puellae,
Quae est ministra Deae occidentis cervas,
Quae puella est filia Agamemnonis.
Alias aras, ubi pecudes mactantur,
Desidero; vivo omnino
Miseram vitam. In necessitate nostra
Non laboras, cum habeas nobiscum eandem patriam.
Mutat te tua calamitas.
Post res secundas infortunium
Vitam duram facit hominibus [69]).

[*Strophe* 2.]

Te vero, o inclyta Argiva,
Navis vehet domum.
Inflans cera factos
Calamos Sylvanus Pan
Impellet remos;
Et Phoebus vates, habens
Sonantem lyram,
Canens ducet te in pinguem
Atheniensium terram;
Me hic relicta,
Ibit in navibus concitatis.
Vela dentur ventis, funes
Super proram classis
Extendant pedem
Navis velocis [70]).

[*Antistrophe* 2.]

Utinam venirem in pulchrum circum,
Ubi solaris ignis ardet
Super domesticos thalamos,
Alas in meis humeris
Desinerem movere,
Et starem in choris, ubi
Virgo desponsata connubio
Impellens choros aequalium
Ad pedem charae matris,
Ad certamen Gratiarum
Coma exornata,
Ad certamen divitiarum, variis
Stolis et cincinnis
Ornata
Obumbrarem genas [71]).

Chor. O avis, quae iuxta saxosa
Ponti iuga Alcyon
Miserabile fatum cantas,
Doctam doctis modulationem,
Quod maritum lamentaris perpetuis cantilenis.
Ego tibi comparor
Lamentationibus implumis avis,
Desiderans Graecorum celebritates,
Desiderans Dianam praesidem puerperii,
Quae ad Cynthium collem habitat.
Et iuxta palmam luxuriantem foliis,
Et laurum ramosam, et
Viridantis iuxta termitem sacrum oleae,
Latonae puerperii locum gratum,
Et iuxta lacum volventem aquam
Cycnis plenam, ubi cycnus cantator
Musas colit.

69) O stillae — hominibus. (v. 1106—1122.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
O multae lachrymarum destillationes,
Quae genas in meas
Ceciderunt, quando turribus
Pereuntibus conscendi naves
Hostium remis et hastis.
Pretiosam vero per venditionem
Ad terram barbaram veni,
Ubi venatricis
Deae sacerdotem virginem,
Filiam Agamemnonis colo,
Et aras celebratas sacrificiis
Colens, calamitatem perpetuo
Infelicem; in necessitatibus enim servilibus
Non laboras, quae una educaris,
Transis nunc ex infelicitate.
„Namque post bonam fortunam misere affici,
„Mortalibus gravis vita est.

70) Te vero — velocis. (vs. 1123—1137.)] sic Ed. 1562; Ed. 1558.:
Et te quidem, o veneranda Argiva,
Quinqueremis domum ducet.
Fistulans vero cera compacta
Fistula montani Panis
Remiges incitabit,
Et augur Apollo edens
Sonitum septemsonantis lyrae
Cantans ducet fertilem
Atheniensium ad terram.
Me vero hic relicta,
Ibis celeri navigatione.
In aere vela rudentes
A prora supra navem
Extendent funem nauticum
Navis velocis.

71) Utinam — genas. (vs. 1138—1152.)] sic Ed. 1562; Ed. 1558.:
Splendidum equestre iter utinam possim conscendere,
Ubi solaris cursum tenet ignis
Supra proprios thalamos
Alas in humeris meis
Desiveram agitare.
Ad choros vero consistam, ubi etiam
Ego virgo in legitimis nuptiis
Ad pedem ducens gratos
Matris aequalium choros,
Ad certamen Gratiarum
Comis delicatis:
Ad contentionem veniens, varias
Vestes et cincinnos
Induta,
Genas obvelabam.

[*Thoas, Chorus, Iphigenia, Nuntius, Minerva.*]

Tho. Ubi est custos harum aedium, mulier
Graeca, quae initiavit hospites?
Num in castis adytis corpora ardent igni?
Chor. Haec est, quae tibi cuncta clare dicet.
Tho. Age, cur transfers ex sua sede
Statuam Deae brachiis.
Iph. Rex, ibi adsta, ubi es.
Tho. Quid novi est?
Iph. Abominor; ego adhuc impolluta hoc tibi respondeo.
Tho. Quid dicis novi? dic clare.
Iph. Non mundas has hostias venati estis.
Tho. Qua re id intellexisti? an dicis, quod opinere?
Statua Deae avertit se a sua sede.
Tho. An ultro, an vertit eam terrae motus?
Iph. Ultro, et clausit oculos.
Tho. Quae est causa? an pollutio hospitum?
Iph. Haec est, et nulla alia; atrocia enim fecerunt.
Tho. Num aliqui barbarum interfecerunt in littore?
Iph. Venerunt huc domesticam caedem habentes.
Tho. Qualem? scire enim cupio.
Iph. Interfecerunt matrem iuncta ope.
Tho. Proh. Nemo hoc inter barbaros auderet facere.
Iph. Pulsi sunt ex Graecia omnibus persequentibus eos [72]).

Tho. An propterea portas statuam foras?
Iph. Sub sanctum aetherem, ut amoveam contagionem caedis.
Tho. Quomodo deprehendisti illud piaculum hospitum?
Iph. Deprehendi, postquam Deae statua conversa est.
Tho. Sapiens nata es, quod tamen scientes intelligis.
Iph. Et nunc animum meum deliniverunt illecebra suavi.
Tho. Nuntiantes aliquid suave ex Argis?
Iph. Orestem, meum fratrem unicum, bene valere.
Tho. Videlicet ut eos servares propter voluptatem grati nuntii.
Iph. Et patrem meum vivere et bene valere.
Tho. Tu vero recte respexisti ad curandam Deam.
Iph. Ut quae oderim universam Graeciam, quae me perdidit.
Tho. Quid faciemus cum hospitibus?
Iph. Oportet nos colere legem propositam.
Tho. Quare ergo non sunt in promptu lavacra et ensis tuus?
Iph. Prius volo eos lavare purificatione religiosa.
Tho. An aquis fontanis vel marinis?
Iph. Mare diluit omnium hominum mala.
Tho. Sanctius itaque postea interfici possunt?
Iph. Et mihi hoc rectius est.
Tho. Nonne ad ipsum templum fluctus alliditur?
Iph. Est opus solitudine; nam et alia faciemus.
Tho. Ducito, quo opus est; non volo arcana videre.
Iph. Purificanda est et Deae statua.
Tho. Si quidem macula matricidae polluit eam.
Iph. Nunquam ante sustulimus ex sua sede.
Tho. Iusta res est pietas et diligentia [73]).

---

72) *Tho.* Ubi — eos. (vs. 1153—1175.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Tho. Ubi est custos harum aedium, mulier
Graecanica? an iam hospites initiavit?
Adytis in sanctis corpora splendent igni?
Chor. Haeccine est, quae tibi omnia, o rex, dicet clare.
Tho. Hem, cur hoc fers ex immotis sedibus,
O Agamemnonis filia, Deae simulachrum in manibus?
Iph. O rex, contine istic pedem tuum in ipso gradu.
Tho. Quid est, o Iphigenia, novi in animo?
Iph. Abominor; sancta enim proloquor verbum hoc.
Tho. Quid per prooemia loqueris novum? eloquere clare.
Iph. Non puras mihi victimas venati estis, o rex.
Tho. Quid hoc est, quod te illud docuit? an ex opinione dicis?
Iph. Simulachrum hoc Deae retro sedes suas aversata est.
Tho. Ultro, aut ipsum terrae motus avertit?
Iph. Ultro; ictum vero oculorum coaptavit.
Tho. Quaenam causa? an ne horum hospitum odium?
Iph. Haec ipsa, nihil aliud; dira enim patrarunt.
Tho. Num aliquem occiderunt ex barbaris in littore?
Iph. Peculiarem venerunt caedem habentes.
Tho. Quam? ad amorem enim cognoscendi incidimus.
Iph. Matrem interfecerunt communi caede.
Tho. O Apollo, neque apud barbaros hoc quisquam ausus fuisset.
Iph. Totius persequutionibus abacti sunt Graeciae.

73) *Tho.* An — diligentia. (vs. 1176—1202.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Tho. An propter haec itaque simulachrum effers?
Iph. Purum sub aerem, ut expiem a caede.
Tho. Piaculum vero cognovisti hospitum quomodo?

Iph. Scis, quae nunc fieri debent? *Tho.* Dicito.
Iph. Addes vincula hospitibus. *Tho.* Quomodo possunt aufugere?
Iph. Nihil fidi habet Graecia. *Tho.* Ite ad vincula ministri.
Iph. Educant huc hospites. *Tho.* Fiet.
Iph. Tegentes vultus eorum a solis flamma.
Adde tu mihi comites. *Tho.* Isti te comitabuntur.
Iph. Et mitte civitati aliquos, qui illi significent. *Tho.* Quid?
Iph. Ut[74]) omnes maneant domi. *Tho.* Ne interveniant huic neci?
Iph. Illud enim esset abominandum. *Tho.* Vade et edicito,
Ne quis interveniat. *Iph.* Recte curas urbem.
Nullus magis curat amicorum. *Tho.* Tu de me dicis,
Cum civitas magis in te tueatur, quam in me.
Iph. Tu hic expecta nos ante templum. *Tho.* Quid facturus?
Iph. Purificabis auro templum.
Tho. Erit purum, quando redibis[75]).

Iph. Cum egredientur hospites. *Tho.* Quid tum oportet me facere?
Iph. Tege oculos peplo. *Tho.* Ne contraham contagium caedis?
Iph. Sin videbor diutius cunctari. *Tho.* Modus huius rei quis erit?
Iph.[76]) Nihil mireris.
Tho. Res Deae agas otioso animo.
Iph. Utinam haec purificatio recte fiat. *Tho.* Et ego precor.
Iph. Hos hospites iam video egredi,
Et ornatum Deae, et iuvenes, ut caedem caede
Eluant abominandam; et fulgorem lucernarum, et reliqua,
Quae proposui hospitibus, et ad purificationem Deae pertinent.
Edico civibus, ut discedant ab hoc contagio.
Si quis sacrificulus vult habere manus puras,
Aut vadit facturus nuptias, aut qui vult lucrari[77]),
Fugite, cedite, ne cui adhaereat hoc contagium.
O Iovis et Latonae filia virgo, si lavero caedem
Horum, et sacrificavero, ut oportet, habitabis puram domum,
Et nos erimus beati; reliqua non dico
Vobis Diis, qui plura scitis. Te Deam compello[78]).

Iph. Reprehendi, postquam Deae simulachrum aversum est retro.
Tho. Scitam te aluit Graecia, quoniam sensisti bene.
Iph. Et nunc obiecerunt illecebram suavem mihi animi.
Tho. Ex rebus Argivis quiddam gratum annuntiantes tibi?
Iph. Unicum Orestem, meum fratrem, beatum esse.
Tho. Nimirum ut ipsos servares propter voluptatem nuntii?
Iph. Et patrem vivere et bene agere meum.
Tho. Sed tu ad cultum Deae propendis merito.
Iph. Totam odio habent Graeciam, quae me perdidit.
Tho. Quid igitur agemus, dic, de istis hospitibus?
Iph. Ritum necessitas est constitutum colere.
Tho. Igitur in re ipsa sacrae lotiones et gladius tuus.
Iph. Sanctis lavacris primum ipsos lavare volo.
Tho. Fontibus aquarum fluentium, aut marino rore?
Iph. Mare abluit omnia hominum peccata.
Tho. Sanctius igitur Deae ceciderint.
Iph. Et officium meum sic magis bene habuerit.
Tho. Itaque ad ipsum templum affluit fluctus.
Iph. Solitudinis opus est; namque alia egemus.
Tho. Abduc, quocunque vis; non cupio secreta videre.
Iph. Lustrandum mihi etiam Deae simulachrum.
Tho. Si quidem macula aspersit ipsum parricidii?
Iph. Alias nunquam ipsum sustulissem a sedibus.
Tho. Iusta est ipsa religio, et prudentia.

74) Ut] sic Editt. recent.; Ed. 1562. Et.

75) *Iph.* Scis — redibis. (vs. 1203 — 1216.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Iph. Scis nunc, quae mihi fieri debeant? *Tho.* Tuum est hoc indicare.
Iph. Vincula hospitibus adde. *Tho.* Quonamne effugere possunt?
Iph. Fidele Graecia nihil novit. *Tho.* Ite ad vincula, o famuli.
Iph. Et deferant huc hospites. *Tho.* Erunt haec.
Iph. Occultantes peplis, prae solis flamma.
Ex tuis mecum mitte aliquos satellitibus. *Tho.* Isti sequentur te.
Iph. Et civitati mitte aliquem, qui indicet. *Tho.* Quam fortunam?
Iph. Domi manere omnes. *Tho.* Ne obviam veniant caedi?
Iph. Execrationi enim obnoxia huiusmodi sunt. *Tho.* Abi, et dic tu
Neminem ad conspectum accedere. *Iph.* Scite curas civitatem.
Et amicorum nullus in primis. *Tho.* Istud dicis ad me.
Quam iure optimo te tota admiratur civitas.
Iph. Tu vero manens ibidem ante templa Deae. *Tho.* Quid rei agam?
Iph. Purificato auro templum.
Tho. Ad purum ut revertaris iterum?

76) *Iph.*] in Ed. 1562. deest.

77) vult lucrari] his verbis Xylander in Ed. 1562. adscripsit notam marg.: „τόκοις, partu gravatur, malim." Editt. 1558. et recentt.: partu gravatur.

78) *Iph.* Cum — compello. (vs. 1217 — 1233.)] sic Ed. 1562; Ed. 1558.:
Iph. Quando vero egredientur hospites. *Tho.* Quid mihi agendum?
Iph. Peplum oculis obtendere. *Tho.* Ne in crimen sanguinarium incidam.
Iph. Si vero diu videar morari. *Tho.* Huius rei terminum quem constituis mihi?
Iph. Mireris nihil.

Chor. Generosa soboles Latonae, quam peperit
Deliae [79]) in fertilibus
Vallibus auricomum
Phoebum citharoedum;
Et quae propter artem iaculandi
Delectatur.
Fert eum a littore
Puerperii locum inclytum relinquens,
Mater stagnorum
Ad consecratum Baccho
Parnasi cacumen,
Ubi serpens variegato tergore
Rufus ad umbrosam aereus
Laurum, terrae
Magnum portentum,
Colit locum oraculi.
Ipsum, cum adhuc esses infantulus, adhuc charae
In brachiis matris saliens,
Interfecisti, o Apollo; tunc adiisti
Divinum oraculum, in aurea tripode
Sedens, in throno non mentiente,
Vaticinia ostendens hominibus,
Oraculorum arcanorum meorum
Super flumen Castalium
Vicinus, tenens medium terrae locum.
Themin vero, terrae filiam, pepulisti circumiens,
A divinis oraculis nocturna
Somnia terra genuit:
Quae somnia hominibus
Praeterita, praesentia,
Et futura,
In somno
Dicebant. Terra vero
Ademit honorem vaticinum
Phoebo invidia filiae. Cito
Veniens in Olympum Apollo
Et ad sedem Iovis dixit sibi manum inanem esse,
Et ut a templo Pythio
Terra auferret
Iracundiam et nocturna somnia,
Risit Iupiter, quod filius venit,
Et cupit habere sumptuosos cultus.
Postquam concussit comam,
Fecit cessare somnia,
Et deceptionem
Nocturnam exemit hominibus,
Et rursum reddidit honorem Phoebo,
In laudata
Sede fiduciam hominibus
Oraculorum [80]).

Tho. Ea, quae ad Deam attinent, otiose ac recte perage.
Iph. O utinam volo expiatio haec cadat. *Tho.* Una precor.
Iph. Istos prodire certe iam e domo video hospites.
Et Deae ornatum, et iuvenes viros, tanquam caede caedem
Execrabilem abluam, et iubar lampadum, et quaecunque
Procuravi ego ad funus hospitibus, et Deae lustratoria sacra.
Abesse vero edico civibus ab hoc piaculo.
Si quis aut templorum custos manus puras offert Diis
Aut nuptias it contracturus, aut partu gravatur,
Fugite, loco cedite, ne cui accidat haec execratio.
O Iovis et Latonae regina virgo, si abluam caedem
Horum, et immolabimus, ut decet, puram habitabis domum,
Felices vero nos erimus. Caetera non proloquens
Plura scientibus Diis, tibique Deae innuo tamen.

79) quam peperit Deliae] sic scripsi; Ed. 1562. quem peperit Delia.

80) *Chor.* Generosa — Oraculorum. (vs. 1234—1283.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Felix puer existit Latonae filius, quem olim
Deliae in fertilibus vallibus auricomum
Phoebum cithara peritum,
Et quae arcuum
Iaculatione gaudet,
Fert ipsum a rupe marina
Puerperii locum inclytum relinquens
Liquidarum mater aquarum
Celebratum a Baccho
Ad Parnasium montem,
Ubi varium tergum habens teter adspectu draco
Sub opaca omnino ferreus
Frondosa auro, terrae
Immane monstrum
Custodit vaticinii locum terrestrem.
Adhuc ipsum infans, adhuc charae
In matris ulnis saliens,
Interfecisti, o Phoebe, et in vaticinia
Conscendisti divina, et tripode in aureo
Sedes in veraci sede,
Vaticinia mortalibus edens,
Oraculis meis inaccessis
Supra Castaliae fontis fluenta
Vicinis medium totius terrae inhabitans templum.
Themin vero terrae accedens, filiam repulit,
A sacris vaticiniis nocturna
Ipsa tellus emittebat visa.
Quae plerisque mortalium
Et prima et sequentia
Et quaecunque eventura erant,
Somni per obscurae terrae
Cubationes dicebant. Terra vero
Templum privavit honore,
Phoebo propter invidiam filiae; sed celeripes
In Olympum contendens Rex,
Fidem charam dixit ante Iovis solium
Pythiis domibus
Terrestrem demere
Deae iram, et nocturna responsa.
Risit autem, quod filius statim ad se venisset,

Nun. O aeditui, et ararum ministri,
Quo abiit rex huius terrae Thoas?
Accersite, aperientes portas firmas,
Extra hanc aulam dominum terrae.
Chor. Quid rei est? num oportet non iussam dicere?
Nun. Abeunt evanidi duo adolescentes
Consilio filiae Agamemnonis
Fugientes ex hac terra, et statuam
Accipientes in sinu navis Graecae.
Chor. Dicis rem incredibilem. Quem autem convenire cupis
Regem, iam ex templo abiit.
Nun. Quo? oportet enim eum scire, quae acta sunt.
Chor. Nescimus, abi et quaere eum,
Ut, cum eum nactus fueris, nunties ei ista.
Nun. Videte, quam perfidiosum sit[81]) genus muliebre!
Et vos estis sociae huius facti.
Chor. Num insanis? Quid nobis negotii est cum fuga hospitum?
Nun. Non vadis ad portam regis celerrime?
Chor. Non, priusquam interpres aliquis dixerit,
An intus sit rex, vel non[82]).
Nun. Heus aperite portam, vobis dico, qui intus estis,
Et[83]) regi dicite, quod in porta
Adsim, nuntians novorum pondus malorum.
Tho. Quis circa tectum Deae excitat clamorem,
Concutiens portam, et terrorem mittens intro?
Nun. Hae mentitae sunt, ut abigerent me a domo,
Quasi extra esses, cum sis intus.
Tho. Quid lucri venantes ex ea re?
Nun. Postea dicam, quae ad has pertinent; praesentia
Audi. Puella, quae hic
Servivit Deae, Iphigenia, extra hanc terram
Cum hospitibus abiit, statuam Deae
Ferens secum, simulavit tantum purificationem.
Tho. Quid ais? quis flatus calamitosus eam impulit?
Nun. Ut servaret Oresten; hoc tu miraberis.
Tho. Quem? Num illum Tyndaridis filium?
Nun. Illum, quem destinarat Deae ad hanc aram.
Tho. Portentum; quo enim alio te nomine compellem?
Nun. Non sis aliis intentus; quin audi,
Et clare considerans et audiens cogita,
Qui exercitus insequens venetur eos.
Tho. Dic; recte mones; non enim brevi itinere
Fugiunt, ut possint effugere meam hastam[84]).

Aurea cupiens templa inhabitare.
Postquam vero annuit capite,
Abolevit nocturna somnia.
Et obliviosa
Nocturna visa abstulit hominibus.
Et honores iterum dedit Apollini.
Frequenti vero celebri
In throno, confidentiam das hominibus
Oraculorum carminibus.

81) sit] sic Editt. recent.; Ed. 1562. est.

82) *Nun.* O aeditui — vel non. (vs. 1284—1303.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Nun. O custodes templi, et arae praefecti,
Thoas rex terrae huius quo abiit?
Vocate, apertis bene clavatis portis,
Foras regem terrae.
Chor. Quidnam est? licetne me iniussam loqui?
Nun. Abierunt evanidi gemini iuvenes,
Agamemnoniae filiae ex consiliis
Fugientes ex terra hac, et venerandum simulachrum
Nacti in sinubus Graecanicae navis.
Chor. Incredibilem dixisti sermonem. Quem vero videre cupis
Regem huius regionis, abiit ex templo impetum faciens.
Nun. Quonam? oportet enim ipsum scire ea, quae aguntur.
Chor. Nescimus; sed abi, et consequere ipsum.
Ubi adeptus, hosce nunties sermones.
Nun. „Videte, ut perfidum muliebre genus;
Et ad vos pertinet rerum factarum pars.
Chor. Insanis. Quid nobis hospitum cum fuga rei est?
Nun. Quin vadis dominorum ad portas quam primum?
Chor. Non, antequam dixerit verbum interpres hoc,
Sive intus, sive non intus sit dux terrae.

83) Et] sic (= text. gr.) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562 Ego.

84) *Nun.* Heus — hastam. (vs. 1304—1326.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Nun. Hem aperite claustra; illis, qui intus sunt, dico
Et domino indicate, quod prae foribus
Adsim, novorum fascem annuntians malorum.
Tho. Quis ad templum Deae hoc excitat clamorem,
Portas pulsans, et metum concitans intus?
Nun. Falso dixerunt hae, et me abegerunt e domo,
Quod extra sis; tu vero domi utique eras.
Tho. Quod expectantes lucrum aut captantes?
Nun. In posterum harum peccata indicabo; quae vero
Praesentia sunt, audi. Haec puella, quae hic
Aris praefuit, Iphigenia, extra terram
Cum hospitibus abiit, venerandum Deae
Simulachrum habens; fraudulentae vero erant expiationes.
Tho. Quid ais? quam auram casus habens?
Nun. Servans Orestem; hoc enim tu admiraberis.
Tho. Quemnam? num quem Tyndaris peperit puella?
Nun. Quem hisce aris Deae consecravit.
Tho. O mirum, quomodo te maius nominare possum?
Nun. Ne huc vertas tuum animum; sed audi me.

Nun. Postquam venimus ad littus marinum,
Ubi navis Orestis latens erat appulsa,
Nobis, quos iussisti tenere vinctos hospites,
Innuit discedere ulterius
Agamemnonis filia, tanquam arcanum ignem
Sacrificatura et purificationem, quam apparabat,
Ipsa autem retro vincula tenens hospitum
Ibat manibus, et haec erant nobis suspecta,
Placebant tamen tuis ministris.
Diu autem (ut nobis aliquid videretur agere)
Ululavit et recensuit barbaricum carmen
Tanquam abluens contagium caedis.
Posteaquam diu sedimus,
Venit nobis in mentem timere, ne soluti hospites
Interficerent eam, et effugerent.
Metu tamen, ne videremus ea, quae non oportebat videre, sedimus
Taciti, postremo unum consilium erat omnibus,
Ire eo, ubi illi essent, etiamsi non concederetur.
Ubi vidimus Graecam navem
Et remorum serie iugum alarum,
Et nautas quinquaginta, qui remos in suis sedibus
Tenebant, solutos autem vinculis adolescentes
Vidimus liberos et in puppi stantes
Tenentes longos contos; alii autem a suis ansis
Anchoras suspendebant; alii autem scalas
Properantes ferebant manibus, et funes
Mittentes in mare hospitam deducebant[85]).

Nos autem non permittentes, postquam vidimus
Rem dolo geri, tenuimus ipsam hospitem,
Et funes, et per gubernaculum
Abstulimus clavos navis.
Oriebatur orationis certamen: Quare navigatis
Furantes nobis Deam et eius ministram?
Tu quis es, qui hanc evehis ex hac terra?
Ille respondit: Orestes, huius frater, ut scias,
Filius Agamemnonis, meam aveho
Sororem, quam perdidimus ex domo.
Verum nihilominus retinuimus eam,
Et coegimus sequi ad te.
Unde saevae plagae erant genarum.
Neutri enim habebamus ferrum;
Verum res agebatur pugnis,
Et ligna[86]) utrinque circa iuvenculam
In latera et hepar iaculabantur,
Ita ut committerentur et defatigarentur membra.
Nos autem malis notis signati
Fugimus in locum arduum, alii in capite
Habentes cruenta vulnera, alii in oculis.
Nos in tumulo stantes cautius
Pugnabamus, et saxa iaciebamus.
Verum arcebant nos iaculatores in puppi
Stantes telis, ut cogeremur retro cedere[87]).

Clare vero rem perspiciens et audiens, cura,
Persequutio quaenam hos hospites venetur.
Tho. Dic; recte enim admonuisti; non enim vicina navigatione
Fugiunt, ut effugere possint meam hastam.

Nun. Postquam — deducebant. (vs. 1327 — 1353.)] sic Ed. 1562., Ed. 1558.:
Nun. Ex quo ad littus venimus marinum,
Ubi navis Orestae occulta erat subducta,
Nos quidem, quos tu vincula una mittis hospitum
Habentes, nutu iussit absistere procul
Agamemnonis filia, tanquam arcanam flammam
Immolans et expiationem, ad quam accedebat.
Ipsa vero a tergo vincula habens hospitum
Ibat manibus, et haec erant suspecta quidem,
Placebant tamen tuis ministris, o rex.
Tandem vero, cum nobis peragere aliquid videbatur plus,
Ululatum amisit [*pro*: emisit], et circumspexit, barbara
Carmina inquiens, tanquam caedem abluens iam.
Postquam vero longum sedebamus tempus,
In mentem venit nobis, ne soluti hospites
Interficerent ipsam, et fugitivi aufugerent.
Sed ex metu illarum rerum, quae nefas erat adspicere, sedimus
Silentio. Postremo omnibus erat eadem sententia,
Ire, ubi erant, quamvis non concessis.
Et ibidem videmus Graecanicae navis scapham,
Expedito remigio ad impetum alatam,
Et nautas quinquaginta in scalmis remos
Habentes, porro a vinculis iuvenes
Liberos in puppi stantes navis,
Contis vero prorae insistebant; alii ad epotidas
Ancoras religabant; alii scalas
Ascendentes, ducebant per manus oram.
Pelago committentes peregrinam navim subduxerunt.

86) ligna] huic voci Xylander in marg. Ed. 1562. hanc adscripsit annotationem: „Videtur legisse κῶλα. Sed non potest probari. Verterem artus; est enim metaphora in voce iaculari." (Ed. 1558., Barn.: manus; Musgr.: lacerti; Kirchh.: pedes; Eurip. κῶλ᾽).

87) Nos autem — cedere. (vs. 1354 — 1378.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Nos vero nihil parcentes, ut primum adspeximus
Fraudulentas artes, apprehendimus navim peregrinam
Et rudentes, et per gubernacula
Clavos excindimus robustae navis.
Verba vero ibant: Qua ratione traiicitis
Furantes ex hac terra simulachrum et ipsam sacerdotem?
Cuius gratia? quis existens, hanc abducis veluti emptam ab hac regione?
Sed ille dixit: Orestes, huius frater germanus, ut scias,

Tunc autem magnus fluctus impulit navim
In terram; nautae autem non audebant humectare pedem.
Capiens Orestes in sinistrum humerum
Inscendit in mare, et saltans in scalam
Collocavit sororem in suam navim.
Tunc quae de coelo cecidit Deae
Statua, ex media nave locuta est:
O nautae, qui estis ex Graecia oriundi,
Adhaerete remis, et movete fluctus.
Habemus haec, propter quae Euxinum Pontum
Inter Symplegades navigavimus.
Illi vero frementes dulcem gemitum,
Percusserunt mare; navis autem, donec erat
In portu, procedebat; penetrans vero per ostium
Repellebatur incidens in vehementem fluctum.
Vehemens enim ventus subito ortus navim
Pellebat retro, alii autem sustinebant
Repugnantes contra fluctum; rursum ad terram
Fluctus contrarius impulit navim. Stans autem
Agamemnonis filia cepit precari: O Latonae filia,
Serva me tuam sacrificulam, ut veniam in Graeciam
Ex hac terra barbara, et ignosce meo furto.
„Amas enim et tu tuum fratrem;
„Liceat mihi et meum amare.
Nautae autem acclamaverunt precibus,
Et addiderunt Paeana, nudas manibus epomidas
Applicantes ad remos exhortatione.
Magis autem atque magis ibat navis versus scopulum.
Alii insiliebant in mare,
Alii suspendebant fixas anchoras[88]).
Ego autem recta huc missus sum,
Ut tibi significem, quomodo illic se res habeant.
Sed vade, vincula cape manibus.
Nisi enim mare fiat placidum,
Non est possibile, ut possint evadere.
Rex autem maris curam gerit illi
Venerandus Neptunus; hostis autem est Pelopidarum;
Et nunc tradet tibi filium Agamemnonis
Et cives Graecos nimirum in tuas manus,
Ut recipias sororem, quae necem in Aulide
Astute effugit, cuius adhuc Dea meminit.
Chor. O misera Iphigenia, una cum fratre
Morieris, iterum rediens sub manus dominorum.
Tho. Vos cives huius barbaricae terrae,
Eia, non equis inicientes frena
Ad litus curretis? et impetum navis
Graecanicae excipietis, et adiuvante Dea
Festinantes capietis impios viros?
Alii trahetis in mare naves celeres,
Et eos mari vel equestri exercitu
Capietis, aut de aspera rupe

Agamemnonis filius, hanc mecum aufero,
Adeptus sororem, quam amisi e domo.
Sed nihilominus retinebamus navim peregrinam,
Et ut tu assequereris, vim inferebamus ei.
Ubi gravia verbera erant maxillarum,
Et illi enim ferrum non habebant in manibus,
Et nos; pugni vero illidebantur.
Et manus ab ambobus iuvenibus simul
In latera et ad pectus veluti iaculabantur,
Adeo ut colliderentur, et omnino defatigarentur membra.
Gravibus vero sigillis signati,
Fugimus ad praecipitium, alii in capite
Cruenta habentes vulnera, alii in oculis.
In tumulis vero constituti, cautius
Pugnabamus, et saxa iecimus.
Sed prohibuerunt nos sagittarii in puppi
Stantes sagittis, ne impetum faceremus ultra.

88) Tunc autem — anchoras. (vs. 1379 — 1406.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Atque interea (gravis enim fluctus protrusit navim
Ad terram, metus vero erat nautis naufragium facere,
Accipiens Orestes in humerum sinistrum,
Progressus in mare, et scalae insiliens,
Posuit sororem in insignem navim.
Sed quod delapsum fuit e coelo Iovis filiae
Simulachrum, navi e media sonuit
Clamorem quendam: O terrae Graeciae nautae viri,
Incumbite remis, et fluctus verrite.
Habemus enim, quorum gratia in Euxinum Pontum
Intra Symplegadas navigavimus.
Nautae vero gratum suspirium emittentes, per fremitum
Percusserunt salum. Sed navis, quatenus erat intra
Portum, procedebat; ostia vero egressa,
Vehementi cum fluctu colluctans urgebatur.
Vehemens enim irruens ventus derepente navis
Pellebat retro rudentes. Nautae autem repugnabant
Contra fluctus inhibentes; ad terram vero iterum
Fluctus retro fluens duxit navim. Consistens vero
Agamemnonis filia vovit: O Latonae filia,
Serva me, tuam sacerdotem, ad Graeciam,
Ex barbara terra, et furto ignosce meo.
„Amas et tu tuum fratrem, o Dea;
„Amare et me meos consanguineos existima.
Nautae vero acclamarunt bene precando precibus puellis [*pro*: puellae]
Paeana, nudos protinus lacertos
Remis applicantes, ex adhortatione nautica.
Sed magis atque magis ad saxa ibat navis.
Atque quispiam in mare impetum fecit pedibus.
Alii vero tortas religabant ancoras.

Abiiciemus, aut affigemus corpora palis.
Vos autem horum consiliorum conscias
Mulieres tum, cum habebo otium,
Puniam; nunc autem rei propositae
Intenti, non sumus vacui ad vos puniendas[89]).
Minerva. Rex, quo ducis hunc exercitum?
Audi me Minervam,
Et desine persequi et educere exercitum.
Fatalibus enim oraculis Apollinis
Huc venit Orestes, iram Erinnydum
Fugiens, et ut reduceret sororem domum,
Et ut statuam aveheret in Atticam.
Ad te nunc loquor. Quem occidere
Videris Oresten, ipsum capiens in marinis procellis,
Iam Neptunus mea causa placidum
Dorsum maris fecit agitans remo.
Tu vero, Oresta, audiens mea mandata,
(Audis enim meam vocem, etiamsi non adsis)
Vade accipiens statuam et tuam sororem;
Et cum veneris Athenas divinitus conditas,
Est locus in extremis Atticae
Finibus, vicinus littori Carystio,
Sacer, quem meus populus nunc vocat Halas[90]):
Ibi aedificans templum, colloca statuam
Cognominem Tauricae Dianae, et tuorum laborum,
Quos tulisti oberrans per Graeciam,
Agitatus stimulis Erinnydum, et Dianam homines
Posthac celebrabunt Tauricam.
Et hanc legem pone: quando agit festum populus,
Tum sit redemptio tuae caedis, adhibeatur gladius
Collo alicuius viri, et sanguis effluat
Propter Deam, ut habeat aliquem cultum.
Te vero, o Iphigenia, ad scalas sacras
Bauronias oportet esse aedituam huius Deae.
Ubi et sepelieris mortua, et vestes
Monumenta tibi ponent texta serica,
Quas mulieres periclitantes in partu
Relinquent in sacello; has autem dimittere ex hac terra
Mulieres Graecas[91]) tibi mando,
Eo quod servavi te bona voluntate,
Et prius in vico Martio aequales calculos
Cum diiudicaverim, tibi, Oresta, mando hac lege,
Ut vincat, quicunque habet aequales calculos.
Verum age, porta tuam sororem extra hanc terram,
O fili Agamemnonis, et tu ne irascaris, Thoas[92]).

89) Ego autem — puniendas. (vs. 1409 — 1434.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Et ego quidem recta ad te huc missus sum.
Tibi, quae illic imminent, indicans, o rex, pericula.
Quare i, vincula et laqueos accipiens in manus.
Nisi enim mare tranquillum fiat,
Non est spes hospitibus salutis.
Pelagi rex Ilium respicit
Sanctus Neptunus, et Pelopidis adversarius est,
Et nunc exhibebit Agamemnonis filium
Tibi, et civibus, ut par est, in manus:
Et capere sororem, quae caedem Aulidensem
Immemorem Deae prodens deprehenditur.
Chor. O misera Iphigenia, una cum fratre
Morieris, iterum veniens dominorum in manus.
Tho. O cuncti cives huius barbarae terrae,
Quin eia equis iniicientes frena
Secundum littus curritis, et egressiones navis
Graecanicae excipitis? adiuvante Dea,
Festinantes viros impios capietis.
Alii celerigradas trahite in pontum naves,
Ut ex mari et terra persequutionibus
Capientes ipsos, aut de duris saxis
Praecipitemus, aut palis infigamus corpus.
Vos vero horum conscias consiliorum
Mulieres, in posterum cum otium nactus fuero,
Puniemus; nunc autem propositum
Studium prosequentes, non manebimus quieti.

90) Halas] sic Editt. 1562., Fix. (= Ed. Fix. Ἀλάς); Editt. Barn., Musgr. Ἀλάς — Alas (aeque ac Ed. 1558.).

91) Mulieres Graecas] his in Ed. 1562. adscripta est nota marg.: Chorum.

92) *Minerva.* Rex — Thoas. (vs. 1435—1474.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Miner. Quo quo persecutionem hanc agis, o rex
Thoas? audi huiusce Minervae sermones.
Desine persequi, et fluctus incitare exercitus.
Ex fatali namque vaticinio Apollinis
Huc venit Orestes, furiarum iram
Fugiens, et sororis Argos ducturus corpus
Et simulachrum sacrum in meam ducturus terram.
Ad haec te [*pro*: Ad te haec] nobis oratio. Quem vero interficere
Constituisti Orestem, in pelago prehendens aestuanti,
Iam Neptunus mea gratia illaesum
Ponti facit per supremitatem ducens navi.
Sed discens, o Orestes, meas epistolas,
(Audis enim vocem, quamvis non praesens, Deae)
Abi, accepto simulachro, et sorore tua.
Cum vero Athenas insignes veneris,
Regio quaedam est Atticae ad extremos
Terminos vicina saxosae Carystiae,
Sacra, Alas ipsam meus vocat populus,
Ibi constituens templum, collocato simulachrum
Cum cognomine Tauricae et laborum tuorum,
Quos elaborasti oberrans Graeciam
Oestris Furiarum. Dianam vero ipsam mortales
In posterum celebrabunt Tauropolam Deam.
Ritumque constituite istum, quando celebrarit populus
Tuae caedis liberationem. Intendat ensem
Ad iugulum viri, et sanguinem eliciat,
Propter sanctam Deam, ut honores habeat.
Te vero ad sacras, o Iphigenia, scalas

Tho. Regina Minerva, „qui Deorum praeceptis
„Non obtemperat, non recte sentit.
Ego ergo Oresti, si auferens statuam Deae
Abiit, et eius sorori non irascor. „Quid enim
„Lucri est certare cum Diis, qui praevalent?
Eant cum statua Deae in tuam
Terram, et collocent eam feliciter illic.
Mittam et has in Graeciam
Mulieres, quemadmodum mandat tua vox,
Et retinebo exercitum, quem eram missurus contra eos
Et classem, sicut placent haec tibi.
Laudo haec; „tua enim et Deorum autoritas vincit.
Min. Ite venti ducentes navi Agamemnonis
Filium Athenas. Vadam et ego,
Servans meae sororis statuam.
Ite, quae estis beatae
Propter felicitatem servati fati[93]).
Chor. O veneranda inter Deos
Et inter homines, Pallas Minerva,
Faciemus, ut iubes.
Valde enim dulcem et insperatam
Vocem accepi auribus.
O inclyta victoria, meam
Vitam circumdes,
Et non desinas eam coronare[94]).

Bauroniae oportet huius sacerdotem esse Deae.
Ubi etiam sepelieris mortua, et peplorum
Donarium tibi offerent, sericas texturas,
Quas mulieres in partu laborantes
Reliquerint domi. Istas vero ut educas ex hac terra
Graecanicas mulieres mando,
Iudicio iusto, eo quod servavi te,
Etiam antea in Areopago paria suffragia
Dinumerans, o Orestes; nam lege hac
Absolutus es, cum reus esses.
Quare abduc tuam sororem ex hac terra,
Agamemnonis fili, et tu ne irascaris, o Thoas.

93) *Tho.* Regina — fati. (vs. 1475—1491.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Tho. „O Regina Minerva, sermonibus Deorum
„Qui, cum audit, fidem non habet, non recte capit.
Ego namque et Orestae, si ferens simulachrum Deae
Abiit, et sorori non irascor. „Quid enim
„Contra fortiores Deos certare pulchrum?
Eant in tuam cum simulachro Deae
Terram, et constituant bona fortuna simulachrum.
Mittam vero etiam has in Graeciam felicem
Mulieres, veluti tuum mandatum iubet.
Omittam vero arma, quae infero hospitibus,
Naviumque remos. Tibi haec quoniam placent, o Dea,
Laudo. Voluntas enim tua et Deorum vincit.
Min. Ite, o flamina, navi ducentia Agamemnonis
Filium Athenas; comes viae ego una ero,
Servans sororis meae venerandum simulachrum.
Ite bona fortuna servati
Fati, felices existentes.

94) *Chor.* O veneranda — coronare. (vs. 1492—1499.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. At, o sancta et apud immortales
Et apud mortales Pallas Minerva,
Agemus ita, ut tu iubes.
Valde enim iucundam et incredibilem
Famam auditu accepi.
O valde veneranda victoria, meam
Vitam possideas,
Neque desinas coronare.

Nota. Quanam ratione magna Editionum 1558. et 1562. in hac tragoedia diversitas orta sit, ex Xylandri praefatione alterius Editionis intelligitur (vide supra p. 285 sq.).

LXV. PHIL. MEL. INTERPRETATIO RHESI EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis exstat in *Xylandri* Editt. 1558., 1562., quibuscum Editiones recentiores *Barnesii*, *Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. addidi uncis inclusas.

EURIPIDIS RHESUS.

PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum.

Rhesus filius fuit Strymonis fluvii, et Terpsichores, Musarum unius. Thracum vero dux ad Ilium noctu pervenit, Troianis habentibus castra ad naves Graecorum. Hunc Ulysses et Diomedes exploratores existentes interficiunt, Minerva ipsos admonente, quod ex ipso Graecis magnum immineret periculum. Terpsichore vero apparens, filii cadaver ad sepulturam sustulit. Quidam hanc fabulam subditiciam esse existimant, tanquam non sit Euripidis; Sophoclis enim orationis genus magis refert. Sed in catalogo fabularum tanquam legitima inscripta est; etiam de coelestibus rebus curiosa tractatio Euripidem autorem arguit. Scena huius fabulae est in Troia. Chorus constat ex vigilibus Troianis, qui etiam proloquuntur. Continet autem nocturnam excitationem[1]).

Personae fabulae.

Chorus vigilum.

Hector
Aeneas
Dolon
Nuntius[2])
Pastor[2])
Rhesus
Ulysses
Diomedes
Minerva
Paris
Musa[3])
Rhesi auriga.

Incipit Chorus.

RHESUS.

[*Chorus, Hector, Aeneas, Dolon.*]

Chor. Vade ad cubile Hectoris
Aliquis scutatorum regum vigil,
An acceperit nuntiantem arma[4]) novorum
Sermonum[5]) famam,

---

1) Haec veteris argumenti, quod graece in Eurip. Ed. Basil. 1551. legitur, interpretatio Melanthonis in Editt. 1558., 1562. exhibetur; in Ed. Barn. cum textu graeco repetita est.

2) Nuntius. — Pastor.] sic tanquam duae personae in Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.) h. l. afferuntur; Barn., Musgr.: Ποιμὴν ἢ Ἄγγελος — Pastor, sive Nuntius; Fix.: Ἄγγελος — Nuntius.

3) Musa] sic Editt. 1558., 1562., Musgr., Fix.; Barn.: Τερψιχόρη, ἢ Μοῦσα — Terpsichore, sive Musa.

4) nuntiantem arma] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. τευχοφόρων) ab armatis [Fix.: a militibus].

5) Sermonum] sic (= Eurip. μύθων) Ed. 1558.; Ed. 1562. Sermonem.

Qui quadripartitam noctis vigiliam
Totius exercitus
Ante civitatem Troianam sedendo obeunt,
Solve trucem sedem palpebrarum.
Relinque toros humi stratos,
Hector; tempus est enim audire.
Hect. Quis es, amice? dic, quis sis?
Quid hoc signi est?
Quinam per noctem ad nostra
Cubilia appropinquant? dicendum est.
Chor. Vigiles exercitus. *Hect.* Quid affers tam turbulenter?
Chor. Bono sis animo. *Hect.* Sum bono animo. Num aliquis dolus est e tenebris?
Chor. Non.
Hec. Cur tu relinquens custodias
Turbas exercitum, nisi habes aliquam
Nocturnam nuntiationem? non scis exercitum
Propter Argivum, nocturnum nos
Cubile habere in armis?
Chor. Arma socios,
Vade ad cubilia aliorum.
Impelle hastam, levare, excita a somno,
Mitte amicos, ut veniant in tuam cohortem,
Induite equis frenos.
Quis vadit ad Panthoedam[6])? aut ad
Ducem Lyciorum[7]), qui ex Europa natus est?
Ubi sunt inspectores victimarum?
Ubi sunt tribuni peditum levis armaturae?
Ubi sagittarii Phrygum?
Iungite cornutos arcus nervis.
Hect. Partim nuntias terribilia auditu,
Partim animas me, nihil tamen liquide.
Num Saturnii Panis tremulo
Flagello perterrefactus[8]), deserens excubias,
Perturbas exercitum? quid trepidas? quid te dicam
Novi nuntiare? multa enim cum dicis,
Nihil tamen clare ostendis.
Chor. Lucet ignibus exercitus Argivus
Per totam noctem,
Et navium stationes ardent divinitus,
Et totus exercitus accedit ad Agamemnonis
Tabernaculum noctu cum tumultu,
Desiderans novum aliquod consilium,
Nunquam enim antea sic in metu fuit
Nauticus exercitus.
Tibi suspicans futurum
Accessi nuntius, ne unquam
Aliquam accusationem in nos dicas.
Hect. Opportune venisti, quamquam terrorem denuntians.
Graeci enim ex hac terra nocturna navi
Clam me soluturi fugient.
Blanditur mihi nocturna incensio ignium.
O Dii, qui me vincentem fraudastis
Leonem praeda, priusquam exercitum Graecorum
Prorsus consumpserim hac hasta.
Si enim lucidae non continuissent me solis
Flammae, non cohibuissem felicem pugnam,
Priusquam naves incendissem, et cucurrissem per tabernacula,
Interficiens Graecos hac cruenta manu.
Ego quidem eram promptus pugnare
Etiam noctu, et uti secundo impetu Dei;
Verum sapientes me et divina scientes
Vates persuaserunt expectare lumen diei,
Et deinde neminem Graecorum in terra relinquere.
Isti vero non expectant meorum vatum
Dicta. „In nocte fugitivus multum valet.
Quare quam primum oportet indicere exercitui,
Ut sumant arma, et cessent a somno,
Ut aliquis hostium in navem insiliens,
In tergo laceratus madefaciat scalas sanguine,
Alii in laqueis vincti et capti
Phrygum agros discant arare.
Chor. Hector, properas, priusquam scias, quid agatur.
Utrum Graeci fugiant, nondum liquide scimus
Hect. Propter quam aliam causam incenderent nocturnos ignes exercitus?
Chor. Nescio; mihi tamen res suspecta est.
Hect. Si hoc times, omnia times.
Chor. Nondum antea hostes succenderunt tantum ignem.
Hect. Etiam nunquam ante tam turpiter victi sunt.
Chor. Tua virtute hoc gestum est, etiam reliqua consule.
Hect. „Simplex oratio est contra hostes armare manus.

---

6) Panthoedam] huic nomini in Editt. 1558., 1562. adscripta est nota marg.: Panthoi [Ed. 1558. Panthei] filium 1. Euphorbum.

7) Ducem Lyciorum] h. l. in iisd. Editt. nota marg.: Sarpedonem.

8) H. l. in Ed. 1558. nota marg.: Panicus terror.

Chor. Atqui hic Aeneas valde celeriter
Venit, novum quiddam habet, ut amicis nuntiet.
Aen. Hector, quare nocturni in exercitu
Vigiles ad tua cubilia veniunt cum terrore,
Et nocturnum conventum excitant, et perturbant exercitum?
Hect. Aenea, munias armis tuum corpus.
Aen. Quid est? num quis ab hostibus nuntiatur
Dolus occultus esse per noctem?
Hect. Fugiunt Graeci, et conscendunt naves.
Aen. Quod huius rei dicere potes certum signum?
Hect. Succendunt per totam noctem ignes,
Et mihi videntur non manere in crastinum,
Sed incendentes ignes in transtratas naves,
Fuga domum ab hac solvunt terra.
Aen. Tu quid facturus armas manum?
Hect. Ipsos fugientes et salientes in naves
Hasta retraham, et instabo illis gravis.
Turpe enim nobis et praeter turpitudinem damnosum sit,
Deo concedente, hostes absque pugna
Dimittere, qui nos affecerunt multis malis.
Aen. „Utinam esses tam sapiens, quam es manu promptus.
„Verum non unus, qui omnia sciat,
„Natus est; alteri aliud adest munus,
„Tu quidem pugnare, alii bene consulere possunt[9].
Qui audiens ignis faces, credis
Fugere Graecos, et exercitum vis educere,
Transiens fossas in media nocte.
Atqui transiens cavam profunditatem fossarum,
Si non invenies hostes ex terra
Fugere, sed in tuam hastam respicientes,
Victus non poteris redire ad hanc civitatem.
Quomodo enim transibit exercitus in fugiendo palos?
Et quomodo per pontes transibunt equites,
Nisi fregerint rotarum axes?
Vincens vero adhuc habes resistentem Achillem,
Qui non sinet te iniicere ignem navibus,
Neque ille sic sinet Graecos rapere, ut tu existimas.
Ardens enim vir est, et munitus manu.

9) H. l. in Editt. 1558, 1562. nota marg.: Non omnia possumus omnes.

Sed exercitum tranquille iuxta arma
Dormire sinamus a laboribus bellicis;
Exploratorem vero ad hostes, quicunque vult ire,
Mittendum censeo; et si solverint fuga
Euntes, irruemus in exercitum;
Si vero in dolum quendam ducunt hi ignes,
Certiores facti de hostium insidiis ab exploratore,
De integro consultabimus. Haec est mea sententia.

[*Strophe.*]

Chor. Haec placent, haec mutatus cogites.
Non amo ducum robora temeraria.
Quid autem est melius quam
Celerem exploratorem ire ad naves,
Curnam hostibus
Ignes ad navalia incendantur?
Hect. Vincite, quandoquidem omnibus haec placent.
Vade, contine duces sociorum; celeriter enim exercitus
Moveri posset, audiens istos nocturnos congressus.
Ego mittam exploratorem hostium,
Et si hostium dolos audiverimus,
Tu omnia audies, et praesens scies.
Si autem solverint ad fugam tendentes,
Tubae clangorem expectans observa,
Tanquam non mansuro me; sed accedam navium
Sulcis hac nocte ad Argivum exercitum.
Aen. Mitte quam primum; nunc enim recte sentis.
Tecum videbis me tolerantem, quidquid opus fuerit.
Hect. Quisnam Troianorum, qui adsit in hoc consilio,
Vult explorator ad naves Graecorum ire?
Quis vult de patria bene mereri?
Quis pollicetur? num quid possum ego omnia
Patriae et sociis subministrare, quibus opus est?
Dolon. Ego pro patria hoc periculum
Subiens, speculator ad naves Graecorum volo ire,
Et omnia Graecorum cognoscens consilia,
Redibo huc; hunc laborem in me recipio.

Hect. Habes conveniens nomen rei, et es amator patriae,
Dolon; patris enim domum prius nobilem,
Nunc multo reddis nobiliorem.
Dol. Ideo laborare me convenit; sed laborantem decet
Mercedem auferre; „additum enim omni
„Negotio lucrum", parit duplex studium.
Hect. Recte, iustum hoc est, nec dissentio;
Sed statue primum, quid vis praeter meum regnum?
Dol. Non desidero tuum potens regnum.
Hect. Tu vero iam ducens[10]) uxorem, Priamidarum gener fias.
Dol. Nolo ex superiore ordine nuptias contrahere.
Hect. Habemus aurum, si hoc praemium petis.
Dol. Domi habeo; non egemus opibus.
Hect. Quid igitur cupis earum rerum, quas Ilium tenet?
Dol. Cum tu viceris Graecos, promitte dona.
Hect. Dabo; postula tantum praeter duces navium.
Dol. Interfice, non postulo te abstinere manus Menelao.
Hect. Num Oilei filium postulas accipere?
Dol. „Manus generose alitae non sunt idoneae ad laborem.
Hect. Quem igitur Graecorum viventem dari tibi vis muneri?
Dol. Atqui antea dixi, me domi habere aurum.
Hect. Atque ex spoliis praesens ipse eliges.
Dol. Spolia suspende Diis in templis.
Hect. Quod igitur maius his a me petis munus?
Dol. Equos Achillis; decet me pro digna mercede laborare,
Adducentem vitam in aleam fortunae.
Hect. Atqui amas equos me una amante.
Ex immortalibus enim immortales nati
Trahunt Pelei bellicosum filium.
Tradidit hos equorum domitor
Marinus Neptunus Peleo, ut dicunt.
Sed non te incitans fallam: quin dabo tibi
Pulcherrimam domi possessionem, Achillis currum.
Dol. Laudo, et si accepero, gloriabor inter Phrygas,
Donum me accepisse pulcherrimum pro mea fortitudine.
Te vero non invidere oportet; infinita alia tibi sunt,
Quibus delectaberis dominans huic regioni.

[*Antistrophe.*]

Chor. Magnum certamen, magnum quoque praemium cupis adipisci.
His potitus, profecto beatus eris;
Sed hic labor quoque gloriosus.
Magnum quoque est, fieri generum dominorum.
Haec divina spectet iustitia.
Quod ad humana attinet, haec videntur esse certa.
Dol. Ibo vadens intra domum,
Apparabo corpus apparatu decenti.
Inde proferam pedem ad naves Argivorum.
Chor. Num habebis aliam vestem pro hac?
Dol. Convenientem huic negotio et insidiatorio itineri.
Chor. „A sapiente viro decet sapientiam discere.
Dicas, quod erit tegmen tui corporis?
Dol. Ponam lupinam pellem circum dorsum,
Et faciem ferae[11]) circa meum caput ponam,
Gressum e prioribus manibus aptans,
Et pedes pedibus quadrupedem imitabor
Lupi incessum hostibus difficilem inventu,
Appropinquans ad fossam et navium propugnacula.
Quando vero procul a navibus ingredior in deserto loco,
Bipes ingredior; hoc modo compositus est dolus.
Chor. Atqui bene te Maiae filius illuc et rursum huc
Reducat Mercurius, qui est insidiatorum numen.
Rem tenes; adsit tantum fortuna.
Dol. Salvus ero, et interficiens Ulyssem,
Eius caput tibi feram, certum signum habeo
(Dices Dolonem ad naves Graecorum ivisse)
Aut filium Tydei non incruenta manu.
Redibo domum, priusquam lumen redeat supra terram.

---

10) iam ducens] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Editt. 1558., Fix.: ducens.

11) ferae] sic (= Eurip. θηρός) Editt. 1558. et recent. in Ed. 1562. deest.

[*Strophe* 1.]

Chor. Thymbraee, Delie, et Lyciae
Per templum gradiens
Apollo, o divinum caput, venias
Arcitenens, adesto in hac nocte,
Dux salutaris
Huic viro itineris
Fias, et opitulare Dardanidis,
O omnipotens, o qui Troiae
Antiquos muros aedificasti.

[*Antistrophe* 1.]

Veniat ad navalia exercitus
Graecanici speculator;
Veniat, et revertatur rursus ad aras
Domus patriae;
Phthiarum equarum
Ascendat super currum,
Graeco equarum domino pereunte,
Quas Aeacidae marinus
Deus dat Peleo.

[*Strophe* 2.]

Quia pro domibus
Et pro patria solus audet
Ad stationes navium ire speculator:
„Probo animi robur; certe magna raritas
Est bonorum, quando est
In periculo
Et fluctuat civitas.
Est Phrygum aliquis, est fortis.
Adest quoque illis audacia in pugna apud Mysos,
Qui Mysus nunc negligit meum auxilium.

[*Antistrophe* 2.]

Quem virum ex Achivis
Viator hic interficiens,
Vulnerabit in tentoriis,
Habens imitationem quadrupedis in
Pelle belluae? Utinam Menelaum interficiat;
Peracta vero caede, Agamemnonium
Caput afferat Helenae
In manus, luctum de malo affine,
Qui ad scortum
Et ad Troiam mille
Navium venit habens exercitum.

[*Nuntius, Hector, Chorus.*]

Nun.[12]) Domine, talium rerum sim nuntius dominis
Etiam deinceps, quales nunc tibi adfero cognoscendas.
Hect. Profecto multa rusticis absurda insunt in animo.
Etenim de gregibus, dominis armatis
Videris venire nuntiaturus aliquid, ubi non decet.
Nonne scis domum meam, aut sedem patris,
Quibus oportet dicere de gregibus florentibus?
Nun. Nos pastores sumus inepti, fateor:
Nihilominus affero tibi sermones dignos cura.
Hect. Desine dicere mihi villanas fortunas;
In manibus gerimus proelia et hastas.
Nun. Talia et ego significaturus veni;
Dux enim magni exercitus
Venit tibi amicus et socius huius terrae.
Hect. Cuius patriae terrae solum deserens?
Nun. Thraciae. Strymonis vero vocatur filius.
Hect. Rhesum advenisse narras in Troiam?
Nun. Scis; levasti me maxima parte sermonis.
Hect. Et quomodo ad Idae colles iter facit,
Aberrans a lata campestri et plaustraria via?
Nun. Non scio; sed conicere licet.
Non est absurdum noctu ducere exercitum
Eum, qui audivit campos plenos esse exercitu.
Terrorem vero rusticis, qui in Idaeo monte
Habitamus per silvestria loca terram,
Incussit, noctu incedens per saltum plenum feris.
Magno clangore Thracensis exercitus veniens
Ibat. Stupore nos consternati agimus
Greges in summitates montium, ne quis Graecorum accederet
Praedam abacturus, et tua depopulaturus armenta,
Priusquam per aures vocem non Graecam
Accepimus, et destitimus a metu.
Vadens vero regis illius scrutatores exercitus
Interrogavi Thracio sermone,
Quis sit dux, et cuias vocatus,
Pergat ad urbem Troianis socius;
Et cum omnia audivissem, quae cupiebam scire,

---

12) *Nuntius*] sic Editt. 1558., 1562., Fix.; Barn., Musgr. *Pastor*.

Restiti. Ibi vidi Rhesum veluti Deum
Stantem in equis et Thracensibus curribus.
Aurea bulla collum iugalium
Equorum claudebat nive candidiorum;
Pelta in humeris aureis figuris
Fulgebat; Gorgo vero velut in Palladis clypeo
Ferrea, fronti equorum alligata,
Cum multis nolis strepebat terribiliter.
Multitudinem exercitus neque in ratione calculi
Ponere possum: adeo immensum erat videre.
Erant multi equites et multi scutatorum ordines,
Et multi iaculatores, et multa turba
Levis armaturae sequebatur in Thracio vestitu.
Huiusmodi Troiae socius adest vir,
Quem neque fugiens, neque subsistens hasta
Pelei filius poterit effugere.
Chor. „Quando civibus bene volunt Dii,
„Calamitas convertitur in bonum.
Hect.[13]) Multos, postquam mea pugna est fortunata,
Et Iupiter nobiscum est, inveniam amicos.
Sed nihil eis opus habemus, qui prius
Non una laboraverunt, quando violentus Mars
Quassavit vela huius terrae duriter spirans.
Rhesus vero ostendit, qualis sit Troiae amicus:
Qui venit ad epulas, non praesens venatoribus
Capientibus praedam, neque una laborans bello.
Chor. Recte spernis et reprehendis amicos:
Tamen recipias volentes iuvare civitatem.
Hect. Sufficimus nos ad servandum Ilium.
Chor. Putas iam te hostes cepisse?
Hect. Puto, idque ostendet sequens dies.
Chor. „Vide, quid sit futurum; multa vertit Deus.
Hect. Odi sero opitulari amicis.
Nun. O rex, repellere socios, odiosum est;
Terrori enim erit[14]) hostibus conspectus tantum.
Chor. Hic itaque, quia advenit, non quidem socius,
Sed hospes ad mensam veniat hospitum.
Gratia enim ei Priamidarum periit.
Hect. Tu recte mones et opportune consideras.
Armatus secundum sermones nuntii
Rhesus adsit auxiliator huic terrae.

[*Strophe* 1.]

Chor. Adrastia, Iovis filia,
Prohibeas arrogantiam oris;
Dicam enim, quaecunque meo
Animo grata sunt.
Ades, o fluminis fili,
Ades, appropinquasti ad aulam amici,
Veneranda persuasit te tandem
Musa mater, et pulchris pontibus instratus
Fluvius ducit te huc

[*Antistrophe* 1.]

Strymon: qui olim cantatricis
Musae per sinceros
Volutatus specie aquae
Sinus te genuit.
Tu conspicuus mihi Iupiter
Venis insidens flavis equis.
Nunc, o patria, o Phrygia,
Favente Deo, nunc tibi liberatorem
Iovem licebit nominare.

[*Strophe* 2.]

Ergo rursus antiqua
Troia celebrabit totos dies propinatorios
Coetus amorum,
Cantilenis et poculorum temulentis
Vicibus propinationum:
Per mare Atridis
Spartam abeuntibus a littore Iliaco.
O amice, utinam mihi
Tua manu et tua hasta
Haec efficiens domum revertaris.

[*Antistrophe* 2.]

Veni, compareas, auream
Peltam Pelidae obiicias ad oculum
Obliquam levans a solo,
Certans manibus et pedibus apud currum,
Vibrans bicuspidem hastam.
Te enim nullus sustinens
Saltabit unquam in templo Argivae Iunonis;
Sed eum haec terra
Mortuum Thracio fato
Charissimum onus feret.
Io, o maxime rex, eximium, o Thracia,

---

13) *Hect.*] sic Editt. recent. aeque ac Ed. Basil. 1551.; in Editt. 1558., 1562. deest.

14) enim erit] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. erit enim.

Catulum aluisti donum urbis videre.
Vide aureum corporis robur,
Audi pompam nolarum
Sonantem sub loris scuti.
Deus, o Troia, Deus ipse Mars,
Pullus Strymoniae cantatricis
Musae, veniens adspirat tibi.

[*Rhesus, Hector, Chorus.*]

Rhes. Salve bone, boni patris fili, domine huius terrae,
Hector, ex longo tandem te tempore alloquor.
Gaudeo tibi res secundas esse, et te assidere
Turribus hostium, et ego simul eversurus
Muros Graecorum adsum, et incensurus naves.
Hect. O fili matris, unius ex Musis,
Et Strymonis, Thracii fluminis, studeo loqui
Vera semper, nec sum duplex vir.
Multo ante oportebat te opitulari huic terrae
Advenientem, et non, quantum in te est, ab Argivis
Sinere Troiam perire bello.
Non dices, quod non vocatus ab amicis,
Non veneris, neque opem tuleris, neque curaveris[15]) nos.
Quis enim praeco, aut senatus Phrygum
Profectus ad te, non obtestatus est, ut opem ferres civitati?
Quorum donorum ornatum non misimus tibi?
Tu vero cognatus existens et barbarus, barbaros
Graecis propinabas, quod ad te attinet.
Atqui te ex parvo imperio magnum
Thracum regem feci hac dextra,
Quando circa Pangaeum (montem[16]), et Paeoniam terram
Cum praestantissimis Thracensium impetum faciens in acie
Rupi peltam, et tibi subactum populum
Tradidi: quorum gratiam tu calcibus repellens,
Amicis male habentibus sero opitularis.
Alii, qui non sunt nobis cognati,
Iam olim praesentes; alii in aggestis tumulis
Iacent mortui, documentum fidei non exiguum civitatis;
Alii hic in armis et equestribus curribus
Frigidos flatus et sitibundum ignem Dei
Manent sustinentes, non in lectis,
Ut tu, propinantes crebros haustus.
Haec, ut scias Hectorem esse liberum,
Expostulo tecum, et dico tibi in os.
Rhes. Talis sum et ego, rectam sermonum
Viam secans, nec sum duplex vir.
Ego vero magis quam tu, absens ab hac terra
Dolore excruciatus sum in hepate;
Sed confinis meae terrae Scythicus populus
Mihi, volenti conficere iter ad Ilium,
Intulit bellum. Euxini vero veni
Ad littus maris, ut traducerem Thracensem exercitum;
Ibi cruentus sanguis Scythicus in terram
Hauriebatur hasta, et cruor Thracius mixtus caede.
Talis calamitas remorata est me ad campum
Troiae venire opitulatum tibi.
Postquam vero expugnavi illos, et accepi obsides horum liberos,
Constituens, ut annuum tributum domum mihi adferant,
Veni traiiciens navibus pontum,
Pedestris conficiens alios fines terrae,
Non, ut tu obiicis superbe, meas amystidas[17]),
Neque in aureis aedibus dormiens.
Sed venti quales Pontum Thracium,
Glaciem facientes, et Pannoniam perflant,
Sustinui[18]) cum his inermibus sicut in armis existentibus.
Sed sero quidem veni, tamen adhuc satis tempestive.
Tu enim iam decimum pugnas annum,
Et nihil efficis, sed diem de die
Ducis, tanquam ludens proeliando cum Argivis.
Mihi dies una satisfaciet,
Expugnanti turres, ac ut impetum faciam in stationes navium,
Et ut interficiam Graecos; et altera die ab Ilio
Redibo domum, finiens tuos labores.
Nullus vestrum clypeum tollat manu;

15) curaveris] sic Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. curasti.

16) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vide Herodotum lib. 5. Thucyd. in fine lib. 2. belli Pelopenn. [Herodot. V, 16. Thucyd. II, 99.].

17) amystidas] haec vox in marg. Editt. 1558., 1562. sic explicatur: Genus poculi. Horatius ode 36. lib. 1. [vs. 14.] Bassum Threicia vincat amystide. Ab hauriendo dicitur.

18) venti quales . . . perflant, Sustinui] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: ventos, quales . . . perflant, Sustinui; Fix.: quales venti . . . premunt, hos . . sustinens . . expertus sum.

Ego cohibebo gloriantes bello
Achivos expugnans, quamquam sero veniens.

[*Systema.*]

Chor. Io, grata dicis:
Tu solus a Iove es amicus.
Summus Iupiter molestam invidiam
De tuis sermonibus velit
Arcere. Classis, quae ex Argo venit,
Neque prius, neque nunc aliquem
Adduxit te praestantiorem:
Quando Achilles tuam
Hastam poterit
Et quando Aiax sustinere?
Utinam ego hanc diem
Videam, o rex, ut bellicosae
Manus hasta fruare.
Rhes. Talia pro longa absentia
Faciam, cum Adrastia vero haec dixerim [19]).
Postquam ab hostibus hanc urbem liberam
Fecerimus, et Diis spolia exemeris,
Volo tecum ducere exercitum in Graeciam,
Et veniens expugnare bello universam Graeciam,
Ut et ipsi vicissim discant male habere.
Hect. Si a praesenti malo liberemur
Et fuerit urbs, ut prius, in tuta pace:
Certe Diis haberem multam gratiam.
Quod ad Argos attinet, et divisionem Graeciae,
Non sic facilia sunt ea expugnatu, ut dictu.
Rhes. Nonne optimi Graecorum dicuntur huc venisse?
Hect. Non vitupero eos; difficulter enim illos pellimus.
Rhes. Igitur istis interfectis omnia confecimus.
Hect. Ne nunc, quae procul sunt, considera, omittens quae sunt in manibus.
Rhes. Satis esse videtur tibi accipere iniurias, non inferre etiam?
Hect. Satis magno principatui impero, etiam hic manens;
Verum sive sinistrum sive dextrum cornu,
Sive inter medios socios liceat tibi
Peltam firmare, et collocare exercitum.
Rhes. Solus pugnare cum hostibus volo.
Sed si turpe putas non simul incendere navium

19) cum Adrastia vero haec dixerim.] his verbis in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est haec annotatio: Haec dico, precatus veniam, ne Adrastia irascatur meis insolenter dictis.

Puppes, cum tam longo tempore laboraveris,
Colloca me in prima fronte adversus Achillem et exercitum.
Hect. Non licet dirigere contra illum Martiam hastam.
Rhes. Atqui sermo fuit, quod navigarit ad Ilium.
Hect. Navigavit, et adest; sed iratus
Ducibus non simul proeliatur.
Rhes. Quis post eum clarus est in exercitu?
Hect. Aiax mihi nullo inferior videtur,
Et Tydei filius; est praeterea facundum
Crepitaculum Ulysses satis ferox animo,
Qui affecit contumelia hanc regionem plurima,
Qui nuper veniens in templum Palladis,
Furatus Palladium, ad naves Argivorum tulit;
Deinde etiam praestigiator habens vestem mendici,
Ingressus est moenia, et multa Argivis mala
Precatus, missus in Ilium explorator,
Interfectis custodibus et praesidibus portarum
Egreditur; et semper in insidiis invenitur,
Thymbraeum iuxta templum prope urbem
Sedens: luctamur cum malo terriculamento.
Rhes. „Nullus vir fortis vult clam
„Interficere hostem, sed vadens in conspectum
Illum vero, quem sedere dicis in furtiva sede,
Et struere insidias, vivum comprehendens eg
In exitu portarum [20]), transfigens spinam dorsi
Faciam epulas volucribus vulturibus.
Praedonem enim existentem, et Deorum [21]) templa
Spoliantem, oportet eum hoc fato mori.
Hect. Nunc capite [22]) locum castris; nox enim iam est.
Monstrabo vero tibi locum, ubi oportet exercitum
Tuum pernoctare seorsum ab eo loco, qui aliis assignatus est.
Tessera nobis sit Phoebus, si quid opus est,
Memento te audivisse, et significa Thracem exercitui.
Nos euntes oportet paululum ante ordines

20) portarum] sic (= Eurip. πυλῶν) Editt. 1558. et recent Ed. 1562. errore typogr.: portaturum.

21) et Deorum] sic (= text. gr.) Editt. 1558., Fix.; Bar Musgr.: Deorumque; Ed. 1562. Deorum.

22) capite] sic (= text. gr.) Editt. 1558. et recentt.; I 1562. capito.

Excubias agere, vigilando, et exploratorem
navium
Excipere; nam si est salvus,
Iam appropinquat exercitui.

[Strophe.]

Chor. Cuius iam est vigilia, quis per vices succedit
Mihi primum?
Iam occidunt signa et septemgradae
Pleiades aetheriae;
Volat aquila in medio coeli,
Expergiscimini (quid cunctamini?) e lectis,
Expergiscimini ad vigiliam.
Non videtis lunae splendorem?
Aurora prope est, aurora
Iam fit, et quis pro foribus?
Aliquis enim vir adest.
Semichorus. Quis renuntiat primas excubias?
Semich. Coroebum [23]), Mygdonis filium dicunt.
Semich. Quis post eum?
Semich. Cilices excitavit exercitus Pannonius.
Semich. Nobis successerunt Mysi.
Semich. Lycios igitur ad quintam vigiliam
Nos digressos excitare,
Tempus est pro ordine sortis.

[Antistrophe.]

Semich. Atqui audio: ad Simoentis
Sedens nidos
Letales, canit multiplici
Voce amissis pullis
Musica luscinia prae luctu.
Iam pascuntur in Ida
Greges; nocturnae
Fistulae vocem audio,
Demulcet oculos
Somnus; dulcissimus enim is venit
Palpebris circa auroram.
Semich. Cur tandem non appropinquat speculator, quem navium
Hector misit exploratorem?
Semich. Metuo; diu enim abest.
Semich. [24]) Quod si in occultas insidias incidens
Periit, cito erit trepidatio.
Semich. Iubeo Lycios ad quintam vigiliam
Digressos excitare
Nos euntes, pro ordine sortis.

[Diomedes, Ulysses, Minerva, Paris, Chorus.]

Ulyss. Diomedes, non audivisti (aut inanis strepitus
Stillat per aures?) armorum quendam tumultum?
Diom. Non, sed vincula ex rotis equestribus
Clangunt ferri, et me, priusquam sensi
Collisionem vinculorum equestrium, subiit metus.
Ulyss. Vide, ne per noctem incidas in excubitores.
Diom. Cavebo, etiamsi per tenebras iter faciam.
Ulyss. Si vero excitabis aliquem, nosti tesseram exercitus?
Diom. Phoebum scio esse tesseram, ex Dolone audiens.
Ulyss. Age video hunc thalamum esse sine hostibus.
Diom. Atqui Dolon haec dixit Hectoris
Cubilia, adversus quem hasta allata est haec.
Ulyss. Quid rei est? num cohors abiit aliquo?
Diom. Fortasse adversus nos structura insidias.
Ulyss. Hector, posteaquam vincit, audax est.
Diom. Quid igitur faciemus? non enim invenimus
Hunc virum in stratis; spe frustrati sumus.
Ulyss. Ibimus celerrime ad stationem navium;
„Servat enim eum Deus, qui et fortunatum
„Facit; non est violenter agendum contra fortunam [25]).
Diom. Num ad Aeneam, aut invisissimum Phrygum
Parim euntes, oportet caput amputare gladio?
Ulyss. Quomodo in nocte per exercitum hostium
Quaerens, poteris hos interficere sine periculo?
Diom. Turpe est redire ad naves,
Nihil efficientes audacius adversus hostes.
Ulyss. Quomodo vero nihil effecisti? Num quid interfecimus navium
Exploratorem Dolonem? servavimus hanc

23) Coroebum] sic scripsi (= Editt. recent. Κόροιβον; Ed. Basil. 1551. Κόρυβον); Editt. 1558., 1568. Choroebum.

24) Semich.] sic Editt. recent. aeque ac Ed. Basil. 1554.; in Editt. 1558., 1568. h. l. deest.

25) H. l. in Editt. 1558., 1568. nota marg.: Fortuna non cogitur.

Praedam? an tota castra petis te praedaturum[26])?
Obtempera rursus, abeamus, satis est illa esse adeptos.
Min. Quonam ex Troianis stationibus
Disceditis moestitia cor morsi?
Quod si vobis non interficere Hectorem aut Parim Deus
Dat: virum non audivistis socium
Troiae accessisse Rhesum haud imparatum?
Quod si producet noctem in crastinum,
Non ipsum Achillis neque Aiacis hasta,
Quin evertat tota castra Graecorum, arcebit
Demolientem muros, et intra portas
Facientem hasta latam viam.
Isto interfecto omnia habes. Hectoris vero
Tentorium omitte, et decollatrices neces.
Erit ei mors ex alia manu.
Ulyss. Domina, agnosco vocis
Tuae consuetum sonum; „in periculis enim
„Praesens opitularis mihi semper.
Hunc virum nobis, ubi cubet, dic,
Et quo loco stationem habeat[27]) in barbarico exercitu.
Min. Prope sedet, et non admistus est exercitui;
Sed extra exercitum collocavit eum
Hector, donec lucescet.
Prope sunt equi ex Thraciis curribus
Ligati albi, fulgentes etiam in nocte,
Fulgent veluti fluvialis cygni penna:
Hos interfecto domino abducite,
Pulcherrimam praedam domibus; non enim est, ubi
Huiusmodi currum terra occultet equestrem.
Ulyss. Aut tu, Diomedes, trucida Thracensem populum;
Aut mihi permitte, te vero oportet curare equos.
Diom. Ego occidam; tu equos curabis,
Tu enim es exercitatus in rebus industriis, et es cautior.
„Oportet vero unumquemlibet ordinare eo, ubi maxime utilis fuerit.

Min. Atqui ad nos Alexandrum vides
Venientem, qui ex aliquo custode rescivit
Opinionem incertam de ingressu hostium.
Diom.[28]) Utrum cum aliis, aut solus vadit?
Min. Solus, ut videtur, ad cubilia Hectoris
Vadit indicaturus speculatores exercitus.
Diom.[29]) Nam oportet illum prius mori?
Min. Non potes plus fato.
Non est fatum, istum interfici tua manu.
Sed ferens letalem necem illi, cui venis,
Propera; ego vero, huic sociam Venerem
Me simulans, ut[29]) auxiliatrix in laboribus adsim,
Inanibus sermonibus inimicum virum excipiam,
Atque haec quidem ego dixi vobis; sed is, quem oportet interfici,
Non novit, neque audivit, cum tam prope adsit.
Par. Te ducem et fratrem appello,
Dormis? non expergisci te convenit?
Aliquis hostium appropinquat exercitui,
Aut grassatores aut speculatores quidam.
Min. Bono sis animo; servat te haec benevol[a] Venus.
Curae est mihi tuum bellum; non sum im[memor] memor
Illius honoris, faveo tibi, beneficio affecta a t[e]
Et nunc ad victoriosum Troianum exercitum
Adsum adducens magnum amicum,
Thracensem filium cantatricis Deae
Musae, patris vero Strymonis vocatur.
Par. Semper benevola es urbi
Et mihi[29a]), maximum in vita thesaurum,
Te in iudicando praeferens, dico huic a[...] didisse urbi.
Venio, postquam audivi non clare, sed rum[ore] quidam
Vigilibus incidit, quod speculatores
Adsint Graecorum, et hic quidam nesci[t] dicit;
Qui vero vidit, non potest dicere,
Quare ad tentorium Hectoris veni.
Min. Ne metuas, nihil in exercitu periculi e[st]
Hector abest, ordinans Thracium[30]) exercitu[m]

26) te praedaturum?] sic scripsi (Barn., Musgr.: te eversurum? Fix.: te deleturum?); Editt. 1558., 1562. praedaturum? (*te* omisso).

27) cubet . . . st. habeat] sic Fix. (Barn., Musgr.: dormiat . . . st. habeat); Editt. 1558., 1562. cubat . . . st. habet.

28) *Diom.*] sic Editt. recent. aeque ac Ed. Basil. 15[..] Editt. 1558., 1562. *Ulyss.*

29) ut] in Ed. 1562. deest.

29a) Et mihi,] sic Musgr., Fix. (= Eurip. *Κἀμοί*); E[ditt.] 1558., 1562. Et me

30) Thracium] sic Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Thra[...]

Par. Tu quidem persuades, et tuis credo sermonibus,
Abeo servans meum locum liber a metu.
Min. Abi; decretum est mihi ista curae fore,
Ut videam meos amicos florere.
Et tu quoque experieris meam voluntatem [31]).
Vobis vero valde dilectis dico:
Fili Laërtis, occultate acutos enses;
Iacet enim nobis Thracensis dux,
Et equi habentur; hostes autem resciscentes
Vadunt adversus nos: itaque quam celerrime oportet
Fugere ad fulcra navium. Quid cunctamini,
Fulmine [31a]) veniente hostium, servare vitam?

[*Systema.*]

Chor. Age age, feri feri,
Occide occide, quis vir?
Videtis, hunc dico.
Grassatores, qui in nocte
Hunc turbant exercitum.
Omnes venite huc:
Hos teneo, hos comprehendi.
Quis sermo? unde venis? quis es?
Ulyss. Num te scire oportet? morieris, si quid male feceris.
Chor. Num dices tesseram, priusquam hasta per pectus veniat?
Ulyss. Sciat, confide.
Chor. Accedat aliquis prope, feriat, quisquis sit.
Semich. An tu Rhesum interfecisti? te certe interfecturum.
Ulyss. Contine, quisquis es. *Chor.* Non contineo.
Semich. Ah ah, amicum virum ne occidas.
Semich. Dic tesseram. *Ulyss.* Phoebus.
Semich. Agnovi, cohibe hastam, quisquis es.
Semich. Scis, quo abierunt viri isti? *Semich.* Nunquam vidimus.
Semich. Quisquis es, sequere vestigium ipsorum; an [32]) clamor excitandus est?
Semich. Atqui socios turbare malum est nocturno tumultu.

[*Strophe.*]

Semich. Quis est, qui venit?
Quis est, qui gloriatur, magna audacia
Se posse effugere meam manum?
Ubi ipsum consequar?
Cui assimilabo eum,
Qui per noctem venit intrepido pede,
Per ordinum et vigilum sedes?
An Thessalus, aut
Maritimam Locrensium inhabitans civitatem?
Aut possidet insulas, quae sparsae sunt?
Quis? aut unde, aut cuius patriae?
Quem Deorum colit?
Chor. [33]) Nimirum est Ulyssis hoc factum, aut cuiusnam?
Semich. Si quidem ex prioribus oportet coniecturam facere; cur enim non?
Semich. Existimas? *Semich.* Cur non?
Semich. Est audax contra nos.
Semich. De cuius audacia dicis? quem laudas? *Semich.* Ulyssem.
Semich. Ne laudes deceptricem hastam furis.

[*Antistrophe.*]

Chor. Venit et ante
In civitatem oculos spuma litos habens,
Lacera veste
Indutus, gladium gestans
Furtim in veste.
Mendicans venit sicut praestigiator,
Habens caput squalidum, multis fasciis religatum.
Multa vero
Regiae domui Atridarum male
Dixit, quippe ut hostis ducum.
Utinam periisset iuste,
Priusquam in terram Phrygum pedis vestigium tulisset.
Semich. Sive est Ulysses, sive non, in metu sum;
Hector enim nobiscum expostulabit.
Semich. Quid dicens? *Semich.* Suspicans.
Semich. Quid agis? quid stupes?
Semich. Per nos transiisse. *Semich.* Quem virorum?
Semich. Illos, qui hac nocte venerunt in Phrygium exercitum.
Auriga. Heu, fortunae gravis casus, heu heu.
Semich. Hem tacete omnes.

31) His auditis exit Paris.

31a) Fulmine] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Turbine.

32) an] sic Editt. 1558., Musgr., Fix. (Eurip. ἢ; Barn.: aut); in Ed. 1562. deest.

33) *Chor.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.); Barn., Fix.: *Semichor.* (Musgr. in textu Ἡμιχορ., in interpr. *Chor.*).

Semich. Afficias istum iniuria[34]), forte in iactum retis venit.
Aur. O gravis calamitas Thracensium sociorum.
Semich. Quis est, qui luget?
Aur. Hei miser ego, et tu rex Thracum,
Qui invisam Troiam vidisti.
Qualis te cepit vitae finis?
Chor.[35]) Quis es sociorum? per noctem
Hebetes oculi sunt, neque te cognosco.
Aur. Ubi aliquem principem Troianorum inveniam?
Ubinam Hector
Cubat somno sub clypeo?
Cui principum exercitus indicabo,
Qualia passi simus[36])? qualia nobis
Faciens ignotus quidam[36a]); abiit enim ille; at manifeste
Luctum Thracibus texuit[36b]).
Chor. Aliquid mali accidisse Thracensi exercitui
Videtur, qualia hunc intelligo audiens.
Aur. Periit exercitus, cecidit rex
Dolosa plaga.
Qualis me dolor conficit letalis
Vulneris intus! quomodo pereo,
Thracensibus luctum faciens!
Oportebat enim me et Rhesum turpiter mori,
Qui appulit ad Troiam auxiliator.

[*Chorus, Auriga Rhesi, Hector, Musa.*]

Chor. Haec mala non obscure indicant.
Clare enim loquitur socios periisse.
Aur. Male acta res est, et supra malum etiam
Turpissime, atque hoc duplex est malum.
„Mori enim gloriose, si omnino moriendum est,
„Acerbum quidem puto esse ei, qui moritur; quomodo enim non?
„Viventibus autem[37]) gloriatio est et decus familiae;
Nos vero per insidias et cum dedecore mortui sumus.
Postquam enim collocavit in castris Hector,
Dicta tessera, dormimus iacentes in campo
Fatigatione victi, neque custodiebatur exercitus
Nocturnis vigiliis, neque in ordinibus
Posita erant arma, et scuticae non iugis
Equorum applicatae erant, quia noster rex audivit
Vos vincere, et obsidere navium
Puppes; sed ignaviter dormivimus, ut corrueramus.
Et ego sollicito corde desinens a somno,
Equis pabulum matutinum volens
Addere manu ad nutrimentum copiosa mensura;
Video duos viros circumeuntes nostrum exercitum
Per densam noctem; postquam vero ego motus sum,
Obstupuerunt et recesserunt.
Minatus sum ipsis, ne accederent ad exercitum,
Existimans aliquos fures accedere;
Illi vero nihil: non sane scio ego plura.
Dormivi, abiens rursum in cubile,
Et mihi in somno imago offertur
Equorum, quos alui et rexi,
Rheso serviens: vidi per insomnium
Lupos conscendere robustam spinam,
Qui verberibus caudarum setas equini tergi
Agitabant; ipsi vero edebant flatus ex columellis frenorum;
Indignationem spirantes, et reluctabantur metu.
Ego vero arcens bestias excitor
Ab equis, nocturnus terror excitabat me.
Audio vero levans caput gemitus mortuorum.
Nam calidus torrens a caede domini
Adspergit me recentis sanguinis, alicuius difficulter morientis.
Erectus vero surgo cum manu inermi,
Et me, gladium respicientem et venantem,
Ferit adstans gladio in imam costam
Vir robustus; gladium enim sensi,
Accipiens profundum sulcum ictus vulneris.
Cado pronus; ipsi vero currum equestrem
Accipientes equorum, abierunt fugientes pedibus.
Hei, dolor me domat, non possum amplius consistere miser.
Calamitatem quidem agnosco; quo autem modo
Interfecti sint mortui, non possum dicere,
Neque cuius manu. Sed tamen coniicere

---

34) Afficias istum iniuria,] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. Ὕβριζ'); Barn. Ἄβριζ' — Ne dormita; Musgrav. Ἄβριξ — Vigilanter; Fix.: ὕφιζ' — subside.
35) *Chor.*] sic Editt. recent. aeque ac Ed. Basil. 1551.; Editt. 1558., 1562. *Semichor.*
36) simus] sic Editt. 1558., Fix.; Editt. 1562., Barn., Musgrav.: sumus.
36a) quidam] sic (= Eurip. τις) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. quidem.
36b) texuit] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. texit (Eurip. τολυπεύσας; Barn., Musgr.: parans).
37) autem] sic scripsi (= Eurip. δ'; Editt. recent.: vero); Editt. 1558., 1562. aut.

Possum, haec ab amicis nos passos esse.
Chor. Auriga Thracis misere affecti,
Ne dubites hostes fecisse haec.
Hector ipse audita clade
Accedit; condolet autem, ut par est, tuis malis.
Hect. Quomodo, qui fecistis maximum malum,
Venientes speculatores vos
Latuerunt turpiter, et exercitus interfectus est?
Neque intrantes castra depulistis
Neque abeuntes? horum quis pendet poenam
Praeter te? te enim custodem dico esse exercitus.
Illi vero abierunt sine vulnere, Phrygum ignavia,
Multum irridentes me imperatorem.
Hoc scias, et Iupiter iuratus sit,
Aut terra Taurica, aut capitalis poena
Manet te facientem haec; aut Hectorem
Nihil esse quam ignavum existimate.

[*Systema.*]

Chor. Io magnum mihi periculum,
O domine urbis,
Tunc venit, quando tibi nuntiavi
Circa naves nocturnos ignes habere Graecos,
Quia vigilans oculus[38]) in hac nocte
Neque dormivit, neque connixit.
Non per Simoëntis[39])
Fontes, ne mihi irascaris, o rex.
Ego enim extra culpam sum.
Si vero ullo tempore intempestivum
Factum aut sermonem audiveris,
Duc me viventem sub terram;
Non recuso.
Aur. Quare istis minaris? et ipse barbarus barbari
Animum decipere conaris nectens sermones?
Tu haec fecisti; neminem recipiemus,
Neque qui mortui sunt, neque qui vulnerati,
Alium quam te; longa et perita oratione tibi opus est,
Qua me persuadeas, te non amicos interfecisse
Amore equorum, propter quos socios
Tuos interficis, cum multum obtestatus sis, ut venirent.
Venerunt, mortui sunt; minore turpitudine Paris
Deformavit hospitalem domum, quam tu, qui socios interfecisti.
Ne dicas, quod aliquis Argivus veniens
Nos perdiderit: quis superans cohortes
Troianorum, ad nos venit, ut te lateret?
Tu sedisti ante nos, et Phrygum exercitus:
Quis vestrûm vulneratus est? quis sociorum mortuus est
Vestrorum, hostibus ingressis, ut du dicis?
Nos vulnerati sumus, et deteriora
Passi non vident lumen solis.
In summa, neminem Graecorum incusamus.
Quis[40]) hostium in nocte cubilia
Rhesi invenisset, nisi[41]) aliquis Deorum
Dixisset interficientibus? qui vero accesserunt,
Rem omnem noverunt. Ergo machinaris haec.
Hect. Longo iam tempore sociis utimur,
Quanto tempore Achaicus populus hic est,
Et ab ipsis nullum delictum scio mihi obiectum:
An in te inciperemus? non me invadat amor
Tantus equorum, ut amicos interficiam.
Haec Ulysses fecit; quis enim alius
Potuisset aut cogitasset haec?
Metuo eum, et turbat animum meum,
Ne incidens in Dolonem interfecerit eum.
Diu enim abest, et nusquam comparet.
Aur. Non novi Ulysses tuos, quos narres;
Nos vero a nullo hostium percussi sumus.
Hect. Tu igitur putes ista, si ita videtur.
Aur. O patria, quomodo moriar in te?
Hect. Non morere; satis magna enim mortuorum turba est.
Aur. Quo me vertam orbatus dominis?
Hect. Mea domus recipiens te curabit.
Aur. Quomodo manus interfectorum curabunt me?
Hect. Iste eundem sermonem non desinit dicere.
Aur. Pereat, quicunque fecit; non enim in te tenditur
Lingua, ut tu dicis, sed Iustitia[42]) scit.

38) oculus] sic (= text. gr.) Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. oculos.

39) Simoëntis] Ed. 1562. errore typogr.: Simoentis.

40) Quis] sic (= Eurip. Τίς) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. male: Quin.

41) nisi] sic (= Eurip. εἰ μή) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. si.

42) Iustitia] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est explicatio: Numen vindex scelerum, Dice.

Hect. Prehendatis ducentes ipsum in meam domum,
Sic, ne quid conqueratur, ducite,
Vos vero euntes, iis, quibus opus est intra urbem,
Priamo et senibus significate mortuos
Me iubere sepelire ad bivia viarum.
Chor. Curnam ex magna felicitate
Troiam ducit iterum in luctus
Fortuna, aliud quid serens?
Heu, heu,
Quis supra caput Deus, o rex,
Recens cadaver in manibus
Gestat?
Stupesco videns hoc malum.
Musa. Licet videre, Troiani; ego enim, quae a sapientibus
Color Musa, sororum una,
Adsum, filium hunc[43]) cernens charum miserabiliter
Interfectum ab hostibus, cuius interfector longo post tempore
Dignam dabit poenam, dolosus Ulysses,
A filio Telegono necatus[44]).

[*Strophe.*]

Luctu domestico,
O fili, te lugeo.
O matris dolor, qualem
Viam appulisti ad Troiam?
Certe inauspicatam et miseram,
Me reprehendente, profectus es,
Et adversante patre violenter.
Heu mihi propter te, o charum
Charum caput, fili, heu te deploro.
Chor. Quanta convenit nullam generis cognationem
Habenti tristitia, doleo tuum filium.

[*Antistrophe.*]

Mus. Pereat Diomedes,
Pereat Ulysses.
Qui me orbatam
Fecit sobole nobilissima.
Pereat Helena, quae relinquens patriam
Navigavit ad Phrygum thalamos, veniens
Ad Ilium. Perdidit enim te in Troia,
O charissime, et innumeras civitates
Evacuavit praestantibus viris.
Multum vivus, multum etiam mortuus,
O fili Philammonis[45]), cruciasti meum animum.
Tua enim arrogantia, quae te perdidit, et lis cum Musis
Fecit me parere hanc infelicem sobolem.
Transiens enim fluvium
Appropinquavi thalamis frondosis Strymonis,
Quando accessimus ad terram aureae glebae, in verticem
Pangaeum instructae instrumentis
Musae, in maximum certamen artis
Cum illo sophista Thracensi, et excaecavimus
Thamyrin, qui multum conviciatus est nostrae arti.
Et postquam te peperi, sorores reverens
Et virginitatem[46]), veni ad aquosi patris
Vortices; te vero alendum non ad mortalem focum
Dat pater, sed fontanis Nymphis.
Ubi enutritus optime a virginibus
Imperans Thraciae praestantissimus fuisti virorum.
Et te quidem in patria cruentas
Pugnas proeliantem non metuebam moriturum esse;
Sed ad Troiam applicare prohibui,
Sciens tuum factum. Sed te Hectoris
Legationes et frequentes coetus
Persuaserunt venire opitulatum amicis.
Sed huius totius cladis Minerva causa est
Nihil Ulysses, nihil Diomedes
Fecit; facientem ne putes me fallere potuisse
Etenim tuam civitatem nos sorores colimus
Musae maxime, et utimur tua terra,
Et mysteriorum arcanorum revelationes
Docuit Orpheus, consobrinus cadaveris
Huius[47]), cuius gratia et occidit eum et Musaeum tuum,

---

43) hunc] sic (= Eurip. τόνδ') Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. huc.

44) A filio Teleg. nec.] haec in textu gr. non leguntur, sed tanquam interpretamentum poenae, quam Musa Ulyssi minatur, addita sunt.

45) Philammonis] sic (= Φιλάμμονος) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Philamonis.

46) virginitatem] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562 in margine scripta est explicatio: Id est, propter omissam virginitatem pudore afficiebar.

47) consobrinus cadaveris Huius] haec in marg. earund. Editt. sic illustrantur: quia Calliope mater Orphei et Terpsichore sunt sorores.

Gravem civem: quem[48]) unum virum maxime
Proficientem Phoebus et nos sorores docuimus;
Et horum mercedem nunc filium in ulnis gestans,
Lamentor, alium lamentatorem non adducam.
Chor. Frustra ergo nos auriga Thracensis
Conviciatus est, nos caedem huic molitos esse.
Hect. Noram haec (nihil opus erat vatem dicere)
Hunc Ulyssis dolo periisse.
Ego vero patriam obsidione cinctam
Videns, cur non fuissem missurus amicis
Nuntios, ut venirent et ferrent opem patriae?
Misi; venit debens hanc operam, ut una laboraret.
Non gaudeo eum interfectum esse,
Et sum paratus ei facere sepulchrum,
Et simul incendere delicias multarum vestium.
Amicus enim venit, sed decessit infeliciter.
Mus. Non vadit ad atrum solum terrae.
Tantum sponsam inferorum orabo,
Filiam frugiferae Cereris Deae[49]),
Animam huius remittere; est mihi debitrix,
Orphei[50]) ut veneretur amicos;
Et mihi quidem velut mortuus, et non cernens lucem
Erit posthac; non enim posthac ipsum unquam
Neque accedit ad eum[51]), neque videbit personam matris.
Sed occultatus in antris huius argentiferae terrae,
Deus ex homine iacebit, videns lucem,
Bacchi sacerdos, qui Pangaea saxa
Habitavit venerandus cognoscentibus eum,
Brevi luctu marinae Deae[52])
Afferam: fatum est illius filium mori.
Lachrymis nos sorores primum te canemus,
Deinde Achillem, Thetidis filium, in luctu olim.
Non liberabit eum Pallas, quae te interfecit:
Tale telum pharetra Apollinis servat.
„O calamitates plurimae, quae ex procreatione liberorum proveniunt,
„Quia, qui vos[53]) non negligenter reputat,
„Orbus vitam deget, neque parens sepeliet[54]) liberos.
Chor. Iste ad sepeliendum curae erit matri.
Tu vero, si quid vis agere propositorum,
Tempus est; lucescit enim iam.
Hect. Ite et socios armari quam celerrime
Iubete, implere colla iugis.
Laboribus vero intentos convenit expectare Tyrrhenae
Tubae sonitum, quia transiens exercitum
Et muros Achivorum navibus ignem iniecturum
Confido et Troianis diem liberam
Radios accedentes solis afferre.
Chor. Obtempera regi, eamus armis
Induti, et sociis
Haec dicamus: fortassis victoriam
Dabit Deus, qui nobiscum est.

---

48) quem] sic Ed. Barn.; Editt. 1558., 1562. qui.

49) Deae] sic (= Eurip. *θεᾶς*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Deam.

50) Orphei] huic voci in Editt. 1558., 1562. adscripta est nota marg.: quia ipse instituit sacra Cereris.

51) non enim posthac ipsum unquam Neque accedit ad eum,] sic in Editt. 1558., 1562. versa est lectio Editionis Basil. 1551. *οὐ γὰρ ἔτ᾽ αὐτόν ποτε Οὔτ᾽ εἶσιν*; Editt. recent. habent *οὐ γὰρ ἐς ταὐτόν ποτε Οὔτ᾽ εἶσιν* — non enim in eundem *locum* unquam Neque accedet *ad me* [Fix.: Neque veniet *mecum*].

52) marinae Deae] his in marg. Editt. 1558., 1562. additur nomen eius: Thetidi.

53) vos] sic Editt. recent., quae aeque ac Ed. Basil. 1551. in textu gr. *ὑμᾶς* exhibent; Editt. 1558., 1562. nos.

54) sepeliet] sic (= Eurip. *θάψει*) Editt. 1558., Fix. (Baru., Musgr.: humabit); Ed. 1562. sepelit.

LXVI. PHIL. MEL. INTERPRETATIO TROADUM EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis invenitur in *Xylandri* Editt. 1558., 1562., quibuscum Editiones recentiores *Barnesii*, *Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. addidi intra cancellos inclusas.

EURIPIDIS TROADES
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum.

Post excidium Ilii, decretum est Minervae et Neptuno, exercitum Argivorum delere, altero benevolente urbi, quia fuisset eius conditor; altera autem odio habente Graecos propter contumeliam, qua affecit Cassandram Aiax. Graeci sorte partiti sunt captivas mulieres; sed extra sortem dederunt principibus, Agamemnoni Cassandram, Neoptolemo Andromacham, Achilli Polyxenam. Hanc autem ad eius monumentum interfecerunt; Astyanactem vero de muro proiecerunt. Helenam vero tanquam interfecturus abduxit Menelaus; Agamemnon vero duxit uxorem Cassandram vatem. Hecuba accusans Helenam, et interfectos plorans et lamentans, et funus illis faciens, abducta est ad Ulyssis tabernaculum, data illi in servitutem[1]).

Personae fabulae.

Neptunus
Minerva
Hecuba
Chorus ex captivis Troadibus
Talthybius
Cassandra
Andromache
Menelaus
Helena.

Incipit Neptunus.

TROADES.

[*Neptunus, Minerva, Hecuba, Chorus.*]

Neptunus.

Venio relicto Aegaeo mari
Ego Neptunus, ubi Nereidum chorus
Gyrat pulcherrimum pedem.
Ex illo enim tempore, ex quo in hac terra
Phoebus et ego saxeas turres undique
Posuimus recta regula, nunquam ex animo

---

1) Haec veteris argumenti, quod graece in Eurip. Ed. Basil. 1551. legitur, interpretatio latina Melanthonis in Editt. 1558., 1562. exstat, et una cum textu graeco in Ed. Barn. est repetita.

Abiit mihi benevolentia erga hanc urbem Phrygum,
Quae nunc incensa est, et ab Argivo exercitu
Periit expugnata. Nam Parnasius
Epeus Phocensis, instructus a Minerva,
Equum armis gravidum fabricans,
Misit intra moenia exitiale onus:
Unde a posteris vocabitur
Durateus equus, continens occultatas hastas[2]).
Luci deserti, et Deorum templa
Fluunt caede, et ad gradus fundamenti
Iovis Hercei, cecidit Priamus moriens.
Multum auri et Phrygia praeda
Mittitur ad naves; expectant
Ventum a puppe, ut post decennium
Videant laeti coniuges et liberos
Graeci, qui adversus hanc urbem duxerunt exercitum.
Ego autem, qui vincor ab Argiva Dea
Iunone et Minerva, quae everterunt Phrygas,
Relinquo Ilium et meas aras.
„Quando enim urbs fit deserta,
„Tunc languent res divinae, nec honorantur Dii[3]).
Magno eiulatu captivarum[4])
Sonat Scamander, quae iam sortiuntur dominos:
Alias Arcades, alias Thessali
Sortiuntur, alias duces Atheniensium.
Quaecunque vero sunt extra sortem sub tecto,
Istae electae sunt[5]) principibus
Exercitus: cum ipsis est
Helena, adducta captiva iuste.
Si quis etiam hanc miseram intueri vult,
Adest Hecuba, iacens ante portas,
Multum lachrymans et pro multis.
Cuius filia ad sepulchrum Achillis
Misera Polyxena fortiter mortua est.
Periit et Priamus et liberi; et quam virginem[6])
Dimisit fugientem Cassandram Apollo,
Eam rex (omittens pietatem Dei)

2) Durateus — hastas] his in marg. Editt. 1558., 1562. adspersa est haec explicatio: Nam dory hasta est: inde durateus equus.

3) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Religio ut evanescat.

4) captivarum] sic (= Eurip. αἰχμαλωτίδων) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. captivorum.

5) electae sunt] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. sunt electae.

6) virginem] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est annotatio: „In graeco scribe παρθένον, non πάροιθεν.“ Haec spectat ad Ed. Basil. 1551., quae habet πάροιθεν, Editt. recent. παρθένον receperunt.

Agamemnon duxit violenter adulterino concubitu.
Sed vale, o civitas quondam beata,
Et o ornata arx: si te non perdidisset
Pallas, esses adhuc in sedibus tuis.
Min. Licetne propinquum patris
Et potentem et honoratum Deum,
Deposita priore simultate, affari?
Nept. Licet; „cognatorum enim congressus
„Non exiguum philtrum sunt animorum.
Min. Laudo iras placabiles; affero tibi
Communes sermones in medium.
Nept. Num affers illum sermonem a Diis,
Vel a Iove, vel ab alio Deorum?
Min. Non, sed de Troia, ubi nunc gradimur.
Veni ad tuam potentiam, ut mihi eam adiungam.
Nept. An, tua priore ira deposita,
Venisti ad miserationem, postquam iam igni combusta est?
Min. Redi huc prius, communicabis mecum sermones,
Et adiuvabis ea, quae sum factura.
Nept. Maxime; tamen volo scire tuam voluntatem,
An Graecorum vel[7]) Troianorum causa nunc veneris.
Min. Volo exhilarare Troianos, qui prius fuerunt hostes mei,
Et exercitui Graecorum tribuere tristem reditum.
Nept. Quid ita transsilis alias ad alios mores?
Odisti[7a]) et amas vehementer nimium quosvis?
Min. Non scis me contumelia affectam esse et meum templum?
Nept. Scio, quando Aiax traxit Cassandram vi.
Min. Et nihil pro hac re passus est, neque audivit a Graecis.
Nept. Atqui deleverunt Ilium te adiuvante.
Min. Quia sunt ingrati, volo eos te adiuvante punire.
Nept. Quae vis, tibi parata sunt a me; quid facies?
Min. Miserum reditum illis obiicere volo.
Nept. In terra manentibus, an in mari?
Min. Quando navigabunt domum,
Iupiter pluviam et copiosam grandinem

7) vel] Ed. 1558. ve.

7a) Odisti] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Odis.

Dabit, et caliginosos aetheris flatus,
Et dicit se daturum mihi esse ignem fulmineum,
Ut sternam Graecos, et incendam naves igni.
Tu etiam praebe tuum munus, Aegaeam viam
Frementem procellis et vorticibus maris.
Imple cadaveribus cavum angulum Euboeae,
Ut deinceps colere mea templa
Discant, et simul reliquos Deos observare.
Nept. Fient haec, beneficium non multis verbis
Opus habet. Turbabo Aegaeum mare,
Et littus Myconum, et rupes Deliae,
Scyrus et Lemnus et rupes Capharei,
Habebunt multa cadavera mortuorum.
Verum vade ad Olympum, et fulmineos ictus
Accipe e manu patris, et expecta,
Quando exercitus Achivorum solvet rudentes.
„Stultus est, qui expugnata urbe
„Templa, et tumulos, et sacra mortuorum
„Dat solitudini; nam paulo post ipse etiam perit.
Chor. O misera, a solo[8]) caput
Et cervicem leva, non amplius Troia
Hic est, et non amplius sumus reginae,
„Sustine mutatam fortunam.
„Naviges secundum fretum, et naviges secundum fortunam,
„Neque obverte proram vitae
„Contra fluctus; sed naviges, ut fert fortuna.
Hec. Heu, eheu.
Cur non licet mihi miserae gemere,
Cui patria periit, et liberi, et maritus?
Hui ingens splendor domitorum
Maiorum, quam nihil eras!
Quid me oportet tacere, quid non tacere?
Quid lamentari? misera ego propter gravem
Reclinationem artuum, quum male affecta sum,
Nunc in rigidis lectis collocata.
Hei meo capiti, hei meis temporibus
Et lateribus, ut cupio versare
Et extendere dorsum et spinam
Membrorum in utrumque parietem
Ad perpetuam ostensionem lachrymarum.
Musa, incipe hic[8a]) miseris
Sonare flebiles clades.
Prorae celeres navium,
Quae ad sacrum Ilium venis
Per mare purpureum, et
Per portus Graeciae commodos
Odioso carmine tibiarum,
Et fistularum sonora voce,
Euntes, quae funes Aegyptios[9])
Habuistis suspensos;
Hei in Troiae sinu,
Euntes ad Menelai
Odiosam coniugem, Castori dedecus
Et infamiam patriae, quae interficit
Patrem quinquaginta liberorum,
Priamum, et me miseram
In hanc deiecit calamitatem.
Hei sedes, in quibus sedeo,
Ancilla in tabernaculo Agamemnonis.
Ego anus ducor serva ex patria,
Caesarie rasa lugubri
Caput miserabiliter deturpata.
Sed o bellatorum Troianorum
Coniuges miserae, * virgines et sponsae,
Fumat Ilium: ploremus.
Ut mater volucribus clangorem
Avibus, ita ego incipiam
Cantilenam: non eandem, qualem olim
Sceptro Priami innixa
Pede praesultore ictu Phrygio
Glorioso incipiebam Deos celebrare.
Chor. O Hecuba, quid clamitas? quid lamentaris?
Per aulam, propter illos, quos deploras,
Et per pectora metus invadit
Troianas, quae in his tabernaculis
Servitutem suam deplorant.
Hec. O filiae, ad naves Argivorum iam
Movetur remigum manus.
Heu me miseram, quid volens? aut quo me miseram
Avehent navi ex patria?
Chor. Non scio, sed coniicio calamitatem.
Heu nobis miseris propter aerumnas, iam statim audiemus.
Troades, prodite extra aedes.
Apparant Argivi reditum.
Hec. Heu, ne fatidicam nunc
Ducite foras Cassandram,
Ne probro ab Argivis afficiatur furens; accedet mihi dolor ad dolorem.

8) a solo] sic (= Eurip. *πεδόθεν*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. ô, solo.

8a) M. incipe hic] sic Editt. 1558., 1562. (Ed. Basil. 1551. *M. δέχ' αὔτη*); Barn., Musgr. *M. δέ χ' αὔτη* — M. vero *est* et haec *quaedam*

9) funes Aegyptios] his in marg. Editt. 1558., 1562. addita est haec explicatio: Textile Aegypti artificium, id est, funes nauticos, qui ex Aegypto advehebantur.

Hei Troia infelix, periisti;
Miseri sunt, qui te relinquunt,
Et vivi et mortui.
Chor.[10]) Heu ego tremens prodii extra tabernaculum
Agamemnonis, audiens,
Regina, te, num me occidere
Miseram lata est Argivorum sententia?
An iam nautae in puppibus
Parant movere remos?
Hec. O filia, matutinam animam
Perterrefacta[11]) veni in magno dolore.
Iam venit aliquis praeco Graecorum.
Quis[12]) me miseram accipiet ancillam?
Chor. Ad quam sortem posita es? *Hec.* Heu.
Chor. Quis me Argivorum aut Phthiotarum
In insularem terram abducet,
Me miseram procul a Troia? Heu!
Hec. Cui ego misera, et ubi terrarum
Servitura sum anus sicut fucus,
Misera figura cadaveris,
Evanida in vestibulo mortuorum,
Quae liberorum maternos
Regales habui honores.
Chor. Heu[13]) qualibus querelis
Tuum infortunium exagitas.
Hec. Non Ideae telae radium
Agitans variabo,
Nec iuvenilia liberorum corpora videbo,
Nec iuvenis ego habebo labores leviores,
Amota thalamis Graecorum.
Periit nox et fortuna.
Aut hauriens aquam ex fonte Pirenaeo[14])
Ministra miserabilis
Sacrarum aquarum ero.
Chor. Utinam veniamus ad inclytam
Et beatam Thesei regionem.
Hec. Ne ad vortices Eurotae
Invisam ancillam Helenae sors ducat,
Ubi ancilla obviabo Menelao,
Expugnatori Troiae.
Penei pulchram regionem,
Fundamentum pulcherrimum Olympi montis
Audivi per famam onustam esse copia
Et fertili ubertate.
Haec mihi secundo loco sit post sacram
Thesei fertilem regionem.
Et Aetnaeam Vulcani
Oppositam regionem Phoeniciae,
Siculorum montium matrem: et hanc audio
Praedicari et coronis virtutes[14a]),
Et vicinam terram
Ionio mari, nautae[15]),
Quam rigat pulcher
Flava coma fulgens
Cranthis[16]), sacris fontibus alens
Et beans bellicosam terram.
Chor. Atque a Graecorum exercitu
Praeco custos novorum sermonum
Accelerat.
Servae certe
In hac terra sumus iam.

[*Talthybius, Hecuba, Chorus, Cassandra.*]

Talth. Hecuba, nosti me saepe ivisse Troiam,
Venientem praeconem ab exercitu:
Notus etiam ante tibi, mulier,
Talthybius adsum, afferens communem sermonem.

[*Strophe* 1.]

Hec. Hoc illud est, quod metuebam antea.
Talth. Iam sortitio facta est, si quidem hoc timebatis.

[*Strophe* 2.]

Hec. Heu ad quam urbem, an in Thessaliam,
Aut Phthiam, aut Cadmeam terram dixisti?
Talth. Quaelibet viritim, et non simul omnes sortitae estis.

---

10) *Chor.*] sic Barn., Musgr. aeque ac Ed. Basil. 1551.; Fix.: *Semichorus*; Editt. 1558., 1562. *Ca.* (*Cassandra*).

11) matut. anim. Peterrefacta] his verbis in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est haec annotatio: Totam hanc noctem vigilavi perterrefacta mente.

12) Quis] Editt. 1558., 1562. *Ca.* (pro: *Ca*[*ssandra*]) Quis — in Ed. Barn. (aeque ac in Ed. Basil. 1551.) hic vs. est *Hecubae*, in Ed. Musgr. *Chori*, in Ed. Fix. *Semichori*.

13) Heu] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Hei; Editt. recent. (= text. gr.) Heu, heu.

14) ex fonte Pirenaeo] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: *ex fonte* Pirene (Eurip. *Πειρήνας*).

14a) et coronis virtutes] sic Editt. 1558., 1562., Barn.; Musgr.: et virtutis laudibus; Fix.: propter virtutis coronas.

15) Ionio mari, nautae] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Ἰονίῳ ναῦται πόντῳ*); Fix. *Ἰονίῳ ναύταις πόντῳ* — Ionio mari navigantibus; Barn., Musgr. *Ἰονίῳ ναίεσθαι πόντῳ* — Barn.: Ionio mari *feliciter ab incolis* habitari, Musgr.: Ionio pelago pulsari.

16) Cranthis] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Κράνθις*); Editt. recent. *Κρᾶθις* — Crathis. — Huic nomini in marg. illarum 2 Editt. adiecta est annotatio: Fluvius est circa Crotonem Calabriae.

[*Strophe* 3.]

Hec. Quaenam, quem sortita sum[17])? Quam sors beata olim
Iliadum expectat?
Talth. Scio; sed singula interroges, non omnia simul.

[*Strophe* 4.]

Hec. Meam vero quis per sortem accepit filiam,
Dicito, miseram Cassandram?
Talth. Delectam eam accepit rex Agamemnon.

[*Strophe* 5.]

Hec. An sponsae Lacedaemoniae servam?
Heu mihi.
Talth. Non, sed in adulterinum contubernium[18]).

[*Strophe* 6.]

Hec. An Phoebi virginem, cui Phoebus munus
Dedit virginalem vitam?
Talth. Amor fatidicae puellae sauciavit eum.

[*Strophe* 7.]

Hec. Abiice, o filia sacra,
Claves, et a corpore
Sacros ornatus indutae coronae.
Talth. An non est magnum eam fieri coniugem regis?

[*Strophe* 8.]

Hec. Quam novam rem a me
Accepistis? Ubi est mea filia?
Talth. Polyxenam dixisti? aut de qua interrogas?

[*Strophe* 9.]

Hec. Hanc ipsam, cui iunxit eam sors?
Talth. Ordinata est ministrare tumulo Achillis.

[*Strophe* 10.]

Hec. Hei mihi, genui ancillam sepulchro?
Sed quaenam haec[19]) fuit lex, aut
Quae religio Graecorum, o amice?
Talth. Beatam praedicato filiam tuam, bene habet.

[*Strophe* 11.]

Hec. Quid dixisti? vivitne?
Talth. Fatum habet eam, ut sit liberata a malis.

[*Strophe* 12.]

Hec. At bellicosi
Hectoris coniunx, misera Andromache,
Quam habet fortunam?
Talth. Hanc accepit delectam filius Achillis.

[*Strophe* 13.]

Hec. Ego vero cui ancilla addicta sum, quae fulciente gressum
Baculo in manu indigeo,
Senili corpore.
Talth. Ulysses nactus est te servam.
Hec. Heu, quatias caput rasum,
Lacera unguibus utramque genam.
Heu mihi, abominabili et dolosa sorte cogor
Viro servire,
Hosti iustitiae,
Iniustae viperae,
Qui omnia contraria facit, quae illic sunt, ut hic sint.
Et rursus illic, duplici lingua,
Quae grata sunt, prima
Omnium facit.
O Troades, lugete me.
Perii infelix. Vado
Misera, quae habui sortem infelicissimam.
Chor. Tuum quidem fatum scis, nostram autem sortem
Quis habet?
Talth. Ite, Cassandram deducere huc necesse est
Quam celerrime, ministri, ut duci
Eam in manus tradam, deinde delectas
Captivas educi iubeo reliquas.
Sed quid ardet intus flamma pinea?
Quid incendunt aut quid agunt Troades in conclavi?
Ut educendae ex patria
Ad Argos, incendunt sua corpora,
Volentes mori? generosae naturae
In huiusmodi periculis aegre ferunt talia mala.
Aperi, ne hoc, quod esset illis quidem commodum,
Graecis vero incommodum, in me conferatur.

---

17) Quaenam, quem sortita sum?] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) *Τίν᾽ ἄρα, τίν᾽ ἔλαχον;* — Quem igitur, quem sortita sum? Musgr., Fix. *Τίν᾽ ἄρα τίς ἔλαχε;* — Quemnam igitur quae [Musgr.: Quae igitur, quem] sortita est?

18) contubernium] Ed. 1558. errore typogr.: contuberinum.

19) haec] Ed. 1558. male: hac.

Hec. Non est, non se incendunt, sed mea filia
Correpta furore fatidico egreditur foras.
Cass. Leva probe facem.
Fero, colo, accendo
Facibus hoc sacellum.
O Hymenaee rex,
Ecce quam beatum habeo maritum,
Et quam beata ego, quae Argos nuptum abducor.
O Hymen, Hymenaee rex,
Quoniam tu, mater, lachrymis et
Lamentationibus mortuum
Patrem et patriam
Charam deploras;
Ego vero propter meas nuptias
Incendo facem,
Ad splendorem et fulgorem.
O Hymenaee, tibi propter virginum nuptias,
Et tibi, o Hecate, incendo facem,
Propter nuptias virginum, sicut lex est.
Vibra pedem aethereum,
Duc chorum,
Tanquam propter patris mei felicissimam fortunam,
O sacrum chorum, age Phoebe, tibi nunc
In laureto,
In tuo sacello sacrifico.
Hymen, o Hymen Hymen,
O mater, duc chorum, tolle pedem tuum,
Et circumage pedes mecum,
Ferens charissimum gressum.
Bona precamini hymenaeo,
Beata cantione,
Et vociferatione me sponsam
Ite, o elegantes
Virgines, canite meas nuptias,
Et maritum destinatum cubili meo fataliter.
Chor. O regina, non retinebis insanientem puellam,
Ne tollat levem gressum in exercitum?
Hec. O Vulcane, facem quidem fers in nuptiis.
Sed miseram hanc concutis facem,
Et praeter magnam spem, heu filia,
Ut nunquam sub armis, neque sub hasta Argiva
Putavi te celebraturam esse nuptias.
Da mihi facem; non enim recte eam fers,
Insana currens; nondumne te, o filia, tristes casus
Reddiderunt modestiorem, sed in eodem statu manes?
Auferte faces, et lachrymas commutate
Hoc carmine nuptiali.
Cass. Mater, orna meum caput victoriosum,
Et gratulare meis regiis nuptiis,
Et deduc quoque (quamquam, quod ad me attinet, non delectant me)
Et impelle. Non enim Apollo est;
Sed ducit me infelicius, quam Paris duxit Helenam,
Agamemnon, ille inclytus Graecorum rex.
Interficiam enim ipsum, et vicissim expugnabimus[20]) domum,
Sumens poenam pro interfectis fratribus et patre.
Sed caetera omittam; non commemorabo securim,
Quae per meum iugulum ibit[21]) et aliorum,
Nec parricidialia certamina, quae ex meis nuptiis
Orientur, et familiae Atrei eversionem.
Et hanc civitatem ostendam feliciorem
Quam Graecos (sed desinam a furore[22])),
Qui propter unam mulierem et unam civitatem,
Helenam quaerentes[23]), innumeros amiserunt.
Ipse vero sapiens ille imperator pro inimicissimis
Perdidit charissima, domesticas voluptates
Suorum liberorum dans suo fratri propter Helenam,
Quae volens, et non vi rapta est,
Et postquam venerunt ad littus Scamandrium[24]),
Mortui sunt: non quod pellerentur a terrae finibus,
Aut altis turribus patriae. Quos vero Mars perdidit,
Hos non viderunt liberi, neque coniugis manibus

20) et vicissim expugnabimus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. κἀντιπορθήσω) et vicissim vastabo

21) ibit] Ed. 1562. mendo typogr.: ibi.

22) Quam Graecos (sed desinam a furore),] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. ἢ τοὺς Ἀχαιοὺς, στήσομαι βακχευμάτων); Editt. recent. ἢ τ. Ἀχ., ἔνθεος μὲν, ἀλλ' ὅμως Τοσόνδε γ' ἔξω στήσ. βακχ. — Fix.: quam Achaeos (numine quidem concitata, sed tamen Tantisper a furore desistam),

23) quaerentes] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. querentes.

24) Scamandrium] sic Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. Scamandarium

Vestibus involuti sunt, sed in peregrina terra
Iacent. Porro res domesticae his similes sunt,
Et viduae moriuntur, et qui orbi sunt,
Aliorum educaverunt liberos, neque ad sepulchrum
Est quisquam, qui sanguinem terrae det.
Anne hic exercitus dignus sit laude aliqua?
„Sed tacere melius est turpia, neque Musa mihi
„Sit cantatrix, quae laudet turpia[25]).
Troiani vero primo (quae gloria summa est)
Mortui sunt pro patria, quos bellum sustulit.
Mortui domum illati ab amicis sunt,
In patria sepulchrum adepti sunt,
Manibus cooperti ab iis, a quibus oportuit.
Qui autem non mortui sunt in pugna,
Illi semper cum coniuge ac liberis
Habitaverunt, quae voluptas aberat Graecis.
Iam Hectoris res, quae tibi videntur tristes, audi, ut se habent.
Cum illa laude est mortuus, quod fuerit vir praestantissimus.
Et hoc Argivorum adventus effecit:
Si mansissent[26]) domi, non inclaruisset eius virtus.
Paris porro duxit Iovis filiam; si non duxisset,
Obscuram habuisset affinitatem.
„Fugiendum itaque bellum est ei, qui sapit;
„Si vero huc ventum fuerit: gloria non turpis patriae,
„Fortiter perire; non fortiter vero, turpe est.
Itaque non convenit te lamentari patriam,
Aut meas nuptias; inimicissimos enim mihi
Et tibi his nuptiis perdam.
Chor. Quam suaviter rides tua mala,
Et canis, quae cantans non tamen vera esse ostendis.
Talth. Nisi Apollo te fecisset amentem,
Non impune meos duces
Huiusmodi infamiis prosequereris ex hac terra.
„Sed praestantes, et hi, qui videntur sapientes,
„Nihilo sunt potiores illis, qui nihil sunt.
Nam supremus dux exercitus,
Atrei filius, huius amorem prae aliis electum
Furiose sustinet; et pauper quidem sum ego,
Sed connubium huius non curassem.

25) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Turpia indigna dictu.

26) mansissent] sic (= Eurip. ἦσαν) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. mansisset.

Et tua quidem (non enim sanam habes mentem)
Argivorum convicia et Phrygum laudes
Ventis ferenda concedo. Sequere me
Ad naves, pulchra sponsa duci nostro.
Tu autem, quando Ulysses te requiret
Abducere, eris ancilla pudicae
Mulieris, ut dicunt, qui venerunt ad Ilium.
Cass. Certe hic minister acer; „quodnam habent nomen
„Unum praecones? Odium publicum hominibus vocantur,
Qui apud principes estis[27]) et urbes ministri.
Tune ais meam matrem in Ulyssis
Venturam domum? Ubi essent sermones Apollinis,
Qui dicunt ipsam, per me expositi,
Hic morituram esse? Caetera vero non exprobrabo.
Ille infelix nescit, qualia eum maneant mala,
Quoniam aurum ipsi et mea Phrygum mala
Videbuntur olim esse; decem enim exhaustis annis
Supra istos, quos hic egit, redibit[28]) solus in patriam.
Ultra illum locum, ubi situm est angustum bivium,
Ultra Charybdim, ubi crudivorus montanus
Cyclops est, et ubi est incantatrix, formatrix porcorum,
Circe, et ubi sunt falsa naufragia maris,
Et loti amores, Solisque sacrae boves,
Quae carnem[29]) loquentem emittent[30]) aliquando
Acerbam Ulyssi vocem. Ut breviter dicam:
Vivus ibit ad inferos, et effugiens aquam paludis,
Mala in suis aedibus inveniet innumera.
Sed quid Ulyssis recito labores?
Vade, ut celerrime sponso apud inferos nubamus.
Certe malus male sepelieris noctu, non interdiu,

27) vocantur . . . estis] sic Editt. 1556., 1562.; Barn.: *estis* . . . *estis*; in textu gr. neutrum verbum legitur.

28) redibit] sic (= text. gr.) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. et redibit.

29) carnem] sic (= Eurip. σάρκα) Editt. 1558., Barn., Fix.; Ed. 1562. carmen.

30) emittent] sic Barn., Musgr. (= Eurip. ἥσουσιν; Fix. edent); Editt. 1558., 1562. male: amittent.

Abiit mihi benevolentia erga hanc urbem Phrygum,
Quae nunc incensa est, et ab Argivo exercitu
Periit expugnata. Nam Parnasius
Epeus Phocensis, instructus a Minerva,
Equum armis gravidum fabricans,
Misit intra moenia exitiale onus:
Unde a posteris vocabitur
Durateus equus, continens occultatas hastas[2]).
Luci deserti, et Deorum templa
Fluunt caede, et ad gradus fundamenti
Iovis Hercei, cecidit Priamus moriens.
Multum auri et Phrygia praeda
Mittitur ad naves; expectant
Ventum a puppe, ut post decennium
Videant laeti coniuges et liberos
Graeci, qui adversus hanc urbem duxerunt exercitum.
Ego autem, qui vincor ab Argiva Dea
Iunone et Minerva, quae everterunt Phrygas,
Relinquo Ilium et meas aras.
„Quando enim urbs fit deserta,
„Tunc languent res divinae, nec honorantur Dii[3]).
Magno eiulatu captivarum[4])
Sonat Scamander, quae iam sortiuntur dominos:
Alias Arcades, alias Thessali
Sortiuntur, alias duces Atheniensium.
Quaecunque vero sunt extra sortem sub tecto,
Istae electae sunt[5]) principibus
Exercitus: cum ipsis est
Helena, adducta captiva iuste.
Si quis etiam hanc miseram intueri vult,
Adest Hecuba, iacens ante portas,
Multum lachrymans et pro multis.
Cuius filia ad sepulchrum Achillis
Misera Polyxena fortiter mortua est.
Periit et Priamus et liberi; et quam virginem[6])
Dimisit fugientem Cassandram Apollo,
Eam rex (omittens pietatem Dei)

2) Durateus — hastas] his in marg. Editt. 1558., 1562. adspersa est haec explicatio: Nam dory hasta est: inde durateus equus.

3) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Religio ut evanescat.

4) captivarum] sic (= Eurip. αἰχμαλωτίδων) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. captivorum.

5) electae sunt] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. sunt electae.

6) virginem] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est annotatio: „In graeco scribe παρθένον, non πάροιθεν.“ Haec spectat ad Ed. Basil. 1551., quae habet πάροιθεν, Editt. recent. παρθένον receperunt.

Agamemnon duxit violenter adulterino concubitu.
Sed vale, o civitas quondam beata,
Et o ornata arx: si te non perdidisset
Pallas, esses adhuc in sedibus tuis.
Min. Licetne propinquum patris
Et potentem et honoratum Deum,
Deposita priore simultate, affari?
Nept. Licet; „cognatorum enim congressus
„Non exiguum philtrum sunt animorum.
Min. Laudo iras placabiles; affero tibi
Communes sermones in medium.
Nept. Num affers illum sermonem a Diis,
Vel a Iove, vel ab alio Deorum?
Min. Non, sed de Troia, ubi nunc gradimur.
Veni ad tuam potentiam, ut mihi eam adiungam.
Nept. An, tua priore ira deposita,
Venisti ad miserationem, postquam iam igni combusta est?
Min. Redi huc prius, communicabis mecum sermones,
Et adiuvabis ea, quae sum factura.
Nept. Maxime; tamen volo scire tuam voluntatem,
An Graecorum vel[7]) Troianorum causa nunc veneris.
Min. Volo exhilarare Troianos, qui prius fuerunt hostes mei,
Et exercitui Graecorum tribuere tristem reditum.
Nept. Quid ita transsilis alias ad alios mores?
Odisti[7a]) et amas vehementer nimium quosvis?
Min. Non scis me contumelia affectam esse et meum templum?
Nept. Scio, quando Aiax traxit Cassandram vi.
Min. Et nihil pro hac re passus est, neque audivit a Graecis.
Nept. Atqui deleverunt Ilium te adiuvante.
Min. Quia sunt ingrati, volo eos te adiuvante punire.
Nept. Quae vis, tibi parata sunt a me; quid facies?
Min. Miserum reditum illis obiicere volo.
Nept. In terra manentibus, an in mari?
Min. Quando navigabunt domum,
Iupiter pluviam et copiosam grandinem

7) vel] Ed. 1558. ve.

7a) Odisti] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Odis.

Dabit, et caliginosos aetheris flatus,
Et dicit se daturum mihi esse ignem fulmineum,
Ut sternam Graecos, et incendam naves igni.
Tu etiam praebe tuum munus, Aegaeam viam
Frementem procellis et vorticibus maris.
Imple cadaveribus cavum angulum Euboeae,
Ut deinceps colere mea templa
Discant, et simul reliquos Deos observare.
Nept. Fient haec, beneficium non multis verbis
Opus habet. Turbabo Aegaeum mare,
Et littus Myconum, et rupes Deliae,
Scyrus et Lemnus et rupes Capharei,
Habebunt multa cadavera mortuorum.
Verum vade ad Olympum, et fulmineos ictus
Accipe e manu patris, et expecta,
Quando exercitus Achivorum solvet rudentes.
„Stultus est, qui expugnata urbe
„Templa, et tumulos, et sacra mortuorum
„Dat solitudini; nam paulo post ipse etiam perit.
Chor. O misera, a solo[8]) caput
Et cervicem leva, non amplius Troia
Hic est, et non amplius sumus reginae,
„Sustine mutatam fortunam.
„Naviges secundum fretum, et naviges secundum fortunam,
„Neque obverte proram vitae
„Contra fluctus; sed naviges, ut fert fortuna.
Hec. Heu, eheu.
Cur non licet mihi miserae gemere,
Cui patria periit, et liberi, et maritus?
Hui ingens splendor domitorum
Maiorum, quam nihil eras!
Quid me oportet tacere, quid non tacere?
Quid lamentari? misera ego propter gravem
Reclinationem artuum, quum male affecta sum,
Nunc in rigidis lectis collocata.
Hei meo capiti, hei meis temporibus
Et lateribus, ut cupio versare
Et extendere dorsum et spinam
Membrorum in utrumque parietem
Ad perpetuam ostensionem lachrymarum.
Musa, incipe hic[8a]) miseris
Sonare flebiles clades.
Prorae celeres navium,
Quae ad sacrum Ilium venis
Per mare purpureum, et
Per portus Graeciae commodos
Odioso carmine tibiarum,
Et fistularum sonora voce,
Euntes, quae funes Aegyptios[9])
Habuistis suspensos;
Hei in Troiae sinu,
Euntes ad Menelai
Odiosam coniugem, Castori dedecus
Et infamiam patriae, quae interficit
Patrem quinquaginta liberorum,
Priamum, et me miseram
In hanc deiecit calamitatem.
Hei sedes, in quibus sedeo,
Ancilla in tabernaculo Agamemnonis.
Ego anus ducor serva ex patria,
Caesarie rasa lugubri
Caput miserabiliter deturpata.
Sed o bellatorum Troianorum
Coniuges miserae, * virgines et sponsae,
Fumat Ilium: ploremus.
Ut mater volucribus clangorem
Avibus, ita ego incipiam
Cantilenam: non eandem, qualem olim
Sceptro Priami innixa
Pede praesultore ictu Phrygio
Glorioso incipiebam Deos celebrare.
Chor. O Hecuba, quid clamitas? quid lamentaris?
Per aulam, propter illos, quos deploras,
Et per pectora metus invadit
Troianas, quae in his tabernaculis
Servitutem suam deplorant.
Hec. O filiae, ad naves Argivorum iam
Movetur remigum manus.
Heu me miseram, quid volens? aut quo me miseram
Avehent navi ex patria?
Chor. Non scio, sed coniicio calamitatem.
Heu nobis miseris propter aerumnas, iam statim audiemus.
Troades, prodite extra aedes.
Apparant Argivi reditum.
Hec. Heu, ne fatidicam nunc
Ducite foras Cassandram,
Ne probro ab Argivis afficiatur furens; accedet mihi dolor ad dolorem.

8) a solo] sic (= Eurip. πεδόθεν) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. ὁ, solo.

8a) M. incipe hic] sic Editt. 1558., 1562. (Ed. Basil. 1551. M. δέχ' αὕτη); Barn., Musgr. M. δέ χ' αὕτη — M. vero est et haec quaedam

9) funes Aegyptios] his in marg. Editt. 1558., 1562. addita est haec explicatio: Textile Aegypti artificium, id est funes nauticos, qui ex Aegypto advehebantur.

Hei Troia infelix, periisti;
Miseri sunt, qui te relinquunt,
Et vivi et mortui.
Chor.[10]) Heu ego tremens prodii extra tabernaculum
Agamemnonis, audiens,
Regina, te, num me occidere
Miseram lata est Argivorum sententia?
An iam nautae in puppibus
Parant movere remos?
Hec. O filia, matutinam animam
Perterrefacta[11]) veni in magno dolore.
Iam venit aliquis praeco Graecorum.
Quis[12]) me miseram accipiet ancillam?
Chor. Ad quam sortem posita es? *Hec.* Heu.
Chor. Quis me Argivorum aut Phthiotarum
In insularem terram abducet,
Me miseram procul a Troia? Heu!
Hec. Cui ego misera, et ubi terrarum
Servitura sum anus sicut fucus,
Misera figura cadaveris,
Evanida in vestibulo mortuorum,
Quae liberorum maternos
Regales habui honores.
Chor. Heu[13]) qualibus querelis
Tuum infortunium exagitas.
Hec. Non Ideae telae radium
Agitans variabo,
Nec iuvenilia liberorum corpora videbo,
Nec iuvenis ego habebo labores leviores,
Amota thalamis Graecorum.
Periit nox et fortuna.
Aut hauriens aquam ex fonte Pirenaeo[14])
Ministra miserabilis
Sacrarum aquarum ero.
Chor. Utinam veniamus ad inclytam
Et beatam Thesei regionem.
Hec. Ne ad vortices Eurotae
Invisam ancillam Helenae sors ducat,
Ubi ancilla obviabo Menelao,
Expugnatori Troiae.
Penei pulchram regionem,
Fundamentum pulcherrimum Olympi montis
Audivi per famam onustam esse copia
Et fertili ubertate.
Haec mihi secundo loco sit post sacram
Thesei fertilem regionem.
Et Aetnaeam Vulcani
Oppositam regionem Phoeniciae,
Siculorum montium matrem: et hanc audio
Praedicari et coronis virtutes[14a]),
Et vicinam terram
Ionio mari, nautae[15]),
Quam rigat pulcher
Flava coma fulgens
Cranthis[16]), sacris fontibus alens
Et beans bellicosam terram.
Chor. Atque a Graecorum exercitu
Praeco custos novorum sermonum
Accelerat.
Servae certe
In hac terra sumus iam.

[*Talthybius, Hecuba, Chorus, Cassandra.*]

Talth. Hecuba, nosti me saepe ivisse Troiam,
Venientem praeconem ab exercitu:
Notus etiam ante tibi, mulier,
Talthybius adsum, afferens communem sermonem.

[*Strophe* 1.]

Hec. Hoc illud est, quod metuebam antea.
Talth. Iam sortitio facta est, si quidem hoc timebatis.

[*Strophe* 2.]

Hec. Heu ad quam urbem, an in Thessaliam,
Aut Phthiam, aut Cadmeam terram dixisti?
Talth. Quaelibet viritim, et non simul omnes sortitae estis.

---

10) *Chor.*] sic Barn., Musgr. aeque ac Ed. Basil. 1551.; Fix.: *Semichorus*; Editt. 1558., 1562. *Ca.* (*Cassandra*).

11) matut. anim. Peterrefacta] his verbis in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est haec annotatio: Totam hanc noctem vigilavi perterrefacta mente.

12) Quis] Editt. 1558., 1562. *Cu.* (pro: *Ca*[*ssandra*]) Quis — in Ed. Barn. (aeque ac in Ed. Basil. 1551.) hic vs. est *Hecubae*, in Ed. Musgr. *Chori*, in Ed. Fix. *Semichori*.

13) Heu] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Hei; Editt. recent. (= text. gr.) Heu, heu.

14) ex fonte Pirenaeo] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: *ex fonte* Pirene (Eurip. *Πειρήνας*).

14a) et coronis virtutes] sic Editt. 1558., 1562., Barn.; Musgr.: et virtutis laudibus; Fix.: propter virtutis coronas.

15) Ionio mari, nautae] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. Ἰονίῳ ναῦται πόντῳ); Fix. Ἰονίῳ ναύταις πόντῳ — Ionio mari navigantibus; Barn., Musgr. Ἰονίῳ ναίεσθαι πόντῳ — Barn.: Ionio mari *feliciter ab incolis* habitari, Musgr.: Ionio pelago pulsari.

16) Cranthis] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. Κράνθις); Editt. recent. Κρᾶθις — Crathis. — Huic nomini in marg. illarum 2 Editt. adiecta est annotatio: Fluvius est circa Crotonem Calabriae.

Quomodo a quadrupede mole
Graecorum perierim,
Misera bello capta.
Quando reliquerunt equum coelitus
Frementem, aureis phaleris, intus continentem arma,
Ad portam Graeci;
Exclamavit vero populus
Stans a rupe Troade:
Ite, o defuncti laboribus,
Hoc sacrum adducite simulachrum
Iliadi Iovi genitae Minervae.
Quis non ivit iuvenum?
Quis senex non egressus est domo?
Exhilarati cantu
Fallax apprehenderunt malum.

[*Antistrophe.*]

Totum genus Phrygum
Tendebat ad portas
Cum facibus pineis,
Politas insidias Argivorum
Et Dardaniae Deae cladem civitati daturae,
Munus equi immortalis, et non iuncti iugo,
Volutati fulcris
Lapideis, velut navis
Scapha fulcitur, in sedem
Saxeam, et in solum letale patriae,
Palladis posuerunt Deae.
Sed a labore et festivitate
Nocturnum crepusculum aderat,
Libycaque tibia sonabat,
Et Phrygiae cantiones; virgines vero
Per plausum aëreum pedum
Laetam cantionem canebant; in
Domibus illustre iubar
Ignis fumosum splendorem
Dabat ad somnum.

[*Epodus.*]

Ego vero monticolam
Tunc in domo virginem
Iovis filiam Dianam
Cantabam in choreis.
Ibi letalis per urbem
Vox tenebat omnes
Domos, infantes autem chari circa
Vestes haerentes tendebant matri manus
Consternatas, et ex insidiis
Descendit exercitus
Opera Palladis.
Fiebant caedes ad aras,
Et in cubilibus
Letalis solitudo puellarum
Victoriam adferebat Graecis,
Troianis vero luctum.

[*Chorus, Hecuba, Andromache, Talthybius.*]

Chor.[38]) Vides hanc Andromachen
In peregrino vehiculo vehi?
Iuxta motum uberum sequitur
Charus Astyanax, Hectoris filiolus.
Hec. Quo veheris in tergo vehiculi,
Infelix mulier, custos
Armorum Hectoris, et Phrygum spoliorum
Bello captorum,
Quibus Pyrrhus
Coronabit templa?
Andr. Achivi domini me abducunt. *Hec.* Heu.
Andr. Quid gemis meum paeana? *Hec.* Heu.
Andr. Heu dolores. *Hec.* Heu Iupiter.
Andr. Heu calamitates. *Hec.* O filii.
Andr. Quondam fuimus.
Hec. Periit potentia, periit Troia. *Andr.* Infelix.
Hec. Et meorum liberorum nobilitas. *Andr.* Heu.
Hec. Heu propter mea. *Andr.* Mala. *Hec.* Miseranda calamitas.
Andr. Urbis. *Hec.* Quae fumat. *Andr.* Redeas ad me, o marite.
Hec. Vocas meum filium, qui mortuus est.
Andr. Tuae uxoris defensorem. *Hec.* Et tu, propter quem[39]) superbiunt Graii.
Liberorum nostrorum pater, o Priame,
Adduc me ad inferos. * *Chor.* Ista sunt magna desideria.
Hec. Patimur acerbos dolores.
Chor. Deleta urbe, alia mala super alia accidunt,
Volentibus Diis.
Tuus autem filius effugit inferos,
Qui propter odiosum thalamum
Perdidit Pergama
Troiae; cruenta vero ad Deae
Palladis templum cadavera

38) *Chor.*] sic Editt. recent. aeque ac Ed. Basil. 1551.; Editt. 1558., 1562. *Semi.* (*Semichorus*).
39) quem] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. quam.

Iacent ferenda vulturibus.
Iugum vero servile attulit Troiae.
Hec. O patria misera,
Deploro te relictam.
Chor. Nunc finem miserabilem vides.
Hec. Et domum, in qua fui puerpera.
Chor. O fili, deserta civitas, mater
Iam eripitur nobis.
Hec. Qualis luctus, et quales dolores!
Lachrymae stillant supra lachrymas
In nostra domo; „qui est mortuus,
„Nescit hos dolores, et est sine lachrymis.
Chor. „Quam iucundae res sunt lachrymae in malis,
„Lamentationumque fletus, et Musa, quae[40]) deplorat calamitatem.
Andr. O mater viri, qui olim sua hasta Argivos
Plurimos perdidit, Hectoris, haec adspicis?
Hec. Video potentiam Deorum, „qui evehunt sursum
„Humilia, et ea, quae[41]) videntur aliquid esse, evertunt.
Andr. Abducor praeda cum filio, nobilitas vero
Venit in servitutem, tantas habens mutationes.
Hec. Necessitas dura est: modo a me
Abiit Cassandra avulsa vi.
Andr. Hei aliquis, ut videtur, secundus Aiax
Apparuit tuae filiae; habes et alia mala.
Hec. Quorum neque modus neque numerus est mihi
Malorum; res enim in concursum malorum devenit.
Andr. Mortua tibi est filia ad tumulum
Achillis mactata, munus cadaveri.
Hec. Heu me miseram; hoc illud est, quod mihi prius
Talthybius dixit aenigma perspicuum non perspicue.
Andr. Ipsa vidi et descendens e curru,
Velavi eam veste, et cadaver planxi.
Hec. Heu, filia, tuam impiam immolationem;
Heu iterum, heu quam male periisti!
Andr. Periit, ut periit; sed tamen, quam ego,
Quae viva sum, feliciore fato periit.
Hec. „Non idem est vivere, quod mori.
„Mortuus enim nihil est; spes vero insunt vitae.
Andr. Audi, ut te recreem.
„Non natum esse, aequale dico morti;
„At melius est mori, quam calamitose vivere.
„Nihil enim dolet, qui non sentit mala.
„Qui vero fuit beatus, et in miserias[42]) cadit,
„Animo cruciatur propter priorem felicitatem.
„Illa vero Polyxena, perinde ac si nata non esset,
„Mortua est, et nihil scit malorum suorum.
Ego autem, cum expetiissem gloriam,
Illam nacta, a fortuna deseror.
Quae enim decent modestas mulieres,
Haec exercui in domo Hectoris.
Primum enim sive adsit, sive non adsit
Probrum mulieribus, hoc ipsum adfert
Infamiam, si quae non manet[43]) domi.
Huius itaque vitii omittens desiderium, domi mansi,
Et intra atria astutos sermones mulierum
Non intro admisi, sed mentem rectricem
Domi habens probam, satisfaciebam mihi,
Linguae silentium et placidum adspectum viro
Exhibui, et noram, in quibus oportebat me vincere maritum,
Et rursum quarum rerum illi conveniebat victoriam concedere,
Harum rerum fama ad exercitum
Perveniens me[43a]) perdidit. Nam posteaquam capta sum,
Achillis me filius voluit ducere
Coniugem, ut serviam in domo interfectoris viri.
Quod si repellam Hectoris charum caput,
Et erga praesentem maritum explicem animum,
Improba videar erga mortuum; rursus vero,
Si hunc odero, ero in odio dominorum.
„Atqui dicunt, quod una nox laxet
„Inimicitiam mulieris erga virum;
„Ego autem abominor eam, quae priorem virum
„Novo thalamo eiiciens alium amat[44]).

---

40) quae] sic (= Eurip. ἤ) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. quam.

41) quae] sic Editt. 1562., Barn.; in Ed. 1559. deest. — H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vices rerum.

42) in miserias] sic (= Eurip. εἰς τὸ δυςτυχὲς) Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. in miseras.

43) non manet] sic (= text. gr.) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. manet (omisso *non*). — H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Officium honestae uxoris.

43a) me] sic (= text. gr.) Editt. recent.; in Editt. 1558., 1562. deest.

44) H. l. in iisd. 2 Editt. nota marg.: Constantia amoris.

Sed ne equus quidem, qui avulsus est
A compare suo, facile trahit iugum;
Atqui bestia est muta,
Quae mentem non habet, et a natura destituitur.
Te vero, chare Hector, habui virum convenientem mihi
Mente, genere, opibus et fortitudine excellentem:
Accipiens me intactam ex domo paterna,
Primus virginalem iunxisti thalamum.
Nunc autem tu periisti; ego autem navigo
In Graeciam captiva ad servitutem.
An non minora meis habet mala
Mors Polyxenae, quam tu gemis?
„Mihi enim nulla, quae omnibus relinquitur mortalibus,
„Superest spes, neque inducere in animum meum possum
„Me bene habituram esse, cum dulce sit id etiam fingere.
Chor. In eandem venis calamitatem; lamentans vero
Tuam calamitatem doces me, in quibus malis sim.
Hec. Ipsa nunquam ingressa sum scapham navis,
Sed ex conspectu picturae et auditu scio:
„Si nautis tempestas mediocris est ad tolerandum,
„Habent promptitudinem laborum, ut serventur,
„Hic quidem ad clavum, alius ad velum vadit,
„Alius sentinam haurit; si autem superaverit
„Tempestas, cedentes fortunae
„Dimittunt se incursionibus fluctuum [45]).
Sic et ego, multa habens mala,
Muta sum, et omitto eloqui ista.
Vincit enim [46]) infelix tempestas, quae divinitus venit.
Sed, o filia Hectoris, calamitates
Omitte: nunquam tuae lachrymae servabunt eum;
Sed cole praesentem dominum tuum,
Gratas illecebras tuorum morum praebens marito:
Si haec feceris, in commune exhilarabis amicos,
Et filium mei filii poteris bene educare,
Maximum adiumentum Troiae, ut aliquando
Nati ex illo liberi rursum Ilium
Restituant, et instauretur urbs.
Verum alius alium trahit sermo.
Quem rursum video Graecum ministrum
Huc accedentem, novorum nuntium consiliorum?
Talth. Phrygum praestantissimi olim coniunx Hectoris,
Ne me odio habeas; non enim volens nuntio
Publica Graecorum [47]) decreta.
Andr. Quid est, quod tam malum exordium incipis?
Talth. Decretum est hunc puerum, quomodo eloquar sermonem?
Andr. Num non eundem dominum nobiscum habere?
Talth. Nullus Graecorum huic dominabitur unquam.
Andr. An hic oportet ipsum relinquere, reliquias Phrygum?
Talth. Non scio, quomodo tibi facile dicam mala.
Andr. Laudo pudorem, si bona diceres.
Talth. Interficient tuum filium, ut audias totam rem.
Andr. Hei, audio novum malum mearum nuptiarum.
Talth. Vincit Ulysses, dicens [48]) in conventu Graecorum.
Andr. Hei; non enim mediocria patimur mala.
Talth. Dicens non alendum fortissimi viri filium.
Andr. Utinam hoc modo vinceret de suis.
Talth. Praecipitari ipsum oportet de turri.
Sed ut fiat, et tu sapientior videare,
Ne retine eum, verum generose doleas in tantis malis [49]);
Cumque nihil possis, statuas te nihil posse.
Nusquam habes auxilium, et haec considera.
Civitas periit et maritus, et tu es in servitute,
Et nos contra unam mulierem pugnare

45) H. l. in Ed. 1558. nota marg.: Fortunae nimius impetus.

46) enim] sic (= Eurip. γάρ) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. eum.

47) Graecorum] sic Ed. 1558.; in Ed. 1562. deest; Editt. recent. (= text. gr.) Danaorum et Pelopidarum.

48) dicens] sic Ed. 1558. (= Eurip. λέγων; Barn., Musgr.: loquens); Ed. 1562. dicent.

49) malis] sic Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. malis malis.

Sumus satis valentes: propter haec ne pugnam expetas.
Neque turpe quicquam neque odiosum te decet;
Neque etiam volo te conicere in Graecos imprecationes.
Si enim quid dixeris, propter quod irascetur tibi exercitus,
Neque sepelietur filius, neque planctum consequetur;
Tacens vero commode perferens hos casus
Huius non insepultum relinques cadaver,
Et ipsa tu uteris Graecis aequioribus.
Andr. O charissime, o fili mihi cultissime,
Moriere ab hostibus, matrem miseram relinquens;
Nobilitas patris tui te interficit,
Quae aliis saluti fuit;
Gloria patris tibi non prodest.
O miseras meas nuptias,
Quibus veni in domum Hectoris,
Paritura meum filium, non ut victimam,
Sed ut dominum fertilis Asiae.
O fili, lachrymas? sentis tua mala?
Quid me corripis manibus, et prehendis vestem,
Ut pullus involvens te sub meas alas?
Non venit Hector, inclytam arripiens hastam,
Ex terra reversus, tibi ferens salutem;
Neque cognatio patris, neque robur Phrygum.
Sed miserabilem saltum[50]) in cervicem, e sublimi
Cadens sine commiseratione abrumpes tuam vitam.
O iuvenile onus matri charissimum,
O dulcis halitus corporis. Frustra igitur
In fasciis aluit te haec mamma,
Frustra ego laboravi et confecta sum laboribus.
Nunc, si alias unquam, matrem complectere tuam.
Irrue in matrem tuam, et brachia
Circumda meis humeris, et applica os.
O barbarica excogitantes Graeci mala,
Cur interficitis hunc puerum innocentem?
O Tyndarea planta, nunquam eras Iovis filia.
Dico te natam esse ex multis patribus.
Primum ex patre malo genio, deinde ex invidia,
Et caede, et morte, et quaecunque tellus gignit mala.
Non enim ausim dicere te Iovem produxisse,
Fatalem multis barbaris et Graecis.
Pereas; propter pulchros oculos
Flagitiose perdidisti regnum Phrygum.
Agite, ferte, praecipitate, si praecipitare placet,
Epulamini huius carnes; a Diis enim
Periimus, et filio non possumus
Mortem depellere; occultate miserum corpus,
Et coniicite in navem; ad pulchras enim proficiscor
Nuptias amisso meo filio.
Chor. Misera Troia, innumerabiles amisisti
Propter unicam mulierem, et odiosum coniugium.
Andr. Age, o fili, gratam compellationem omittens
Miserae matris, ascende paternarum
Turrium ad summas pinnas, ubi tibi
Vitam amittere decretum est.
Tollite eum: talia convenit
Annuntiare, quicunque sunt sine commiseratione,
Et quicunque propter impudentiam vestrae
Sententiae sunt adprobatores.
Hec. O fili mei aerumnosi filii.
Privamur tua vita praeter opinionem,
Mater et ego. Quid patior? quid tibi ego
Infelix faciam? has tibi damus
Plagas capitis et planctus nostrorum pectorum.
Haec enim adhuc nostra sunt. Heu mihi propter urbem,
Heu propter te; quid enim non habemus?
Quid abest, quin penitus
Eamus in omnem perniciem?

[*Strophe* 1.]

Chor. Salaminae alentis apes
O rex Telamon, insulae
Circumfluae habitans sedem
(Cognominatae[51])
Quae olivae in sacris collicul's
Primum ostendit glaucae ramum Minervae

50) miserabilem saltum] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Λυγρὸν . . πήδημ'); Editt. recent.: miserabili saltu.

51) Cognominatae] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. τὰς ἐπικεκλημένας); Editt. recent. τ. ἐπικεκλιμένας — Musgr.: vicinae; Fix.: acclinis.

Coelestem coronam,
Pinguibusque decus Athenis)
Tu profectus es cum arcitenente
Hercule, simul rem gesturus,
Eversurus Ilium,
Urbem nostram,
Antea, quando venisti ex Graecia;

[*Antistrophe* 1.]

Quando adduxit principio Graeciae
Decus, defraudatus equis,
Et ad late fluentem Simoënta navem
Statuit marinam,
Et suspendit rudentes puppium,
Et exemit ex navibus sagittas
Laomedonti letales,
Et aedificiis exstructis regula Phoebi.
Ignis vero punicea flamma
Evertit regionem Troiae.
Bis duabus ruinis moenia
Circa Troiam
Cruenta pugna evertit.

[*Strophe* 2.]

Frustra igitur, o in aureis
Pocillationibus molliter incedens
Laomedontis fili,
Iovis habes calicum[52])
Impletionem, pulcherrimum officium.
Nam quae te genuit Troia,
Igne incenditur.
Littora marina sustinent[53]), quantum
Filius pro parentibus clamat.
Aliae clamant maritos,
Aliae liberos, aliae
Matres senes.
Tua vero rorida lavacra,
Et gymnasiorum cursus perierunt.
Tu vero iuvenilem faciem
Venustate[54]) apud Iovis sedem
Placide alis.
Priami vero terram
Graeca perdidit pugna.

[*Antistrophe* 2.]

O Amor,
Qui ad Troiam olim venisti
Diis curae existens,
Quam tum magnifice
Troiam exaltasti, cum Diis
Affinitatem iungens.
Iovis itaque
Probrum non amplius dicam.
Candidae[54 a])
Diei[55]), gratae hominibus
Lumen noxium
Vidit nostram terram, vidit
Pergamorum exitium,
Habens
Ex hac terra maritum in thalamis, quem
Astrorum quadriiugus avexit
Aureus currus rapiens
Spem patriae
Magnam. Deorum vero
Amores fuerunt inutiles Troiae.

[*Menelaus, Hecuba, Helena, Chorus.*]

Men. O lucidum iubar solis,
In quo uxorem meam capiam
Helenam; hic enim, qui multum laboravi, ego
Menelaus sum, et hic est exercitus Achivorum.
Veni autem ad Troiam non, quemadmodum putant,
Mulieris causa; sed propter virum, qui ex meis
Aedibus coniugem fallax hospes rapuit.
Ille nunc dedit poenam Deo volente,
Et ipse et patria Marte collapsa Graecanico.
Venio vero nunc istam Lacaenam (non enim libenter
Nomen uxoris, quae quondam fuit, appello)
Abducturus; in hac enim domo cum captivis
Annumeratur aliis Troianis mulieribus.
Qui enim eam recuperaverunt bello,
Dederunt mihi interficiendam; sive non occidens
Velim eam abducere iterum in Argivam terram.
Mihi vero decretum est eius necem hîc
Omittere, sed vehere eam navi
In Graeciam, et ibi eam dare interficiendam
Pro poena iis, qui mortui sint apud Ilium, amicis.

---

52) calicum] sic Ed. 1558. (= Eurip. κυλίκων; Editt. recent.: poculorum); Ed. 1562. male: culicum.

53) sustinent] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. ἴσχον); Barn., Musgr.: ἴαχον — exclamant; Fix.: ἰαχοῦσ' — resonant.

54) Venustate] sic scripsi (= Eurip. Χάρισι; Barn.: Gratiis; Fix.: laetitia); Editt. 1558., 1562. Venustato.

54 a) Candidae] sic scripsi (Eurip. λευκοπτέρου; Fix.: candidis alis instructae); Editt. 1558., 1562. Candide.

55) Diei] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est annotatio: Diem pro Aurora dixit, cui maritus fingitur Tithonus.

Sed eia, ite in domum, ministri,
Adducite eam parricidiali
Coma trahentes; prosperi vero quando
Flatus venerint, mittemus eam in Graeciam.
Hec. „O terrae vehiculum, et in terra habens sedem,
„Quicunque tandem es, impervestigabilis
„Iupiter, sive es necessitas naturalis, sive quaedam mens humana:
„Te invoco; omnia enim per arcanam
„Vadens viam ducis mortalia iuste.
Men. Quid rei est, quod preces renovas Deorum?
Hec. Laudo te, si occidis tuam coniugem.
Sed videns hanc fuge, ne te capiat amore.
Capit[56]) enim oculos virorum, et evertit civitates,
Et incendit domos, tales habet illecebras.
Ego ipsam novi, et tu, et reliqui, male qui affecti sunt.
Hel. O Menelae, prooemium pavore quidem dignum
Hoc est, quod ad te manibus famulorum
Per vim ex hac domo rapior;
Sed quamquam tibi invisa sim,
Tamen interrogare volo, an sit sententia lata
Graecis et tibi de mea vita.
Men. Non venisti huc in disceptationem, sed universus exercitus,
Quem laesisti, te mihi dedit, ut interficiam.
Hel. Licetne ad haec respondere,
Quod non iuste, si moriendum est, interficiar?
Men. Non ad disputandum veni, sed ad te occidendum.
Hec. Audi eam, ne moriatur indiga huius rei,
Et da contrarios sermones
Nobis contra eam; eorum malorum, quae intra Troiam evenerunt,
Nihil scit. Sed collata tua oratio
Interficiet eam, ita ut non possit elabi.
Men. Munus est otii: si vult dicere,
Licet; propter tuam (ut scias) intercessionem
Concedam hoc, ei ipsius causa non concedo.
Hel. Fortasse sive bene, sive male dixero.
Non respondebis mihi, ducens me esse hostem.
Ego vero ad ea[57]), quae scio, certantem mecum verbis,
Me accusaturam esse[58]) opponens respondebo,
Conferens meas accusationes tuis, et tuas meis.
Principio haec peperit, initia horum malorum,
Paridem; deinde vero perdidit
Troiam et me ille senex, non interficiens infantem
Facis tristem effigiem, Alexandrum olim.
Audi iam caetera, ut se habent.
Hic Paris fuit iudex triplicis iugi trium Dearum.
Et Pallas[58a]) quidem Alexandro donum promisit,
Quod duce ipsa vellet ei Graeciam subigere.
Iuno autem pollicita est, ei ad terminos Asiae et Europae
Fore regnum, si ipsam anteferret caeteris.
Venus vero praedicans meam formam,
Se daturam esse pollicita est, si Deas praecurrere iudicaretur
Pulchritudine. Nunc sequentem orationem considera.
Vincit Venus Deas, et tantum meae nuptiae
Iuverunt Graeciam, ut non dominentur ei barbari;
Neque constituta est in bellum neque in tyrannidem Troianorum.
Pro eo, quod Graecia servata est, ego perii;
Propter meam formam vendita sum, et tamen accusor,
Pro quibus oportuit me coronam in capite ferre.
Nondum dices me ad propositum dicere,
Quod discesserim clam ex tuis aedibus.
Venit, non exiguam Deam habens una secum,
Huius maledictus filius, sive Alexandrum velis
Eum appellare, sive Parim,
Quem tu, ignave, in tua domo relinquens,
Solvisti nave ex Sparta in Cretam.
Sit ita: non te, sed me ipsam interrogabo de eo, quod sequitur.
Quid cogitans ex domo secuta sim
Hospitem, prodens patriam et meam domum?
Ipsam Deam obiurga, et Iove potentior fias,
Qui quidem in alios Deos habet imperium,
Huius vero servus est. Ideo et mihi est ignoscendum,

---

56) Capit] sic (= Eurip. *Αἱρεῖ*) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Caput.

57) ad ea] sic Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. ea.

58) certantem mecum verbis Me accusaturam esse (scil. *Hecubam*)] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) te certantem mecum [Musgr., Fix.: disceptantem] verbis Mihi obiecturum esse (scil. *Menelaum*).

58a) Pallas] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. Palladis.

Postea posses me accusare speciosa oratione:
Quando mortuus est Alexander,
Tunc oportuit me, quando non erat coniugium, ad quod divinitus rapta fui,
Relinquere domum, et venire ad naves[59]).
Studebam hoc facere, testes sunt mihi
Turrium custodes et murorum speculatores,
Qui me saepe deprehenderunt ex propugnaculis,
Funibus ad terram clam dimittentem hoc corpus.
Per vim autem hic novus maritus me rapiens,
Deiphobus, uxorem me habuit invitis Phrygibus.
Quomodo igitur iure moriar, o marite,
A te? hic enim per vim me duxit;
Pro illis vero domesticis et pro donis victoriae
Ego acerbe servivi. Si vero Deos vincere
Vis, hoc quidem velle stultum est.
Chor. O regina, defende tuos liberos, et patriam;
Huius oratio corruptrix est; dicit enim
Praeclare, cum sit malefica, hoc autem est perniciosum.
Hec. Primum excusabo Deas,
Et ostendam hanc non dicere iusta.
Ego enim Iunonem et Palladem
Non ad tantam stultitiam venisse existimo,
Ut haec quidem Argos barbaris vendiderit,
Pallas autem Athenas Phrygibus servire voluerit,
Quae per ludum et propter delicias de formae certamine
Venerint ad Idam. Cuius enim rei gratia
Iuno tantum haberet amorem formae?
An ut praestantiorem Iove acciperet maritum?
Aut ut Pallas nuptias alicuius Deorum tentaret,
Quae virginitatem a patre postulavit,
Fugiens coniugium? ne fac Deas stultas,
Tuum peccatum excusans; non enim persuadebis sapientibus.
Venerem porro dixisti, id quod valde ridiculum est,
Venisse meo cum filio ad Menelai domum.
Nonne manens tranquille in coelo
Potuisset vos abducere cum ipsis Amyclis ad Ilium?
Sed meus filius fuit forma praestantissimus,
Tua vero mens facta est Venus, videns ipsum.
Suus cuique furor est hominibus Venus,
„Et nomen Veneris recte a stultitia incipit[60]).
Quem tu intuens barbarico vestitu,
Et auro splendentem, incensa es animo;
Argis enim exiguas habens opes versabaris.
Discedens itaque ex Sparta Phrygum civitatem
Fluentem auro, sperasti te posse implere
Sumptibus; non tibi satis erat Menelai
Domus ad luxuriandum tuis deliciis.
Age dicis meum filium vi te abduxisse?
Quis civium sensit? aut qua vociferatione
Invocasti Castorem adolescentem,
Gemello fratre adhuc vivente, necdum in astris existente?
Postquam vero Troiam venisti, Argivi vero tuum
Vestigium secuti sunt; erat autem bellicum certamen,
Quando res huius meliores nuntiabantur tibi,
Menelaum laudabas, filius ut doleret meus,
Habens magnum rivalem amoris;
Quando vero vincebant Troiani, nihil erat iste.
„In fortunam intuens hoc studebas, ut
„Consectareris eam; virtutem sequi nolebas[61]).
Et deinde funibus corpus tuum furari voluisse dicis,
E turribus demittens[62]), tanquam manens invite?
Ubi ergo deprehensa es aut suspendens laqueos,
Aut gladium contrectans? quae generosa mulier
Faceret, priorem desiderans maritum.
Atqui monebam te saepe:
O filia, egredere; mei filii nuptias
Alias contrahent; te autem ad naves Graecas
Mittam, simul adiuvans furtivum discessum: fac finem belli
Inter Graecos et nos. Verum hoc erat tibi molestum.
In Alexandri enim domo contumeliose regnabas,
Et adorari a barbaris voluisti.
Illa enim erant tibi magna, et praeter haec tuum corpus

59) ad naves] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) ad Argivorum naves.

60) Et nomen — incipit.] haec in marg. Editt. 1558., 1562. sic explicantur: Aphrodite, aphron autem stultus est.

61) H. l. in iisd. Editt. nota marg.: Fortuna virtuti praeclara.

62) demittens] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. dimittens.

Egressa es[63]) ornans, et adspicis cum marito
Eundem aethera, o execrandum caput!
Quam oportuit humilem in laceris pannis,
Metu trementem, et detonso capite
Venire, plus modestiae quam impudentiae
Habentem propter priora peccata.
Menelae, ut scias, quorsum finiam sermonem,
Orna Graeciam digne, interfecta hac;
Et hanc tuam legem[64]) pone aliis
Mulieribus, ut moriantur, si quae virum prodidit.
Chor. Menelae, digne maioribus et familia tua,
Punias coniugem, et auferas eam ex Graecia,
Etiam inimicis apparens animosus adversus turpitudinem mulieris.
Men. Tu mecum sentis,
Hanc volentem abiisse ex mea domo
Ad peregrina cubilia, et Venus propter speciem tantum
Citatur verbis: vade ad carnifices,
Et persolve longas miserias Graecorum brevi tempore
Moriens, ut discas me non dedecorare.
Hel. Ne, per genua te, morbum, qui a Diis proficiscitur,
Mihi imputans, interficias me: ignosce mihi.
Hec. Ne prodas socios, quos haec interfecit.
Ego pro illis et pro liberis te precor.
Men. Desine, anus, hanc nihil curo.
Dico famulis ad puppes navium
Hanc ferre, unde traiiciet.
Hec. Ne ingrediatur tecum in eandem navim.
Men. Num habet maius pondus nunc, quam ante[65]) habuit?
Hec. Non est amator, qui non semper amet.
Men. Ut obliviscatur mens rerum amatarum,
Fient ea, quae petis; illa enim navem non ingredietur,
In quam nos; non enim male mones.
Ubi vero Argos venerit, ut digna est, male
„Mala morietur, et mulieribus, ut pudicae sint,
„Omnibus exemplum ponet. Facile quidem hoc non est;
Sed tamen huius mors in metum coniiciet
Fatuitatem aliarum, etiamsi sint adhuc peiores.

[*Strophe* 1.]

Chor. Siccine, quod habuisti in Ilio,
Templum et fumantem aram
Prodidisti Achivis,
O Iupiter, et sacrificiorum flammam
Et myrrhae aethereae fumum,
Et sacram arcem,
Et Idaeos hederaceos saltus,
Rigatos nive fluviali,
Et verticem, qui primum feritur a sole,
Et lucentem
Sacram ancillam[66])?

[*Antistrophe* 1.]

Abierunt tibi sacrificia et chororum
Strepitus concinni per noctem,
Et aurea simulacra[67]),
Et Phrygum divinae lunae
Cum duodecima multitudine[68]).
Curae mihi hoc est, utrum cures aliquid, o rex,
Qui sedes in sede coelesti,
Et in aethere; postquam deleta est urbs,
Quam conflagrantem flammae
Impetus destruxit.

[*Strophe* 2.]

Hec.[69]) O chare, o marite,
Tu quidem mortuus erras
Insepultus, sine aqua lustrali;
Me vero marina navis
Velis mota vehet
Ad Argos, ubi muri
Lapidei, Cyclopei, altissimi existunt.
Liberorum vero multitudo in portis
Lachrymat aetate immatura.
Clamat mater, heu

63) Egressa es] sic Ed. 1558. (= Eurip. Ἐξῆλθες); Ed. 1562. Egressa est.

64) Et hanc tuam legem] sic Editt. 1558., Barn. (= Editt. Basil. 1551. et Barn. Σαυτοῦ νόμον δὲ τόνδε; Musgr., Fix.: Σαυτοῦ· νόμ. δὲ τ. — [digne] Te ipso; et hanc legem); Ed. 1562. Et tuam legem

65) ante] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. antea.

66) ancillam] sic Editt. 1558., 1562. (= Editt. Basil. 1551. et Barn. θεράπαιναν; Barn. vertit: sacerdotem); Musgr., Fix.: θεράπναν — sedem [Musgr.: summitatem].

67) Hic vs. praecedentem in Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.) proxime sequitur; in Ed. Barn. his interpositus est hicce: (Σεμναί τ' ὀλολυγαί·) — (Et venerandae ululationes;); in Editt. Musgr., Fix.: Καὶ παννυχίδες θεῶν — Et pervigilia Deorum.

68) Cum duodecima multitudine.] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. Σὺν δώδεκα πλήθει); Editt. recent. Συνδώδεκα πλήθει. — Barn.: Duodecim omnino numero.

69) *Hec.*] sic Editt. 1558., 1562.; in Editt. recent. aeque ac in Ed. Basil. 1551. haec verba sunt *Chori*.

Solam iam me Achivi
Avehent a tuis oculis
Caerulea in navi
Marinis remis,
Aut in Salaminem sacram,
Aut in bimarem verticem
Isthmi, ubi in portis
Pelopis sunt sedes.

[*Antistrophe 2.*]

Ubi miserae navis,
Per medium pelagus euntis,
Bifidum sacrarium,
Utinam in mediam navim incidat
Ignis fulmineus in Aegaeo mari,
Ex alto Ilio, quia me lachrymantem
Ancillam Graeciae ex patria effert.
Aurea vero specula virginum
Delicias habet
Iovis filia: utinam nunquam in terram
Patriam veniat,
Et in suam domum,
Neque in civitatem Pitane,
Et ad civitatem Argos,
Portans probrum coniugale
Graeciae magnae;
Troianis vero
Magnas miserias.
Heu novi cum novis commutati
Patriae casus.
Videte, Troianorum
Miserae coniuges, hunc Astyanacta
Mortuum, quem iactu tristi de turribus
Interfecerunt.

[*Talthybius, Hecuba, Chorus.*]

Talth. O Hecuba, una reliqua est navigatio,
Quae spolia, quae supersunt Achillei sepulchri,
Vehet ad littora Phthiotica.
Ipse Neoptolemus discessit, novas quasdam
Calamitates Pelei cum audivisset, quod ipsum ex patria
Eiecerit Acastus, Peliae filius.
Cuius causa citius, quam gratiam manendi habens,
Discessit; et cum ipso Andromache, quae multarum mihi
Lachrymarum causa fuit, quando discedebat ex terra,
Patriam lugens, et Hectoris
Tumulum alloquens. Et ea petiit a te,
Ut sepelias hunc mortuum, qui cadens ex muro
Amisit animam, filius tui Hectoris;
Et simul sepelias clypeum hunc aeneum, qui fuit terror Achivorum,
Quo pater huius circa latera indutus est:
Ne cogatur ipsum ferre in Pelei domum,
Neque in eundem thalamum, in quo erit sponsa
Mater huius cadaveris, ut videret monumentum doloris.
Sed pro cedrino feretro, et pro saxeo monumento
Sepelire eum in hoc clypeo, et in tua brachia
Iussit dare, ut adornes cadaver peplis
Et ornes coronis, quantam potes, ut tua nunc est fortuna.
Nam ipsa mater abiit; festinatio enim domini
Eripuit occasionem sepeliendi filium.
Nos igitur, dum tu adornas cadaver,
Terram interea circumscribentes, eruemus hasta.
Tu quam celerrime fac mandata.
Ab uno labore te liberavi.
Scamandri enim haec transiens fluenta,
Lavi cadaver, et detersi vulnera.
Sed vado facturus sepulchrum,
Ut accelerata vobis [70]) mea officia, et tua
Concurrentia, domum ducant navim.
Hec. Ponite tornatum clypeum in solo,
Triste spectaculum, et non gratum mihi.
O habentes maiorem tumorem potentiae, quam animi:
Quid hunc Achivi puerum metuentes, caedem
Novam patrastis, ne videlicet Troiam
Collapsam restitueret? nihili eratis homines.
Cum Hectore florente
Perditi simus, et cum adessent innumeri socii:
Nunc capta urbe, et deletis Phrygibus,
Tantillum puerum timetis? Non laudo metum,
Si quis metuit, cum non convenit.
O charissime, ut tibi miseranda mors supervenit.
Si adultus esses mortuus pro urbe;
Ducta uxore et in imperio [71]),

---

70) vobis] sic Editt. 1558., 1562. quasi legisset interpres ὑμῖν; Editt. recent. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) ἡμῖν — nobis.

71) in imperio] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. imperio; Musgr. Fix. (= text. gr.) nactus . . . imperium diis aequale.

Fuisses beatus, si quid horum est, quod dici possit beatum;
Nunc autem, cum tuarum rerum
Nihil scias, neque quicquam illarum expertus, interfectus es.
Infelix caput, ut te affixerunt misere
Moenia paterna, Apollinis aedificationes:
Quam plurimum excoluit mater caesariem,
Et deosculata est, inde erumpit
Interitus ossibus confractis, ut non dicam durius.
O manus, ut imaginem elegantem patris
Habuistis in articulis, iacetis iam dissolutae.
O gratum os, saepe magnas glorias proferens,
Periisti, fefellisti[72]), quando irruens in meam tunicam:
O mater, dixisti, Certe plures capillos
Crinium radam, et ad sepulturam tuam aequalium
Coetus adducam, dans mihi grata oscula[73]).
Tu non me, sed ego te multo minorem
Anus, exul, liberis orbata, sepelio miserum cadaver.
Heu multa oscula, et labores nutricationis
Et somni interrupti periere mihi. Quid
Scribet de te poeta in sepulchro?
„Hunc puerum interfecerunt Argivi olim,
„Metuentes eum: turpe fuerit epigramma hoc.
Sed o qui paternorum nihil nactus es bonorum, habebis tamen
Aeneum scutum, in quo sepelieris.
O pulcherrimum Hectoris brachium,
Quod tu servasti[74]): nunc perdidisti optimum tuum custodem.
Quam gratum est tuum vestigium in loco,
Et sudor est in tornato ambitu,
Quem ex fronte saepe laborans
Stillabat Hector, admovens genis.
Ferte, portate misero cadaveri suum ornatum
Pro praesenti statu; nam non pro tua dignitate fortunam
Dat Deus: ex iis, quae habeo, haec accipe.

72) fefellisti] Editt. recent. (= text. gr.) addunt: me.

73) dans mihi grata oscula] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) dans *tibi* grata [Musgr.: officiosa] alloquia.

74) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Ad scutum dicit haec.

„Stultus est inter homines, qui putans se esse beatum,
„Furens veluti homo, huc et illuc
„Firmiter consciscit gaudium[75]); fortuna enim per vices
„Transilit, et nullus habet stabilem fortunam.
Chor. Atque in manibus istae tibi ex spoliis
Phrygum adferunt ornatum cadaveri.
Hec. O fili, non equis vincentem te,
Neque vincentem aequales arcu, sicut Phrygibus mos
Est venantibus, non ad satietatem[76]),
Mater patris tui ponit ornamenta,
Ex tuis facultatibus, quae nunc tibi Diis invisa
Abstulit Helena; imo etiam tuam animam
Interfecit, et universam domum perdidit.
Chor. Heu tetigisti ipsas fibras animi,
O magnus aliquando existens rex civitatis.
Hec. Quae oportuit te induere corpori in nuptiis,
Ducentem nobilissimam Asiaticarum,
Haec ornamenta[77]) vestium induo tibi.
Tu vero, quae fuisti gloriosa infinitarum
Victoriarum mater, o chare clypee Hectoris,
Coroneris; morieris nunc cum hoc cadavere, quamquam non mortuus,
Quia multo magis quam cati
Et mali Ulyssis arma, dignum est te honore afficere.
Chor. Heu
O fili, quam tristi lamentatione terra
Excipiet te, lamentare, o mater.
Hec. Heu. *Chor.* Mortuorum lamentationem.
Hec. Heu mihi.
Chor. Heu tua intolerabilia mala.
Hec. Loris vulnera abstergam
Infelix medicus, nomen habens, non rem.
Caetera apud mortuos curabit pater tuus,
Chor. Percute manu caput, planctum
Dans manibus, hei mihi.
Hec. O charissimae mulieres.
Chor. Hecuba, tuas alloquere[78]).

75) consciscit gaudium] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: indulget gaudio (Eurip. χαίρει).

76) sicut Phrygibus — satietatem,] sic Editt. 1558., 1562.; Fix. eadem verba gr. sic vertit: quos mores Phryges Colunt, non nimium *his* studiis se dantes,

77) Haec ornamenta] sic Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. male: *Hec.* Ornamenta.

78) tuas alloquere.] haec in marg. Editt. 1558., 1562. sic explicantur: Id est, manda, impera tanquam tuis ea, quae vis.

Quid dicis?
Hec. Non est apud Deos aliud nisi meae miseriae,
Et Troia prae omnibus urbibus invisa.
Frustra sacrificavimus. Si vero nos Deus
Evertisset, desuper abiiciens[79]) sub terram,
Obscuri existentes non celebraremur,
Dantes carmina Musis ad posteros.
Discedite, facite tumulum misero cadaveri.
Habet enim coronas, quemadmodum inferis convenit.
„Existimo non multum referre mortuorum,
„An aliquis sortiatur locupletes inferias;
„Hoc enim tantum est inanis pompa viventium.
Chor. Hei misera mater, quae magnas
Spes de tua conceperat vita,
Qui fueras beatus ex parentibus
Bonis natus, *quam misera morte periisti!
Hec. Hem, quosnam in Ilii verticibus
Video flammeas manus torribus
Agitantes[80])?. Troiae
Novum aliquod malum aderit.
Talth. Edico manipularibus, qui ordinati estis incendere
Priami urbem, non amplius otiosam flammam
Manu tenete, sed ignem iniicite,
Ut evertentes urbem,
Navigemus domum alacres.
Vos autem (ut idem sermo peragat duo negotia)
Cedite, Troianorum filiae, quando arduum
Clangorem tubae dederint duces exercitus.
Ad naves Graecorum, ut navigetis ex terra.
Tu vero, o anus, miserrima mulier,
Sequere, traducent te ab Ulysse missi
Isti, cui te servam sors emittit ex patria.
Hec. Me miseram, hoc postremum
Et finis omnium meorum malorum est.
Egredior ex patria, civitas igne succenditur.
Sed, o senilis pes, accelera, quamvis aegre,
Ut adhuc salutem urbem.
O magnum aliquando spirans inter barbaros
Troia, inclytum tuum nomen mox amittes.
Cito incensa es, et nos educunt extra patriam
Servas, o Dii; sed quid Deos voco?
Prius enim non audiverunt nos invocati.
Age curramus in incendium; nam honestissimum mihi
Cum incensa patria mori.
Talth. Insanis propter tua mala.
Abducite eam, non parcite; Ulyssi oportet
In manum dare, et ei hoc munus mittere.
Hec. Eheu, eheu.
O Saturnie rex, genitor Phrygum
Pater, indigna Dardani
Posteritate vides qualia haec patimur.
Chor. Vidit. Haec vero magna civitas,
Non amplius civitas, periit,
Nil amplius est Troia.
Hec. Fulsit Ilium[81]),
Moenium ardent
Culmina, et civitas, et summitates murorum.
Chor. Fumus quasi alis circumdans, velut de
Coelo decidens incendium civitatem demittit in terram.
Usta sunt palatia, vastata igne,
Et hostili hasta.
Hec. O patria altrix meorum liberorum. *Chor.* Heu.
Hec. O liberi, audite, agnoscitis[82]) matris vocem.
Chor. Vocas mortuos lugubri voce,
Senilia ponens membra in solum,
Et utraque terram tegens manu.
Pono tibi genu succedens,
Sub terra meos
Miseros invocans maritos.
Hec. Agimur, ferimur. *Chor.* Rem tristem narras.
Hec. Ad servile palatium ducimur. *Chor.* Ex mea patria.
Hec. O Priame, tu quidem mortuus
Insepultus, et absque amicis, es ignarus meae miseriae.
Atra enim oculos tuos tegit
Mors, pium impia caede interfectum.
Heu Deorum templa, et chara civitas.
Chor. Heu cohibete letalem
Flammam, et belli hastam:

---

79) desuper abiiciens] sic (= text. gr.) Ed. 1558.; Ed. 1562. et desuper abiiciens.

80) Agitantes] sic Ed. 1558. mendo typogr.: Agitentes.

81) *Hec.* Fulsit Il.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Ed. Basil. 1551.) pro hoc uno vs. habent duos:
Hec. Vae, heu, hei, oh, ah!
1295 Splendet Ilium,

82) agnoscitis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. μάθετε) agnoscite.

Mox in vestram patriam venietis ignobiles.
Pulvis sicut fumus alatus surgit ad aerem,
Relinquitque meam domum deletam;
Nomen vero terrae vadit ignotum,
Alio modo alia res evanida est.
Nihil amplius est infelix Troia.
Hec. Cognovistis, audivistis
Arcis sonitum:
Terrae motus totam
Obruet civitatem.
Hei tremula membra,
Ferte meum vestigium.
Talth. Ite ad miseram
Servilem diem vitae.
Hei misera civitas, sed tamen nihilo minus
Promove pedem tuum
Ad naves Graecorum.

LXVII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO BACCHARUM EURIPIDIS.

Melanthonis interpretatio latina huius tragoediae legitur in *Xylandri* Editt. 1558., 1562., quibuscum Editiones recentiores *Barnesii*, *Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. addidi intra cancellos inclusas.

EURIPIDIS BACCHAE

PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum.

Bacchus receptus inter Deos, nolente Pentheo sacra eius recipere, in insaniam adducens matris sorores, coegit eas Pentheum dilaniare. Actio fabulae composita est apud Aeschylum in Pentheo [1]).

Personae fabulae.

Bacchus
Pentheus
Chorus ex Bacchis
Famulus
Tiresias
Nuntius
Cadmus
Alter Nuntius
Mulier.

Incipit Bacchus.

BACCHAE.

[*Bacchus, Chorus, Tiresias, Cadmus, Pentheus.*]

Bacchus.

Venio ad hanc Thebanorum terram, filius Iovis,
Bacchus, quem peperit Cadmi filia
Semele, enixa fulguranti igne.
Formam vero permutans ex Deo humanam,
Adsum ad fontes Dircae et Ismenum fluvium.
Et video sepulchrum matris ictae fulmine
Hoc iuxta domum, et aedium ruinas
Fumantes, adhuc viventem flammam divini ignis,
Perpetuam contumeliam Iunonis in meam matrem.
Laudo Cadmum, qui hoc solum inaccessum
Facit sacellum filiae; vitis vero ipsum

---

1) Haec veteris argumenti, quod graece in Eurip. Ed. Basil. 1551. legitur, interpretatio Melanthonis in Editt. 1558., 1562. exstat. Ed. Barn. idem argumentum graecum auctius exhibet cum hac interpretatione: Bacchus inter Deos receptus, quum noluit Pentheus sacra eius accipere, matris suae, Semelae, sorores ad insaniam adigens, coegit eas Pentheum dilacerare. Haec fabula tractatur etiam ab Aeschylo in Pentheo, traegoedia ita dicta; nomen tantum ab Euripide mutatur. Chorus ex mulieribus Bacchis constat. Scena autem fabulae est in Thebana regione.

Undique ego texi botriferis[2]) frondibus,
Relinquens aureas valles Lydorum
Et Phrygum Persarumque apricas glebas,
Et urbes Bactrianorum, et hyemalem terram
Medorum accedens, et Arabiam felicem,
Et Asiam universam, quae ad salsum mare
Iacet, mixtis Graecis et barbaris simul,
Multas habens bene munitas urbes.
Ad hanc primum veni civitatem Graecorum,
Illic agens choros, constituens mea
Sacra, ut sim notus Deus hominibus.
Primum vero Thebas huius terrae Graecanicae
Ululatu compleo, induens pellem corpori,
Et thyrsum dans in manus hederaceum,
Quia me sorores matris, quas minime oportuit,
Dicunt non natum esse ex Iove;
Sed Semelen compressam ab homine,
In Iovem contulisse culpam stupri,
Astu Cadmi: propter quod interfecisse eam
Iovem glorientur, quia finxisset hunc concubitum.
Ideo nunc ipsas expuli e domo
Per furorem, montes nunc inhabitant versae in furorem;
Coegi vero eas habere ornatum meorum sacrorum,
Et totum sexum femineum Cadmaeorum, quicquid
Est mulierum, expuli furore ex aedibus.
Simul vero filiabus Cadmi mixtae[3])
Viridibus sub abietibus sedent in excelsis saxis.
Oportet enim civitatem hanc experiri, etsi nolit,
Immunem existentem meorum sacrorum,
Me afferre defensionem pro matre,
Qui Deus factus sum, quem ipsa peperit Iovi.
Cadmus quidem et dignitatem et imperium
Pentheo tradidit nato ex ipsius filia,
Qui gerit bellum mecum, et a libationibus
Depellit me, et non habet mentionem mei in precibus.
Propter quae ostendam ei, quod sim Deus,
Et cunctis Thebanis; in aliam vero regionem,
Rebus hic bene compositis, transibo,
Ubi ostendero me ipsum. Si vero Thebanorum civitas
Per iram cum armis Bacchas in exilium pellere
Quaeret, admovebo exercitum Maenadum dux.
Propter quam causam, mutavi speciem humanam,
Et meam formam mutavi in virilem naturam.
Sed, o relinquentes Tmolum, montem Lydiae,
Sodalitium meum, mulieres, quas ex barbaris
Adduxi socias et comites mihi,
Tollite, quae sunt propria Phrygibus,
Tympana, Rheae matris et mea inventa.
Vos euntes circa hanc regiam domum
Penthei, pulsate, ut videat Cadmi civitas.
Ego vero cum Bacchis ad Cithaeronis iuga
Vado, ubi sum, et ero socius chori.
Chor. Ex Asia Tmolum
Relinquens curro, Baccho
Gratum studium et levem laborem[4]),
Bacchum celebrans Deum.
Quis in via?
Quis in atriis? cedat loco,
Et unusquisque sanctificet[5]), os benedicens
Legitimo ritu.
Semper celebrabo Dionysium[6]).

[*Strophe* 1.]

O felix, quicunque beatus sacra Deorum
Sciens, purificat vitam,
Et consecrat animam,
In montibus bacchans
Sacris purgationibus,
Et matris magnae
Orgia colens,
Thyrsumque quatiens.
Et hedera coronatus
Dionysium colit.
Procedite, Bacchae,
Bromium Deum, Dei filium,
Dionysium deducentes
Ex Phrygiis montibus
In vicos latos Graeciae,
Hunc Bromium,

2) botriferis (*βοτρυφόροις*)] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: racemiferis; Fix.: racemosis (Eurip. *βοτρυώδει*).

3) mixtae] sic (= Eurip. *ἀναμεμιγμέναι*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. mixta.

4) curro, Baccho — laborem,] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: saltans conficio Bromio *Baccho* Laborem iucundum fatigationemque facilem *levemque*.

5) sanctificet] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. sanctificent.

6) Dionysium etc.] sic h. l. et in seqq. Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Dionysum etc.

[*Antistrophe* 1.]

Quem olim tempore partus
Advolante fulmine Iovis
Abortivum mater
Edidit, relinquens vitam
Fulminis ictu.
Statim eum puerperis
Thalamis accepit Iupiter,
Et occultans in femore
Aureis claudit
Fibulis abditum, prae Iunone.
Peperit vero, quando Parcae
Perfecerunt cornutum Deum,
Et coronavit draconum
Coronis, unde praedam
Venatrices Maenades coronant
Suis crinibus.

[*Strophe* 2.]

O Thebae, nutrices Semeles,
Coronamini hedera
Florente, fertili, et
Smilace habente pulchros corymbos,
Et bacchamini quercus
Aut abietis frondibus ornatae,
Et vestem maculosarum pellium
Circumdate candidorum capillorum
Velleribus; iuxta vero superbas ferulas
Sanctificate: iamiam tota terra aget choros.
Bacchus ducit choros
In montem, ubi manet
Muliebris turba,
Relictis staminibus et radiis,
Percita furore Bacchico.

[*Antistrophe* 2.]

O contubernium Curetum,
Et divini Cretenses,
Iove geniti incolae,
Et galeati in antris.
Hunc[7]) rotundum orbem[8]), intentum corio
Invenerunt mihi Corybantes,
Simulque Bacchico acuto
Miscuerunt dulcissimam vocem Phrygum
Tibiarum flatu, matrisque Rheae in
Manus posuerunt, et sonum in cantibus Baccharum.
Iuxta illos furentes Satyri
Absolvebant matris Deûm
Choros.
Convenerunt ad festum triennale[9]),
Quibus festis delectatur Dionysius,

[*Epodus.*]

Laetus in montibus, quando
Ex choris pernicibus
Venit in planitiem, habens hinnuli
Sacram vestem, venans
Sanguinem hircorum, crudas delicias,
Tendens in montes Phrygios et Lydios.
Dux itineris Bacchus: evae[10]).
Fluit vero lacte terra,
Et fluit vino, et fluit apum
Nectare, Syriaci tanquam thuris fumus.
Ipse vero Bacchus gestans
Ignitam facem piceam,
Quae ex ferula agitatur,
Cursu et choris irritans vagantes,
Et clamoribus excitans,
Delicatas comas in aerem spargens;
Simul vero cum cantu sonat
Talia: O Bacchae, ite,
Ite Bacchae ad iuga
Tmoli, auro fluentis, deliciis
Canite Dionysum.
Cum tympanis grandisonis,
Evoe Evium
Celebrantes Deum,
Phrygio clamore et vociferatione:
Quando dulcisonans fistula
Sacra sacros
Ludos sonat,
Congrua euntibus
In montem:
Exultans[11]) sane,
Ut pullus, qui simul cum
Matre pascente

7) Hunc] sic (= Eurip. τόδε) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Huc.

8) rotundum orbem] hic orbis in marg. Editt. 1558., 1562. explicatur voce: tympanum.

9) Choros. Convenerunt ad f. tr.,] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. (= text. gr.) Ad choros vero Convenerunt Trietoridum,

10) Dux itineris Bacchus: evae.] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: Bromius autem *est* qui praecinit evoe.

11) Exultans] sic Editt. 1558., Barn. (= Eurip. Ἡδομένα; Musgr., Fix.: Gaudens); Ed. 1562. Exultant.

Celeriter currit,
Saltationibus Bacchi.
Tiresias. Quis in portis Cadmum evocat ex domo,
Agenoris filium, qui, urbe Sidonia
Relicta, aedificavit hanc urbem Thebanorum?
Eat aliquis, nuntia, quod Tiresias
Ipsum quaerat; scit vero ipse, cuius rei causa venio,
Quae pactus sum senex seni:
Gestare thyrsos et hinnulorum pelles habere,
Et coronare capita hederaceis germinibus.
Cadmus. O charissime, ut delectatus sum, audiens tuam vocem,
Sapientem ex viro sapiente, cum domi essem.
Venio paratus, hunc habens ornatum Dei.
Oportet enim nunc ipsum, qui est filius meae filiae,
Dionysium, qui hominibus declaratus est Deus,
Quantum nobis est possibile, magnopere honorare.
Ubi oportet choros agere? et ubi firmare pedem?
Et concutere canum caput? dux viae sis tu mihi,
Senex seni; tu enim sapiens es.
Non deficiam nec noctu nec interdiu
Thyrso pulsans terram; obliti sumus suavia
Ambo existentes senes. *Tir.* Eadem pateris, quae ego.
Cad.[12]) Et ego pubesco, et aggrediar mala.
Tir.[13]) Cur non vehiculo in montem transimus?
Cad.[14]) Verum non similiter Deus utique honoraretur?
Tir.[13]) Senex senem ducam te ego.
Cad.[14]) Ipse Deus sine labore illuc nos ducet.
Tir.[13]) Soline nos faciemus sacra Baccho?
Cad.[14]) Soli enim nos sapimus, caeteri desipiunt.
Tir.[13]) Cunctatio est longa, sed tu teneas meam manum.
Cad.[14]) Ecce iungo, et teneas meam manum.
Tir.[15]) „Non contemno ego divina, cum sim homo.
Cad.[15]) Non disputemus cum Diis:
Patrum traditiones, quas coaequales nos longo tempore
Tenemus, nulla evertit oratio,
Etiamsi cogitetur aliqua ratio in subtilissima mente.
Dicet aliquis, quod senectae nullam rationem habeam,
Quod iturus sum ad choros coronato capite.
„Non discernit Deus, sive iuvenem,
„Sive senem velit choros agere,
„Sed vult ab omnibus honorari
„Communiter, et neminem vult eximium habere[16]).
Quia[17]) vero tu[18]) lumen hoc non vides,
Ego te praemonebo sermone.
Pentheus autem ad domum libationis causa vadit,
Echionis filius, cui regnum huius terrae tradidi.
Ut est attonitus! quid dicit iracundius[19])?
Pen. Absens eram ex hac terra,
Nunc autem audio nova per hanc civitatem mala:
Mulieres nobis domos reliquisse,
Et cum errantibus Bacchis in umbrosis
Montibus colere hunc novum Deum,
Dionysium, quicunque est, honorantes eum choris,
Et ad thiasos in medio stare plena
Pocula, aliam vero alia in solitudine
Fugientem inservire complexui marium,
Hoc praetextu tanquam furentes sacrificent;
Sed ipsam Venerem pluris faciunt quam Bacchum.
Quotquot igitur cepi vinctas manibus,
Servant ministri in aedibus;
Quae vero absunt, eas venabor in montibus,

12) *Cad.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.); in Editt. recent. hic etiam vs. est *Tiresiae*.

13) *Tir.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.); Editt. recent. *Cad.*

14) *Cad.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.); Editt. recent. *Tir.*

15) *Cad.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.); Musgr., Fix.: *Tir.*; in Ed. Barn. *Cadmi* oratio, quae in hac Ed. a versu 199. orditur, hoc versu continuatur, eamque ob causam nomen eius non praefixum est.

16) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Deus omnibus colendus.

17) Quia] Musgr., Fix.: *Cad.* Quia.

18) tu] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) tu, Tiresia,

19) quid dicit iracundius?] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: quidnam dicet novi?

Ino, Agavenque, quae me Echioni peperit,
Et Actaeonis matrem Autonoen dico;
Et ipsas ferreis constringens in vinculis,
Cessare faciam ab illa improba bacchatione.
Dicunt vero, quod quidam venerit hospes
Impostor, praestigiator [20]) ex Lydia,
Flava et bene odorata coma,
Habens nigras Veneris gratias in oculis,
Qui dies noctesque conversatur illis,
Sacrificia offerens Bacchica puellis.
Quod si eum intra hanc domum cepero,
Cessare faciam a quassando thyrsos, et concutiendo
Comas, cervicem a corpore secans.
Dicunt hunc esse Dionysium Deum,
Qui olim in femore Iovis insutus fuerit:
Sane is periit incendio fulmineo
Una cum matre, quia divinas nuptias commenta est.
Num haec non digna sunt saeva strangulatione,
Hospitem afficere nos tanta contumelia?
Sed ecce aliud mirandum: ipsum vatem
Tiresiam in variis pellibus hinnulorum video,
Et patrem meae matris valde ridicule
Ferula bacchantem. Improbo, pater,
Senectutem vestram intuens delirantem.
Non abiicies hederam? non liberam
Manum dimittes a thyrso, pater meae matris?
Tu hoc ei persuasisti, Tiresia? hunc tu vis
Novum Deum inferre hominibus,
Captans mercedem novorum auguriorum et divinationum?
Quod nisi te cana senectus liberaret,
Vinctus sederes medius inter Bacchas,
Introducens sacra perniciosa; „mulieribus enim
„Quando fiunt nuptiae in convivio vinolento,
„In eiusmodi sacris nihil sani esse dico.
Chor. O hospes, non vereris Deos per pietatem,
Et Cadmum seminantem terrigenam segetem?
Cumque tu sis Echionis filius, contumelia tuos maiores afficis?
Tir. „Cum sapiens aliquis nactus est sermonis
„Bonas occasiones, non est ei arduum praeclare dicere.
Tu quidem habes linguam volubilem ut vir sapiens:
Tamen in tua oratione nihil sani inest.
„Homo ferox, potens, et [21]) qui dicere potest,
„Si non est sapiens, perniciosus est civis.
Hic vero novus Deus, quem tu derides,
Non queam dicere magnitudinem, quantus
Per Graeciam sit futurus. Duo enim, o adolescens,
Praecipua sunt inter homines, Ceres Dea,
(Terra autem est) et potus, vocato vero, quomodo vis.
Ipsa enim terra siccis alit homines;
Sed praestat contrarium Semeles filius,
Qui uvae humidam potionem invenit et attulit
Hominibus: „quae sedat hominibus
„Moestitias, quando implentur fluxu vitis;
„Et per somnum oblivionem malorum, quae quotidie accidunt,
„Dat, nec est aliud pharmacum curarum efficacius [22]).
Is nunc libat Diis, cum sit Deus,
Ut homines habeant bona propter ipsum.
Derides eum, quod insutus sit Iovis
Femori; docebo te, quam hoc se pulchre habeat.
Postquam ipsum rapuit ex igne fulmineo
Iupiter, et in Olympum duxit infantem recentem,
Iuno voluit eum eiicere de coelo.
Iupiter autem invenit contrarium consilium ut Deus,
Rumpens partem circumdantis terram
Aetheris, ibi collocavit, dans depositum hunc
Dionysum propter rixas Iunonis; postea
Homines dicunt eum enutritum in femore Iovis,
Nomen transmutantes, quod Deae Deus
Iunoni olim dederit obsidem, inde componentes nomen.
„Vates vero deus hic est; etenim ipsa bacchatio
„Et ipsa insania magnam vaticinandi vim habet.
„Quando enim hic deus in corpus venerit immodicus,

20) praestigiator] sic (= text. gr.) Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. et praestigiator.

21) potens, et] sic (= text. gr.) Ed. 1558.; Ed. 1562. et potens,

22) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vini usus.

„Dicere futura insanientes facit[23]).
Martis quoque partem assumpsit[24]);
Exercitum enim in armis et in procinctu stantem,
Metu perterrefecit, priusquam dimicaret.
Quae conservatio est furor a Baccho.
Praeterea videbis eum in Delphicis saxis,
Salientem cum facibus, et bicipitem rupem
Percutientem, et quatientem Bacchicas frondes,
Et magnum[25]) per Graeciam. Sed mihi, Pentheu, obtempera.
Ne putes te propter regnum potentiam in homines habere;
Sique id putas, cum tua opinio erret,
Ne existimes te sapere, sed Deum in terram recipe,
Et liba, et bacchare, et coronato caput.
Non ipse Dionysus coget impudicas esse
Mulieres; sed in natura
Inest pudicitia quocunque tempore.
Hoc considerandum est, etiam in Bacchanalibus,
Quae natura pudica est, non corrumpetur.
Vides? tu gaudes, quando adstant ad portas
Multi, et quando Penthei nomen urbs magnificat.
Et ille delectatur honore, ut arbitror;
Ego autem et Cadmus, quem tu derides,
Hedera coronabimur, et erimus in choro
Senile iugum, tamen eundum est ad chorum.
Nec pugnabo contra Deum, tuis sermonibus persuasus.
Insanis perniciose, et neque pharmacis
Remedium accipies, neque langues sine his.
Chor. O senex, Phoebum non dedecoras tuis dictis;
Et honore afficiens Bromium, sapis.
Cad. O fili, recte Tiresias te admonuit:
Habites nobiscum non extra leges.
Nunc enim volitas, et sapiendo desipis.
Si quidem non est Deus hic, ut tu dicis,
Apud te dicito, et mentire honeste,
Quod sit Semeles filius, ut videatur peperisse Deum,
Nobis vero omnibus et toti generi adsit honor.
Vides Actaeonis miserum interitum,
Quem crudivori canes, quos aluit,
Discerpserunt, praestantiorem in venatione
Quam Diana in sylvis gloriantem se esse.
Quod ne tibi accidat, veni huc, et coronato caput tuum
Hedera, et nobiscum tribue honorem Deo.
Pen. Nequaquam admovebis mihi manum; vade tu bacchatum,
Neque atteras stultitiam tuam mihi.
Hunc autem praeceptorem tuae dementiae
Aggredior poena. Eat aliquis quam primum,
Profectus ad sedes, ubi vaticinatur,
Vectibus tridentis everte eas retro,
Sursum et deorsum omnia miscens simul,
Coronas ventis et procellis dimitte.
Maxime ipsum mordebo hoc faciens.
Vos reliqui euntes per civitatem, investigate
Illum effeminatum hospitem, qui introducit morbum
Novum mulieribus, et connubia contumelia afficit.
Et si ceperitis, vinctum adducite
Huc eum, ut lapidationis poenam nactus
Moriatur, videns acerba Bacchanalia in Thebis.
Tir. O miser, nescis, quo vadis sermone,
Iam insanis, et ante mens mota est.
Eamus nos, Cadme, et precemur
Pro isto, quamquam existente saevo,
Et pro civitate Deum, ne quid ferocius
Faciat; sed sequere me hederaceo cum baculo.
Et tentes firmare meum corpus, et ego tuum.
Senes enim simul euntes cadere turpe est; et tamen
Baccho, Iovis filio, serviendum est.
Pentheus vero utinam non luctum adferat familiae
Tuae, Cadme; hoc non dico vaticinando,
Sed experientia. „Stulta enim stultus loquitur.

[*Strophe* 1.]

Chor. Sancta veneranda Deorum[26]),
Sancta, quae in terra
Aureas alas fers,
Haec Penthei audis?
Audis profanam iniuriam

---

23) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Divinatio furentium et ebriorum.

24) H. l. ibid. nota marg.: Id est, bellator.

25) magnum] sic (= Eurip. Μέγαν) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. magnam.

26) Sancta ven. Deorum] his in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est explicatio: Id est, Nemesis.

Adversus Bromium, Semeles filium,
Ad laeta convivia
Praecipuum Deum? qui hos ritus habet,
Tripudiare choreis,
Et laetari cum tibiis,
Et sedare curas,
Quando venerint uvae
Deliciae in conviviis Deorum,
Quando in hederaceis compotationibus
Poculum circumdat somnum habentibus.

[*Antistrophe* 1.]

„Effraenati oris,
„Et enormis insaniae
„Finis est infortunium [27]).
„Tranquilla autem
„Vita et prudentia
„Stabilis manet, et firmat
„Domum; procul enim quidem sunt, et in aethere
„Habitant Dii, tamen res mortalium vident.
„Nimis esse callidum, non est sapientia;
„Et non mortalia sapere,
„Decurtat vitam; propter hanc causam
„Aliquis, qui sectatur magna,
„Non fruitur praesentibus.
„Isti sunt mores insanientium,
„Et stultorum, meo quidem iudicio.

[*Strophe* 2.]

Utinam veniam in Cyprum
Ad insulam Veneris,
Ubi pascuntur mulcentes animos
Hominum amores.
Et utinam in Paphum, ubi centum ostiis
Barbari fluminis fluxus
Frugiferam reddunt terram, carentem imbribus,
Ubi pulcherrima
Pieria Musarum sedes est,
Sacer clivus Olympi.
Illuc duc me,
Bromie, Bromie,
Bacche Deus.
Ibi sunt Charites,
Ibi est Amor,
Illic vero Bacchis
Lex est celebrare orgia.

[*Antistrophe* 2.]

Hic Deus, filius Iovis,
Gaudet conviviis,
„Et amat divitiarum datricem
Pacem, iuvenum altricem Deam.
Aequalem et diviti
Et pauperi dat habere
Vini delectationem, carentem tristitia;
Odit vero, cui haec non sunt curae,
Per diem et gratas noctes
Laetum vivere.
Sapientia est, abstinere
Animum mentemque
A temerariis viris.
Et quod vulgus
(Etiamsi sit deterius)
Sentit, et quod in moribus habet,
Hoc mihi etiam placet.

[*Pentheus, Famulus, Bacchus, Chorus.*]

Fam. Pentheu, adsumus capta hac praeda,
Ad quam nos misisti, neque conati sumus irrita.
Ista bestia fuit nobis placida, neque subtraxit
Pedem fuga, sed non invita tradidit manus,
Neque expavescens; neque mutavit rubras genas,
Sed ridens et ligari et abducere se passa est,
Et mansit, faciens mandatum meum obsequenter.
Ego autem prae pudore dicebam: O hospes, invitus
Duco te, sed mandato Penthei, qui misit nos.
Quas porro tu Bacchas incluseras et rapueras
Et ligaveras in vinculis publici carceris,
Abierunt, solutae ad sacrum nemus
Saliunt. Bromium invocantes Deum,
Sua sponte vincula pedum ipsis soluta sunt,
Et vectes remiserunt ianuas sine mortali manu.
Hic vir venit plenus miraculis
Ad Thebas; tibi sunt alia curae.
Pen. Prehendite manus istius, cum sit iam in cassibus;
Non est adeo celer, ut me effugiat.
Atque, o hospes, corpore non es [28]) deformis,

27) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Linguae damnum.

28) es] sic (= Eurip. εἶ) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. est.

Tanquam inter mulieres[29]), propter quas etiam Thebas venisti.
Coma tua prolixa, non in palaestra ita compta,
Circa genas fusa, plena amore.
Album vero colorem ex composito factum habes,
Non radiis solis, sed in umbra
Venerem pulchritudine captas.
Dic mihi primum, quisnam sis genere?
Bac. Absit arrogantia; facile est hoc dicere.
Tmolum novisti ornatum floribus?
Pen. Novi, qui Sardes circumdat in orbem.
Bac. Inde sum. Lydia vero mihi est patria.
Pen. Unde haec sacra adfers in Graeciam?
Bac. Bacchus nos initiavit, filius Iovis.
Pen. Est ibi aliquis Iupiter, qui gignat novos Deos?
Bac. Non; sed qui hic Semelem iunxit sibi nuptiis.
Pen. Utrum noctu te an interdiu coegit[30])?
Bac. Cernens cernentem; et tradidit haec sacra.
Pen. Haec orgia[31]) quae sunt, et quam habent formam?
Bac. Non dicenda non initiatis Bacchicis sacris.
Pen. Quid opis sacrificantibus adferunt?
Bac. Non est fas te audire; sunt autem cognitu digna.
Pen. Recte hoc fucasti, ut velim audire.
Bac. Deus odit impie celebrantem orgia.
Pen. Tu dicis te vidisse Deum palam; qualis erat?
Bac. Qualis voluit; non enim ego ordinabam hoc.
Pen. Hoc certe praetervectus es, bene nihil dicens.
Bac. „Recta dicens apud imperitum, delirare ei videtur.
Pen. Venisti primum huc, hunc adducens Deum?
Bac. Tota regio barbarica saltat haec orgia.
Pen. Sapiunt peius omnibus Graecis.
Bac. In hac re longe melius; sed leges sunt dissimiles.
Pen. Haec vero sacra noctu an interdiu facis?
Bac. Noctu plurimum; tenebrae enim habent aliquid reverentiae.
Pen. Istud ergo mulieribus dolosum est et languidum.
Bac. Etiam interdiu invenit aliquis turpia facta.
Pen. Te vero poenam dare oportet propter impia sophismata.
Bac. Te vero propter stoliditatem, qui es impius erga Deum.
Pen. Quam ferox est iste Bacchicus sacerdos[32]), neque imperitus sermonum.
Bac. Dicas, quid oporteat pati me, quam poenam mihi statues?
Pen. Primo praecidam mollem capillum tuum.
Bac. Sacer est capillus, et Deo ipsum nutrio.
Pen. Deinde thyrsum hunc trade ex manibus.
Bac. Ipse tu mihi eripe; hunc enim Baccho fero.
Pen. Tuum corpus custodiam in vinculis.
Bac. Solvet me Deus iterum, cum ego voluero.
Pen. Quando vocabis eum, stans inter Bacchas.
Bac. Et nunc quae patior, videt prope adstans.
Pen. Et ubi est? non enim conspicuus oculis meis.
Bac. Mecum; tu cum ipius sis, non vides eum.
Pen. Comprehendi te; contemnit me et Thebas.
Bac. Ego sanus vobis errantibus edico, ne me ligetis.
Pen. Ego vero ligare te, qui sum praestantior.
Bac. Non scis, quod vivis; neque vides, quis sis.
Pen. Pentheus, Agaves filius ex patre Echione.
Bac. Idoneus es habere malam fortunam iuxta nomen tuum[33]).
Pen. Abi; constringite eum iuxta equestre
Praesepe, ut videat tenebras.
Ibi salta; istas vero, quas adducis
Adiutrices mali, aut vendemus,
Aut manum a strepitu hoc et byrsae sonitu
Compescens, ponam ancillas ad telam.
Bac. Vado; nam quod non est fatale, non est necesse

29) Tanquam inter mulieres,] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Ut ad mulieres *alliciendas*,

30) coegit] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: compulit *ad haec sacra*?

31) orgia] Ed. 1562. mendo typogr.: origia.

32) iste Bacchicus sacerdos] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: iste Bacchus; Fix.: iste bacchator (Eurip. ὁ Βάκχος).

33) iuxta nomen tuum.] haec in marg. Editt. 1558., 1562. sic explicantur: πένθος, dolor; inde Pentheus, quasi dolorosus.

Pati; sed propter hanc contumeliam poenam
Infliget tibi Bacchus, quem tu nihil esse dicis.
Nos enim laedens, illum ducis in vincula.

[*Strophe.*]

Chor. Acheloi filia,
Veneranda virgo Dirce,
Tu in tuis fontibus
Infantem Iovis accepisti,
Quando ad femur Iupiter ex divino igne
Rapuit eum,
Haec clamitans:
Io Dithyrambe, meum
Masculum uterum subeas,
Ostendam te,
Bacche, Thebis celebrandum.
Tu vero me, o beata Dirce,
Coronatos repellis
Coetus habentem in te.
Quare me aspernaris? quare me fugis?
Posthac, per racemosi[34])
Dionysii delicias vitis,
Tibi Bromii cura erit.

[*Antistrophe.*]

Qualem iram
Ostendit ex terra
Natus ex dracone
Pentheus, quem Echion
Genuit terra editus,
Immane monstrum,
Non hominem mortalem,
Sed homicidae instar gigantis
Pugnantem cum Diis;
Qui me laqueis ancillam
Bromii cito ligabit.
Meum intus habet
In domo chori ductorem,
Abditum in tenebricoso carcere,
Vides haec, o Iovis fili,
Bacche, tuos Prophetas[35])
In certamine periculi extremi?
Veni aureo vultu quatiens
Thyrsum per Olympum,
Et cohibe petulantiam saevi viri.

[*Epodus.*]

Nam ad Nyssam,
Ferarum altricem, thyrsum ferens
Agis chorum, o Bacche, aut
In Corycio vertice,
Aut fortassis in Olympi sylvestribus
Thalamis, ubi aliquando
Orpheus cithara ludens
Congregabat arbores
Cantu, congregabat feras bestias.
O divina Pieria,
Colit te Bacchus
Et veniet ducturus choros
Cum bacchationibus.
Celerem vero
Transiens Axium,
Ducet[36]) agitatas Maenades
Per Lydiam, felicitatis
Mortalibus largitorem et parentem,
Quem audivi equestrem regionem aquis
Limpidissimis rigare.
Bac. Io, audite meam vocem:
Io Bacchae.
Chor. Quis hic? quis? Unde sonitus
Bacchi vocat me?
Bac. Io iterum voco,
Semeles Iovisque filius.
Chor. Io domine,
Venias nunc ad nostrum chorum,
O Bromie.
Solum terrae commotione sacra quatitur[37]).
Hei mox Penthei domus
Concutietur ruinis.
Bacchus est in domo,
Colite ipsum.
Semich. Colimus; o
Videte lapideos cuneos columnarum
Trementes:
Bromius concussit domum intus.
Semich. Incende fulmineam flagrantem facem,
Combure domum Penthei.
Semich. Non vides ignem, neque cernis
Circa sacrum sepulchrum Semeles,
Quam olim fulmineum

---

34) racemosi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) racemosas.

35) tuos prophetas] sic Editt. 1558., 1562. (= Eurip. Ed. Fix. σοὺς προφήτας); Barn., Musgr. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) σὰς προφήτας — tuas sacerdotes.

36) Ducet] sic (= Eurip. ἄξει) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Ducit.

37) Solum — quatitur.] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. Solum — quatit? Musgr.: Solum terrae contremiscit, o Diva; Fix.: Soli terrae concussio sacra!

Tonitru Iovis reliquit flammam[38])?
Evertite ad solum tremulam domum,
Evertite, o Maenades;
Rex enim accedit, sursum deorsum ponens
Hanc domum, Bacchus, Iovis filius.

[*Bacchus, Chorus, Pentheus, Nuntius.*]

Bac. Barbarae mulieres, adeone consternatae metu,
Ad solum cecidistis? gavisae estis, ut videtur, Baccho
Concutiente domum Penthei; sed tollite
Corpus, et confirmate membra, omisso tremore.
Chor. O lumen nobis maximum Bacchici furoris,
Ut libens te vidi, cum prius haberem solitudinem.
Bac. Veneratis in desperationem, quando mittebar
Tanquam casurus in atrum carcerem Penthei.
Chor. Quomodo enim? nemo mihi dux esset, si tibi aliquid mali accideret.
Sed quomodo liberatus es, in virum impium incidens?
Bac. Ipse me ipsum liberavi facile sine labore.
Chor. Non ligavit tuam manum in vinculis?
Bac. In his etiam elusi eum, quia ligare me putans,
Neque attigit, neque nexuit nos, sed pascebatur inani spe.
Inveniens taurum ad praesepia, ubi conclusit nos,
Huic iniecit laqueos ad genua et pedes,
Iracundiam spirans, et sudorem a corpore stillans,
Labris dans dentes; ego prope
Quietus sedens adspexi. Interea temporis
Concussit veniens Bacchus domum, et in matris sepulcro
Ignem succendit; hic vero, ut vidit, domum ardere putans,
Saltans huc et illuc, famulis aquam ferre
Iubet; omnes erant occupati frustra laborantes.
Omittens vero hunc laborem, tanquam me elapso
Fertur gladium atrum rapiens intra domum.
Deinde Bromius (dico, ut mihi visum est)
Fecit spectrum in aula, ad quod tendens Pentheus
Saltabat, et pugnabat, spectrum pro me interfecturus.
Caetera Bacchus ipsum laedit,
Domumque ad solum diruit, et tota contrita est
Videnti mea vincula ipsi acerba; prae defatigatione
Amittens gladium languescit; adversus Deum enim
In pugnam venire ausus erat. Ego placide Bacchas ducens e
Domo, venio ad vos, Pentheum non curans.
Et, ut mihi videtur, strepit solea in domo:
Cito in vestibulum veniet. Quidnam propter ista dicet?
Sustinebo eum facili animo, etiamsi valde iratus venerit.
„Sapientis enim viri est, exercere moderatam iracundiam.
Pen. Atrocia patior; effugit hospes,
Qui modo vinculis erat constrictus.
Eia hic est vir. Quid hoc rei est? quomodo ante vestibulum
Conspiceris egressus meam domum?
Bac. Siste pedem, et quietum pedem irae pone.
Pen. Unde tu excussis vinculis egressus es?
Bac. Nonne dixi? nonne audivisti, quod esset soluturus me aliquis?
Pen. Quis? semper enim adfers novos sermones.
Bac. Qui gignit foecundam vitem hominibus.
Pen. An tribuis hoc tantum bonum Baccho?
Bac. Claudere iubeo omnes turres circumcirca.
Pen. An non transcendunt muros Dii?
Bac. Sapiens satis es, praeterquam in iis, in quibus oportebat sapere.
Pen. In quibus maxime opus est, sum sapiens.
Bac. Istius vero sermones audiens primum disce,
Qui ex monte adest aliquid nuntiaturus tibi;
Nos vero hic manebimus, nec fugiemus.
Nun. Pentheu, imperator huius Thebanae terrae,
Venio relinquens Cithaeronem, ubi nunquam
Liquescunt sacri cumuli candidae nivis.
Pen. Quid vero nuntiatum venisti?
Nun. Ego, qui conspexi Bacchas furentes, quae ex hac terra

38) Quam olim — flammam?] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: quam *illa* quondam fulmine percussa reliquit flammam de Iovis fulgure?

Per furias extulerunt candidum pedem,
Venio cupiens nuntiare tibi et urbi,
Quam miranda faciant et miraculum superantia.
Sed cupio audire, utrum tibi libere
Dicere possim ea, quae inde fero, an sermonem contineamus?
Metuo enim celeritatem animi tui,
Et iracundiam, et mores nimium tyrannicos.
Pen. Dicito, quia prorsus eris sine poena.
„Iustis enim non est irascendum.
Quo dixeris atrociora de Bacchis,
Tanto magis hunc praebentem artes
Mulieribus obiiciemus poenae.
Nun. Pecudes vitulorum gregatim iam ad verticem
Paulatim ascendebant, quando sol
Radios emittebat calefaciens terram;
Video tres coetus muliebrium chororum,
Quibus praeerat, uni quidem Autonoe[39]), alteri
Agave mater tua, tertio vero Ino.
Dormiebant vero omnes corporibus remissis,
Aliae inclinantes tergum ad frondes abietis,
Aliae in foliis quercus ad solum caput
Casu ponentes modeste: non, ut tu ais,
Ebrias poculo et strepitu tibiae
Venari Venerem in sylvis incitatas amore marium.
Tua vero mater inter medias ululavit
Stans Bacchas, ex somno movens corpus,
Postquam audivit mugitum boum.
Hae vero abstergentes gratum ab oculis somnum,
Surrexerunt erectae, videres miraculum modestiae,
Iuvenes, anus, virgines et innuptae.
Et primum quidem demiserunt comas in humerum,
Et induerunt pelles, quibus nodorum
Vinculum solutum erat, et varias pelles
Serpentibus cinxerunt, lambentes genam[40]).
Aliae in ulnis capream aut catulos luporum
Feros gestantes, dabant candidum lac,
Quibuscunque nuper parturientibus mamma erat turbida,
Infantibus relictis domi; et imposuerunt sibi hederaceas
Coronas, et quernas, et ex smilace florida.
Aliqua vero thyrsum accipiens, percussit petram,
Unde exilit humor aquae roridus.
Alia misit ferulam in terram,
Et hac parte emisit Deus fontem vini.
Quibus vero desiderium lactis aderat,
Summus digitis dividentes terram,
Habebant copiam lactis; ex hederaceis
Thyrsis stillabant flavi mellis humores:
Ita ut, si affuisses, Deum, quem nunc vituperas,
Votis aggressus esses, adspiciens haec.
Convenimus vero bubulci et pastores ovium,
Mutuis sermonibus dantes invicem rixam,
Quod horrenda facerent et miraculis digna.
Atque quispiam erro serens sermones in urbe
Dixit ad omnes: O sacra iuga
Montium habitantes, vultis venabimur
Agaven[41]), matrem Penthei, ex bacchanationibus,
Remque gratam regi faciemus? bene nobis dicere
Visus est: in insidias sub frondes fruticum
Abdimus nos ipsos; illae vero constituta
Hora movebant[42]) thyrsum ad Bacchanalia,
Iacchum pleno ore, Iovis filium,
Bromium invocantes: totus mons plenus fuit clamore,
Et omnes ferae, nihil erat immotum cursu.
Agave vero saltabat prope me.
Ibi ego exilii tanquam capturus eam,
Fruticetum relinquens, ubi occultaveram corpus.
Illa autem exclamavit: O celeres meae canes,
Iuvestigamur a viris istis; quare sequimini me,
Sequimini, thyrsis manibus armatae.
Nos itaque fugientes declinavimus
Lacerationem Baccharum. Ipsae vero[43]) pascentes herbam
Vitulos invaserunt cum manu non armata ferro.

---

39) Autenoe] Ed. 1558. mendo typogr.: Autonoe.

40) lambentes genam] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: *ad* lambentem genam (= Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. *λιχμῶσαν γένυν*); Musgr., Fix.: lambentibus genam (= Ed. Fix. *λιχμῶσιν γένυν*).

41) Agaven] sic (= *Ἀγαυὴν*) Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. Agavem.

42) movebant] sic Ed. 1558. (= Eurip. *ἐκίνουν*; Musgr., Fix.: commovebant); Ed. 1562. movebunt.

43) Ipsae vero] sic (= Eurip. *αἱ δὲ*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Ipse vero.

Et unam[43a]) Baccham videres pinguem iuvencam
Mugientem habere in medio manus.
Aliae vero vaccas distrahebant lacerationibus.
Vidisses aut latus aut pedem bifidum
Iaci sursum et deorsum; pendentia vero
Stillabant inter abietes madefacta sanguine;
Tauri vero irati, et obvertentes cornua
Ante, sternebantur corporibus ad terram,
Impulsi innumeris manibus puellarum;
Citius vero distrahebantur tergora,
Quam tu contrahas palpebras a pupillis[44]).
Vadunt autem sicut aves levatae cursu
Ad planos campos, qui iuxta flumen Asopi
Fructuosam emittunt segetem Thebanam,
Et ad Hysias umbras[45]), quae sub Cithaeronis iugo
Infra habitant, tanquam hostes
Irruentes, omnia sursum atque deorsum
Dissipaverunt, rapuerunt etiam ex aedibus liberos,
Quos in humeros posuerunt, et sine vinculis
Adhaerebant, neque cadebant ad nigram terram.
Non aes erat, neque ferrum; sed in capillis
Ignem ferebant, neque tamen urebantur. Isti vero irati
Ad arma versi sunt incitati a Bacchis.
Ubi quidem erat videre spectaculum mirum, o rex.
Has[46]) enim non cruentabat ulla hasta,
Illae autem thyrsos emittentes manibus
Vulnerabant et cogebant terga vertere
Viros divinitus.
Rursus vero ibant, unde venerant,
Ad fontes ipsos, quos emisit ipsis Deus;
Abluerunt sanguinem, et guttam ex genis
Lingua serpentum abstergebant a corpore.
Deum igitur hunc, quisquis est, o domine,
Recipe in civitatem, qui et in reliquis magnus es.

43a) unam] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. male: unum.

44) Citius — pupillis.] haec in marg. Editt. 1558., 1562. explicantur: id est, uno momento.

45) Et ad Hysias umbras,] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Et [*ad*] Hysias et Erythras,

46) Has] sic (= Eurip. *Τὰς*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Hos.

47) est,] sic (= Eurip. *ἐστ'*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. es,

Etiam illud dicunt, ipsum, ut audio,
Vitem[48]) sedatricem dolorum dedisse hominibus.
„Vino enim sublato non est Venus,
„Neque ulla alia voluptas hominibus posthac.
Chor. Metuo loqui sermones liberos
Ad tyrannum; sed tamen dicetur:
Bacchus inferior nullo Deorum est.
Pen. Iam prope sicut ignis inceditur haec
Baccharum petulantia, ingens dedecus inter Graecos.
Verum non cunctandum est. Vade ad Electrae
Portas, et iube omnes scutatos
Equorum convenire celerum conscensores,
Et quotquot vibrant peltas, et manu arcuum
Pulsant nervos, quia exercitum ducemus
Contra Bacchas. Non enim potest quicquam maius accidere,
Quam si a mulieribus patiemur, quae patimur.
Nun.[49]) Non obtemperas, audiens meos sermones,
Pentheu; male vero a te cum tracter, tamen
Dico te non debere arma inferre Deo,
Sed quiescere. Bromius enim non cedet
Agitanti Bacchas a sacris montibus.
Pen. Nequaquam mihi persuadebis, sed vinctus elapsus
Servabis hoc, aut rursus tibi infligam poenam.
Nun.[49]) Potius velim illi sacrificare, quam furens
Calcitrare adversus stimulum Dei, ipse homo.
Pen. Mactabo caedem femineam, ut meritae sunt,
Valde turbans eas in Cithaeronis iugis.
Fugabuntur[50]) omnes, quamquam turpe est, scuta
Aenea obvertere thyrsis Baccharum.
Nun.[51]) Negotium habeo cum intractabili hospite,

48) Vitem] sic (= Eurip. *ἄμπελον*) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Vitam.

49) *Nun.*] sic Editt. 1558., 1562., Barn. (= Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr.); Musgr. (in interpr.) et Fix. multo aptius: *Bacch.*

50) Fugabuntur] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Fugietis. — In Editt. 1558., 1562., Barn. et Basil. 1551. hic versus et sequens sunt *Penthei*, in Ed. Fix. *Bacchi*; Musgr. in textu cum Barn., in interpr. cum Fixio hac in re congruit.

51) *Nun.*] sic Editt. 1558., 1562., Barn. aeque ac Ed. Basil. 1551. et Musgr. in textu; Musgr. in interpr. et Fix. *Pentheus.*

Qui neque patiens, neque agens quiescet:
Quando quidem[52]) adhuc ista recte componi possunt.
Pen. Quid faciendo an serviendo mihi?
Nun.[53]) Adducam huc mulieres sine armis.
Pen. Heu hoc machinaris adversus me fraudulenter.
Nun. Quidnam, si te servare cupio meis artibus?
Pen. Conspirastis communiter inter vos, ut bacchemini usque.
Nun. Pactus quidem sum, cum Deo nimirum.
Pen. Efferte mihi arma; tu desine loqui.
Nun. Vis eas in montibus una sedentes videre?
Pen. Maxime, dans magnum auri pondus.
Nun. Quomodo incidisti in hoc desiderium?
Pen. Cum dolore viderem eas ebrias.
Nun. Num cupis libenter videre tristia?
Pen. Sic est, tacite sedens sub abietibus.
Nun. Verum investigabunt te, etiamsi velis latere.
Pen. Ergo palam videbo; recte hoc dixisti.
Nun. Ducam igitur te; aggredere viam.
Pen. Duc quam celerrime; propter moram non irascor.
Nun. Indue byssinam tunicam.
Pen. Curnam? an fiam ex viro mulier?
Nun. Ne te interficiant, si vir ibi videaris.
Pen. Recte dixisti; es sapiens iam pridem.
Nun. Bacchus nos docuit haec.
Pen. Quomodo igitur fient ista, quae tu me mones?
Nun. Ego ornabo te vadens intra domum.
Pen. Quo ornatu? an femineo? sed pudet me.
Nun. Non amplius cupis spectare bacchantes?
Pen. Quam vero vestem ais te iniecturum mihi esse?
Nun. Prolixam comam ad caput tuum extendam.
Pen. Quis deinde ornatus mihi erit[54])?
Nun. Longa vestis et supra caput erit mitra.

---

52) Quando quidem] sic Editt. 1558., 1562., Barn, (= Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. Ὅταν); Musgr. in interpr. et Fix. [in quibus Editt. hic vs. *Bacchi* est] O amice (= Ed. Fix. Ὦ τᾶν).

53) *Nun.*] sic h. l. et in seqq. (usque ad vs. 839.) Editt. 1558., 1562., Barn. (aeque ac Ed. Basil. 1551. et Musgr. in textu); Musgr. in interpr. et Fix. *Bacch.*

54) Quis deinde orn. m. e.] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Quid deinde orn. m. e.; Editt. recent. (= text. gr.) Secunda vero species ornatus quaenam *erit* mihi?

Pen. Num ad haec et aliud quiddam appones mihi?
Nun. Thyrsum manibus, et variam hinnuli pellem.
Pen. Non possum femineam induere vestem.
Nun. Sed sanguinem effundes, committens proelium cum Bacchis.
Pen. Oportet ire primum ad explorandam rem.
Nun. Rectius hoc, quam malis capere mala.
Pen. Quomodo autem per urbem ibo, ut non videar a Thebanis?
Nun. Per vias latentes ibimus; ego dux ero.
Pen. Omnia sunt potiora, quam ut rideat a Bacchis.
Euntes domum, ea quae videntur deliberabimus[55]).
Nun.[56]) Ubique licet: meum obsequium adest tibi.
Pen.[57]) Vado; aut enim armatus ibo,
Aut[58]) tuo consilio obediam.
Bac. Veniet ad Bacchas, ubi moriens poenam dabit.
O mulieres, hic vir obvius est iactui nostro.
O Bacchae, nunc autem opus est (non enim procul est),
Ut ulciscamur eum: primum eripiam ei mentem
Immittens levem rabiem, ut sanus
Non velit induere femineam vestem,
Sed insaniens induet.
Nunc volo ipsum fieri risum Thebanis
In habitu femineo ductum per urbem,
Ex prioribus minis, in quibus erat violentus.
Sed vado ornatum (quo accepto, ad inferos
Vadet interfectus maternis manibus)
Pentheo induens. Cognoscet vero Iovis filium,
Bacchum, qui est inter Deos praecipuus,
Hominibus et asperrimum et clementissimum.

[*Strophe.*]

Chor. Ergo in nocturnis choris
Ponam aliquando album

---

55) Euntes — deliber.] hic vs. in Editt. 1558., 1562. *Penthei* est; in Editt. Basil. 1551., Barn., et Musgr. in text. gr. *Nuntii*; in interpr. Musgr. et in Ed. Fix. *Bacchi.*

56) *Nun.*] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. et Fix. (aeque ac Ed. Basil. 1551. et Musgr. in text. gr.) *Penth.*; in interpr. Musgr. hic vs. una cum praeced. vs. *Bacchi* est.

57) *Pen.*] sic Editt. 1558., 1562., Musgr. in interpr.; in Ed. Fix. non solum hic vs. cum seq., sed etiam proxime praecedens *Penthei* sunt (vid. not. 56.); Barn. (aeque ac Ed. Basil. 1551. et Musgr. in text. gr.) *Nun.*

58) Aut] sic (= Eurip. Ἤ) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Ac.

Pedem bacchans,
Collum in roscidum aerem
Iactans, veluti caprea, in viridantibus
Deliciis prati vagabunda,
Quando effugerit formidandam
Venationem extra custodias
Super retia contexta.
Vociferans vero venator
Intendit cursum canum.
Et laboribus et celeritate
Saltat ad locum irriguum, oblectata
Solitudine,
Inter ramos opacae sylvae.
„Quod est praestantius aut melius
„Munus Deorum inter homines,
„Quam manum supra verticem
„Hostium victricem[59]) habere?
„Quod pulchrum, semper est gratum.

[*Antistrophe.*]

„Venit vix, sed tamen tandem
„Certum divinum
„Auxilium. Punit vero Deus
„Homines impietatem
„Colentes, et non divina
„Celebrantes furente animo[60]).
„Occultant Dii varie
„Longo tempore pedem, et
„Tandem venantur[60a]) impium; non
„Enim aliquid, quod sit supra leges,
„Meditari convenit, aut sapere.
„Valde utile est existimare
„Robur habere, quidquid est illud, quod est divinum,
„Et vetera
„Iura, et religiones, quae sunt a natura ortae.
„Quod est prudentius aut pulchrius
„Deorum munus hominibus datum,
„Quam manum supra verticem
„Hostium superatorum attollere?
„Quod pulchrum est, semper est charum.

[*Epodus.*]

„Beatus ille, qui ex mari
„Effugit fluctus, et attigit portum.
„Beatus, qui evasit
„Ex periculis; alius vero alium aliis
„Divitiis et potentia praecessit.
„Infinitae infinitis
„Supersunt spes. Hae quidem
„Felices[61]),
„Aliae irritae. Hunc vero, cui in diem
„Est tranquilla vita, laudo.

[*Bacchus, Pentheus, Chorus, Nuntius.*]

Bac. Te cupidum videre ea, quae non fas est,
Et conantem non conanda, Penthea compello.
Egredere, videam te
Habentem apparatum mulieris Maenadis Bacchae,
Et tuae matris et coetus exploratorem.
Similis es figura uni filiarum Cadmi.
Pen. Atque videor videre duos soles,
Geminasque Thebas, et oppidum septem portarum,
Et taurus existens videris nos praecedere,
Et tuo capiti cornua adnata esse videntur.
Sed num re vera es bestia, versus in tauri figuram?
Deus praecedit nos non benevolus existens.
Bac. Confoederatus nobis nunc vides ea, quae te videre convenit.
Pen. Quid videor tandem? num Inus statum
Aut Agavae, matris meae, stare videor?
Bac. Illas ipsas videre existimo, cum te intueor;
Verum e suo loco motus est hic cincinnus,
Non ut ego ipsum sub mitra constrinxeram.
Pen. Intus concutiens et quatiens ipsum
Et insaniens extra sedem eieci.
Bac. Sed eum nos, quibus te ornare curae est,
Rursus componemus: erige caput.
Pen. Ecce ornato; tibi enim paremus iam.
Bac. Zonae sunt tibi laxatae, neque ordine vestium
Plicae tenduntur ad talos tuos.
Pen.[62]) Et mihi videntur ad dextrum pedem.
Inde vero ab alio latere recte habet vestis a tendine pedis.

---

59) manum . . . victricem] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. manus . . . victricem.

60) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Divinitus puniri malos et impios.

60a) venantur] sic (= text. gr.) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. venamur.

61) Felices] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Finiuntur [Fix.: Exitum habent] in opulentia.

62) *Pen.*] sic Editt. recent. aeque ac Ed. Basil. 1551.; in Editt. 1558., 1562. deest.

Bac. Num existimabis me primum tuorum amicorum,
Quando praeter tuam opinionem videbis Bacchas esse modestas?
Pen. Utrumne thyrsum dextra sumens manu,
Aut in altera, Bacchae magis similis ero?
Bac. In dextra convenit, et simul dextro pede
Tollere eum; laudo vero, quod mutasti mentem.
Pen. Possumne montem Cithaeronem
Cum ipsis Bacchis meis humeris gestare?
Bac. Poteris, si voles; prius vero mentem
Non habuisti sanam, nunc vero habes, ut oportet.
Pen. Vectes feramus, aut manibus revellam,
Supponens humerum aut brachium verticibus.
Bac. Ne tu Nympharum perdas sedem
Et Panis sedem, ubi solet fistulare.
Pen. Recte dixisti: non robore vincendae sunt
Mulieres; abietibus meum occultabo corpus.
Bac. Occultaberis occultatione, qua te oportet,
Profectum fraudulentum Maenadum speculatorem.
Pen. Atqui video eas in latebris veluti aves
Lectorum contineri gratissimis in septis.
Bac. Nonne igitur ad eas vadis custos?
Capies eas fortassis, si tu non prius fueris captus.
Pen. Deduc me per mediam Thebanam terram;
Solus enim ex ipsis sum vir hoc audens.
Bac. Tu solus pro hac republica laboras:
Itaque manent te certamina, qualia oportet.
Sequere tantum, deductor ego sum salutaris.
Inde vero abducet te alius. *Pen.* Num mater?
Bac. Conspicuum omnibus. *Pen.* Ad hoc venio.
Bac. Redibis gestatus. *Pen.* Meam mollitiem dicis.
Bac. In manibus matris. *Pen.* Coget me deliciari.
Bac. Talibus quidem uti deliciis. *Pen.* Magnas res molior.
Bac.[63]) Acer vir es, et venies ad atrocia pericula,
Itaque invenies gloriam, quae attollet te in coelum.
Extende, Agave, manus, et reliquae simul genitae
Cadmi filiae; duco iuvenem
Hunc in magnum certamen. Victor vero futurus sum ego,
Et Bromius; caetera res ipsa indicabit.

[*Strophe.*]

Chor. Ite, celeres canes cum rabie, ite in montem,
Ubi Cadmi filiae thiasum celebrant.
Iniicite eis furorem
Adversus istum in vestitu muliebri
Speculatorem rabiosum Maenadum.
Mater primum ipsa a laevi petra
Aut a palo aliquo videbit
Insidiantem, clamabit ad Maenades:
Quis hic filiarum Cadmi investigator monticolarum
Venit in montem?
Quis eum genuit?
Non enim ex sanguine
Muliebri natus est,
Sed ex leone aut Gorgone
Libyca genus habet.
Veniat ultio divina palam,
Veniat armata ense,
Interficiens penitus Dea
Impium, sceleratum, iniustum
Echionis terrigenae filium,

[*Antistrophe.*]

Qui iniqua mente et iniusta ira
Ad Bacchica orgia et suae matris,
Furiosa mente
Et temerario ausu proficiscitur
Tanquam superaturus violentia invictum numen.
Habere mentem modestam (mors sine excusatione est
Contra divina ruere)
Est vita tuta homini;
Non gaudeo odio aliquo illum sapientem venans.
Caetera sunt magna et semper illustria,
Quae ad res praeclaras vitam
De die ad noctem bene
Deducunt, pie faciendo.
Haec autem iniusta sunt, eiicere
Legitimos cultus Deorum.
Veniat Dice palam,
Veniat armata ense,
Interficiat penitus Dea

63) *Bac.*] in Ed. 1562. deest.

Impium, sceleratum et iniustum
Filium Echionis terrigenae.

[*Epodus.*]

Videaris tamen vel cristatus visu
Draco aut ardens
Visu leo.
Eas, o Bacche venator, Bacchis
Ridentibus
Circumda laqueum illi, qui
In exitialem turbam
Maenadum incidit.
Nun. O domus, o quae ante erat beata per Graeciam,
Sidonii senis, qui terrigenam
Messem serpentis seminavit in terra,
Ut te deploro, quamquam servus, tamen
„Bonis servis calamitas est, si quid accidit dominis[64]).
Chor. Quid est? ex Bacchis aliquid novi nuntias?
Nun. Pentheus, filius Echionis, periit.
Chor. O rex Bromie, etenim magnus conspiceris Deus.
Nun. Quid ais? cur hoc dixisti? an meis
Malis gaudes, quando res dominorum male habent?
Chor. Ego hospita celebro Bacchum barbarico carmine,
Non amplius formido vincula.
Nun. Adeo Thebas ignavas esse putas?
Chor. Bacchus, non Thebae imperium habent in me.
Nun. Ignoscendum est tibi; tamen propter facta
Mala gaudere vos non decet.
Chor. Dic mihi, quo fato mortuus est
Iniustus vir, iniusta moliens?
Nun. Postquam Therapnen[65]) huius Thebani soli
Relinquentes egressi sumus trans Asopum,
Iugum Cithaeronis aggressi sumus
Pentheus et ego, (sequebar enim dominum)
Et hospes, qui nobis dux erat illius spectationis:
Primum herbidum insedimus nemus,
Ut ea, quae eminus erant, tacite
Observantes videremus, nos non visi.
Erat autem vallis ardua, irrigua aquis,
Opaca pinu, ubi Maenades
Sedebant, habentes manus in laboribus.
Hae quidem ex ipsis thyrsum deficientem,
Hedera comatum rursus coronabant;
Aliae vero relinquentes varia iuga sicut equi
Sonabant mutuo carmen Bacchium.
Pentheus vero miser femineam non cernens turbam,
Dixit haec: O hospes, ex loco, in quo stamus,
Non attingo oculis Maenadum adulterarum turbam.
Tumulum vero conscendens in altam abietem
Videro[66]) recte Maenadum turpitudinem.
Postea huius hospitis quoddam miraculum video.
Apprehendens enim abietis sublimem summum ramum
Deflexit usque in solum;
Curvabatur vero ea veluti arcus curva aut rota
Tornata in gyrum ducit flexum[67]):
Sic ramum montanum hospes manu ducens
Flexit ad terram, faciens non humana opera;
Penthea vero collocans in ramis abiegnis,
Remittit ramum sursum per manus,
Sensim cavens, ne excuteret eum:
Firmabatur erecta in sublimem aethera,
Continens tergo insidentem dominum.
Visus vero est potius quam vidit Maenades.
Vix enim sederat in arbore, cum conspectus statim est.
Hospes vero non amplius conspicuus erat.
Ex aethere autem vox (ut conilcere licebat)
Bacchi exclamabat: O mulierculae,
Duco illum, qui vos et me et mea orgia
Deridet; punite eum.
Postquam haec dixit, et ad coelum
Et terram emisit fulgorem sacri ignis,
Ibi tacuit aether, nemusque pratense tacite
Folia continuit, nec audivisses bestiarum vocem.
Hae vero non manifeste vocem auribus accipientes,

64) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Fidelis servi officium.

65) Therapnen] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. Therapnem; Editt. recent. (= Eurip. Θεράπνας) Therapnas.

66) Videro] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Videbo.

67) Curvabatur — flexum:] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: Curvabatur vero *ramus* ut arcus, aut curva rota, Quum torno tornatur in ambitu, ducit gyrum:

Constiterunt erectae, et circumspectaverunt.
Ille rursus cohortatus est. Postquam vero agnoverunt
Perspicuum classicum Bacchi Cadmi filiae,
Festinaverunt non inferiores celeritate quam columbae,
Pedum intentae continuis cursibus,
Mater Agave, sororesque germanae
Omnesque Bacchae; per hyeme deciduum nemus[68])
Et per rupes saliebant, Dei flatibus furentes.
Postquam vero viderunt abieti dominum insidentem,
Primum quidem grandes lapides contra eum
Iaciebant, ascendentes rupem oppositam,
Ramisque abietis iaculabantur;
Aliae vero thyrsos emiserunt per aerem
In sedem miseram Penthei, sed nihil efficiebant,
Quod altitudo plus poterat promptitudine mulierum.
Sedebat infelix oblitus sui desperatione.
Postremo quernos una emittentes ramos,
Radices eruebant vectibus sine ferro.
Postquam[69]) vero finem laboris non perficerent,
Dixit Agave: Age vos circumstantes in orbem
Maenades, apprehendite arborem, ut ascendentem
Feram capiamus, ne renuntiet Dei
Arcanos choros. Illae vero innumeras manus
Admoverunt abieti, et evulserunt eam ex terra.
In alto vero sedens, ex alto in terram delabens
Cadit ad solum cum magno eiulatu
Pentheus; in periculo enim existens agnoscit culpam.
Prima mater ut sacerdos cepit caedem,
Et ruit in ipsum; ille vero mitram a coma
Abiicit, ut agnoscens eum non interficiat
Misera Agave, et dicit genas
Attingens: Ego, o mater, sum filius tuus
Pentheus, quem peperisti in domo Echionis.
Misereat te mei, o mater, ne propter meum
Peccatum tuum filium interficias.
Illa vero spumam emittens et distortos

68) per hyeme deciduum nemus] sic Editt. 1558., 1562.; Baro.: Per torrentem autem nemoris; Fix.: et per vallem torrente diremtam

69) Postquam] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Cum.

Oculos contorquens, non sapiens, quae conveniebat,
A Baccho furiosa, non est persuasa;
Sed apprehendens brachio sinistram manum,
Insistens lateribus miseri,
Avulsit humerum, non robore;
Sed ipse Deus facilitatem addebat manibus.
Ino vero in altera parte conficiebat
Rumpens carnem. Autonoë vero, et totus coetus
Adstitit Baccharum; erat simul magnus clamor.
Hic quidem ingemiscebat, quamdiu spirabat;
Illae autem ululabant; alia rapiebat brachium,
Alia pedem cum ipsis soleis, nudabantur
Latera lacerationibus; quaelibet vero cruentata
Manibus diripiebat carnes Penthei.
Iacet[70]) vero separatim corpus, haec quidem pars sub caecis
Saxis, alia sylvae in densis frondibus,
Ut non facile inveniri possit; miserum autem caput
Accepit mater manibus,
Figens in summum thyrsum tanquam montani
Leonis, et fert per medium Cithaeronem,
Relinquens sorores in choris Maenadum.
Vadit autem laeta venatione misera
Intra moenia, vocans hunc Bacchum
Socium venationis, et socium praedae,
Victorem, cui lachrymas pro victoria feret.
Ego itaque procul ab hac calamitate
Discedo, priusquam Agave domum veniat.
„Esse modestum et pium
„Puto esse pulcherrimam et sapientissimam
„Rem hominibus recte his utentibus.
Chor. Celebremus Bacchum.
Exclamemus calamitatem
Penthei, ex draconibus orti,
Qui femineam vestem
Et virgam, certam mortem,
Accepit, thyrsigerum
Taurum ducem calamitatis habens.
O Bacchae Thebanae,
Illum inclytum victoriosum punivit
Ad luctum et lachrymas.
Scilicet est pulchrum spectaculum
In sanguine stillantem manum

70) Iacet] sic (= Eurip. Κεῖται) Editt. 1558. et recent.; Ed. 1562. Iacit.

Iniicere filio.
Sed video currentem
Agaven, Penthei matrem, torvis
Oculis: excipite sodalitium Bacchi.

[*Agave, Chorus, Cadmus, Bacchus.*]

[*Strophe.*]

Aga. O Asiaticae Bacchae. ***Chor.*** Quid me sistis?
Aga. Afferimus ex montibus bestiam.
Recens interfectam ad domum,
Egregiam praedam,
Chor. Video, et te accipio sociam.
Aga. Cepi hunc absque laqueis
Iuvencum, ut licet videre. ***Chor.*** Ex qua solitudine?
Aga. Cithaeron. ***Chor.*** Quid Cithaeron?
Aga. Interfecit eum.
Chor. Quae est, quae primum stravit?
Aga. Ego, meus hic honor. ***Chor.*** Beata Agave.
Aga. Ideo celebremur in coetu.
Quae deinceps ex Cadmi familia? ***Chor.*** Quid Cadmi?
Aga. Soboles soboles mecum
Attigit hanc feram. ***Chor.*** Beata es hac fera.

[*Antistrophe.*]

Aga. Particeps sis convivii. ***Chor.*** Quid particeps sim misera?
Aga. Est novus iuvencus, mentum iuvenile
Sub vertice tenerum,
Villosum sternit.
Decet[71]) enim ut metu[72]) bestiae immanis.
Bacchus venator,
Sapiens Bacchus incitavit
Maenades adversus hanc bestiam. ***Chor.*** Ipse rex est venator.
Aga. Laudas. ***Chor.*** Quid laudo?
Aga. Cito Cadmei,
Et Pentheus filius matrem
Laudabit, quae cepit hanc praedam
Ex leone genitam
Excellentem excellenter. ***Chor.*** Laetaris?
Aga. Laetor, magna et insignia
Haec opera perfecta esse.
Chor. Ostende, o misera, tuam victricem
Praedam civibus, quam fers.
Aga. O qui pulchris turribus instructam urbem Thebas
Habitatis, venite, ut videatis hanc praedam
Bestiae, quam nos Cadmi filiae cepimus
Non ansatis Thessalorum sagittis,
Nec retibus, sed candidarum
Manuum robore; et deinde licet gloriari
Fabrorum facientium hastas instrumenta frustra parari.
Nos vero manu hunc cepimus, et
In diversas partes belluae membra discerpsimus.
Ubi est senex pater? accedat prope.
Et ubi est meus filius Pentheus? tollatur
Ad ascensus scalarum in aedibus,
Ut caput hoc suspendat clavis
Leonis, quem cepi ego in venatione.
Cad. Sequimini me ferentem miserum onus
Penthei, sequimini, famuli, extra domum:
Cuius corpus laborans longa inquisitione
Fero, inveniens in latebris Cithaeronis
Disiectum, et nihil in eodem solo,
Nactus in sylva iacens difficulter scrutabili.
Audivi enim familiarum facinora,
Ingressus urbem iter faciens
Cum sene Tiresia de Bacchis.
Rediens vero rursum in montem porto
Mortuum filium a Maenadibus,
Et quae Actaeonem principem olim
Peperit, vidi Autonoën, Inonemque simul,
Adhuc in saltibus insanientes miseras.
Sed quispiam dixit mihi huc bacchantem
Ire Agaven, neque falsa audivimus.
Video enim eius speciem non felicem.
Aga. Pater, valde gloriari licet te
Genuisse praestantissimas filias longo tempore omnium
Mortalium: omnes dico, praecipue vero me,
Quae relinquens radios ad telam,
Venio ad maiora, bestias venari manu.
Affero enim in ulnis[73]), ut vides,
Nacta praecipuum decus, ad tuam domum,
Ut suspendatur; tu vero, pater, accipe ex manibus,
Laetus mea venatione,
Et vocato amicos ad convivium;
Beatus enim es, postquam talia fecimus.

---

71) Decet] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: Conspicuum est (Eurip. *Πρέπει*).

72) metu] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *φόβῳ*); Barn., Musgr.: iubis (= Ed. Barn. *φόβῃ*); Fix.: iuba (= Editt. Musgr., Fix. *φόβᾳ*).

73) in ulnis] sic (= text. gr.) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. ulnis.

Cad. O luctum immensum et non videndum,
Necem confectam miseris manibus!
Egregiam victimam offerens Diis,
Ad convivium cives et me vocas.
Heu mihi propter tua primum mala, postea et mea:
Quam nos iuste quidem, sed tamen immodice
Bromius perdidit, cum tamen sit cognatus.
Aga. Ut morosa est senectus apud homines,
Et in oculis torva! utinam meus filius
Venator sit similis maternis moribus,
Atque similiter inter Thebanos iuvenes
Appetat feras; sed tantum repugnare Diis
Solet ille: itaque, o pater, reprehendendus
Est tibi et mihi, ne delectetur exitiosa sapientia.
Ubi est? quis eum huc in meum conspectum
Vocat, ut me videat beatam?
Cad. Heu, cum intelligetis, qualia feceritis,
Valde dolebitis; si vero perpetuo
In eodem statu manebitis, in quo iam estis,
Eritis miserae, quamquam videamini vobis esse beatae.
Aga. Quid hoc? an non recte se habet, an est aliquid mali?
Cad. Primum quidem in hunc aerem oculos tuos dimitte[74]).
Aga. Ecce, quid me iubebas hoc contueri?
Cad. Estne idem aer, an videtur habere mutationem?
Aga. Est illustrior quam prius, et liquidior.
Cad. Error mentis adhuc adest animae tuae.
Aga. Non intelligo hoc dictum, fio vero paulatim
Sana, mutata priore mente.
Cad. Audias igitur, et respondeas sapienter.
Aga. Ut oblita sum illorum, quae prius dixi, o pater.
Cad. In quam domum venisti nupta?
Aga. Elocasti me Echioni nato ex satis dentibus.
Cad. Quis igitur filius[75]) tuo marito domi natus est?
Aga. Pentheus, mea et patris consuetudine.
Cad. Cuius igitur faciem tenes in ulnis?
Aga. Leonis, ut dixerunt venatrices.
Cad. Contemplare igitur rectius; brevis labor est contueri.
Aga. Hem, quid video? quid fero hoc in manibus?
Cad. Contemplare, et cognosce certius.
Aga. Video maximum dolorem ego.
Cad. Num tibi leoni videtur simile esse?
Aga. Non, sed Penthei ego misera habeo caput.
Cad. Deploratum prius, quam tu agnosceres.
Aga. Quis interfecit eum? quomodo venit in meas manus?
Cad. Misera veritas, ut non in tempore ades.
Aga. Dicito, ut cor saliendo futurum praesagit.
Cad. Tu occidisti eum, et tuae sorores.
Aga. Ubi periit? an domi? aut quibus locis?
Cad. Ubi antea Actaeona canes nactae sunt.
Aga. Quid vero, in Cithaeronem venit infelix hic?
Cad. Venit irritans Deum et tuas bacchationes.
Aga. Nos vero quomodo illuc accessimus?
Cad. Insanistis, et tota civitas Bacchico furore correpta est.
Aga. Bacchus nos perdidit: iam nunc intelligo.
Cad. Contumeliam ultus; Deum enim non existimastis illum.
Aga. Charissimum vero corpus filii ubi est?
Cad. Ego vix quaesitum adfero.
Aga. An totum suis membris coniunctum recte?
Ad Penthea vero quae pars meae insaniae pertinebat?
Cad. Vobis fuit similis, non colens Deum:
Itaque coniunxit omnes in eandem noxam,
Vos et hunc, ut perderet hanc domum,
Et me, qui, cum non haberem masculos liberos,
Hoc germen tui uteri, o misera,
Turpissime mortuum video.
O fili, in quem respiciebat domus, qui regebas
Meam domum, natus ex mea filia,
Civibus eras verendus; me senem vero
Nemo volebat iniuria afficere, intuens in tuum
Caput; poenam enim dignam accepisset.
Nunc autem inglorius eiiciar ex domo
Cadmus ego ille ingens, qui Thebanorum genus
Seminavi, et messui pulcherrimam messem.
O charissime! quamquam non amplius es tamen
Numeraberis inter meos charissimos liberos.
Non amplius attinges manu meum mentum,

---

74) dimitte] Ed. 1562. mendo typogr.: dimitet.

75) Quis igitur filius] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Qui igitur? filius

Nec complectens, alloquens patrem matris tuae,
Dicens: Quis te laedit? quis te non honorat[76]), o senex?
Quis turbat tuum cor molestus?
Dic, ut puniam laedentem te, o pater.
Nunc autem miser sum ego, infelix vero tu,
Et miserabilis mater, infelicesque sorores.
„Si quis est, qui contemnit Deos,
„Intuens in huius mortem, putet esse Deos.
Chor. Doleo tuam vicem; tuus autem habet poenam
Nepos, dignam quidem, luctuosam tamen.
Bac.[77]) O pater, vides, mea quantum mutata sint.
Tu mutatus mutabis figuram in anguem,
Et Harmonia, Martis[78]) filia, quam habuisti mortalis existens.
Vehiculum vitulorum, ut dicit oraculum Iovis,
Agitabis cum coniuge, ut fias dux barbarorum,
Et evertes magno exercitu plures
Urbes; quando vero Apollinis oraculum
Depopulati fuerint, reditum infelicem iterum
Finient. Sed Mars te et Harmoniam liberabit,
Et collocabit te in terram beatorum.
Haec non mortali patre natus dico
Bacchus, sed ex Iove; si vero sapere
Voluissetis, quod noluistis, Iovis filium
Socium nacti, possetis beati esse.
Cad. Bacche, supplices sumus, peccavimus.
Bac. Sero didicistis nos, ac, cum oportebat, non noratis.
Cad. Agnosco haec, sed exequeris nimium.
Bac. At a vobis laedebar, cum essem Deus factus.
Cad. Convenit Deos non fieri similes iracundia hominibus.
Bac. Haec olim Iupiter, meus pater, annuit.
Aga. Decreta sunt, o senex, misera exilia.
Cad. O filia, ut venimus in triste malum,

76) quis te non honorat] sic scripsi (= Eurip. τίς σ' ἀτιμάζει; Editt. recent.: quis te contemnit); Ed. 1558. quis non honorat; Ed. 1562. quis honorat

77) *Bac.*] sic Editt. 1558., 1562., Barn. aeque ac Ed. Basil. 1551. et Musgr. in textu; in Ed. Fix. et in Musgr. interpr. hic vs. est *Agaves*, versus seqq. autem 1329 — 1341. sunt *Bacchi*.

78) Martis] sic (= Eurip. Ἄρεος) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. matris.

Tuque misera, sororesque tuae charae.
Et ego infelix ad barbaros veniam
Inquilinus, et adhuc mihi hoc est fatale,
In Graeciam ducere mixtum barbaricum exercitum,
Et Harmoniam, Martis filiam, meam coniugem,
Ego draco, draconis[79]) naturam habentem ferae,
Ducam ad aras et sepulchra Graecanica,
Dux exercitus; nec desinam
A malis infelix, nec ad infernum
Acheronta navigans quietus ero.
Aga. O pater, ego te orbata exulabo.
Cad. Cur, o misera filia, me complecteris
Veluti canus cygnus fucum?
Aga. Quo fugiam eiecta ex patria?
Cad. Nescio, o filia, imbecillis auxiliator sum.
Aga. Vale, o domus, vale, o patria
Civitas, desero te propter erratum meum,
Exulans ex thalamo.
Cad. Vade, o filia, ad Aristaei filium.
Aga. Privor te, o pater. *Cad.* Et ego te, o filia,
Et tuas deploro sorores.
Aga. Atrociter hanc iniuriam
Bacchus rex
In tuam domum intulit.
Bac. Etenim patiebar atrocia a vobis,
Habens nomen sine honore in Thebis.
Aga. Vale, o pater.
Cad. Vale et tu, misera filia;
Misere eo venis.
Aga. O ductores, ducite me ad sorores,
Ut simul mecum ducam exulaturas.
Veniam autem eo, ubi
Neque Cithaeron pollutus est,
Neque Cithaeronem oculis videam,
Et ubi nulla thyrsi memoria est,
Is aliis Bacchis curae sit.
Chor. Multae formae sunt fati.
Multa insperata perficiunt Dei,
Et quae sperabantur, non perfecerunt.
Et insperatorum exitum invenit Deus.
Sic enim et hoc negotium finitum est.

79) draconis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: dracaenae (= Eurip. δρακαίνης).

LXVIII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO CYCLOPIS EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis in *Xylandri* Editt. 1558., 1562. exstat, quibuscum Editiones recentiores *Barnesii*, *Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros et stropharum partitiones atque alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnesii adscripsi uncinis notatas.

EURIPIDIS CYCLOPS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Haec tragoedia est imago tyranni alicuius crudelissimi. Credo, quod voluerit describere regem vel tyrannum aliquem Aegyptium. Per Satyros intelligit moriones et impostores. Habet locum communem, neminem esse fidum tyranno, etiamsi obtemperet.

Argumentum.

Ulysses navigans ex Ilio, in Siciliam eiectus est, ubi habitabat Polyphemus. Inveniens etiam servientes illic Satyros, dans eis vinum, voluit emere oves et lac ab ipsis. Apparens Polyphemus quaerit causas abductionis sui gregis; Silenus autem hospitem praedantem accepisse ait[1]).

Personae.

Silenus
Chorus Satyrorum
Ulysses
Cyclops.

Orditur Silenus.

CYCLOPS.

[*Silenus, Chorus, Ulysses.*]

Silenus.

O Bacche, propter te fero innumerabiles labores
Nunc, et quando in iuventute meum florebat corpus:
Primum quidem, quando tu furiis agitatus a Iunone,
Nymphas montanas relinquens abieras nutrices.
Deinde in proelio belli Gigantei,
Ad dextrum pedem tuum auxiliator cum essem,
Enceladum, clypeum in medium percutiens hasta
Interfeci. Age videam, hocne somnium dico?
Non per Iovem; nam et spolia ostendi Baccho
Et nunc illis maiorem haurio laborem.
Postquam enim Iuno tibi genus Tyrrhenum

---

1) Haec veteris argumenti, quod graece in Eurip. Ed. Basil. 1551. legitur, interpretatio Melanthonis invenitur in Editt. 1558., 1562. — Barnesius, qui eam cum texto graeco repetiit, in fine haec graece et latine addidit: „Caetera se habent, sicut ab Homero sunt dicta.", eique aliud etiam adiunxit argumentum acrostichum a Q. Septimio Florente Christiano graece et latine scriptum.

Immisit latronum, uti proficiscaris procul,
Ego audiens cum meis pueris navigo
Ad tui inquisitionem: ipse in puppi extrema
Dirigebam utraque manu comprehensum clavum,
Et pueri ad remos sedentes, glaucum mare
Fluctibus dealbantes, quaerebant te, rex.
Iam vero prope Maleam navigantes
Orientalis ventus adspirans ad gubernaculum,
Impulit nos ad hanc Aetnae petram,
Ubi monoculi filii marini Dei,
Cyclopes, habitant antra deserta, homicidae.
Horum unius capti sumus in aedibus
Servi; vocant autem eum, cui servimus,
Polyphemum; et pro laetitia Bacchica
Greges Cyclopis impii pascimus.
Pueri igitur mihi clivorum in extremo
Pascunt agnos ipsi quoque iuvenes.
Ego ut impleam pocula, et verram habitacula
Manens constitutus sum, huic impio
Cyclopi conviviorum iniustorum minister.
Et nunc, quae mihi mandata sunt, cogor facere,
Verrere ferreis his rastris domum,
Ut absentem dominum Cyclopem meum
Mundo antro et pecudes excipiamus.
Iam pueros adducentes video
Greges, quid hoc? num strepitus saltatorii carminis
Similis vobis [2]) nunc, et quando Bacchi [3])
Sodales simul defendentes Althaeae [4]) domum
Aderatis cantu barbitorum delectati?

[*Strophe.*]

Chor. Quo mihi generosis parentibus
Et generosis matribus nate,
Quo vadis per scopulos?
Non ibi aura
Et herbidum gramen
Et volutata aqua fluviorum
In poculis posita est, iuxta antra, non tibi balatus agnorum.
St. [5]) Non hic, non ibi pascis?
Neque in hoc loco clivus roridus.
Heu iaciam lapidem adversus te.
Reduco, reduco caprum [6]),
O pastor, inquietum,
O Cyclopis pastor.

[*Antistrophe.*]

Laxa ubera plena,
Ut agnae accipiant papillis ubera,
Quas [7]) reliquisti in ovilibus;
Desiderant te interdiu dormientium
Balatus parvorum agnorum.
In stabulum includens [8]),
Herbida relinquens pascua
Aetnaeos intra scopulos.
Haec non sunt Bromius, haec non sunt Chori
Et Bacchae ferentes thyrsos,
Non tympanorum strepitus,
Ad fontes fundentes aquas;
Non vini virides guttulae:
Non est hic Nyssa cum nymphis.

[*Epodus.*]

Bacchicum, Bacchicum carmen
Cano ad Venerem,
Quam quaerens volitabam
Cum pulchris Bacchis.
O chare, o chare Bacche,
Ubi solus versaris
Flavum capillitium concutiens?
Ego autem, tuus minister,
Servio Cyclopi
Unoculo,
Servus errans cum hac
Hirci misera pelle, sine tua amicitia.
Sil. Tacete, filii, in saxa excavata
Greges servis colligere iubete.
Chor. Ite; sed quae res te habet sollicitum?
Sil. Video ad littus scapham navis Graecae,
Et remorum dominos cum duce quodam
Venientes ad hoc antrum, circa collum
Vasa ferentes vacua, cibi indigentes

2) vobis] sic (= Eurip. ὑμῖν) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. nobis.

3) Bacchi] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Bacche.

4) Althaeae] sic (= Eurip. Ἀλθαίας) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Althaea.

5) St.] in Editt. 1558., 1562. huic adiecta est nota marg.: ψύττα interiectio vocantis significans sibilum ps. (in Editt. recent. vertitur: Heus tu).

6) Reduco, reduco caprum] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. Ὑπάγω, ὑπάγω κερ.); Editt. recent. Ὕπαγ' ὦ, ὕπαγ' ὦ κερ. — Redi, redi [Fix.: Recede o, recede o] cornute.

7) Quas] sic scripsi (= Eurip. Ἅς); Editt. 1558., 1562. Quae.

8) includens] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: intrabis; Fix.: revertes.

Et hydras; o miseri hospites,
Quinam, unde sunt? non norunt dominum
Polyphemum, qualis sit, inhospitale hospitium
Hoc ingredientes, et ad Cyclopis genas
Vorantes homines infeliciter venientes.
Sed tranquilli sitis, ut audiamus,
Unde accedant Siculum Aetnae locum.
Ulyss. Hospites, potestis dicere, aquam fluvialem unde
Sitis remedium possimus accipere, et si quis vult
Cibum vendere nautis indigentibus?
Quid hoc rei est? ad Bacchi urbem videmur appulisse,
Ad antra Satyrorum, hunc gregem video;
Dicam salutem primum seni.
Sil. Salve, hospes, quinam sis dicito, et tuam patriam.
Ulyss. Ithacus Ulysses, Cephaleniae rex.
Sil. Novi virum loquacem, acre Sisyphi genus.
Ulyss. Ille ipse sum, ne convicieris mihi.
Sil. Unde ad Siciliam hanc navigans ades?
Ulyss. Ab Ilio et Troiano bello.
Sil. Quomodo? traiectum non noras patriae tuae?
Ulyss. Ventorum procellae huc me rapuerunt vi.
Sil. Papae, hauris eandem fortunam, quam et ego.
Ulyss. An et tu huc vi missus es?
Sil. Praedones persequens, qui rapuerunt Bacchum.
Ulyss. Quaenam est haec regio, et qui hic habitant?
Sil. Aetnaeus tumulus est Siciliae altissimus.
Ulyss. Moenia ubi sunt, et urbis turres?
Sil. Non sunt; isti tumuli sunt sine hominibus, hospes.
Ulyss. Qui habent terram? estne aliquod genus ferarum?
Sil. Cyclopes, antra habentes, non domus.
Ulyss. Cui obediunt? an potentia est popularis?
Sil. Passim vagantur, nemo alteri obtemperat.
Ulyss. Seminantne spicas Cereris? aut unde vivunt?
Sil. Lacte et caseis et pecudum esu.
Ulyss. Bacchine potum habent ex fluxu vitis?
Sil. Minime, ingratam habitant terram.
Ulyss. Suntne hospitales et pii circa hospites?
Sil. Dulcissimas dicunt carnes hospites ferre.
Ulyss. Quid ais? delectanturne voratione hominum?
Sil. Nemo venit huc, qui non interfectus sit.
Ulyss. Ipse autem Cyclops ubi est? an in domo?
Sil. Abiit ad Aetnam, feras sequens canibus.
Ulyss. Scis, quid faciemus[9]), ut solvamus ex hac terra?
Sil. Non scio; sed quid voles, tibi fecero.
Ulyss. Vende nobis cibum, quo egemus.
Sil. Non est, ut dixi, praeter carnem.
Ulyss. Verum dulce famis et illud remedium.
Sil. Et caseus succulentus, et lac bovis.
Ulyss. Efferte; lux enim contractibus convenit.
Sil. Tu vero dic mihi, quantum reddes aurum?
Ulyss. Non aurum, sed pocula Bacchi fero.
Sil. Et optima dicis, quo potu egemus iam diu.
Ulyss. Atqui Maron mihi potum dedit, filius Dei.
Sil. Quem alui puerum ego in meis brachiis?
Ulyss. Bacchi filius, ut clarius scias.
Sil. In tabulis navisne est, an fers tecum?
Ulyss. Iste utriculus est, qui occultat vinum, ut vides, senex.
Sil. Iste ne quidem genam expleret meam.
Ulyss. Certe bis tantus potus, quantus fluit ex utriculo.
Sil. Pulchrum fontem dixisti, et gratum mihi.
Ulyss. Vis, praebebo gustandum primo, quam sit merum?
Sil. Iustum est; praegustatio enim non mutat emptionem.
Ulyss. Atque traho poculum cum utre.
Sil. Age excutias, ut, cum bibero, sciam, quale sit.
Ulyss. Ecce. *Sil.* Quam bonum habet odorem!
Ulyss. Vidistine?
Sil. Non per Iovem, sed[9a]) olfacio.
Ulyss. Gusta nunc, ut non verbis laudes tantum.
Sil. Saltare me invitat Bacchus.
Ulyss. Num tantum guttur titillabat bene?
Sil. Usque ad extremos ungues pervenit.
Ulyss. Ad hoc etiam pecuniam dabimus.
Sil. Da vinum modo, omitte aurum.
Ulyss. Efferte caseos et pecudes.
Sil. Faciam nihil curans meum dominum.

---

9) faciemus] sic Editt. 1558.; 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) facies [Fix.: facias].

9a) sed] sic (= Eurip. ἀλλ') Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. deest.

Ut ebibere calicem possem unum,
Omnium Cyclopum darem greges,
Et proiicerem in mare alba a petra,
Semel ebrius et remittens supercilia.
Quoniam, qui bibens non fit hilaris, plane insanit:
Ubi est rectum erigere,
Et prehensatio uberum, et paratum
Tangere manibus pratum, et cum saltatione
Malorum cessatio. Deinde ego osculabor
Hunc potum, Cyclopis stultitiam
Plorare iubens, et oculum illum medium.
Audi, Ulysses, confabulabimur aliquantulum.
Ulyss. Amice cum amicis parati sumus agere.
Sil. Cepistis Troiam et Helenam captivam?
Ulyss. Et totam familiam Priami expugnavimus.
Sil. Nonne, postquam iuvenculam cepistis,
Omnes ipsam attigistis per vices?
Quia multis delectatur nupta
Proditrix, quae ocreas varias
Circa crura videns, et aureum
Torquem ferentem in medio collo,
Insanire coepit, Menelaum homuncionem
Optimum deserens: nequaquam genus
Mulierum natum esse oportebat, quam mihi soli.
Ecce vobis pastorum pecudes,
Rex Ulysses, ecce balantium agnorum nutrimenta,
Et pressi lactis non pauci casei.
Auferte, secedite quam celerrime ab antro,
Botri mihi potum dantes Bacchici.
Ulyss. Heu mihi, Cyclops huc venit: quid agemus?
Perimus enim, o senex, quo oportet fugere?
Sil. Intra hanc petram, ubi potestis latere.
Ulyss. Rem periculosam iubes, inter retia venire.
Sil. Nil periculi est, sunt multi receptus petrae.
Ulyss. Nequaquam; nam valde Troia gemeret,
Si fugeremus unum virum, cum magnum exercitum
Phrygum sustinuerim saepe clypeo.
„Si quidem moriendum est, moriamur generose;
„Aut viventes gloriam, quam hactenus habuimus, retinebimus.
Sil. Ne fugias; exhibe vinum: quae est ista ignavia?

[*Cyclops, Silenus, Ulysses, Chorus.*]
Cycl. Quid luditis? haec non sunt Bacchi festa,
Non crepitacula aenea, et tympanorum pulsationes.
Quomodo se habent ad antra recens natae pecudes?
An uberibus admotae sunt? an sub matris
Latera currunt? et in iunceis vasis
Multitudo caseorum est, quos emulsistis?
Quid dicitis? mox aliquis vestrum ligno ictus
Lachrymas emittet: spectate sursum et non deorsum.
Sil. Ecce ad ipsum Iovem spectamus,
Et astra, video Orionem.
Cycl. Prandium estne bene paratum?
Sil. Est; fauces modo sint paratae.
Cycl. An lacte sunt crateres pleni?
Sil. Ut ebibere possis, si vis, totum dolium.
Cycl. Oviumne, an boum, an mixtum[10])?
Sil. Quodcunque voles, ne me devores tantum.
Cycl. Minime, quia in medio ventre
Saltantes me perderetis.
Age quam turbam video ad stabula?
Praedones quidam invaserunt aut fures terram:
Video hos agnos ex meis stabulis
Ligatis viminibus corpore ligatos,
Et vasa caseis plena, et seni
Plagis frontem calvam intumuisse.
Sil. Heu mihi, male habeo pulsatus miser.
Cycl. A quo? quis tuum caput percussit?
Sil. Ab his, quia haec non sinebam eos auferre.
Cycl. Non sciunt me Deum et a Diis progenitum?
Sil. Dixi ego ista; illi tamen auferebant res,
Et hunc caseum, me non concedente, comederant,
Et hos agnos efferebant; ligantes autem te
Ad lignum[11]) tricubitale, oculum tuum medium
Et viscera dicebant se demessuros esse vi,
Et flagellis tuum tergum percussuros esse,
Et deinde te ligantes inter ligna
Navis ponentes, vendituros esse alicui,
Ut saxa feras, aut ut sis custos ianuae.
Cycl. Pulchre dixisti. Non igitur gladios quam celerrime vadens

---

10) an mixtum?] sic (= text. gr.) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. admixtum?

11) lignum] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adiecta est annotatio: „κλοιὸς, truncus." [Apud Eurip. legitur Attica forma κλῳός].

Acues, magnum manipulum lignorum
Componens incendes, ut mactati statim
Impleant ventrem meum? ad carbones
Calidum edent[12] cibum ex orbe, ubi distribuuntur carnes[13]),
Elixum ex lebete, et maceratum,
Ut saturer coena diurna.
Satis est leoninarum epularum,
Et cervorum; diu non comedi homines.
Sil. Nova ex usitatis, o domine,
Sunt dulcissima; non enim recens
Alii ad antra tua venerunt hospites.
Ulyss. Cyclops, audi vicissim et hospites.
Nos cibos volentes emere,
Prope tua antra venimus a navi.
Hos agnos nobis iste pro vini scypho
Vendidit et dedit, ut biberet, accipiens
Volens a volentibus, et nihil factum vi.
Sed ille nihil veri dicit,
Postquam deprehensus est res clam vendens tuas.
Sil. Ego? male pereas. *Ulyss.* Si mentior.
Sil. Per Neptunum, qui genuit te, o Cyclops,
Per magnum Tritonem et Nerea,
Per Calypso et Nerei puellas,
Per sacros fluctus, et piscium totum genus
Iuro, o pulcherrime Cyclops,
O domine, quod non vendiderim ego
Hospitibus has res; aut male hi pessimi
Pueri pereant, quos maxime diligo.
Chor. Ipse habeas, ego hospitibus res
Vendentem te vidi; quod si mentior,
Pereat pater meus; hospites vero ne afficias iniuria.
Cycl. Mentimini; ego ab hoc Rhadamantho
Multa passus sum[14]), et iustius dico[15]).
Volo interrogare: Unde navigatis, hospites?
Cuiates, quae vos enutrivit civitas?

---

12) edent] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *ἔδοντος*) edentis [Fix.: comedentis].

13) ex orbe, ubi distr. carnes,] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: a carnium distributore *coquo mihi datum*; Musgr.: sine ullo carnium distributore; Fix.: sine diribitore (Eurip. Ed. Basil. 1551., Barn., Musgr. *τῷ κρεανόμῳ*; Ed. Fix.: *ἄτερ κρεανόμου*).

14) ego ab hoc Rh. Multa passus sum,] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *ἔγωγε τοῦδε τοῦ Ῥαδαμάνθυος Πολλὰ πέπονθα*); Editt. recent.: *ἔγωγε τῷδε* [Musgr. *τοῦδε*] *τοῦ Ῥαδαμάνθυος Πολλῷ* [Fix. *Πλείω*] *πέποιθα* — Ego vero huic *Sileno*, quam Rhadamantho, Lonɡe *magis* [Musgrav.: Plura, Fix.: Magis] fidem habeo,

15) iustius dico.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: iustiorem [Fix.: iust. esse] pronuntio.

Ulyss. Ithacenses sumus genere; sed ab Ilio,
Capta urbe, ventis marinis
Ad tuam terram appulsi venimus, Cyclops.
Cycl. Nempe pessimae[16]) qui venistis propter rapinam
Helenae, ad Scamandro vicinam civitatem Ilii?
Ulyss. Ita, et magnum laborem exhausimus.
Cycl. Turpis militia, qui propter unam
Mulierem navigastis in terram Phrygum.
Ulyss. Divinitus id factum, neminem accuses hominem.
Nos vero tibi, o marini Dei generose fili,
Supplicamus et dicimus libere:
Noli ad antra venientes amico animo
Occidere, et cibum impium facere genis,
Qui tuo, o rex, patri templa
Posuimus in terrae Graecae angulis.
Cultor inconcussus est ei Taenari portus,
Et Maleae summi specus, et Sunii
Minervae sacra argentea petra
Et Geraestei receptus; nos vero Graeci
Turpia probra Troianis non dedimus.
Cuius gloriae et tu es particeps; Graeciae enim angulos
Habitas sub Aetna, quae est rupes eiaculans[16a]) ignem.
Legibus autem hominum spectatis audias nos
Supplices, recipe marinos perditos,
Et munera da, et vestes suppedita.
Non verubus confixos membra
Magnis ventrem et genas imple tuas[17]).
Satis Priami terra viduavit[18]) Graeciam,
Multorum mortuorum faciens hasta neces,
Coniuges sine viris, et mulieres orbatas liberis perdidit,
Canosque patres; si vero reliquos
Tu igni comburens convivio absumes malo,
Quo vertetur aliquis? Sed me audiens, Cyclops,
Omitte aviditatem tuae genae, et pietatem
Impietati praefer. „Multis enim

---

16) pessimae] sic (= Eurip. *τῆς κακίστης*) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. pessime. — Barn. et Musgr. hunc vs. sic vertunt: An *estis illi*, qui persecuti *estis* raptus pessimae .

16[a]) eiaculans] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. male: eiaculas.

17) Non verubus — tuas.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Neque *committas*, ut oblongis affixi membra Verubus, ventrem et maxillas impleamus tuas.

18) viduavit] sic (= text. gr.) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. viduavit ita

„Mala lucra damnum attulerunt.
Sil. Consulere tibi volo, carnium[19])
Nihil omittas huius, et si linguam eius comederis,
Bellus es, et eloquens Cyclops.
Cycl. „Divitiae, homuncio, prudentibus deus sunt.
„Reliqua sunt iactantia quaedam, et verba splendida.
Arces autem marinas, quae sunt consecratae meo patri,
Valere iubeo; quare haec propono in dicendo.
Iovis ego fulmen non metuo, hospes,
Nec scio, quod Iupiter est me potentior Deus:
Caeterum non curo, et, quare non sit mihi curae,
Audi. Quando deorsum mittit pluviam,
In hoc antro habitaculum habeo solidum,
Et vitulum assatum, aut aliquam bestiam
Coenans in lecto, quod capit supinum ventrem.
Tum ebibens lactis amphoram, vestem
Concutio, contra tonitrua Iovis crepans.
Quando vero Boreas Thracius nivem fundit,
Pellibus ferarum corpus circumdans meum,
Et ignem accendens, nivem nihil curo.
Terra vero necessario, sive velit, sive nolit,
Pariens herbam, pinguefacit pecudes meas,
Quas nulli macto praeterquam mihi (non Diis,)
Et ventri huic, qui maximus est deorum,
„Quia comedere et bibere quotidie,
„Id vero Iupiter est hominibus sapientibus,
„Et nihil se angere[20]); qui vero leges
„Posuerunt, variantes hominum vitam,
„Illos plorare iubeo; meae vitae ego
„Non desinam benefacere, edens te,
Xenium dabo tale, ut irreprehensibilis sim,
Ignem, et patrium hunc lebetem, qui fervens
Tuam carnem ponderosam capiet pulchre.
Sed serpite intro, isti in specu deo
Ut ad epulas stantes cibetis me.
Ulyss. Heu heu, labores quidem Troianos effugi
Et maris; nunc vero ad hominis impii
Animum appuli et importuosum cor.
O Pallas, o domina Iove genita Dea,
Nunc, nunc opitulare; ad maiores enim, quam in Ilio,
Labores veni, et in periculi sedem.
Et tu, lucidarum stellarum qui habitas sedem,
O Iupiter, xenia vide haec. Si enim haec non videris,
Frustra putaberis Iupiter, cum non sis Deus.
Chor. Amplarum faucium, o Cyclops,
Aperi labra, quia parata sunt tibi
Cocta et assata, quae a prunis ad delicias auferens
Dentibus ferendas, secans membra hospitum
In hirsuto clypeo occisa.
Sil.[21]) Heu mihi, ne prodas.
Solus soli porta scapham navis.
Valeat aula haec,
Valeat cum suis mactationibus
Impius, qui
Habet mactationes, Cyclops
Aetnaeus, hospitum
Carnibus qui delectatur vorandis:
Durus, o miser, qui
In aedibus supplices
Hospites supplices mactat,
Secans, lacerans, et coctas[21a]) comedens
Abominandis dentibus
Hominum calidas ad carbones carnes[22]).

[*Ulysses*, *Chorus.*]

Ulyss. O Iupiter, quid dicam? quam horribilia vidi in antro
Et non credenda, fabulis similia, non operibus hominum.
Chor. Quid est, Ulysses? num epulatur tuos
Charos socios impius Cyclops?
Ulyss. Duos colligens, et imponens manibus,
Qui carnem habuerunt pinguissimam.
Chor. Quomodo, o miseri, estis passi ista?
Ulyss. Postquam saxeum hunc ingressi sumus specum,
Accendit ignem primum, altae quercus
Truncum supra latum focum coniiciens,
Tribus curribus vehendum pondus.
Deinde ex foliis abietum humi stratum

19) carnium] sic scripsi (= Eurip. *τῶν μὲν κρεῶν*; Editt. recent.: de carnibus quidem); Editt. 1558., 1562. corrupte: carmini.

20) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Secura vita et voluptaria.

21) *Sil.*] sic Editt. 1558., 1562.; in Editt. Basil. 1551. et recentt. haec persona h. l. non adscripta est.

21a) coctas] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. coctos.

22) In Editt. Basil. 1551., Fix. vs. 355—373. sunt *Chori*; in Ed. Barn. versibus 355. et 362. praefixum est *Semich.*; in Ed. Musgr. vs. 355—361. sunt *Chori*, vs. 362—373. *Semichori.*

Collocavit lectum iuxta ignis flammam.
Craterem vero implevit circiter decem amphorarum,
Cum vaccas mulsisset, album infundens lac,
Et scyphum ex hedera apposuit in latitudinem trium
Ulnarum, profunditate quatuor videbatur;
Et aeneum lebetem fecit fervere ad ignem,
Et verua summa accensa igni,
Rasa non falce, sed ramo paliuri,
Et in Aetna mactatas pecudes cum suis instrumentis pro suis genis.
Ut erant parata omnia, impio
Dat ioco, viros comprehendens duos
Interfecit ex sociis meis ictu quodam,
Alterum in lebetis cavitatem aeneam,
Alterum vero a tendine rapiens summi pedis,
Feriens suis acutis unguibus ad saxum in rupe,
Cerebrum effudit, et rapiens
Ingenti cultro carnem, assabat in igne.
Carnes in lebetem immisit elixari:
Ego miser lachrymas ab oculis fundens,
Accedebam ad Cyclopem et serviebam.
Alii vero ut aves in angulis petrae
Perterrefacti se tenebant; non erat sanguis in corpore.
Ut autem sociorum meorum saturatus est cibo,
Recubuit ex faucibus aerem emittens gravem.
Venit mihi in mentem quiddam divini: implens poculum
Maronis, ipsi afferens, ut bibat,
Dicens haec: O fili marini Dei, Cyclops,
Vide hoc, quomodo Graecia ex vitibus
Divinum portat potum, Bacchi delicias.
Ille plenus tetrae vorationis
Accepit, revulsit sine respiratione trahens,
Et laudavit tollens manum: O iucundissime hospes,
Iucundum poculum ad convivium bonum qui das.
Laetari ipsum ut sensi ego,
Alium dedi calicem, sciens, quod
Sauciabit eum vinum, et daturus est poenam cito.
Et quidem ad cantica saltabat; ego vero infundens
Alium super alium, viscera calefaciebam potu.
Cantat apud flentes socios meos
Horrenda, resonat antrum. Egrediens ego
Tacite te servare et me, si voles, volo.
Sed dicite, an velitis, an nolitis
Fugere inhospitalem virum, et Bacchi
Habitare aulam, cum Graecis puellis.
Qui enim intus est tuus pater, haec probat,
Sed imbecillis est; et postquam frui licet eum potu,
Tanquam ad viscum calice captus,
Demittit alas. Tu vero iuvenis es,
Serveris a me, et veterem amicum
Bacchum recipe Cyclopi similem.
Chor. O charissime, utinam hanc videamus diem,
Cyclopis effugientes caput impium,
Quia ex longo tempore fistula chara
Privamur, et istum non possumus effugere.
Ulyss. Audi igitur nunc, quam habeam[23]) poenam,
Belluae atrocis, et tuae servitutis effugium.
Chor. Dic, quia Asiaticae non libentius strepitum
Citharae audiero, quam Cyclopem periisse.
Ulyss. Ad convivium ire vult ad fratres
Cyclopes, exhilaratus vino.
Chor. Intelligo, solum deprehendens ictibus ipsum
Interficere cogitas, aut de saxis praecipitare?
Ulyss. Nihil tale; dolosus est conatus noster.
Chor. Quomodo? sapientem te audivimus iam olim.
Ulyss. Ab hoc convivio ipsum ut abstineat, monebo,
Quod non Cyclopibus potum oporteat dare … hunc,
Sed solum habere, et vitam suaviter agere;
Quando autem dormierit a vino superatus,
Ramus oleae est in aedibus,
Quem ense hoc acuens extremum
In ignem ponam; et deinde, quando incensum
Videro ipsum, tollens ardentem in medium in… ferens
Cyclopis oculum, tum eruam hunc igni.
Ut si quis parans vir navis fabricationem[23a]),
Duobus loris terebrum agitat:
Sic circumvertam torrem in lucido
Cyclopis oculo, et arefaciam pupillam.
Chor. Iu iu,
Gaudeo: insanimus hoc invento.

---

23) habeam] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. habeo.

23a) Ut — fabricationem,] his in marg. Editt. 1558., 156… adscripta est haec interpretatio: Ut si quis navim faciens

Ulyss. Et deinde et te et amicos et senem
In navis nigrae cavam collocans scapham,
Duplicibus remis ex hac emitterem terra.
Chor. Erit igitur tanquam ex foedere Dei,
Et ego accipiam excaecantem oculos
Torrem; caedis enim huius socius esse volo.
Ulyss. Ita necesse est, quia magnus est torris, quem te simul comprehendere oportet.
Chor. Curruum centum possim tollere pondus,
Si Cyclopis male perituri
Oculum, tanquam nidum vesparum, poterimus elidere.
Ulyss. Tacete nunc; consilium enim scitis,
Et quando iubeo gubernatoribus
Parere; ego enim viros relinquens charos,
Qui intus sunt, non volo solus evadere.
Quamquam possem effugere, et egressus sum ex antri angulis;
Sed iniustum est relinquentem socios meos,
Cum quibus veni huc, effugere solum.
Chor. Age quis primus, quis vero post primum
Ordinatus torrem ignitum vehens,
Intra Cyclopis palpebras intrudens,
Clarum oculûm perforabit? **Semich.* Canticum est intus;
Tace, tace. Atqui ebrius
Ineptum carmen canens
Teter, absurdus et ploraturus
Procedit extra saxeam domum.
Age ipsum conviviis cicuremus
Ferum;
Omnino erit caecus.
Semich. Beatus, qui bacchatur
Botri ad charos fontes,
In convivio iacens,
Socium in complexu tenens,
Et in lecto flavum
Delicatae tenens sociae
Unguentis delibutus
Capillum; sonat aliquis: Fores quis aperiet mihi?

[*Cyclops, Ulysses, Silenus, Chorus.*]

Cycl. Papae, proh, ebrius
Laetor de hoc epulo iuvenum,
Sicut navis in fundo repletus
Usque ad tabulatum ventris summi.
Educit me ambitus hilaris
Ad convivium verna tempestate
Ad Cyclopes fratres.
Affer mihi, hospes, affer utrem ex antro.
Chor. Pulchrum oculis videns
Ex pulchra egreditur aula.
Amat aliquis nos.
Sicut lychni incensi ardentes[24]), tuum
Corpus, et sicut tenera nympha
Inter rorida antra.
Coronarum vero non unus color
Circa tuum caput iam cito erit.
Ulyss. Cyclops, audi, quia ego Bacchi
Huius minister sum, quem bibendum dedi tibi.
Cycl. Bacchus vero quis Deus putatur?
Ulyss. Maximus hominibus ad iucunditatem vitae.
Cycl. Eructo igitur eum suaviter ego.
Ulyss. Talis Deus est, neminem laedit hominum.
Cycl. Deus in utre quomodo laetatur vinum habens?
Ulyss. Ubicunque ponit aliquis, ibi est libenter.
Cycl. Non oportet Deum corpus habere in pellibus.
Ulyss. Quid, si te vinum delectat, an utriculus te offendit?
Cycl. Odi utrem, sed potum amo istum.
Ulyss. Manens igitur hic bibe, et sis hilaris, Cyclops.
Cycl. Non oportet me fratribus hunc impertire potum?
Ulyss. Habens enim ipse honoratior eris.
Cycl. Impertiens autem amicis, utilior ero.
Ulyss. Pugnas convivium, convicia ac lites amat.
Cycl. Sum ebrius; tamen nemo tanget me.
Ulyss. Age, potum oportet domi manere.
Cycl. Stultus est, qui bibens non sodalitium amat.
Ulyss. Qui ebrius domi manet, est[25]) sapiens.
Cycl. Quid agimus, Silene, tibine videtur manendum esse?
Sil.[26]) Videtur; quid enim opus est aliis convivis, Cyclops?
Cycl. Et quidem herbidum est solum floridi graminis.

---

24) Sicut lychni incensi ardentes] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. Sicut lychnos incensos ardentes; Barn.: Lucernae autem *ut* accensae *et* ardentes.

25) est] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. ei.

26) *Sil.*] sic Editt. 1562. et recentt. aeque ac Ed. Basil 1551.; Ed. 1558. *Ulyss.*

Sil. Et ad aestum solis pulchrum est bibere,
Accumbas huc ponens latera in terra.
Cycl. Ecce quare craterem post me ponis?
Sil. Ne praesens aliquis apprehendat. *Cycl.* Bibere igitur
Clanculum tu vis; ponas ipsum in medium.
Tu vero, hospes, dic nomen, quomodo te oportet vocari?
Ulyss. Neminem; aliquid beneficii accipiens te laudavero.
Cycl. Post omnes socios te epulabor.
Ulyss. Egregium munus hospiti das, Cyclops.
Cycl. Age, quid agis? vinum ebibis clam?
Sil. Non, sed me ille osculatus est, quod tam formosus sum.
Cycl. Plorabis, amans vinum, quod non amat te.
Sil. Non per Iovem, quia te dicis amare me pulchrum.
Cycl. Infunde plenum poculum, da tantum.
Sil. Quomodo est temperatum, sine praegustem.
Cycl. Peribis, da sic. *Sil.* Non per Iovem, priusquam te
Coronam videro accipientem, gustabo adhuc.
Cycl. O pincernam iniustum.
Sil. Non per Iovem, sed vinum est dulce;
Despumare te debes, ut accipias bibere.
Cycl. Ecce labra sunt pura et barba mihi.
Sil. Ponas cubitum recte, deinde bibe,
Sicut vides me bibentem et sicut non me[27]).
Cycl. Ah ah, quid facis? *Sil.* Suaviter exhausi uno impetu.
Cycl. Accipiens, hospes, ipse pincerna meus esto.
Ulyss. Putatur vitis esse in mea manu.
Cycl. Age nunc infunde. *Ulyss.* Infundo, tace modo.
Cycl. Rem difficilem dixisti illi, qui bibit multum.
Ulyss. Ecce accipiens ebibe, et nihil relinquas,
Commori oportet iacentem cum hoc poculo.
Cycl. Papae, sapiens est[28]) lignum vitis.
Ulyss. Ut sumpseris ad cibum multum, multum
Madefacies non sitientem ventrem, et in somnum coniicies;
Si reliqueris aliquid, arefaciet te Bacchus.
Cycl. Iu, iu,
Ut inclinavi vix, mera est gratia,
Coelum mihi mixtum videtur
Terrae, ferri Iovis thronum
Video, et omnia numina.
Non velim osculari, si Charites ipsae me osculari conarentur;
Quiescam, contentus hoc Ganymede,
Rectissime, per Gratias. Delector autem quodam modo
Hac re magis quam mulieribus.
Sil. Ego enim sum Iovis Ganymedes, Cyclops.
Cycl. Ita per Iovem, quem ego rapio a Dardano.
Sil. Perii, o filii, impia patiar mala.
Chor. Reprehendis amatorem, et in deliciis potum.
Sil. Heu acerbissimum somnum[29]) videbo cito.
Ulyss. Agite, Satyri, generosi filii,
Intus est vir somno solutus,
Cito ex tetris faucibus eiiciet carnes,
Et torris in aula fumat,
Et paratus est: nihil restat quam incendere
Cyclopis oculum; sed vide, ut vir sis.
Chor. Saxi animum et adamantis habemus.
Ingredere domum, priusquam pater sciat
Liberationem, ut tibi intus omnia parata sint.
Ulyss. Vulcane, rex Aetnaee, vicino malo
Lucidum eius inflammans oculum, libera te[30]) semel,
Et tu, o nigrae Noctis fili, Somne,
Profundus venias belluae invisae Deo,
Et ne post tot egregios Troianos labores
Ipsum et socios perdite Ulyssem,
Per hunc virum, qui nec Diis, nec hominibus curae est.
„Aut Fortunam Deam esse existimari opus est,
Res divinas vero fortuna inferiores.

[*Systema.*]

Chor. Comprehendet collum
Intente cancer
Hospitum epulatoris;

---

27) et sicut non me.] sic Barn. (= Eurip. χ' ὥςπερ οὐκ ἐμέ; Fix.: utque me *iam* non *vides*); Editt. 1558., 1562. et sicut non.

28) est] sic Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. et.

29) somnum] sic Barn. (= Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. ὕπνον); Editt. 1558., 1562. mendo typogr.: sonnum; Fix.: οἶνον — vinum.

30) libera te] sic Musgr. (= Eurip. ἀπαλλάχθηθ'; Barn.: libera *nos*); Editt. 1558., 1562. liberate.

Lucentem perdat pupillam
Cito, torrens ambustus
Occultatur in cinere,
Quercus magnus ramus;
Sed eat vinum[31]),
Faciat furens,
Auferat palpebram
Cyclopis, ut male bibat.
Et ego amantem hederas
Bacchum amabilem videre volo,
Cyclopis relinquens solitudinem.
Sed huc usque prodibo.

[*Ulysses, Chorus, Cyclops.*]

Ulyss. Tacete per Deos, Satyri, sitis quieti
Continentes articulos oris; neque spirare sino,
Neque connivere oculis, neque excreare quemquam,
Ne excitatur bellua, donec oculi
Visio Cyclopis fuerit expugnata igni.
Chor. Tacemus infarcientes aerem genis.
Ulyss. Agite nunc, ut attingatis torrem manibus,
Ingredientes; inflammatus est pulchre.
Chor. Nonne tu ordinabis, quos primo oportet
Vectem accipientes urere oculum
Cyclopis? ut hoc negotium communiter suscipiamus.
Chor.[32]) Diutius ante fores
Stetimus, quam ut possimus impellere oculo ignem.
Semich. Nos claudi statim facti sumus.
Ulyss.[33]) Idem accidit vobis, quod et mihi. ***Chor.***[34]) Pedes enim
Stantes convulsi sunt, nescio unde.
Ulyss. An stantes habetis spasmum? ***Chor.*** Et oculi
Sunt nobis participes pulveris aut cineris, unde[35])?
Ulyss. Homines nihili, nihil sunt isti socii.

31) Sed eat vinum] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. male: Sedeat vinum; Eurip. *Ἀλλ' ἴτω Μάρων*; Editt. recent.: Sed eat Maron (*vinum*).

32) *Chor.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Χο.*); Editt. recent. *Ἡμιχορ.* — *Semichorus.*

33) *Ulyss.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Ὀδυ.*); Barn. *Χο.* — *Chor.*; Musgr., Fix. *Ἡμιχ.* — *Semichor.*

34) *Chor.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Χο.*); in Editt. recent. hic vs. et subsequens cum praecedenti arctissime coniuncti atque eiusdem personae sunt.

35) unde?] sic Editt. 1558., 1562. quasi legisset interpres *πόθεν*; Editt. recent. (= Ed. Basil. 1551.) *ποθέν* — alicunde.

Chor. Quoniam tergum et spinam miseramur,
Et dentes amittere non volo
Verberatus, haec est illa timiditas.
Sed scio incantationem Orphei bonam,
Ut per se torris ad cranium
Vadens incendat monoculum filium terrae.
Ulyss. Olim quidem sciebam te esse talem natura,
Nunc scio melius, propriis amicis
Uti me oportet; manu vero si nihil vales,
Sis adhortator, ut audaciam
Meorum sociorum adhortatione consequar.
Chor. Hoc faciam, in Care periclitabimur;
Propter adhortationem inflammetur Cyclops.
Agite, fortissime impellite, festinate,
Urite supercilia
Bestiae epulatricis hospitum;
Inflammet, urat aliquis vestrûm
Aetnae pastorem,
Agite[36]), trahe, ne te dolore motus
Faciat irritum.
Cycl. Heu mihi, exustus est mihi oculi fulgor.
Chor. Pulcher hic Paean: cane mihi hunc, Cyclops.
Cycl. Hei mihi, quomodo sum iniuria affectus, quomodo perii?
Sed nunquam effugietis ex hoc saxo
Gaudentes, cum nil sitis; in porta enim
Stans huius hiatus, has applicabo manus.
Chor. Quidnam clamitas, Cyclops? ***Cycl.*** Perii.
Chor. Deformatus videris. ***Cycl.*** Imo et miser.
Chor. An ebrius lapsus es in carbones?
Cycl. Nemo[37]) me perdidit. ***Chor.*** Nemo ergo iniuria affecit?
Cycl. Nemo excaecavit palpebram. ***Chor.*** Ergo non es caecus.
Cycl. Utinam et tu sis talis. ***Chor.*** Quid est tibi? quis posset te excaecare?
Cycl. Tu rides. Nemo autem ubi est? ***Chor.*** Nusquam, Cyclops.
Cycl. Hospes, ut recte intelligas, me perdidit
Detestabilis, qui dans mihi potum exussit oculum.
Chor. Res potens est vinum, et non potest facile vinci.

36) Agite,] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Τόρνευ'*) Terebra,

37) Nemo] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adiecta est annotatio: *οὔτις*, quod nomen sibi finxerat Ulysses. [vide vs. 546.]

Cycl. Per Deos, effugeruntne, an manent in domo?
Chor. Isti tacite petram obumbrantem nos
Occupantes stant. *Cycl.* Ad quam manum?
Chor. Ad dextram. *Cycl.* Ubi? *Chor.* Ad illum ipsum saxum.
Habes? *Cycl.* Malum ad malum accedit, cranium
Impingens fregi. *Chor.* Iam te effugiunt.
Cycl. Non huc, postquam illuc dicebas [38]). *Chor.* Non huc dico.
Cycl. Quomodo igitur? *Chor.* Circumducunt te ad sinistram.
Cycl. Heu mihi, irrideor; ridetis me in malis.
Chor. Sed non iam amplius; sed est hic ante te.
Cycl. O pessime, ubi es? *Ulyss.* Procul a te
Excubiis custodio hanc domum Ulyssis.

38) dicebas] sic (= Eurip. εἶπας) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. ducebas.

Cycl. Quid dixisti? an nomen mutans novum dicis?
Ulyss. Quod, qui genuit, me nominavit Ulyssem.
Daturus eras impii cibi poenas.
Male enim Troiam inflammassemus,
Si non te propter necem sociorum ultus essem.
Cycl. Heu heu, antiquum oraculum perficitur,
Quod me a te excaecatum iri dicebat
A Troia redeunte; sed et te
Poenas daturum pro his praedixit,
Longo in mari tempore pendentem.
Ulyss. Plorare te iubeo; et vidi, quemadmodum dixeris.
Ego ad littus vado, et navim
Impellam ad mare Siculum et meam patriam.
Cycl. Nequaquam, quia te hoc abrupto saxo
Tuis cum nautis conteram iaciens;
Ad littus vado, quamquam caecus,
Per mare vadens pedibus.
Chor. Nos navigantes cum Ulysse
In posterum Baccho serviemus.

Huic interpretationi addimus Prologum in huius tragoediae exordium ab incerto auctore conscriptum, quem Grathusius in Collectione Epigrammatum Melanthonis fol. L 1. affert sic inscriptum:

In exordium tragoediae Euripidis, quae inscribitur Cyclops, incerti autoris.

Ingentem manibus tollens cratera duabus,
Praepinguis monachus talia verba refert.
Pocula qui miser exhaurit, ne gutta supersit,
Unde queat siccam musca levare sitim.
Lautitiisque solet crassum distendere ventrem,
Rara fames illi, rarior atque sitis.
Heu miseros fratres, heu durae semita vitae,
Quam nobis constat vita labore gravi.
His meritis coelum quis deneget? Aeacus ipse
In summa tales collocat arce poli.

LXIX. PHIL. MEL. INTERPRETATIO HERACLIDARUM EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis invenitur in *Xylandri* Editt. 1558., 1562., quibuscum Editiones recentiores *Barnesii*, *Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. adscripsi uncinis inclusas.

EURIPIDIS HERACLIDAE.
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum.

Iolaus filius erat Iphiclis, nepos Herculis ex sorore; iuvenis vero cum illo militavit; senex posteris eius benevolus auxiliator adfuit. Liberis enim pulsis ex tota Graecia ab Eurystheo, tegens eos venit Athenas. Et ibi confugiens ad Deos habuit securitatem, Demophoonte principe urbis. Copreo vero, praecone Eurysthei, avellere volente supplices, prohibuit eum Demophoon. Praeco abiit, bellum minans. Demophoon autem illud nihil curabat. Sed cum essent oracula victoriam significantia, si Cereri interficeret nobilissimam puellam, magno dolore affectus est propter ea; neque enim propriam, neque civium cuiuspiam filiam propter supplices interficere iustum putabat. Vaticinium vero resciscens una ex Herculis filiabus, Macaria, volens subiit mortem. Hanc igitur generose mortuam honoravit; ipsi vero cum rescivissent hostes adesse, exierunt ad pugnam [1]).

Personae.

Iolaus
Copreus
Chorus
Demophoon [2])
Macaria virgo
Ancilla
Alcmena
Nuntius
Eurystheus.
Praefatur Iolaus.

HERACLIDAE.

[*Iolaus, Copreus, Chorus, Demophoon.*]

Iolaus.

Iam olim sic decretum est apud me:
„Iustus vir natus est proximis;
„Qui autem habet voluntatem incitatam in lucrum,
„Urbi est inutilis, et difficilis ad conversationem [2a]).

---

1) Haec veteris argumenti, quod in Eurip. Ed. Basil. 1551. graece legitur, interpretatio Melanthonis in Editt. 1558., 1562. exstat. Barnesius in sua Ed. idem argumentum graecum cum ipsius interpretatione latina exhibet, eique aliud etiam argumentum ex Apollodori Bibliotheca graece et latine adiunxit.

2) Demophoon] sic Editt. 1558., 1562., conf. p. 910. nota 12.

2a) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Quis bonus civis?

Sed sibi est optimus, scio, non discens verbis.
Ego prae pudore, et colens cognationem,
Cum possem Argis tranquille habitare,
Particeps fui maximorum laborum Herculis,
Quando erat nobiscum; nunc postquam ad Deos transiit,
Habens sub alis illius liberos,
Servo eosdem, cum ipse indigeam salute.
Postquam pater ipsorum discessit ex terra,
Primum quidem nos voluit Eurystheus interficere;
Sed effugi, et periit mihi civitas,
Sed vita servata est: fugimus errantes,
Relegati ab alia urbe in aliam.
Ad caetera mala Eurystheus etiam hanc
Iniuriam fecit nobis;
Missis, ubicunque terrarum audierit collocatos,
Praeconibus deposcit nos, et arcet ex terra,
Allegans Argis nos esse hostes, haud contemnendum amicum,
Et sibi florenti opibus et potentia[3]).
Illi videntes meum statum imbecillem esse,
Pueros parvos et orbatos patre,
Colentes potentiores, expellunt nos e terra.
Ego vero fugio cum fugientibus pueris,
Sumque afflictus cum afflictis,
Metuens prodere eos, ne quis ita dicat mortalium:
Videte, postquam non est pater pueris,
Iolaus non fert opem, cum sit cognatus.
Orbati tota Graecia,
Venientes Marathonem, et terram eiusdem ditionis,
Nos supplices Diis sedimus in ara,
Ut iuvent nos, quia campos huius terrae
Habitare dicuntur duo filii Thesei
Sorte ductos, trahentes genus a Pandione,
Cognati filiis Herculis: quorum causa ad fines
Venimus inclytarum Athenarum, ad hunc locum.
Exilium porro gubernatur a duobus senibus.
Ego quidem sum sollicitus pro his pueris;
Sed Alcmena liberos feminei sexus
Intra hoc templum complexa
Servat; veremur enim puellas
Adducere ad turbam, et collocare supplices in ara.
Hyllus vero et fratres, quibus sexus est praestantior,
Quaerunt, ubi possimus habitare aliquam arcem,
Si pellamur ex hac terra vi.
O filii, filii, apprehendite meam tunicam.
Video praeconem hunc Eurysthei
Venientem ad vos, a quo patimur persecutionem,
Privati errones tota terra.
O odiose, utinam pereas, et vir ille, qui te mittit.
Quam multa mala nuntiasti generoso patri horum ex hoc ore!
Copreus. Num videris insedisse hanc pulchram sedem,
Et ad urbem sociam pervenisse? stulte sentis.
Nemo est, qui anteferet
Tuam imbecillem potentiam Eurystheo.
Vade, quid haec laboras? Oportet te surgere
Ad Argos, ubi te expectat iudicium lapidationis.
Iol. Nequaquam, quoniam mihi suppetit[4]) ara Dei,
Et libera terra, in quam ingressi sumus.
Cop. Vis mihi addere huic manui laborem?
Iol. Nunquam me vi abstraxeris, neque hos rapies.
Cop. Cognosces; non es bonus vates, quod ad haec attinet.
Iol. Non fiet hoc me vivente unquam.
Cop. Discede; ducam enim, si tu nolis,
Existimans eos Eurysthei esse, cuius sunt.
Iol. Longo tempore habitantes locum Minervae,
Ferte opem; Iovis Agoraei[5]) supplices
Vim patimur, et coronae polluuntur:
Res est probro civitati, et contumelia Deorum.
Chor. Hem, quis est ille clamor ortus iuxta aram?
Quid negotii ostendet?

[*Strophe* 1.]

Iol. Videtis senem
Iacentem in solo fusum; me miserum!

---

3) Allegans — potentia.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn. eadem verba gr. sic vertit: Argivam urbem laudibus extollens *et dicens*, non parvum inter amicos Odium excitatum iri, *si nos receperint*, et simul se florere *iactans*.

4) mihi suppetit] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. suppetit mihi.

5) Agoraei] hoc Iovis epitheton in marg. Editt. 1558., 1562 sic explicatur: Qui fora et coetus hominum curat.

Chor. Propter quam causam iaces misero casu in terra[6])?
Iol. Iste, o hospes, me afficiens contumelia, tuos Deos
Trahit violenter ab ara Iovis.

[*Strophe* 2.]

Chor. Ex qua terra venisti ad populum
Ex quatuor civitatibus[7]) in unum collectum?
An ex ulteriori loco, marino
Appulistis[8]) remo, relinquentes
Littus Euboeae?
Iol. Non ago, o hospites, iusularem vitam;
Sed veni[9]) ex Mycenis ad tuam terram.

[*Strophe* 3.]

Chor. Quo nomine te nominavit, o senex, Mycenaeus populus?
Iol. Herculis socium novistis
Iolaum. Nam ista persona non est incelebris.

[*Strophe* 4.]

Chor. Novi, audiens ante; sed quo fers istos pueros tenellos? dic.
Iol. Herculis pueri sunt, o hospites;
Supplices tui et civitatis venimus.

[*Strophe* 5.]

Chor. Quam ob causam, dicite mihi, an civitatis colloquium
Expetitis?
Iol. Ne dedamur, neque avulsi ab aris tuis,
Veniamus Argos attracti.
Cop. Sed haec non placebunt tuis dominis,
Qui hîc inveniunt te, tibi imperantes.

[*Strophe* 6.]

Chor. „Convenit Deorum vereri supplices, o hospes,
„Et non violenta manu
„Abripi te a solo Deorum[10]).
Veneranda enim Dice haec non patietur.
Cop. Emitte eos ex terra, qui sunt Eurysthei,
Et non utar violenta manu.

[*Strophe* 7.]

Chor. Iniustum est remittere supplicationem,
Hospitum omnino.
Cop. „Praeclarum est extra negotia habere pedem,
„Nactum melius consilium.
Chor. Ergo oportet te compellato principe huius urbis
Haec moliri: non vi hospites
Abstrahere ab ara, sed honorare terram liberam.
Cop. Qui autem est rex huius regionis[11]) et urbis?
Chor. Inclyti patris filius Demophoon[12]) Thesei.
Cop. Cum hoc erit mihi certamen huius orationis
Potissimum; reliqua dicta sunt frustra.
Chor. Ecce venit ipse celeriter
Et Acamas frater, qui erunt auditores huius causae.
Dem. Postquam tu senior antevertisti iuniores,
Accurrens ad hanc aram Iovis,
Dicito: qui casus hanc turbam congregat?
Chor. Sedent supplices filii Herculis,
Coronantes aram, ut vides, o rex,
Et Iolaus, fidus socius patris eorum.
Dem. Iste casus quid habebat opus clamore?
Chor. Vi eum iste ducere ab hac ara
Volens, excitavit clamorem, et evertit genu
Senis, ut prae miseratione emitterem lachrymas.
Dem. Habet vestem Graecam, et modum vestis Graecae;
Caetera barbare facit.
Tuum est dicere, et non cunctari,
Cuius terrae fines relinquens, huc veneris?
Cop. Argivus sum; hoc enim vis scire.
Quare venerim, quamquam non volens dicere, dicam tamen.
Mittit me huc Mycenarum rex Eurystheus
Ducturum hos; veni ita, ut possim, o hospes,

6) *in terra*] sic scripsi (= Eurip. ἐν γῇ; Editt. recent.: humi); Editt. 1558., 1562. in terram.

7) civitatibus] Ed. 1558. mendo typogr.: civitabus.

8) *Appulistis*] sic (= text. gr.) Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. Appulisti.

9) *veni*] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. venit; Editt. recent. (= text. gr.) venimus.

10) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Supplicum ratio habenda.

11) regionis] sic (= Eurip. χώρας) Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. religionis.

12) Demophoon] sic h. l. et in seqq. Editt. 1558., 1562., Musgrav.; Barn., Fix.: Demophon (= Δημοφῶν).

Multa iusta et dicere et facere consequenter.
Ipse cum sim Argivus, duco Argivos
Fugitivos hos ex [13]) nostra terra
Condemnatos, ut interficiantur legibus nostris.
Cum habeamus nostram rempublicam,
Aequum est, ut nostra iudicia rata habeamus inter nos.
Et cum venerint [14]) ad alios multos lares,
Restitimus in iisdem sermonibus,
Et nemo ausus est accersere sibi mala;
Sed hi cogitantes stultitiam de te quamcunque,
Huc venerunt in periculum, ex desperatione
Abiicientes se, sive consequantur salutem, sive non.
Non enim sperassent, te existentem sanum,
Solum ex tanta Graecia, quam adierunt,
Miserturum esse istius calamitatis.
Age confer, hos dimittens in tuam terram [14a]),
Et sinens nos abducere, quid lucri facies?
Nostras vires potes adiungere tuis,
Argi ipsius tantos exercitus, et Eurysthei
Omnes vires addere huic urbi;
Si autem dicta, et horum miserationem
Intuens, emollitus fueris, urbs venit in certamen
Et ad bellum; non enim sic remittemus
Hoc certamen sine gloria, sine ferro.
Quid tum dices? quales campos amittens
Tirynthiis movebis bellum Argivis?
Quos habebis socios? et pro quo
Sepelies tuos cives mortuos? certe tantum tibi accersis
Malam famam a civibus, si propter senem,
Qui est sepulchrum, nihil existens, ut ita dicam,
Et propter pueros in sentinam impones pedem.
Sed dices hoc unum, quod optimum est, te inventurum esse spem;
Atqui hoc procul abest a praesenti tempore.
Male vero cum Argivis isti armati
Pugnent, si pubescant, si hoc te
Incitat, et in medio longum tempus est,
In quo vos potestis perire. Sed mihi obtempera.
Nihil des, sed sine me mea abducere,
Et sine Mycenas possidere sua, neque, quod soletis facere,
Hoc facias tu quoque, cum possitis potentiores
Amicos eligère, ut eligatis imbecilliores.
Dem. „Qui potest iudicare, aut cognoscere de causa,
„Priusquam utramque partem audiverit perspicue [15])?
Iol. O rex, licet hoc in tua terra
Dicere, et audire vicissim licet mihi,
Et nemo me depellet antea, sicut in aliis locis.
Inter nos et hunc non conceditur alternis causam dicere,
Postquam nihil est nobis amplius negotii cum Argis
Decreto facto; sed sumus exules.
Quomodo potest iuste retrahere tanquam Argivos
Hinc [16]) nunc cum simus, quos expulit ex patria?
Alieni enim sumus ab Argis. An ex tota Graecia
Iustum putatis ut exulemus, quisque exul est ex Argis?
Non licet nobis pellere Athenis;
Non enim Athenienses pellunt liberos Herculis metu Argivorum.
Athenae non Trachin est, neque Argivum oppidum,
Unde tu hos expulisti, non quidem ullo iure.
Tumefaciens Argos, sicut nunc dicis,
Expulisti nos supplices ad aram sedentes.
Si hoc erit, et approbabunt tua dicta,
Non video Athenas esse liberas posthac;
Sed novi illorum ingenia,
Mori potius volent. „Dedecus enim putatur
„Apud bonos viros onus vitae.
Satis est urbem ita praedicasse. „Est enim invidiosum,
„Immodice praedicare. Ego ipse saepe
Memini me gravatum esse, quando nimium sum laudatus.
Quod autem sit tibi, hoc volo dicere,
Hos servare, quia huic terrae praees.

---

13) ex] sic (= Eurip. ἐκ) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. et.
14) venerint] sic (= text. gr.) Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. venerit.
14a) dimittens in tuam t.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: dimittens in *nostram* terram; Musgr.: admittens in terram; Fix.: admissos in terram *tuam* (Eurip. εἰς γαῖαν παρείς).

15) H. l. in Editt. 1556., 1562. nota marg.: Audiatur et altera pars.
16) Hinc] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Hic (= ὧδ', quam lectionem Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. exhibent).

Pittheus quidem filius est Pelopis; ex Pittheo vero
Aethra; pater vero ex hac nascitur tuus
Theseus. Rursus redeo ad illorum genus.
Hercules erat Iovis et Alcmenae filius;
Haec vero et Pelopis filiae[17]). Ergo consobrini
Fuerunt tuus pater et horum pater.
Attingis sic hos genere, o Demophoon.
Quae praeterea extra iam dictam cognationem te oportet
Persolvere filiis, dicam tibi; glorior enim olim
Me socium uisse Theseo, cum essem scutifer Herculis
Ad petendum baltheum, qui fuit causa multarum caedium.
Reduxit Hercules ex profundis angulis inferorum
Patrem tuum. Hoc scit tota Graecia,
Pro quibus reddere te isti vicissim postulant gratiam,
Ne cogantur discedere a terra,
Vi distracti ab aris tuis.
„Tibi enim privatim hoc turpe fuerit, et civitati malum:
„Proiecisse supplices exules cognatos (heu mala).
Intuere eos, vide eos trahi vi.
Sed rogo te, et corono tuas manus,
Et precor te osculans mentum tuum, ne negligas
Filios Herculis, cum semel ad te venerint.
Sis vero illis cognatus, sis amicus,
Pater, frater, dominus; omnia enim
Haec sunt potiora, quam incidere in Argivos.
Chor. Misertus sum ego audiens istas calamitates, o rex,
Nobilitatem prostratam a fortuna
Nunc maxime vidi. Isti enim e patre
Optimo nati, sunt in maxima calamitate.
Dem. Tres me viae huius casus cogunt,
O Iolaë, ut ne depellam tuos hospites.
Prima causa, Iupiter, in cuius ara
Tu sedes, habens hunc coetum pullorum,
Deinde cognatio. Et ego cum illis ante debeam, recte
Illi reposcunt a nobis paternum beneficium.
Et ipsa turpitudo, de qua maxime oportet esse sollicitum,
Si permittam hanc * aram sacrilega spoliari vi
Ab hospite, non liberam
Videbor possidere terram; Argivis autem vereor
Dedere supplices, etsi hoc est prope strangulationem[18]).
Utinam vero tuus adventus fuisset felicior.
Sed tamen ne nunc quidem trepida, ne te aliquis
Cum pueris avellat ab hac ara vi.
Tu vade Argos, et dic ista Eurystheo.
Ad haec si quam habet causam adversus hospites,
Consequetur iudicium, istos nunquam tu abduces.
Cop. Non abducam ego, si fuerit iustum, et si vicero causam?
Dem. Quomodo potest esse iustum, supplicem abducere vi?
Cop. Nequaquam mihi hoc turpe est, sed tibi fuerit decori.
Dem. Certe mihi erit dedecus, si concessero istos abstrahere.
Cop. Tu relega eos ex tuis finibus, et inde ego abducam.
Dem. „Pravus es, si vis cavillatione Deum eludere.
Cop. Ergo huc (ut videtur) malis fugiendum est.
Dem. „Omnibus est receptum propugnaculum ara Deorum.
Cop. Haec non videbuntur pariter Mycenaeis.
Dem. Nonne hic ego sum dominus?
Cop. Nihil laedens illos, si sapis.
Dem. Laedimini ergo, si ego non polluam Deos?
Cop. Non vellem te bellum movere Argivis.
Dem. Et ego sic sum affectus; istos vero non deseram.
Cop. Ego abducam meos.
Dem. An non cito abis retro Argos?
Cop. Sciam experiens cito.
Dem. Plorans certo attinges, idque statim.

---

17) Pelopis filiae.] his in marg. Editt. 1558., 1562. adiecta est annotatio: Lysidices, vide Plutarch. Theseo. [Plut. vita Thesei c. 7.]

18) prope strangulationem.] his in marg. Editt. 1558., 1562 adscripta est interpretatio: periculosum.

Chor. Ne per Deos aude percutere praeconem.
Dem. Si quidem non sciat modestus esse,
Chor. Abi tu; tu vero, rex, non attingas hunc.
Cop. Vade; unius enim manus infirma est pugna.
Veniam adducens[19]) magnum exercitum Martis Argivi.
Innumerabiles me expectant clypeati, et Eurystheus rex
Ipse dux exercitus adest Alcathoi ad fines,
Expectans hic quid fiat, ultimos.
Ubi audierit tuam contumaciam, apparebit tibi
Et civibus et huic terrae et[20]) arboribus.
Frustra haberemus iuventutem adeo
Multam in Argis, nisi te puniremus.
Dem. Male perieris; non timeo tuum Argos.
Hinc vero nunquam me ignominia afficiens,
Vi abduces hos. Non enim Argivorum urbi
Subditam hanc, sed liberam habeo.
Chor. Tempus est prospicere, priusquam ad nostros fines appropinquet
Exercitus Argivorum; admodum acer Mars est
Mycenaeorum, et in isto negotio magis festinabunt quam antea;
„Nam solent praecones omnes
„Bis tantum amplificare rem, quam factum est[21]).
Quam grandia nunc dicturum regi putas?
Quod sit atrocia passus, et paene
Venerit, ut anima ei evelleretur.
Iol. „Non est maius beneficium pueris,
„Quam natos ex praestanti patre,
„Et ducere uxores ex bonis. Qui vero victus libidine
„Coniunxit se cum malis, illum ego non laudo,
„Quod relinquit liberis dedecus propter voluptatem.
„Homines generosi opem ferunt calamitosis
„Magis quam non nati bono genere[22]); nos enim
Cum inciderimus in extrema mala, invenimus amicos
Et cognatos, qui, cum tanta sit Graecia, tamen soli defendunt hos.
Date vos, pueri, eis dextram manum, date
Et vos filiis, et prope accedite,
O filii; veniamus in mutuam notitiam amicorum.
Si quando continget nobis[23]) reditus in patriam,
Et domos habueritis, et honores patris.
Putate semper hos esse servatores et amicos,
Et nunquam in hanc terram cogitate esse tollendam hastam hostilem,
Memores huius officii; sed omnium civitatum nobis amicissimam
Putate. Convenit enim, ut colatis istos,
Qui tantam terram et[24]) Argivos
Averterunt a nobis, ut haberent eos hostes
Intuentes mendicos, errones; sed tamen
Non dediderunt, neque expulerunt nos ex sua terra.
Ego vivens et mortuus, quandocunque moriar,
O amice, magnis laudibus aequalem Theseo
Attollam te, et haec dicens gaudebo:
Quod exceperis nos, et liberis * Herculis tuleris opem.
Tu nobilis per totam Graeciam,
Servas paternam gloriam. „Ex bonis cum natus sis,
„Non es deterior patre,
„Cum paucis aliis. Unum enim inter multos forte
„Invenias, qui non sit deterior patre[25]).
Chor. Semper haec terra calamitosis
In causa iusta vult opem ferre.
Innumeros enim labores pro amicis
Iam tuli, et nunc video novum nobis certamen impendere.
Dem. Recte dixisti; spero horum negotium, o senex,
Tale fore, erit memoria huius gratiae.
Ego quidem civium conventum indicam,

19) adducens] sic Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. male: abducens.

20) et] sic (= Eurip. καὶ) Editt. 1558. et recentt.; in Ed. 1562. deest.

21) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Praeconum mendacia.

22) H. l. ibid. nota marg.: Boni natales quid praestent.

23) nobis] sic Editt. 1558., 1562. (= Editt. Basil. 1551., Musgr. ἡμῖν); Editt. recent.: vobis (= Editt. Barn., Fix. ὑμῖν).

24) et] sic (= Eurip. καὶ) Editt. 1558. et recentt.; in Ed. 1562. deest.

25) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Filii fere parentibus peiores.

Et ordinabo, ut Argivum exercitum
Possim excipere cum magnis copiis. Primum quidem speculatores
Mittam ad ipsum, ne nobis nescientibus irruant.
„Omnis enim defensio cum celeritate est optima,
Et sacrificabo considerans vaticinia[26]). Tu vero non nostram domum
Cum pueris ingredere, relinquens aram Iovis.
Sunt enim, qui te curabant, etiamsi ego foris ero.
Sed vade ad domum, o senex.
Iol. Non relinquam aram, sedemus iam
Supplices expectantes, donec res confecta fuerit.
Posteaquam fueris liberatus a certamine,
Tunc ibimus ad domum; utimur Diis adiutoribus,
Qui non sunt imbecilliores quam Argivi, o rex.
Argivis praeest Iuno, coniunx Iovis,
Nobis vero Minerva. „Dico ad felicitatem
„Et hoc esse, Deos habere meliores.
„Pallas non patitur se vinci.

[*Strophe.*]

Chor. Si tu arrogans es, alii * te non curant,
Qui venis ex Argo, o hospes,
Non pavefacies me istis magnificis dictis.
Nunquam ita magnis
Et pulchros habentibus choros Athenis
Accidat[27]). Tu autem stultus es, et Argi
Sthenelus[28]) tyrannus,

[*Antistrophe.*]

Qui veniens ad aliam urbem,
Non minorem Argis,
Deorum supplices exules
Tenentes meam terram,
Cum sis alienus,
Vi trahis, non cedens regibus,
Neque quidquam iusti dicens.
Ubi ista recte fierent
Apud sapientes?

[*Epodus.*]

Pax mihi placet.
Tu autem, stulte rex,
Dico, si huc venis,
Non sic, quae putas, consequeris.
Non tibi soli est hasta,
Neque clypeus aere munitus.
Sed non sum amans bellorum;
Non mecum bello committas
Civitatem, quae est una ex optime meritis;
Sed sustine.

[*Iolaus, Demophoon, Macaria, Chorus.*]

Iol. O fili, quid affers, sollicitudinem adspectu prae te ferens?
Quid novi dicis de hostibus?
Cunctantur, aut adsunt, aut quid audis?
Non frustrabitur sermo praeconis.
Dux enim Eurystheus est satis fortunatus a Diis,
Bene scio, et est superbus
Contra Athenas. „Sed spiritus
„Nimis superbos Iupiter punit.
Dem. Venit exercitus Argivus, et Eurystheus rex:
Ego eum ipse vidi. „Opus est virum,
„Qui dicit se esse bonum ducem,
„Non per nuntios videre hostes[29]).
Nondum misit exercitum in campos terrae huius,
Sedens in Lepara tumulo[30])
Circumspectat (dico tibi meam opinionem),
Quomodo adducat exercitum suum,
Ubi tuto in hac terra collocet eum.
Mea quidem omnia recte sunt constituta,
Et urbs est in armis, et hostiae paratae sunt,
Quibus Diis oportet istas mactari.
Lustratur civitas a vatibus,
Quod ad victoriam de hostibus, et salutem urbis facit.
Omnes enim vates oraculorum congregans in unum,
Exploravi vulgata et arcana oracula
Vetera, salutaria huic terrae.
Et est magna differentia inter oracula in aliis articulis,

26) vaticinia] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. vaticinua.

27) Accidat] sic (= Eurip. *Κῦρ*) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Accedat.

28) Sthenelus] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *Σθενέλου*) Stheneli *filius* (i. e. *Eurystheus*).

29) H. l. in Ed. 1558. nota marg.: Ducis boni officium.

30) in Lepara tumulo] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Λεπάραν δ' ὀφρύην*); Editt. recent. *λεπαίαν δ' ὀφρύην* — Barn.: in eminenti colle, Musgr., Fix.: *in* collis supercilio.

Unum signum omnium, idem convenit.
Mactare iubent me virginem puellam,
Quae sit nata nobili patre.
Ego habeo promptitudinem, ut vides, erga vos;
Sed non interficiam meam filiam,
Neque quemquam meorum civium cogam
Nolentem. „Quis sic desipiat volens,
„Qui velit dare ex manibus charissimos filios?
Et nunc cum sit res acerba, videbis magnos concursus,
Aliis dicentibus, quod iustum sit hospitibus
Supplicibus opem ferre, aliis meam stultitiam
Accusantibus. Si hoc non faciam, * bellum domesticum paratur.
Haec tu videas, et simul considera, quomodo
Ipsi servemini, et ista civitas,
Et ne me calumnientur cives.
Non habeo tyrannidem, qualis est barbarorum;
„Sed si iusta facio, iusta patior.
Chor. Profecto promptam existentem non sinit Deus
Hospitibus opem ferre[31]), quamvis cupientem.
Iol. O filii, similes sumus navigantibus, qui,
Cum effugerunt saevitiam tempestatis,
Et appulerunt ad terram prope, deinde a littore
Flatu reiecti sunt rursus in mare:
Sic et nos depellimur ex hac terra,
Iam existentes ad littus, tanquam salvi.
Eheu, quare me ita delectasti, o misera
Spes, cum non esses perfectura gratiam?
Venia quidem debetur isti propter hoc, si non vult
Occidere civium filias; contentus sum
Hoc etiam, si quidem ita Diis videtur haec
Pati me; neque tibi perit gratia.
O filii, non scio, quid de vobis statuam.
Quo vertamur? quis Deus non est coronatus?
Ad quam aram non accurrimus? ad quae moenia terrae non venimus?
Perimus, o filii, iam dedemur.
De me nihil curo, si me oportet mori,
Nisi quod mea mors est voluptati hostibus.
Vos deploro, et miseret me vestri,
Et miseret me anus aviae Alcmenae.
O infelix propter longam vitam tuam,
Miser et ego, qui frustra multa laboravi:
Oportuit nos omnino in manus Eurysthei
Delapsos, turpiter et misere amittere vitam.
Sed scis, in quo me possis iuvare? Non omnino
Excidit mihi spes horum salutis.
Me dedito Argivis pro istis pueris, o rex,
Et non subeas tu periculum, et serventur pueri.
Non debeo amare meam vitam, pereat.
Eurystheus maxime me appetit, ut accipiens
Me, Herculis socium, contumelia afficiat.
Est enim pravus vir. „Sapientibus optabile est
„Habere inimicum sapientem, non irritatum sine causa.
„Aliquis potest consequi magnum pudorem et fortunam.
Chor. O senex, ne facias ream hanc urbem.
Fortasse nobis prodesset; sed tamen turpe
Opprobrium fuerit, quod dedissemus supplices.
Dem. Dixisti ista fortiter, sed irrita.
Non propter te rex huc ducit exercitum.
Quid enim Eurystheus consecutus est, te sene
Extincto? sed istos vult interficere.
„Hostibus enim est res periculosa nascentes nobiles
„Iuvenes, qui meminerint patris iniurias.
Quae consentaneum est omnia praeconsiderare.
Sed si aliud opportunius scis consilium,
Appara, quia ego incertus sum animi,
Auditis oraculis, et plenus metu.
Macaria. Hospites, non tribuite[32]) mihi audaciam meum propter egressum;
Primum enim hoc deprecor.
„Mulieri silentium, et esse modestam,
„Et manere tranquillam in domo, optimum est.
Tuam vero audiens, o Iolae, deplorationem,
Egressa sum, cum non sim ordinata intercedere pro nostro genere.
Sed tamen venio opportune, quia mihi etiam curae sunt
Fratres, et de me quoque sum sollicita.
Volo audire, num ad vetera mala
Accesserit aliud malum, quod mordeat tuum animum.

31) opem ferre] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) opem ferre hanc civitatem.

32) tribuite] sic Barn. (= Eurip. Προσθῆτε; Musgr., Fix.: imputate); Editt. 1558., 1562. male: tribuit.

Iol. O filia, maxime te[33]) non nunc recens
E filiis Herculis laudare possum.
Cum esset nobis visa domus bene processisse,
Rursus relapsa est in periculum inexplicabile.
Iste dicit vates significare
Non taurum, non vitulum, sed virginem
Interficiendam, a matre[34]) quae sit nobilis,
Si oporteat nos et hanc urbem esse salvam.
Hac de re angimur: iste neque suos,
Neque aliorum liberos dicit se interfecturum;
Et mihi dicit, non quidem aperte dicit, tamen aliquo modo,
Nisi inveniamus aliquod tale consilium,
Ut quaeramus aliam terram.
Ipse vult servare suam regionem.
Mac. Et in hac re sola nos salvi erimus?
Iol. In hac re; reliqua felices sumus.
Mac. Ne metuas nunc Argivum exercitum.
Ego enim ipsa, priusquam iubear, o senex,
Parata sum mori, et me praebere victimam.
Quid dicemus, si civitas dignatur
Propter nos magnum periculum suscipere,
Et nos, qui istos periculis oneramus,
Cum possimus eam servare, si nos fugiamus mortem?
Non ita; etenim ridiculum est,
Nos gemere[35]) supplices Deorum sedentes,
Natos ex illo patre, ex quo nati sumus,
Ut ignavi videamur[36]): ista non decent bonos.
Pulchrius puto hac civitate capta (quod nunquam fiat)
Venire in potestatem hostium,
Et deinde aliquam [37]) nobilem existentem ex patre
Violenter contumelia affectam, nihilominus mori.
Sed eiecta ex hac terra scilicet vager,
Et non pudeat me, si quis dicat:
Quare huc venistis cum supplicibus ramis?
Vos ipsi timidi, discedite ex hac terra;
Ignavis enim non opitulamur.
Sed neque sane his mortuis,
Quamquam servata, habeo spem alicuius boni status:
Qua spe multi iam prodiderunt amicos suos.
Quis enim desertam puellam, aut coniugem habere,
Aut ex me suscipere liberos volet?
Ergo melius est mori, quam incidere in talia pericula
Me indignam; fortassis alteri magis convenirent
Haec, quae non esset nobilis, ut ego.
Ducite me, ubi oportet mori hoc corpus,
Et coronate sertis, et immolate, si videatur.
Vincite vero hostes; nam ista anima praesto est,
Volens et non invita; et profiteor
Me mori pro fratribus et mea salute.
Consilium etenim hoc non timida ego
Inveni pulcherrimum, ut cum gloria moriar.
Chor. Papae, quid dicam, virginis fortem sermonem
Audiens, quae vult mori pro fratribus?
Quis dicat generosiores his sermones,
Aut quisnam hominum faciat?
Iol. O filia, non aliunde tu,
Sed ex illo nata es divino semine
Herculis; non pudet me
Tuorum sermonum,
Sed miseret me fortunae tuae.
Sed quomodo fiat[38]) iustius[39]), dicam.
Oportet vocari huc omnes sorores huius,
Et deinde sorte ducta moriatur pro reliquis;
Nam te non iustum est sine sorte mori.
Mac. Non velim mori sorte ducta;
Tunc non est beneficium: ne dixeris, o senex.
Sed si recipitis et vultis me
Uti prompta, meam animam
Do volens; contra non faciam.
Iol. Papae, haec oratio adhuc generosior priore,
Et illa erit optima; sed superas
Audacia audaciam, et bonam sententiam bona sententia:
Non tamen iubeo nec prohibeo, o filia,

---

33) maxime te] sic scripsi (= Eurip. μάλιστά σ'; Editt. recent.: te praecipue); Editt. 1558., 1562. maxime (omisso *te*).

34) a matre] sic Editt. 1558., 1562., Musgr. (= Editt. Basil. 1551., Musgr. μητρός); Barn., Fix. πατρός — patre.

35) gemere] sic (= Eurip. στένειν) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: genere.

36) Ut ignavi videamur] sic scripsi (= Eurip. Κακοὺς ὁρᾶσθαι; Editt. recent.: Ignavos videri [Fix.: conspici]); Editt. 1558., 1562. Ut gnavi videamur.

37) aliquam] sic Ed. 1558., Barn.; Ed. 1562. aliquem.

38) fiat] sic Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. fiet.

39) iustius] sic (= Eurip. ἐνδικωτέρως) Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. iustus.

Te mori, sed moriens iuvabis fratres tuos.
Mac. Sapienter iubes: ne metuas particeps fieri
Meo periculo; sed sponte morior.
Sequere, senex, in tuis manibus volo mori.
Praesens postea tege meum corpus meis vestibus.
Vado enim ad miserabilem necem,
Si quidem nata sum[40]) ex illo patre, ex quo glorior.
Iol. Non possum adesse tuae neci.
Mac. Sed concede hoc, ne exhalem animam
In virorum manibus, sed in manibus mulierum.
Iol. Ita fiat, o misera virginum, quia
Mihi hoc esset turpe, te mortuam non ornare pulchre
Propter multa, et propter magnitudinem animi tui,
Et iustitiam; miserrimam autem te
Omnium mulierum vidi oculis meis.
Sed si vis, hos procede: senem
Abi postremo allocutum[40a]).
Mac. O vale, senex, vale et doce
Meos fratres, ut fiant ad omnia vere idonei
Sicut tu, nihil amplius; erunt enim satis probati,
Et serves eos, habe rationem tuae vitae.
Tui pueri sumus, tuis manibus aliti sumus.
Vides enim me, quae * do meam adolescentiam pro istis morti:
Et vos, coetus fratrum praesens,
Sitis beati, et contingant vobis illa, pro quibus ego interficior.
Et honorate senem, et anum in domo,
Et matrem Alcmenam patris mei,
Et hos hospites. Quod si fueritis liberati a malis,
Et fuerit vobis reditus a Diis,
Meministis, quod conveniat vos servatricem vestram honeste sepelire:
Magnifice certe aequum est; non enim defui
Vobis, sed mortua sum pro meo genere.
Et illa laus erit mihi monumentum pro liberis
Et mea virginitate, si quidem sub terra
Mihi nihil erit reliquum. „Nam si et istic
„Habituri sumus[41]) curas post mortem,
„Non scio, quo aliquis vertatur. Mors enim ipsa
„Videtur multorum maximorum malorum remedium.
Iol. Sed o maxime excellens propter magnitudinem animi,
Scito te esse honoratissimam omnium mulierum,
Et vivam et mortuam fore nobis.
Sed vale; vereor enim laedere verbis Deam,
Cui tuum corpus initiatum est, Cereris filiam.
O filii, perimus: merguntur membra
Dolore, prehendite et collocate me in sedem,
Hac veste ibi tegentes, o filii,
Quoniam neque his delector, quae facta sunt,
Et tamen oraculo non perfecto non potuissemus vivere,
Quia maius malum accidisset; tamen hoc etiam est calamitosum.
Chor. „Dico neminem sine Diis beatum fieri,
„Neque etiam miserum.
„Neque unquam eandem domum semper uti
„Felicitate; fatum alias alium agitat:
„Modo reddit exiguum, detractum ab alto,
„Modo erronem facit beatum[42]).
„Non est fas homini effugere fatum, nulla id sapientia potest depellere.
„Sed qui conatur repellere fatum,
„Frustra conatur, semper laborem
„Habebit.
Sed tu non petas ea, quae sunt supra Deos,
Neque nimium doleas.
Illa misera sustinet claram mortem,
Pro fratribus et pro terra, vel pro nostra civitate,
Neque exigua gloria
Excipiet eam ab hominibus:
„Virtus vadit per labores.
Haec facta sunt digna patre et fratribus.
Si bene sentis de mortuis bonis, tecum sentio.

[*Famulus, Iolaus, Alcmene, Chorus.*]
Fam. O filii, salvete, ubi est senex Iolaus,
Et mater patris[43]), abest ab hac sede?
Iol. Adsumus, qualis qualis est mea praesentia.

---

40) nata sum] sic (= Eurip. πέφυκα) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. mala sum.

40a) Sed si vis — allocutum.] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: Sed si quid velis hosce et senem *compellare*, Ito, ultimo alloquio compellans.

41) sumus] Ed. 1562. mendo typogr.: sumas.

42) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vicissitudo rerum.

43) patris] huic voci in marg. Editt. 1558., 1562. adscriptum est nomen: Herculis.

Fam. Quare taces, et habes demissam faciem?
Iol. Venit in animum cura domestica, qua angebar.
Fam. Attolle te, erige caput.
Iol. Sum senex, et non valeo.
Fam. Venio gaudium tibi magnum afferens.
Iol. Quis es tu? quî factum, quod oblitus sum tui, cum tecum fuerim?
Fam. Sum famulus Hylli; non nosti me videns?
Iol. O charissime, venis salus aerumnae nostrae.
Fam. Maxime tu iam es beatus.
Iol. O mater fortis filii, Alcmenam dico,
Egredere, audi iucundissimos sermones[44]),
Iam diu parturiens, propter advenientes
Tabescebas anima, an contingeret reditus illis, qui abierant.
Alc. Quid clamitas? hoc totum atrium impletum est.
Iolaë, num aliquis iterum te invadit praesens
Praeco ab Argis? ego sum imbecillis;
Oportebat te tuas res agere, o hospes.
Non licet tibi istos abducere me vivente unquam.
Nam ego illius non existimarer
Mater posthac; si attigeris hoc manu,
Non bene certabis cum duobus senibus.
Iol. Confide anus, ne metuas, non venit ex Argo
Praeco afferens malum nuntium.
Alc. Quare excitastis clamorem, nuntium timoris?
Iol. Vocavi te, ut ante hoc templum accedas prope.
Alc. Non scimus nos; quis est iste?
Iol. Nuntiat venire filium filii.
Alc. Bene sit tibi pro isto nuntio;
Sed quare accessit ad hanc regionem?
Ubi nunc est? quae res eum detinet,
Quo minus mox tecum huc advenerit, ut mihi sit voluptati?
Fam. Collocat exercitum, et ordinat, cum quo venit.
Alc. Non amplius licet mihi cum isto loqui?
Pol. Licet; sed meum opus est interrogare haec.
Fam. Quid igitur vis cognoscere ex illis, quae fiunt?

44) sermones,] sic (= text. gr.) Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. sermones, dico.

Iol. Quantas adducit copias sociorum?
Fam. Multas; non possum alium numerum dicere.
Iol. Sciunt[45]), ut arbitror, hoc duces Atheniensium.
Fam. Sciunt, et collocarunt in sinistro cornu.
Iol. Iam et ordinatus est exercitus tanquam ad pugnam.
Fam. Et adduxerit victimas ante exercitum.
Iol. Quam procul abest Argivus exercitus?
Fam. Ut videri possit dux perspicue.
Iol. Quid faciens? an ordinat hostium aciem?
Fam. Coniectabamus ista; non enim potuimus exaudire eum.
Iol.[46]) Sed vado ad dominos desertos, quod ad me attinet.
Fam. Non velim pugnare cum hostibus.
Iol. Ego autem tecum velim ad hostes; haec enim curamus,
Ut praesens iuvem amicos, ut solitus sum hactenus.
Fam. Minime ad te pertinet; stulte dixisti.
Iol. An non pertinet ad me, esse socium amicis in proeliando?
Fam. Neminem tu manu tua vulnerabis.
Iol. Quid? an non possum et per clypeum?
Fam. Possis licet; sed cades ante clypeum.
Iol. Nullus hostis audebit me adspicere.
Fam. Non est illud tuum robur, quod olim fuit.
Iol. Pugnabimus cum illis, qui non sunt numero inferiores.
Fam. Exigua additio, amice, tui corporis.
Iol. Ne me detine apparatum, armatum aliquid facere.
Fam. Tu non potes facere; velle potes forte.
Iol. Scias me non mansurum; alia potes dicere.
Fam. Quomodo igitur venies ad exercitum sine armis?
Iol. Sunt intus arma in domo capta ex hostibus;
Istis utemur, et reddemus
Vivi, a mortuis non repetet Deus.
Sed intra, et auferens a clavis
Affer ornatum militarem quam celerrime.

45) Sciunt] sic (= Eurip. Ἴσασιν) Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. Simul.

46) *Iol.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.); in Editt. recent. hic vs. aeque ac praecedens et subsequens *Famuli* est.

Est enim haec domestica commoratio turpis,
Alios pugnare, alios propter metum domi manere.
Chor. Tuum animum nondum sternit tempus;
Sed tuus animus viget, corpus evanidum.
Quid frustra laboras? quae tibi nocebunt,
Et parum iuvabunt nostram civitatem;
Oportet te propter aetatem tuam expensa imbecillitate mutare consilium pugnandi,
Et omittere illa impossibilia; non est possibile,
Ut recuperes denuo rursum iuventutem.
Alc. Quid facturus es, cum non sis mentis compos?
Vis me relinquere desertam cum istis pueris?
Iol. Virorum est pugna; tuum est curare pueros.
Alc. Quid si morieris, quomodo ego servabor?
Iol. Omnibus reliquis erit cura de tuo filio Hyllo.
Alc. Si autem (quod non fiat) peribunt?
Iol. Isti hospites non prodent te, ne metuas.
Alc. Hoc tantum habeo fiduciae, aliud nihil.
Iol. Et Iovi, scio, sunt curae tui labores.
Alc. Proh.
Ego non maledicam Iovi.
Ipse novit, iustene agat mecum.
Fam. Iam vides armaturam;
Sed non satis cito potes tegere corpus hisce,
Quia pugna prope est, et maxime Mars odit
Cunctantem; si metuis pondus armorum,
Nunc quidem vade nudus; in exercitu autem
Tegaris his armis, ego portabo eousque,
Iol. Recte dixisti, verum mihi prompta tenens[47])
Arma posita, insere manui hastam,
Et laevum attolle cubitum, dirigens meum gressum.
Fam. Num opus est ducere tanquam puerum militem?
Iol. Propter omen incedendum est tuto.
Fam. Utinam ita posses facere, ut es cupidus.
Iol. Propera, tristia patiar, si non pervenero ad pugnam.
Fam. Tu cunctaris, et ego videor tibi nihil agere.
Iol. An non vides, quomodo festinet meus pes?
Fam. Video quidem te tibi videri[48]) potius festinare.
Iol. Sed tu hoc dices, quando me ibi videbis.
Fam. Quid videbo te facientem? optarem te videre feliciter pugnantem.
Iol. Ferientem aliquem ex hostibus per clypeum.
Fam. Si quidem venimus; hoc metuo, ne non in tempore veniamus.
Iol. Proh, utinam, o meum brachium, tale esses, quale te pubescens
Meminimus nos, quando cum Hercule
Spartam expugnasti, sis mihi talis socius:
Et possim efficere fugam Eurysthei,
Quia est ignavus ad dimicandum in proelio.
„Etiam hoc male se habet, quod in divitiis inest
„Opinio[49]) fortitudinis; putamus enim
„Divitem omnia bene scire.

[*Strophe* 1.]

Chor. O terra, o luna, per totam noctem lucens,
Et splendores solis,
Lucentes hominibus,
Afferte mihi nuntium,
Et sonate usque ad coelum,
Et ad sedem regiam,
In templo glaucae Minervae.
Discutiam periculum cano ferro
Patriae terrae,
De meis aedibus,
Postquam accepi supplices.

[*Antistrophe* 1.]

Difficile est, urbem tanquam Mycenas
Florentem et excellentem
Fortitudine rei militaris,
Occultare iram adversus ipsam terram contra me[50]).
Malum est, o civitas, si dedemus
Supplices hospites,
Et Argos est reum caedis.
Iupiter est mihi socius, non metuo.

---

47) tenens] sic (= Eurip. ἔχων) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. tenes.

48) videri] sic (= Eurip. δοκοῦντα) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. videre.

49) Opinio] Ed. 1562. mendo typogr.: Opinior. — H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Opinio de divitibus.

50) adversus ipsam terram contra me.] sic Editt. 1558., 1562. (Ed. Basil. 1551. ἐμὲ χθονί); Editt. recent. ἐμῇ χθονί — adversus meam terram.

Iupiter mihi gratiam merito
Habet. Non erunt Dii
Inferiores hominibus, etsi me videant.

[*Strophe 2.*]

Sed, o veneranda, tuum est hoc solum,
Et tua haec urbs, cuius tu mater
Et domina et patrona urbis,
Abige huc adducentem iniuste
Dimicaturum *exercitum ex Argo.
Non enim propter meam virtutem
Aequum est me amittere civitatem.

[*Antistrophe 2.*]

Sed quia tibi semper multorum sacrificiorum
Honores offeruntur, neque occultat ea
Mensium ultima dies, et non cessant
Carmina templorum et cantiones chororum:
In littore ventoso
Ululatus sonant nocturnis plausibus
Sub pedibus virginum.

[*Famulus, Alcmene, Chorus.*]

Fam. O domina, fero tibi brevem orationem
Auditu, et mihi optimam.
Vincimus hostes, et collocantur tropaea.
Quibus figuntur arma tuorum hostium.
Alc. O charissime, iste dies egit te huc,
Ut liber fias propter hoc nuntium.
Nondum autem liberas me ab una quadam difficultate;
Metuo enim, an vivant, quos opto vivere.
Fam. Vivunt maxime gloriosi in exercitu.
Alc. Senex ille vivitne Iolaus?
Fam. Felicissime vivit, consecutus maximum divinitus beneficium.
Alc. Quidnam est? an gloriose pugnavit?
Fam. Factus est iuvenis rursus ex sene.
Alc. Mira dicis; sed volo te narrare primum
Felicem pugnam amicorum.
Fam. Una oratio omnia significabit.
Postquam contra nos mutuo exercitum armatum
Cominus extendentes collocavimus,
Promovens pedem ex curru Hyllus
Stetit inter medias acies,
Et deinde dixit: O dux, qui venis ex Argo
In hanc terram, non permittunt opes et vires tuae,
Et Mycenas non afficies incommodo,
Privando eos uno viro. Quare mecum
Congrediens, aut occiso me, abduc
Herculis filios; aut interfectus, mihi
Patrium honorem et donum relinque.
Exercitus vero assensit, et ad finem malorum
Et pro magnitudine animi praeclare dictam esse orationem.
Iste vero neque reveritus audientes in respondendo,
Neque ipse, cum esset dux, propter suum metum
Ausus est venire in certamen;
Sed erat ignavissimus; dein cum talis esset,
Venit in servitutem reducturus posteros Herculis.
Hyllus itaque discessit in reliquam aciem.
Vates vero, postquam audiverunt
Non perfici finem belli singulari certamine,
Mactabant, non cunctabantur, sed dimittebant
Ex faucibus cruentis[51]) statim faustam necem.
Alii conscendunt in currus, alii sub lateribus
Clypeorum tangebant costas. Atheniensium vero dux
Denuntiavit exercitui, qualia oporteat virum fortem dicere:
O cives, terrae, quae aluit vos,
Et quae genuit vos, opus est iam opem ferre.
Similiter alter Argos non volens dedecorare,
Et Mycenas, precabatur socios.
Postquam signum dedit clarum Tyrrhena tuba,
Et congressi sunt invicem pugna,
Quantum sonitum clypeorum putas fremuisse?
Quantam concussionem et gemitus simul?
Primum quidem strepitus Argivi exercitus
Perrupit nos, deinde retrocesserunt.
Postea collatus pes pedi,
Et vir viro stans, perseverabat in pugna.
Multi cedebant; erant illa verba adhortationis:
O Athenas, o Argivorum agros
Serentes, non depelletis dedecus urbi?
Vix omnia facientes, non sine labore
Vertimus in fugam Argivum exercitum.
Et ibi senex Iolaus videns Hyllum provectum extra aciem,
Rogat porrigens manum,
Ut collocet eum in equestrem currum,
Et accipiens habenas manibus,

51) cruentis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: humanis (= Eurip. βροτείων, quod in his recte a βροτός [mortalis; homo], in illis a βρότος [cruor] derivatum est).

Adegit currum ad equos Eurysthei. Reliquum audiens aliquis
Ab aliquo possit dicere; ego dicam, quae vidi.
Transiens enim religiosum vicum Minervae, quae colitur in Pallenide,
Videns currum Eurysthei,
Votum fecit Iuventae et Iovi, ut uno die
Redderetur sibi vigor iuventutis, et ulcisci posset
Hostes: audire iam potes miraculum.
Duae enim stellae supra currum ad iugum
Stantes, texerunt currum obscura nube.
Sapientiores dicunt fuisse tuum filium,
Et Heben[52]). Hic vero egrediens ex illa aetherea caligine,
Ostendit formam iuvenilem brachiorum,
Capit vero inclytus Iolaus Eurysthei
Quadriiugum currum ad saxa Scironia,
Et vinciens vinculis manus venit,
Spolium pulcherrimum ipsum ducem adducens,
Antea opulentum; sed illa praesenti fortuna
Omnes homines[53]) clare docet,
„Ne ducant beatum eum, qui videtur esse fortunatus, priusquam
„Viderit eum aliquis mortuum, quia fortuna habet quotidianas mutationes[54]).
Chor. O Iupiter victor, nunc licet mihi
Videre diem liberum a misero metu.
Alc. O Iupiter, adspexisti sero quidem mea mala:
Tamen habeo tibi gratiam pro isto beneficio,
Et filium meum cum antea non putarem esse
Inter Deos, scio nunc esse manifesto.
O filii, iam nunc[54a]) liberi a laboribus,
Liberi ab * Eurystheo eritis, qui male periit,
Et civitatem patris videbitis,
Et occupabitis domos patrimonii,
Et sacrificabitis Diis patriis, a quibus exclusi
Hospites agebatis vitam miseram.
Sed quanam Iolaus occulta sapientia
Pepercit[55]) Eurystheo, ut non interficeret?
Dicito; apud nos quidem non est sapienter factum,
Si quis ceperit hostem, non poscere poenam.
Fam. Tibi hunc honorem habuit, ut videas ipsum,
Qui antea dominabatur tibi, et nunc regitur tua manu.
Non certe volentem adducit, sed invitum
Ligavit eum; non enim voluit
Vivus in conspectum tuum venire, et dare poenas.
Sed, o anus, gaude, et memineris mei,
Quod primum dixisti, quando coepi sermonem,
Pronuntia me liberum; nam in tali tempore oportet
Ingenuorum promissa rata esse.

[*Strophe* 1.]

Chor. Mihi est gratus chorus, si
Fuerit dulcis gratia fistulae in convivio,
Et sit iam grata Venus,
Et liceat iam videre laetantes amicos,
Qui ante victoriam videbantur esse miseri.
Etenim multa adfert fatum, gubernans exitus,
Et tempus, filius Saturni.

[*Antistrophe* 1.]

Habes exemplum, o civitas,
Iustum, illud ius non est tollendum,
Ut colas Deum. Qui secus sentit,
Ille est insanus,
Cum sint exhibita manifesta argumenta.
Etenim manifeste Deus
Ostendit se tollere superbiam iniustorum.

[*Strophe* 2.]

Est in coelo filius tuus, o anus.
Iam effugit illum sermonem,
Quod ad inferos descenderit,
Combusto corpore acri ignis flamma.
Et ornat amabilem lectum Hebes,
In aula aurea.
O Hymenaee, duos
Filios Iovis dignatus es.

[*Antistrophe* 2.]

Conducunt multa multis.
Etenim patri horum Palladem
Dicunt auxiliatricem esse;
Et hos nostra civitas,

52) Heben] huic nomini in marg. Editt. 1558., 1562. adiecta est annotatio: Iuventam, quae apud superos Herculis est uxor.
53) Omnes homines] sic scripsi; Editt. 1558., 1562. male: Omnes hominibus.
54) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Felicitas ante obitum incerta.
54a) nunc] sic Editt. recent. (= Eurip. νῦν); Editt. 1558., 1562. num.
55) Pepercit] sic (= Eurip. ἐφείσαθ') Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. mendo typogr.: Peperit.

Et populus servavit hos pueros Herculis.
Repressit superbiam Eurysthei, cui
Iracundia erat violenter ante ius.
Nunquam sit mihi superbia,
Et animus inexsatiabilis.

[*Nuntius, Alcmene, Eurystheus, Chorus.*]

Nun. O domina, vides quidem, sed tamen dicetur.
Venimus adducentes tibi Eurystheum,
Quamquam spectaculo insperato.
Nunquam enim putavit se venturum in manus tuas;
Quando ex Mycenis laboriosis cum clypeis
Ibat, longe maiora fortunâ sentiens,
Expugnaturum se Athenas; sed in contrarium
Deus rem vertit, et mutavit fortunam.
Hyllus igitur et fortis Iolaus statuam
Iovis victoris triumphalem statuerunt;
Mihi mandarunt hunc ad te adducere,
Volentes delectare tuum animum. „Nam dulcissimum est
„Hostem videre ex felici infortunatum factum.
Alc. O odium, venis? comprehendit te Dica tandem?
Primum itaque flectas huc caput,
Et ausis tuos hostes coram intueri;
Tu teneris iam, et non tenes amplius.
Tu es ille? (volo enim audire te,)
Qui ausus es contumelia afficere, o veterator, meum,
Qui est nunc ubicunque est, filium in multis rebus?
Qua in re non affecisti eum contumelia,
Qui vivum misisti ipsum ad inferos,
Et qui misisti mandans, ut perderet hydras et leonem,
Et alia multa mala, quae excogitasti?
Taceo; esset enim longa oratio.
Et tibi non satis fuit ista solum audere,
Sed ex omni Graecia me et liberos [56])
Depulisti, sedentes supplices Deorum,
Partim senes, partim infantulos.
Sed invenisti viros, et civitatem liberam,

[56]) ex omni Graecia me et l.] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. ex omni me Graecia, et l.

Qui te non metuerunt. Oportet te misere mori,
Et lucraberis omnia; oportebat enim te non semel
Mori, qui tantum mali feceris.
Chor. Non licet illum interficere.
Nun. Frustra igitur eum captivum cepimus.
Quae vero lex prohibet illum interfici?
Chor. Non videtur principibus huius regionis.
Nun. Quidnam hoc rei est? an non licet interficere inimicos?
Chor. Non, quem viventem ceperunt in proelio.
Nun. Et haec decreta Hyllus probavit?
Chor. Puto; an non oportebat eum obedire huic civitati?
Nun. Imo non oportebat eum vivere, neque lucem amplius videre.
Chor. Hoc primum est recte factum, quod non est necatus.
Nun. An non amplius est rectum, dare eum poenam?
Chor. Nemini licet interficere istum.
Alc. Quid dicam, si ausit aliquis eum interficere?
Chor. Magnam habebis reprehensionem, si haec feceris.
Alc. Amo hanc civitatem, non est contradicendum;
Sed hunc, postquam in manus venit meas,
Nemo mihi mortalium eripiet.
Ad haec, quisquis volet, dicat me esse ferocem;
Et dicat me esse animosiorem, quam decet feminam:
Illa res tamen a me fiet perfecta.
Chor. Agnosco te vehemens et ignoscendum odium
Habere adversus istum virum.
Eur. O mulier, bene scito me non adulaturum tibi esse,
Nec quicquam * dicturum de mea vita,
Unde oporteat quempiam condemnari timiditatis.
Ego certe hoc certamen non libenter suscepi.
Sum tibi quidem natus consobrinus,
Et cognatus tuo filio Herculi.
Sed sive volebam, sive non volebam, Dea fuit
Iuno, quae coniecit me in hunc morbum.
Postquam autem cum illo suscepi inimicitiam,
Et decrevi certare hoc certamen,
Fui excogitator multorum malorum,

Et multa pariebam assidens noctu,
Ut perdens et interficiens meos inimicos,
Tandem non essem in metu.
Sciens non numerum, sed vere
Virum[57]) esse tuum filium: quamquam inimicus fuit,
Tamen a me praedicabitur, cum fuerit vir excellens;
Isto vero discedente, nonne oportebat me
Invisum istis, et scientem
Inimicitiam paternam, omnem lapidem movere
Interficiendo, eiiciendo, et omnia machinando?
Sic agenti, mea erant in tuto.
An tu non recipiens meam fortunam,
Pepulisses pupillos infestos inimici leonis;
Sed tranquille sivisses habitare Argos? nemini persuadebis.
Nunc igitur cum non interfecerint me,
Pariturum legibus Graecorum,
Non licet me interfici.
Urbs dimisit me, modeste agens,
Pluris faciens Deum meâ inimicitiâ.
Respondi ad ea, quae dixisti: inde oportet te
Vocare Deum victorem et fortem[58]).
Sic se habent res meae: non equidem cupio mori;
Sed tamen moriens, non dolebo.
Chor. Volo tibi pauca dicere, o Alcmene:
Dimitte hunc virum, quia urbi videtur.
Alc. Quid si moriatur, et tamen nos servemus leges urbis vestrae[59])?
Chor. Id fuerit optimum; quomodo hoc fiet?
Alc. Statim ostendam: si ego interfecero,

57) Virum] sic (= Eurip. Ἄνδρ᾽) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Verum.

58) oportet te Vocare — fortem.] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr.: oportet Iovem supplicum et certaminum Praesidem invocare; Barn., Fix.: oportet Supplicem ac generosum [Fix.: fortem] vocare *me*.

59) et tamen nos servemus leges urbis vestrae?] sic contextui congruenter scripsi; Editt. 1558., 1562. et tamen non servetis leges urbis vestrae? Editt. recent.: et *nos* (*vestrae*) civitati pareamus *simul*? (Eurip. *καὶ πόλει πειθώμεθα*;).

Deinde dabo petentibus amicis cadaver.
Corpus enim non negabo terrae.
Sed iam dabit mihi poenam interfectus.
Eur. Interfice, non deprecor. Postquam me dimisit civitas,
Et reverita est interficere:
Donabo civitatem oraculo antiquo Apollinis,
Quod plus proderit, quam existimari possit, cum tempore.
Me mortuum sepelietis, ubi est fatale,
Ante templum Dicae Pallenidis;
Et tibi semper ero benevolus, et urbi salutaris,
Quia ero inquilinus vester[60]),
Et inimicissimus horum posteris,
Quandocunque venerint huc cum exercitu
Prodentes hoc beneficium: tales hospites
Defenditis. Quando igitur haec ego audiens,
Huc veni, et non parui oraculo?
Iunonem censeo potentiorem oraculo,
Et non prodituram me; sed neque mihi inferias facite,
Neque permittite sanguinem fluere in meum locum,
Quia malum reditum eis pro his dabo.
Geminum vero lucrum habebis a me:
Urbi benefaciam, et istis nocebo.
Alc. Quid igitur cunctamini? sic erit salutaris mors urbi,
Propter hoc oportet nos interficere hunc virum, cum audiverimus haec.
Ostendit enim viam tutissimam.
Vir inimicus est; prodest vero mortuus.
Auferte istum famuli, deinde oportet
Canibus dare mortuum, neque speres,
Ut rursus me eiicias vivus ex patria.
Chor. Eadem mihi placent, ite famuli.
Illud negotium, quod ad nos attinet,
Non polluet nostros principes.

60) et urbi salutaris, Quia — vester] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) et urbi salutaris Inquilinus semper iacebo sub terra.

LXX. PHIL. MEL. INTERPRETATIO HELENAE EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis invenitur in *Xylandri* Editt. 1558., 1562., quibuscum Editiones recentiores *Barnesii*, *Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. addidi uncinis inclusas.

EURIPIDIS HELENA
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Huius tragoediae interpretationi a *Xylandro* hoc praemissum est argumentum:

Argumentum Xylandri.

Ostenditur hac tragoedia Helenam non fuisse raptam a Paride, sed a Mercurio deportatam in Aegyptum, ibique custoditam a Proteo. Nubes autem, simulacrum Helenae, abducta a Paride bello Troiano occasionem dedit. Quo confecto, eam nubem secum Menelaus abducit Ilio[1]), diuque vagatus in Aegyptum venit. Ibi evanuit simulacrum, et ipse veram Helenam (cuius tum coniugium Theoclymenus, Protei filius, expetebat) invenit, usuque auxilio Theonoes, Proteo natae, abducit[2]).

Personae.

Helena	Anus
Paris[3])	Nuntius
Teucer	Theonoe
Chorus puellarum[4]) Graecarum.	Theoclymenus[5])
Menelaus	Gemini, scilicet Castor et Pollux.

Helena praefatur.

HELENA.

[*Helena, Teucer, Chorus.*]

Helena.

Istud est flumen Nili habentis pulchras virgines,
Qui pro coelesti gutta solum Aegypti,
Liquefacta candida nive, irrigat, et agros;
Proteus autem quando vivebat, erat dominus huius terrae,

1) Ilio] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. illò.

2) Hoc argumentum Xylander ipse composuit; aliud Barnesius ab ipso graece et latine conscriptum huic tragoediae praefixit; in Eurip. Ed. Basil. 1551. argumentum graecum h. l. non invenitur.

3) Paris] haec persona, quam Editt. 1558., 1562. et Musgr. aeque ac Ed. Basil. 1551. h. l. afferunt, in Editt. Barn. et Fix. deest.

4) puellarum] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: mulierum; Musgr., Fix. (= Ed. Basil. 1551.) habent solam vocem: Chorus.

5) Inter hanc personam et subsequentem Fixius in hoc catalogo inseruit hancce: Alter nuntius.

Colens insulam Pharum, rex vero Aegypti.
Is unam ex virginibus ad flumen duxit
Psamathen, postquam reliquit lectum Aeoli,
Et procreant duos liberos in hac domo,
Theoclymenum marem, qui colens Deos,
Vitam egit, et puellam generosa
Forma, delicias matris, quando erat infantula.
Sed postquam ad pubertatem venit et tempestivas nuptias,
Vocarunt ipsam Theonoen, quia divina
Cum praesentia, tum futura omnia sciebat,
Accipiens hunc honorem a Nereo proavo.
Mihi vero patria est non ignobilis
Sparta, pater Tyndareus; est autem
Fama, quod Iupiter volaverit in meam matrem
Ledam, accepta forma cygni avis,
Qui effecit dolosum concubitum, ab aquila
Persecutionem fugiens, si vera est ista oratio.
Helena vocata sum; quae mala perpessa sim,
Dicam. Venerunt tres Deae propter formam
In specum Idaeum ad Alexandrum,
Iuno, Venus et virgo Iove nata,
Volentes perficere iudicium de forma.
Meam autem formam (si tamen est formosum, quod tantam calamitatem affert)
Venus proponens, quod Alexander esset me ducturus,
Vincit. Paris inde Idaeus, relictis stabulis pecorum,
Venit Spartam tanquam habiturus meum lectum.
Sed Iuno moleste ferens, quod non vicisset Deas,
Irritum fecit meum coniugium Alexandro,
Non dans me, sed faciem similem mihi,
Imaginem vivam sub coelo collocans,
Filio regis Priami; et[6]) putavit se habere me
Falsa opinione, cum non haberet. Iovis porro
Consilia reliqua accesserunt ad haec mala.
Nam immisit bellum in terram Graecorum,
Et infelicibus Phrygibus[7]), ut hominum turba
Et multitudine matrem terram levaret,
Et clarum faceret optimum Graecorum.
Proposita sum praemium de certamine Phrygum, (non sane ego,
Sed magis nomen meum) et Graecorum.
Mercurius autem accipiens me in voluminibus aeris,
Et tegens nube (non enim neglexit me
Iupiter) collocavit in hanc domum Protei[8]),
Eligens omnium hominum castissimum,
Ut servarem coniugium Menelai inviolatum.
Et ego hîc sum; at infelix maritus
Congregato exercitu, meum raptum
Venatur, profectus ad arcem Ilii.
Multi propter me ad Scamandri
Fluenta occisi sunt. Ego, quae omnia et sustineo,
Tamen male audio, et videor prodidisse meum
Maritum, et excitasse magnum bellum Graecis.
Quare adhuc vivo? hunc sermonem audivi ex Deo
Mercurio, me iterum habitaturam esse in terra
Spartae cum meo marito, postquam resciverit, quod ad Troiam
Non venerim, ut non substernerem alicui meum corpus.
Et quidem donec vixit
Proteus, a nuptiis libera[9]) eram; sed postquam
Mortuus est, filius defuncti
Volebat me ducere; sed ego meum veterem maritum
Honore afficiens, procido ad monumentum hoc Protei
Supplex, ut marito servetur meum coniugium,
Ut, etsi in Graecia sum infamis,
Tamen corpus meum hic non fiat reum turpitudinis.
Teucer. Quis est dominus huius munitae domus?
Coniiciendum est, quod sit domus dives,
Ut sunt regalia ornamenta, et sedes ornatae coronis.
Sed, o Dii, quam speciem vidi? video invisissimam
Mulieris formam, letalem, quae me perdidit,
Et omnes Graecos. Dii te, quantum habes odium
Helenae[10]), abominentur; si non in peregrina

---

6) et] sic (= Eurip. *καὶ*) Editt. 1558., Fix. (Barn., Musgr.: autem); in Ed. 1562. deest.

7) infelicibus Phrygibus] sic (= Eurip. *Φρυξὶ δυστήνοισιν*) Editt. 1558., Fix. (Barn., Musgr.: in infelices Phryges); Ed. 1562. male disiunctim: in felicibus Phrygibus.

8) Protei] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Proteus (Eurip. *Πρωτέως*).

9) libera] Ed. 1562. mendo typogr.: liber.

10) quantum habes odium Helenae,] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *ὅσον μίσημ' ἔχ. Ἑλ.*); Editt. recent: *ὅσον μίμημ' ἔχ. Ἑλ.* — quantam habes similitudinem Helenae [Fix.: pro tua similitudine cum Helena].

Terra essem, hoc saxo recte iacto
Interficerem te, ut propter formam Helenae, filiae[11]) Iovis, morereris.
Hel. Quare, o miser, quisquis es, me sic abominaris,
Et me propter illius calamitatem odisti?
Teu. Erravi, et cessi irae magis, quam me oportuit.
Tota Graecia odit filiam Iovis.
Ignosce mihi, mulier, quod haec dixi.
Hel. Quis es? unde venisti in hanc terram?
Teu. Sum unus ex miseris Graecis, o mulier.
Hel. Non igitur mirandum est, si odisti Helenam.
Verum quis es? unde? cuius? oportet te dicere.
Teu. Teucer mihi nomen est; pater, qui genuit,
Telamon; patria Salamis, in qua sum educatus.
Hel. Quare venis ad agros Nili?
Teu. Exul pulsus sum ex patria.
Hel. Necesse est te miserum esse; quis eiecit te e patria?
Teu. Telamon, qui me genuit; quem haberem[12]) chariorem?
Hel.[13]) Quam ob causam? illa res est calamitosa.
Teu. Aiax, frater meus, perdidit me, mortuus in Troia.
Hel. Quomodo? an tuo gladio privas eum vita?
Teu. Saltus in proprium gladium perdidit ipsum.
Hel. Insanumne? nam quis faceret haec sanus?
Teu. Novisti Achillem, filium Pelei?
Hel. Aliquando venit procus Helenae, ut dicitur.
Teu. Is mortuus reliquit certamen sociis suis de armis.
Hel. Quare hoc fuit malum Aiaci?
Teu. Cum alius potitus esset armis, ipse mortuus est.
Hel. Doles tu propter ipsius erratum?
Teu. Propterea quod non una cum eo perii.
Hel. Venisti, o hospes, ad inclytam urbem Ilii?

11) filiae] sic Barn., Musgr. (= Eurip. κόρης); Editt. 1558., 1562. filia.

12) haberem] sic Editt. 1558., 1562.; Musgr.: habeam; Barn.: haberes, Fix.: habere possis (Eurip. ἂν ἔχοις).

13) *Hel.*] in Ed. 1562. deest.

Teu. Et quidem simul expugnans, vicissim perii.
Hel. Iamne incensa et deleta est igni?
Teu. Ita, ut neque vestigium aliquod moeniorum appareat.
Hel. O misera Helena, propter te pereunt Phryges.
Teu. Et praeterea Graeci: magna mala acciderunt.
Hel. Quamdiu oppugnata est urbs?
Teu. Prope septem circulos frugiferos annorum.
Hel. Quamdiu reliquo tempore mansistis in Troia?
Teu. Multis mensibus, decem annos.
Hel. An cepistis mulierem Spartanam?
Teu. Menelaus eam abduxit, retrahens coma.
Hel. Vidistine tu miseram illam, an narras tantum audita?
Teu. Sicut te iam meis oculis cerno, non minus.
Hel. Videte, ne habueritis falsam a Diis opinionem.
Teu. Loquamur de alia re, non de hac amplius.
Hel. Tam certam opinionem existimatis?
Teu. Ipse enim meis oculis vidi, et mens cernit.
Hel. Est Menelaus iam domi cum coniuge sua?
Teu.[14]) Neque in Argis est, neque ad fluenta Eurotae.
Hel. Heu, heu, malum dicis, ad quos pertinet[15]).
Teu. Quia ille dicitur mortuus cum uxore sua.
Hel. An non erat omnibus Graecis idem traiectus?
Teu. Erat; sed tempestas alio alium reiecit.
Hel. In quo loco maris?
Teu. Traiicientibus medium Aegaeum mare.
Hel. Et nemo ex hoc novit, quo pervenerit[16]) Menelaus?
Teu. Nemo; fama est, eum mortuum esse per Graeciam.
Hel. Perii; superestne Thestias puella?
Teu. Ledam dicis? morte periit.
Hel. Num eam perdidit mala fama Helenae?
Teu. Aiunt laqueo attigisse generosum collum.

14) *Teu.*] Ed. 1562. male: *Hel.*

15) ad quos pertinet] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. ad nos pertinet; Editt. recent.: quibus malum *hoc* dicis (= text. gr.).

16) pervenerit] Ed. 1562. mendo typogr.: peruneerit.

Hel. An vivunt filii Tyndarei, an non?
Teu. Mortui sunt, et non sunt mortui: duplex est fama.
Hel. Utra est potior? o me miseram propter haec mala.
Teu. Dicunt eos assimilatos astris esse Deos.
Hel. Recte dixisti hoc; quae est altera fama?
Teu. Mortuos esse propter sororem Helenam.
Sed satis superque de his dictum est, non volo dupliciter gemere.
Sed quorum causa veni in hanc regiam domum, dicam:
Volo videre Theonoen fatidicam.
Adiuva me tanquam hospitem, ut consequar vaticinia,
Quo mittam secundam alam navis
In Cyprum insulam, ubi me vatícinatus est
Apollo habitaturum, nomine insulae
Condentem Salamina, propter patriam meam.
Hel. Ipsa navigatio, o hospes, ostendet. Tu relicta
Hac terra fuge, priusquam te filius Protei
Videat, qui dominus est huius terrae; abest iam
Confidens canibus in caede venatoria.
Occidit autem is quemcunque ex Graecis hospitem acceperit:
Qua vero de causa hoc faciat, neque tu studeas hoc cognoscere,
Et ego taceo; quid enim te iuverim hac re?
Teu. Dixisti[17]), o mulier. Dii tibi
Reddant gratiam pro tuis beneficiis:
Cum habeas corpus simile Helenae, animum
Non *habes similem, sed valde dissimilem.
Male pereat Helena, neque ad fluenta Eurotae
Veniat; tibi vero, o mulier, semper bene sit.
Hel. O[18]) ego prostrata magno luctu magnarum miseriarum,
Qualem luctum alternabo? aut quod carmen accipiam,
Lachrymis aut lamentis aut lugubri querela?
Heu heu!

[*Strophe* 1.]

Puellae alatae
Virgines huius terrae
Sirenes, utinam
Veniatis, habentes Libycam

17) Dixisti] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Καλῶς ἔλεξας) Recte dixisti.

18) O] sic (= Eurip. Ὦ) Editt. 1558. et recentt.; in Ed. 1562. deest.

Fistulam, aut calamos in deplorandis malis
Meis, continuas[19]) lachrymas,
Dolores doloribus, carmina carminibus,
Et cantus meis lamentationibus convenientes.
Mittat Proserpina
Letalis hanc gratiam,
Ut inter lachrymas a me
Sub nigram aulam hymnos accipiat extinctis mortuis.

[*Antistrophe* 1.]

Chor. Ad aquam caeruleam
Fui, et implicito gramine
Purpureas tunicas marinas
In aureo fulgore
Calefaciens, et circum in ramis arundinis;
Inde miserabiliter resonuit.
Audivi strepitum inconcinnum, et dicebam[20]):
Quisnam[20a]) sonuit lamentatione gemens
Sicut aliqua nympha Nais,
Quae suum sponsum fugientem in montibus
Amittit lugubriter, et sub
Saxeis cavis antris
Deplorat nuptias Panis.

[*Strophe* 2.]

Hel. Io io. O praeda barbaricae navis
Puellae Graecae.
Nauta ex Graecis
Quispiam venit,
Lachrymas super lachrymas mihi ferens,
Ilii eversionem narrans
Seram igni Idaeo,
Propter me, propter quam multi interfecti sunt,
Propter meum infelix nomen.
Leda laqueo
Vitam finivit, dedecorans me propter dolorem.
In mari errans meus
Maritus periit.
Castoris et Pollucis
Geminae deliciae patriae

19) continuas] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. et continuas.

20) et dicebam] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. dicebam (= ἔλεγον, Imperf. verbi λέγω); Barn.: flebilem (= ἔλεγον, Accus. Adj. ἔλεγος); Musgr., Fix.: naeniam (= ἔλεγον, Accus. Subst. ἔλεγος).

20a) Quisnam] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: Quia; Musgr., Fix.: Quicquid (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. Ὅτι, Fix. Ὅ τι).

Perierunt,
Et reliquerunt solum equestre,
Ac certamina calamosi[21])
Eurotae, iuvenilem laborem.

[*Antistrophe 2.*]

Chor. Heu heu, heu heu, o miserum daemonem
Et fatum tuum, o mulier,
Infelix vita
Contigit aliqua tibi,
Quando genuit te ex matre
Iupiter, ornatus per aerem
Candida nivis instar ala cygni.
Quod malum a te abest?
Quas miserias non sustinuisti?
Mater periit,
Et gemini infelices sunt chari filii;
Non vides patriam.
Per multos vadit
Fama, quae te barbaro
Connubio tribuit;
Tuus maritus in mari
Et fluctibus mortuus est;
Nunquam amplius patriam
Et Argos bëabis.

[*Epodus.*]

Hel. Heu heu, quis Phrygum,
Aut quis a terra Graecorum
Secuit deplorandam
Pinum in Ilio? Unde perditam
Navim construens
Paris, filius Priami,
Navigavit barbarico remo
Ad meam domum,
Ad infelicem formam,
Ut raperet me in matrimonium.
Sed dolosa et homicidialis
Venus hoc fecit, afferens[22]) Graecis
Mortem, et Troianis.
O miseram calamitatem.
Et in aureis sedibus
Iuno, venerandus complexus Iovis, celerem
Filium Maiae misit,
Qui me herbida
Intra tunicam decerpentem
Rosarum folia, aeneum
Ut ad templum Minervae irem,
Rapiens per aerem
In hanc infelicem terram
Causam belli posuit
Inter Graecos et Troianos.
Meum nomen
Ad fluenta Simoëntis
Habet inanem famam.
Chor. Agnosco, habes magnos dolores; conducit tibi
Ferre necessarios casus in vita quam facillime.
Hel. Charae mulieres, quali fato sum implicita?
An non me mater mea prodigium[23]) peperit?
Nam neque Graeca neque barbara mulier
Edit partu album ovum, vas pullorum,
In quo ferunt Ledam me ex Iove peperisse.
Vita quidem mea fuit[23a]) prodigiosa, et illa, quae mihi acciderunt,
Partim odio Iunonis, partim propter formam.
Utinam deleta sicut statua, iterum
Deteriorem speciem pro illa pulchra forma acciperem.
Illam egregiam formam, quam nunc habeo,
Graeci nesciunt, sed turpes et adversos meos casus.
Quisquis inspiciens in unam fortunam,
Male a Diis affligitur: grave illud quidem, sed tamen ferendum est.
Ego incidi in multas calamitates.
Primum cum non peccaverim, tamen sum infamis,
„Et hoc malum est maius, quam si res esset,
„Si cui imputantur mala, quae non adsunt ei[24]).
Deinde eduxerunt me Dii ex patria, et collocarunt
Inter homines, qui mores habent barbaricos; et ego orbata amicis,
Facta sum serva, quae orta sum ex liberis.
„Omnia apud barbaros serviunt praeter unum.
Illa sola anchora vehebat meam fortunam,
Meum maritum aliquando venturum, et me liberaturum ex his malis;
Ille est mortuus, ille non est amplius.
Mater periit, et ego interfeci eam,

21) calamosi] sic Ed. 1558. (= Eurip. δονακόεντος; Editt. recent.: arundinosi); Ed. 1562. corrupte: calamitosi.
22) afferens] sic (= Eurip. ἄγουσα) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. asserens.
23) prodigium] sic (= Eurip. τέρας) Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. prodigum.
23a) fuit] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. fui.
24) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Infamia falsa.

Iniuste quidem, sed ego tamen culpam sustineo.
Quod fuit decus domus meae,
Filia, sine viro canescet virgo.
Castor et Pollux, qui dicuntur filii Iovis,
Non sunt amplius. Omnibus calamitatibus oppressa,
Quod ad fortunam attinet, mortua sum, re ipsa nondum.
Hoc postremum est, si venirem in patriam,
Excludar ab aedibus, cum, quae ad Ilium
Fuit, Helenam cum Menelao venisse putarent.
Nam si viveret maritus, possemus nos mutuo agnoscere,
Venientes ad indicia[25]), quae nobis solis nota sunt;
Sed hoc nihil est nunc, neque rediturus est ille.
Quid amplius vivam? quam fortunam expecto?
An nuptias eligam, mutationem malorum,
Ut habitem cum viro barbaro, ad opulentam
Mensam sedens? „Quando maritus invisus
„Habitat cum muliere, et persona non placet,
„Optimum est mori: moriar vel non honeste.
Turpes sunt strangulationes de sublimi,
Etiam servis id existimatur esse probrosum;
Sed caedes habent aliquid generosi et pulchri.
Parvi momenti est modus discedendi ex hac vita:
In tantam malorum profunditatem venimus.
Propter formam felices sunt aliae
Mulieres; sed me eadem illa perdidit.
Chor. Helena, hospitem, qui venit, quisquis est ille,
Non putes omnia vera dixisse.
Hel. Atqui clare dixit maritum meum periisse.
Chor. Multa sunt falsa, quae dicuntur.
Hel. Et econtra multa, quae vera sunt, perspicua sunt.
Chor. Fert te in calamitatem pro bono[26]).
Hel. Metus circumdans ducit me, ut hoc credam, quod metuo.
Chor. Quomodo affecta es erga eos, qui sunt in domo?
Hel. Omnes sunt mei amici, praeter regem, qui sectatur meas nuptias.
Chor. Scis, quid faciendum sit? relinque hunc locum sepulchri.
Hel. Ad quem sermonem aut adhortationem vadis?
Chor. Intrans in domum, quae omnia novit,
Marinam puellam Nereidem
Theonoën interroga, an adhuc vivat tuus maritus,
An vero sit mortuus. Ubi bene cognoveris hoc,
Prout res feret, vel gaudeas, vel doleas.
Nam priusquam recte scias aliquid, quid tibi prodest,
Si doleas? obtempera mihi.
Relicto hoc sepulchro accede ad puellam,
Unde scies omnia recte dicere,
In hac domo: quî prospectas?
Ego volo simul tecum ingredi domum,
Et una audire virginis oracula.
Mulier enim debet mulierem adiuvare.
Hel. Amice, accepi hos sermones.
Ite in domum,
Intus in aedibus miserias
Ut meas audiatis.
Chor. Vocas non aegre volentem.
Hel. O diem infelicem,
Quam miseram et lachrymabilem orationem audiam?
Chor. Num dolet praesagiens?[27])
Occupa, o chara, luctus.
Hel. Quid sustinet infelix meus maritus?
An videt lumen,
Et quadriiugos currus solis,
Et vias astrorum? an vero inter mortuos sub terra
Terrestrem obit fortunam?
Chor. Transfer in melius,
Quicquid est futurum.
Hel. Te invocavi et per te iuravi
Humidum locum arundinetis
Eurotam[28]), si mortuus est,
Si vera est fama haec de viro meo:
(Quid horum est obscurum?)
Praebebo collum suspendio letali,

25) indicia] sic scripsi (= Eurip. ξύμβολ', Editt. recent.: signa); Editt. 1558., 1562. iudicia.

26) Fert — bono.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Ad calamitatem enim [Fix.: nimirum] potius quam ad bonum es propensa.

27) Num dolet praesagiens?] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. μὴ πρόμαντις ἀλγεται;); Editt. recent. Μὴ πρόμαντις ἀλγέων, — Ne praesaga dolorum,

28) Eurotam] sic (= Eurip. Εὐρώταν) Musgr., Fix.; Editt. 1558., 1562., Barn.: Eurota.

Aut necem, quae aperit guttur gladio,
Ferream ego adigam intra fauces per carnes certatim,
Victimam tribus Deabus et specui, quem Nymphae
Honore afficiebant apud stabula Paridis.
Chor. Alio avertenda sunt ista mala; tuae res bene se habebunt.
Hel. O Troia infelix,
Propter facta infecta peris, et sustinuisti misera.
Venus effecit, ut mea dona essent
Multum sanguinis, multum etiam lachrymarum,
Et dolores super dolores, lachrymae super lachrymas.
Accepit haec mala Ilium:
Matres perdiderunt filios,
Virgines comam
Abiecerunt, cognatae mortuorum
Ad Scamandrum, fluvium Phrygiae.
Graecia ingenti clamore
Insonuit et ululavit,
Manus capiti imposuit,
Virginibus teneras genas
Concerpsit letalibus plagis.
O felix in Arcadia olim virgo
Calisto, quae cubile Iovis
Ascendisti quadrupedibus membris [29]):
Quanto felicior es matre mea!
Et quae formâ hirsutâ membrorum ferarum
Truci adspectu, figura leaenae,
Mutasti et finiisti dolores!
Quam Diana eiecit extra suum chorum,
Cervam habentem aurea cornua, filiam Meropis, qui fuit unus ex Titanibus.
Propter meam pulchritudinem meum corpus
Perdidit
Pergama Troiana,
Et miseros Graecos.

[*Menelaus, Anus, Helena, Nuntius, Chorus.*]

Men. O qui circa Pisam Oenomai quadriiugum
Certamen vicisti aliquando Pelops,
Utinam tunc, quando convivium inter Deos
Faciebas persuasus, inter Deos mortuos esses,
Priusquam generares patrem meum Atreum,
Qui ex Aërope genuit
Menelaum et Agamemnonem, egregium par;
Maximum enim, credo, (non hoc dico arroganter)
Exercitum ad Troiam remis traduxit
Rex, nullum cum imperio ducens,
Sed imperans volentibus iuvenibus Graeciae.
Possumus numerare eos, qui perierunt.
Alii libenter fugerunt e mari,
Ferentes domum nomina mortuorum.
At ego supra undas caerulei maris
Miser erro, ex quo tempore Ilii
Turres cepimus, et cupio venire in patriam:
Non possum hoc consequi a Diis.
Loca deserta Libyae, et [30]) munitiones inhospitales
Omnes adii; et quando prope patriam sum,
Ventus me rursus reiicit, et nondum secundum cursum
Velum habuit, ut venirem in patriam.
Et nunc miser ego naufragus amissis amicis
Eiectus sum in hanc terram; navis autem ad saxa
Multis numeris naufragiorum fracta est [31]).
Carinam adprehendi ex multis tabulis,
In quibus praeter spem vix servatus sum,
Et Helena, quam habeo abductam a Troia.
Nomen regionis, et populum
Ignoro; puduit enim me venire ad turbam hominum,
Ut spectarer laceratis in vestibus,
Occultantem prae pudore meas miserias. „Quando enim vir
„Magnus in miserias incidit, in animi abiectionem
„Incidit deteriorem, quam is, qui pridem est infelix.
Necessitas me vincit; nam neque cibum habeo,
Neque vestem circa corpus, sicut est coniicere.
Tegor eiiectus e navi [32]).

29) quadrupedibus membris] his in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est explicatio: in ursam mutata.

30) et] sic (= Eurip. τ') Ed. 1558.; in Ed. 1562. deest.

31) fracta est] sic (= Eurip. ἄγνυται) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: facta est.

32) sicut est coniicere. Tegor eiectus e navi.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Hoc autem coniicere Licet: navis *enim fragmentis* eiecticiis [Musgr.: navis eiectamentis] tegor; Fix.: sed ipsas coniicere Licet *has esse* navis reliquias eiectas quibus tegor. — Hae Editt. omnes eadem verba gr. exprimunt uno excepto. Barn. enim et Musgr. (aeque ac Ed. Basil. 1551.) habent ἐκβόλοις [eiectamentis], Fix. ἔκβολ' οἷς [reliquias eiectas, quibus], Editt. 1558., 1562. autem vertunt ἔκβολος [eiectus].

Priores meas splendidas vestes,
Et delicata ornamenta mare rapuit. Nunc in antri recessu
Occultans mulierem, quae mihi omnium laborum
Causa est, venio reliquos
Socios cogens servare Helenam.
Solus oberro, quaerens sociis meis, qui illic sunt,
Victum, sicubi inveniens accipiam;
Et videns hanc domum ornatam fastigio,
Et pulchras portas divitis alicuius viri,
Accessi. Spes est ex opulentis aedibus
Accipere aliquid meis nautis. Nam pauperes,
Ne quidem si velint iuvare, possent.
Chor. Quis ianitor veniet ex aedibus,
Qui narret mea mala intro?
Anus. Quis est ad portam? non discedes a domo,
Ne stans ad portam vestibuli
Molestiam praebeas dominis? aut morieris,
Cum sis Graecus, quibus non conceditur reditus ex hac terra.
Men. O anus, recte haec verba dicis,
Licet; obtemperabo, sed concede sermonem.
An. Abi; nam hoc mihi incumbit, o hospes,
Ne quis Graecus accedat ad hanc domum.
Men. Non[33]) afferas mihi manus, neque tu me repellas.
An. Non obtemperas illis, quae dico: culpandus es.
Men. Nuntia intus tuis dominis.
An. Vereor, ne acerbum fiat tibi, si intus tua verba nuntiem.
Men. Venio naufragus, hospes, non idoneum praedae genus.
An. Vade ad aliam aliquam domum pro ista.
Men. Non, sed intrabo, obtempera tu mihi.
An. Scito te esse molestum, et depelleris vi.
Men. Heu, heu, ubi sunt mei egregii exercitus?
An. Quare illic non fuisti superbus, non hic[34])?
Men. O daemon, quam indigna contumelia afficior?
An. Quare palpebras humectas lachrymis? quid doles?
Men. Priorem felicitatem.
An. Igitur discedens des has lachrymas tuis amicis.
Men. Quae haec regio? cuius sunt istae regiae aedes?
An. Proteus habitat in hac domo; terra est vel vocatur Aegyptus.
Men. Aegyptus? o me infelicem, quo navigavi?
An. An tu contemnis genus Nili?
Men. Non contemno id; gemo meam fortunam.
An. Multi sunt infelices, non tu solus.
Men. Estne domi rex, de quo dicis?
An. Hoc est eius sepulchrum, filius est dominus terrae.
Men. Ubi est? Utrum foris, an domi?
An. Non est intus, est infensissimus Graecis.
Men. Qaum causam habet, quam ego luo?
An. Helena est in his aedibus, filia Iovis.
Men. Quomodo ais? quem sermonem dixisti? dic mihi iterum.
An. Filia Tyndari, quae in Sparta aliquando fuit.
Men. Unde venit? quam rationem res habet?
An. Ex[35]) Lacedaemone huc venit.
Men. Quando? num spoliati sumus coniuge ex antro?
An. Priusquam[36]) Graeci venirent ad Troiam, o hospes.
Sed discede a domo; nam est quaedam in domo
Plaga regia, qua turbatur domus.
Non venisti tempestive; si dominus
Acceperit te, mors erit tibi loco xenii.
Benevola sum Graecis, tametsi duriter
Tecum sum locuta, timens dominum meum.
Men. Quid dicam? quid loquar? miseras aerumnas
Audio prioribus accedentes:
Si adducens receptam ex Troia
Coniugem venio, et si illa, quae in antro latet, salva est,
Et habens idem nomen, quod mea,

33) Non] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. An; Editt. recent. (= Eurip. Ἀ· μή) Ah, ne

34) Quare — non hic?] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Illic igitur fortasse fuisti [Musgr.: fuisses] venerandus, non hic.

35) *An*. Ex] sic (= text. gr.) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. male: An ex

36) *An*. Priusquam] sic (= text. gr.) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. An priusquam

Uxor alia habitat in hac domo.
Dixit eam esse filiam Iovis;
Sed forte est aliquis vir, qui habet nomen Iovis
Ad ripam Nili; nam qui in coelo est, unicus est.
Ubi terrarum est Sparta, nisi ibi tantum, ubi fluenta
Sunt Eurotae, qui habet pulchros calamos?
Unum est nomen Tyndarei, quod sic vocatur.
An est aliqua terra, quae idem nomen habeat cum Lacedaemone,
Et Troia? ego certe non habeo, quid dicam.
Multi, ut videtur, in diversis regionibus
Habent eadem nomina, et civitas cum civitate,
Et mulier cum muliere: non est igitur mirandum.
Neque fugiemus terribile istud dictum ancillae.
„Nullus vir est tam barbaro animo,
„Qui audito meo nomine, non sit daturus cibum[37]).
Notus est ignis Troiae; ego, qui accendi ipsam,
Menelaus non sum ignotus in ulla regione.
Expectabo dominum domus; sed illa res habet
Duplicem cautionem. Si est crudelis,
Occultans me, ibo ad fractas tabulas navis;
Si vero se facilem praebuerit, necessaria
Praesenti calamitati petam.
Illud mihi extremum malorum praeter alia mala est,
Quod ab aliis tyrannis, ipse rex,
Petere cogor victum; sed necessarium est.
„Non est meus sermo, sed sapientum,
„Nihil esse valentius gravi necessitate.

[*Systema.*]

Chor. Audivi fatidicam[38]) puellam,
Quae respondit in regia
Domo, quod Menelaus nondum
Abiit nigrum
Per Erebum, occultatus in terra;
Sed adhuc supra undas
Vexatus, nondum portus
Patriae possit attingere.
Vita erratica utens,
Miser, sine amicis,
Ubique terrarum
Admovens pedem marini
Remi[38 a]) ex terra Troiana.
Hel. At ego ad sedem huius sepulchri iterum
Vado, postquam cognovi charos sermones Theonoes,
Quae omnia bene scit; dicit autem
Meum maritum viventem intueri lucem,
Et navigantem innumerabiles traiectus errare
Huc et illuc, neque inexercitatum sicut errones
Venturum, quando pervenerit ad finem malorum.
Unum non dixit, num salvus sit venturus.
Ego autem id percontari palam nolui,
Delectata, quod eum salvum mihi esse dixit,
Et nunc prope hanc terram
Eiectum naufragio cum paucis sociis.
Utinam venias, quam desideratus venies.
Age quis est iste? non possum abscondi[39])
Propter insidias impii filii Protei,
Non tanquam equa currens, aut mulier Bacchica insana
Admovebo pedem sepulchro; truci
Adspectu est iste, qui me venatur abducere.
Men. Te festinantem ad terribilem fossam,
Et ad columnas sepulchri in igni factas voco.
Mane, quare fugis? ut ostendens tuum corpus,
Terrorem nobis et stuporem offers.
Hel. Afficior iniuria, o mulieres, arceor
A sepulchro ab hoc viro, et me rapiens vult
Dare regi, cuius nuptias effugi.
Men. Non sum fur, neque minister malorum.
Hel. Atqui deformem vestem habes circa corpus.
Men. Statue celerem pedem, omittens timorem.
Hel. Sisto, postquam attigi hunc locum[40]).
Men. Quae es? quam tuam speciem video, mulier?
Hel. Tu vero quis es? ego idem interrogo, quod tu.
Men. Nunquam vidi similiorem corpore.
O Dii; nam Dei beneficium est agnoscere amicos.

---

37) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Fiducia famae.

38) fatidicam] Ed. 1558. mendo typogr.: vatidicam.

38 a) marini Remi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) marino Remo.

39) non possum abscondi] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: numquid [Fix.: numquid forte] occultis insidiis captor

40) hunc locum] his in marg. Editt. 1558., 1562. additur interpretamentum: sepulchrum Protei.

Hel. Graeca sum. Volo etiam de te scire, quis sis.
Men. Dico te Helenae maxime similem esse.
Hel. Et ego te Menelao; non habeo, quid dicam aliud.
Men. Recte agnoscis miserrimum tuum maritum.
Hel. O sero veniens in manus coniugis tuae.
Men. Qualis coniugis? ne attingas meam vestem.
Hel. Quam tibi Tyndareus, pater meus, dedit.
Men. O Hecate lucifera, spectra nobis offer laeta.
Hel. Non vides me nocturnam ministram Proserpinae.
Men. At certe non sum maritus duarum coniugum.
Hel. Cuius alterius thalami dominus es?
Men. Quae in specu occultata est, et quam ex Troia fero.
Hel. Non habes aliam uxorem praeter me.
Men. Certe sum sanus; sed oculi mei errant.
Hel. An non videris videre tuam coniugem, cum me vides?
Men. Corpus est simile; sed perspicuitas mihi deest.
Hel. Considera, quid desit tibi? quis te prudentior est?
Men. Similis es, hoc non possum negare.
Hel. Qui alius te docebit, nisi oculi tui?
Men. Illud, quod habeo aliam uxorem.
Hel. Ego non veni in terram Troianam, sed erat simulachrum.
Men. Quis potest facere corpora videntia?
Hel. Aether, unde tu habes coniugem divinitus factam.
Men. Quis Deus finxit? dicis insperata.
Hel. Iunonis permutatio est, ne Paris me potiretur.
Men. Quomodo hîc eras et simul in Troia?
Hel. Nomen potest in multis locis esse, sed corpus non.
Men. Dimitte me; veni satis habens miseriarum.
Hel. Relinques me, et abduces illam inanem vel fictitiam[40a]) uxorem?
Men. Vale, quia similis es Helenae.
Hel. Perii, te nacta maritum, tamen non habeo.

40a) fictitiam] sic Barn.; Editt. 1558., 1562. factitiam.

Men. Magnitudo malorum, quae ibi perpessi sumus, persuadet me, non tu.
Hel. Heu mihi, quae est me infelicior?
Charissimi me relinquunt, neque redibo
Ad Graecos, neque in patriam meam unquam.
Nun. Menelae, quaerens te, vix tandem invenio,
Per omnem hanc terram barbaram errans,
Missus a sociis relictis.
Men. Quid est? an spoliati estis a barbaris?
Nun. Miranda, quae minora sunt nomine quam re.
Men. Dic, quia adfers aliquid novi hac sollicitudine.
Nun. Dico te frustra tot labores sustinuisse.
Men. Dicis antiqua mala; quid nuntias?
Nun. Coniunx tua abiit ad volumina coeli
Levata evanida, et occultatur in coelo,
Relicto venerando illo antro, ubi eam servabamus,
Postquam tantum dixit: O miseri Phryges
Et omnes Graeci, propter me ad Scamandri
Littus dolis Iunonis estis mortui,
Putantes Paridem habere Helenam, quam non habuit.
Ego, postquam tanto tempore mansi, quanto me manere oportuit,
Servans destinatum fati tempus, ad aerem, patrem meum,
Abeo; misera filia Tyndari famam
Malam frustra audivit, cum esset sine culpa.
O filia Ledae, salve, hîc eras igitur?
Ego te, tanquam abiisses in secessus astrorum,
Nuntiabam ignorans, quod volatile
Corpus haberes; non sino te lacessere
Rursus falsis dictis, quia in Ilio satis
Laborum tuorum tuo marito et auxiliariis exhibuisti.
Men. Hoc est illud; conveniunt sermones
Huius veri[41]). O optatam diem,
Quia[42]) dedit accipere in mea brachia te meam uxorem.
Hel. O charissime Menelae, tempus
Longum est, sed voluptas integra adest.

41) sermones Huius veri] sic Ed. 1558. (= Eurip. *οἱ λόγοι Οἱ τῆσδ' ἀληθεῖς*; Editt. recent.: verba Vera huius *mulieris* [Fix.: huius *Helenae*]); Ed. 1562. sermones Huius viri.

42) Quia] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Ὡς*); Editt. recent.: *Ἦ σ'* — Quae te

[*Strophe* 1.]

Amicae, libens recepi meum maritum,
Implicans amicam manum
In longa flamma lucida.
Men. Et ego te, habens multos sermones
In medio propositos.
Nescio, unde primum nunc incipiam.

[*Strophe* 2.]

Hel. Gaudeo; comas in capite pendentes
Demitto ut alas, et stillo lachrymas.
Circa membra manus ieci,
Ut voluptatem capiam.
O marite, o amantissimum adspectum.

[*Strophe* 3.]

Men. Non reprehendo.
Habeo coniugem filiam Iovis et Ledae,
Quam, quod ad nuptias eius attinet, filii
Equites fratres bearunt, prius autem Dii ex aedibus abstulerunt.
Deus ducit te ad aliam calamitatem meliorem illa.
Illud malum bene cecidit, coniunxit[43]) te et me maritum
Sero; sed tamen fruamur hac fortuna.
Hel. Fruaris sane, ego idem opto.
Nam cum duo simus, non potest fieri, ut unus sit miser, alter non.

[*Strophe* 4.]

Amicae, priora
Non amplius gemimus, neque doleo;
Habeo meum maritum,
Quem expectavi ex Troia
Post multos annos venturum.
Men. Habes, et ego te; post multos soles.
Vix veniens ad te, sensi beneficia Deae.

[*Strophe* 5.]

Istae meae lachrymae propter gaudium
Plus habent gratiae quam tristitiae.
Hel. Quid dicam? quis hominum haec sperarit?
Praeter opinionem habeo te ad pectus.
Men. Et ego te, quae videbaris ad Idaeam urbem,
Et miseras turres Ilii ivisse.
Quomodo a Diis missa es ex mea domo?

43) coniunxit] sic (= Eurip. *συνάγαγε*) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. coniunx.

[*Strophe* 6.]

Hel. Heu heu, redis ad acerbum principium.
Heu heu, acerbam famam quaeris.
Men. Dic, quia omnia Deorum dona sunt audienda.
Hel. Abominor hunc sermonem, qualem afferam.
Men. Attamen dicito; dulce est meminisse laborum.

[*Strophe* 7.]

Hel. Non ad thalamum barbari adolescentis
Volitante venio remo,
Sed volitante amore et miseris nuptiis[44]).
Men. Quis Deus aut quod fatum spoliat te patria?

[*Strophe* 8.]

Hel. Filius Iovis, o marite,
Me admovit Nilo.
Men. Miranda de mittente, o miros sermones!

[*Strophe* 9.]

Hel. Iam lachrymo, et palpebras humecto
Lachrymis; coniunx Iovis me perdidit
Iuno. *Men.* Quae mala volens addere?

[*Strophe* 10.]

Hel.[44a]) Hei mea mala lavacra et fontes illos,
Ubi Deae formam ornarunt,
Unde iudicium venit.
Men. An Iuno haec mala tibi in illo iudicio fecit?

[*Strophe* 11.]

Hel. Venus, ut sibi abduceret[44b]). *Men.* Quomodo? dic.
Hel. Paridem[44c]), cui me promiserat. *Men.* O misera.
Hel. Misera ego sic appuli in Aegyptum.
Men. Deinde dedit pro te simulachrum, ut ex te audio.

[*Strophe* 12.]

Hel. Iam mala in aedibus,
Ah mater. *Men.* Quid ais?
Hel. Mater est mortua. Laqueum strangulantem

44) et miseris nuptiis.] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgrav. (= text. gr.) miserarum nuptiarum.
44[a]) *Hel.*] sic Editt. recent. (aeque ac Ed. Basil. 1551.); in Editt. 1558., 1562. deest.
44[b]) Venus, ut sibi abduceret.] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: Ut *nimirum me* Veneri auferret.
44[c]) Paridem] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: Paridi.

Alligavit propter meum dedecus admissum in coniugio.
Men. Heu me. Vivitne filia Hermione?

[*Strophe* 13.]

Hel. Sine nuptiis, sine liberis, o marite, gemit
Nostras nuptias et meum dedecus.
Men. O Paris, qui totam domum meam funditus evertisti,
Haec etiam te perdiderunt, et multos
Graecos habentes aerea arma.

[*Strophe* 14.]

Hel. Me a patria infelicem
Execrabilem Deus abduxit
Ab urbe et te,
Quia domum et coniugium reliqui,
Non relinquens propter turpes nuptias.
Chor. Si in reliquis prosperam fortunam
Consequamini, ad superiora sitis aequo animo.
Nun. Menelae, impertias et mihi aliquid voluptatis,
Quam ego cognovi, sed nomen qui non satis intelligo [45]).
Men. O senex, colloquaris et tu.
Nun. An non haec est praemium laborum, quos in Ilio suscepisti?
Men. Non est haec; decepti sumus a Diis,
Habentes in manibus obscuram imaginem nubis.
Nun. Quid ais? sustinuimus labores frustra propter nubem?
Men. Haec sunt opera Iunonis, et contentio trium Dearum.
Nun. Num haec, quae vere est, est tua uxor?
Men. Haec, crede meis verbis.
Nun. O filia, quam varia res est Deus
Et investigabilis! bene facit exitus,
Postquam huc et illuc vertit: ille laborat,
Alius non laborans rursus male perit,
Nihil habens firmi continuae fortunae.
Tu et maritus tuus magnos labores sustinuistis,
Tu opinione, ille belligerando
Sollicitus; quando erat sollicitus, nihil habebat, nunc autem habet,
Ultro habens obiectam [46]) prosperam fortunam.
Non igitur patrem senem et Castorem atque Pollucem
Dedecorasti, neque fecisti, qualia dicuntur.
Nunc renovo tuas nuptias,
Et memini faces, quas quadriiugis
Equis vehens ferebam; tu in curru
Cum isto tuo sponso relinquebas felicem domum.
„Improbus est, qui non afficitur rebus dominorum,
„Qui non una gaudet et una dolet in malis [47]).
Ego tametsi natus sum servus, tamen fui hactenus
Numeratus inter generosos
Servos, non habens nomen liberum,
Sed mentem: hoc melius est quam duo mala
Unum habere, et malo animo praeditum esse,
Et ab aliis, qui prope te sunt, dici servum.
Men. Age, o senex, multos ad clypeum
Labores implevisti ex meis laboribus.
Et nunc particeps meae felicitatis
Vade [47a]) et nuntia meis sociis, qui adhuc vivunt,
Haec, quod me inveneris, et qua fortuna utamur,
Ut maneant ad ripam, et expectent mea
Certamina, quae expectamus, quae speramus;
Et quomodo possimus hanc educere ex hac terra
In custodia, utque coniunctis auxiliis
Servemur a barbaris, si possimus.
Nun. Fient haec, o rex; „sed vatum divinationes
„Video, quod malae sint et plenae mendaciorum.
Nihil sani erat in flamma ignita [48]),
Neque in voce avium: stultitia est
Putare homines ab avibus iuvari.
Calchas non dixit neque significavit exercitui:
Video amicos morientes pro nube.
Non; sed urbs frustra direpta est.

---

45) sed nomen — intelligo.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: sed tamen plane, *quaenam sit*, non scio (Eurip. *οὐ σαφῶς δ᾽ ἔχω*).

46) Ultro habens obiectam] sic Barn., Musgr. (= Eurip. *Αὐτόματα πράξας*); Editt. 1558., 1562. Ultro habens abiectam

47) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Servorum officium.

47 a) Vade] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Vide.

48) in flamma ignita,] his in marg. Editt. 1558., 1562. adiecta est explicatio: Id est, in sacrificiis.

Sed dixeris: „Si Deus non vult nos scire,
„Quare vaticinamur? oportet a Diis
„Sacrificantes bona petere, et sinere vaticinia.
Hoc inventum est frustra illecebrae vitae,
Et nemo factus est dives vaticiniis sine labore.
„Bona mens et bonum consilium est optimum vaticinium.
Chor. Ego idem sentio de vaticiniis,
Quod senex. „Qui Deos habet
„Amicos, is habet optimam divinationem domi.
Hel. Sicut illa, quod huc venisti, bene se res habet;
Sed quomodo salvus a Troia veneris, o miser,
Nihil lucri est scire, desiderant tamen
Amici cognoscere amicorum casus.
Men. Certe multa me in exigua et una via interrogasti.
Quid dicam tibi calamitates in mari Aegaeo?
Et Euboica incendia Nauplii,
Et Cretam et Libyam, quas urbes accepi,
Et speculam Persei? non implebo te
Meo sermone; et ego dicens tibi mea mala, amplius dolerem.
Defatigatus sum patiendo, duplici moerore afficeremur.
Hel. Pulchrius dixisti, quam ego te interrogavi;
Unum dic omissis omnibus, quamdiu
Male tractatus es marina erratione?
Men. Annuo tempore supra decem, quos fuimus ad Troiam,
Annos perfecimus septem circulos annorum.
Hel. Heu heu, longum tempus dicis, o miser,
Servatus illinc, huc venisti ad necem.
Men. Quomodo ais? quid dicis? quam me perdidisti!
Hel. Fuge quam celerrime, et discede ex hac terra.
Interficieris a viro, cuius haec domus est.
Men. Quam rem dignam malo feci?
Hel. Venis praeter ipsius opinionem, et impedimento es meis nuptiis.
Men. An vult aliquis ducere meam uxorem?
Hel. Et contumelia me afficere, quam ego sustinui.
Men. An aliquis privatim potens, an vero dominus terrae?
Hel. Filius Protei, qui imperat in hac terra.
Men. Haec est illa querela, quam audio ex ancilla.
Hel. Ad quam portam barbaricam adstatis?
Men. Ad eam, unde tanquam mendicus sum repulsus.
Hel. Num petebas victum? o me miseram.
Men. Haec res erat, sed nomen hoc non habui.
Hel. Ergo nosti omnia, ut videris, de meis nuptiis.
Men. Novi; an hunc thalamum effugias, nescio.
Hel. Scio me tibi intactum servasse cubile.
Men. Quae est huius rei persuasio? grata dicis, si vera essent.
Hel. Vides miseram meam sedem et hoc sepulchrum?
Men. Video, misera, lectum: quid tibi cum hoc strato?
Hel. Hic ego supplex precor, ut possim effugere thalamum.
Men. An eges ara, aut fit hoc legibus barbarorum?
Hel. Hoc liberat nos aeque ac templa Deorum.
Men. Ergo non licebit mihi domum navigare?
Hel. Ibit potius per ferrum, quam me tibi tradat.
Men.[49]) Sic essem miserrimus homo.
Hel. Non verearis, fuge ex hac terra.
Men. Relicta te? propter te expugnavi Troiam.
Hel. Melius est, quam ut te meum connubium perdat.
Men. Non dicis generosa, neque digna Ilio.
Hel. Non potes interficere regem, quem fortasse cupis.
Men. An habet corpus invulnerabile ferro?
Hel. „Scies: audere, quod est impossibile, non sapientis viri.
Men. Tacens igitur praebebo manus meas, ut liget?
Hel. Venis ad rem desperatam; est opus arte aliqua.
Men. Utrum est iucundius mori facientes aliquid aut non facientes?
Hel. Una spes reliqua est, qua sola servari possumus.
Men. An emendo, aut audendo, vel persuadendo?
Hel. Si rex non audiat te venisse.
Men. Quis me prodet, cum nemo sciat, quis ego sim?

49) *Men.*] Ed. 1562. mendo typogr.: *Hel.*

Hel. Est intus apud eum adiutrix quaedam similis Diis.
Men. An fama collocata in angulis aedium?
Hel. Non, sed soror; Theonoen ipsam vocant.
Men. Nomen est fatidicum; sed dic, quid facit?
Hel. Omnia novit, et dicit fratri suo te adesse.
Men. Moriemur; nam fieri non potest, ut lateam.
Hel. Si quo modo possemus eam[50]) persuadere supplicantes ei.
Men. Quam rem ut faceret? in quam spem me adducis?
Hel. Ne diceret fratri te adesse in hac terra.
Men. Persuadentes hoc possemus exire ex hac terra?
Hel. Socia illa facile, clam nequaquam.
Men. Hoc tu efficies, quia mulier conveniens est mulieri.
Hel. Non habebit genua intacta a meis manibus.
Men. Age; sed si nostram orationem non receperit?
Hel. Morieris, et ego misera cogar illi nubere.
Men. Proditrix eris, violentiam excusationem habebis[50a]).
Hel. Iuravi sanctum iusiurandum per tuum caput.
Men. Quid ais? te morituram esse, et non mutaturam connubium?
Hel. Eodem gladio, et iacebo iuxta te.
Men. Tange meam dextram ad haec nunc confirmanda.
Hel. Attingo, te mortuo me etiam morituram esse.
Men. Et ego orbatus te, finiam vitam.
Hel. Quomodo moriemur, ut gloriose moriamur?
Men. Interficiens te ad dorsum sepulchri, me interficiet.
Sed prius decertabimus magno certamine
Pro tuo thalamo; qui vult, prope accedat:
Non dedecorabo res gestas ad Troiam,
Neque domum rediens reprehendar.
Qui Thetidem privavi suo Achille,
Et vidi necem Aiacis Telamonii,
Et filium Thesei: propter meam
Coniugem ego non ausim mori?
Maxime; „nam si sunt Dii sapientes,
„Virum fortem interfectum ab inimicis
„Circumdabunt levi terra;
„Sed malos eiiciunt in firmum littus terrae.
O Dii, fiat aliquando fortunatum genus
Tantali, et liberetur a malis.
Hel. Heu me miseram (sic enim se habet mea fortuna),
Menelae, actum est de nobis; egreditur ex aedibus
Fatidica[51]) Theonoe; domus crepat,
Solutis repagulis; fuge. Sed quid fugiendum?
Absens et praesens te venisse
Huc novit; o infelix, quam perii;
Servatus a Troia et barbarica terra
Veniens, in barbaricos gladios rursus incides.

[*Theonoë, Helena, Menelaus, Chorus.*]

Theo. Praecede tu ferens lucem facum
Et sulphur, quod recessus aeris expiat,
Ut purum spiritum accipiamus e coelo.
Tu viam, si quis laesit pede
Non sancto vadens, da lustranti flammae.
Concute taedam ignis, uti pertranseam.
Et mea iusta Diis reddentes, iterum
Domum ferte sanctam flammam.
Helena, quomodo se habent mea vaticinia?
Venit tuus maritus, Menelaus, hic praesens
Orbatus navibus et tuo pretio.
O miser, postquam effugisti ex illis aedibus, non venisti domum tuam,
Neque scis reditum; an vero hic sis mansurus,
Contentio inter Deas, et conventus de te
Erit hodie apud Iovem.
Iuno, quae tibi hactenus inimica fuit,
Nunc est benevola, et vult te salvum[52]) ducere in patriam
Cum ista, ut Graecia nuptias Paridis
Falsas cognoscat, donum[53]) Veneris.
Venus vult impedire tuum reditum,
Ne coarguatur, neque videatur emisse
Victoriam de forma, Helenae emptam nuptiis.

---

50) eam] sic Barn., Musgr.; Editt. 1558., 1562. eum.

50a) violentiam excusationem habebis.] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. violentam excusationem habebis; Editt. recent.: vim nempe [Fix.: hanc vim] praetexis.

51) Fatidica] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. Vatidica.

52) salvum] sic Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. male: salvam.

53) donum] sic (= Eurip. δώρημα) Editt. 1562. et recentt.; Ed. 1558. mendo typogr.: domum.

Summa negotii est in mea potestate: sive, quod Venus vult,
Perdam te dicens fratri, quod hic sis;
Sive rursus cum Iunone stans, servabo tuam vitam,
Celans fratrem de hoc, qui mihi imperavit
Dicere, quando in hanc terram sis venturus.
Quis es? indicabo fratri meo, hunc
Adesse, ut ego tuta sim.
Hel. Virgo, cado supplex ad genua tua,
Et sedeo apud hanc miseram sedem
Pro me et isto, quem vix tandem
Nacta in ipso articulo discriminis sum, ut videam eum mori.
Ne dicas tuo fratri meum maritum
Nunc[54]) venisse in meas charissimas manus.
Supplico tibi, ut serves eum, fratri tuo
Non prodas tuam pietatem,
Comparans tibi malam et iniustam gratiam.
„Nam Deus odit violentiam, legitime parta
„Possidere vult omnes, non rapinam exercere[55]).
„Omittendae sunt divitiae iniustae.
„Commune est coelum omnibus hominibus,
„Et terra, in qua oportet implentes domus
„Non habere aliena, neque auferre vi.
Me feliciter quidem, sed mihi miserabiliter
Mercurius tradidit patri tuo, ut me servaret marito
Huic, qui adest et vult me recipere.
Quomodo igitur mortuus me recipiat? et quomodo ille
Vivam mortuo huic reddat?
Considera Deum et patrem:
Utrum Deus et mortuus ea, quae propinqui volunt,
Velint, an velint me reddere;
Equidem puto te non oportere plus fratri tuo
Stulto tribuere, quam bono patri.
Deinde cum sis vates, et interpres divinorum,
Corrumpes ius patris,
Et pronuntiabis secundum impium fratrem?
Turpe est te omnia divina nosse,
Cum praesentia, tum futura, nec scire, quid sit iustum.

54) Nunc] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. Τόνδ᾽) Hunc.

55) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Vis Diis exosa.

Me miseram ex malis, in quibus versor,
Libera, dans hanc accessionem istius adversae fortunae.
Nemo mortalium est, qui non odio prosequatur Helenam,
Quae in Graecia dicor prodidisse meum
Maritum, et habitasse in opulentis aedibus Phrygum.
Quod si in Graeciam venero et rediero in Spartam,
Audientes et intuentes, quod fallaciis Dearum
Perierim ego, et non prodiderim amicos,
Referent me iterum inter pudicas mulieres;
Potero elocare filiam, quam alias nemo ducet.
Et relinquens miseram errationem hîc,
Fruar opibus, quas domi habeo.
Quod si mortuus hic in incendio Troiae interfectus esset[56]),
Lachrymis prosequerer eum procul absentem;
Nunc spoliabor vivo et salvo.
Ne fiat, o virgo, sed supplex tibi, hoc rogo:
Tribue mihi beneficium hoc, et imitare mores
Iusti patris. „Haec liberis est gloria
„Pulcherrima, quicunque ex bono patre nati
„Eosdem mores habent, quos parentes.
Theo. Digna sunt consideratione, quae iam dixisti.
Et tu es miserabilis; desidero Menelai
Sermonem audire, quem dicturus est de vita.
Men. Ego neque sustineam procidere ad tua genua,
Neque lachrymare; nam res ad Troiam gestas
Valde dedecorarem, si timidus essem.
Dicunt, quod sit generosi viri[57]),
In adversis rebus lachrymari;
Sed non hoc honestum (si hoc est honestum)
Eligam pro felicitate priore.
Si videtur tibi servare virum hospitem,
Et qui quaerit iuste recipere suam uxorem,
Redde, et insuper serva nos; si vero non videtur,
Ego non nunc primum, sed saepe
Miser fui, et tu videberis iniusta.
Quae nos[58]) decent, et iusta arbitramur,
Quae tuum cor maxime attingent,

56) interfectus esset] sic Ed. 1558. (= Eurip. κατεσφάγη; Barn.: interfectus fuisset); Ed. 1562. interfectus esses.

57) viri] Ed. 1558. mendo typogr.: vir.

58) nos] sic (= Eurip. ἡμῖν) Ed. 1558.; Ed. 1562. male: non.

Haec dicam circa hoc sepulchrum, desiderio patris tui:
O senex, qui habitas in hoc lapideo sepulchro,
Rogo te, ut mihi meam uxorem reddas,
Quam Iupiter huc misit tibi, ut mihi servares.
Scio, quod, tametsi mortuus es, tamen non perdes me,
Sed haec patrem sub terra invocatum,
Qui antea fuit honestissimus, non sinet
Male audire; nam ipsa nunc habet hanc rem in potestate.
O inferne Pluto, etiam te adiutorem invoco,
Qui multa corpora propter hanc accepisti,
Quae ceciderunt meo gladio, et habes mercedem;
Aut nunc illos redde vivos,
Aut coge hanc, quae te[59]) pio patre
Videtur potentior, ut mihi reddat meam uxorem.
Quod si me mea coniuge spoliabitis,
Dicam, quales sermones illa sit tibi relictura.
Tenemur iureiurando, ut scias, o virgo[60]),
Primum dimicare cum tuo fratre,
Et illum vel me oportet mori. Simplex oratio est.
Quod si non velit pugnare,
Sed fame capere nos, qui supplicamus ad tumbam,
Decrevi hanc interficere, et deinde meum ferire hepar
Hoc utrinque incidenti gladio
In hoc sepulchro, ut fluxus sanguinis
Destillent in sepulchrum; iacebimus
Mortui ambo ordine supra hoc politum sepulchrum:
Perpetuus dolor tibi, et contumelia patri tuo;
Non enim ducet hanc neque frater tuus,
Nec alius quisquam; sed ego abducam eam,
Si non possum domum, attamen ad mortuos.
Quid haec? versus lachrymis ad muliebrem imbecillitatem
Magis essem miserabilis, quam agens aliquid.
Interfice, si videtur tibi; non inglorium me interficies.
Imo vero obtempera meis verbis,
Ut sis iusta, et ego accipiam meam coniugem.

Chor. In te est, o puella, gubernare hanc deliberationem.
Sic iudica, ut omnibus placeas.
Theo. Ego sic sum a natura instituta, ut amem pietatem, idque et volo.
Amo meam existimationem, et gloriam patris
Non velim polluere, neque fratri gratiam
Tribuere, ex qua possim infamis videri.
Magnum sacellum iustitiae mihi inest
In natura, et hoc a Nereo
Habens, conabor Menelaum[61]) servare.
Postquam Iuno vult tibi benefacere,
Eodem calculum meum feram; Venus mihi
Sit quidem propitia, nihil tamen ei fuit mecum negotii.
Conabor semper manere virgo.
Quae circa hoc sepulchrum dixisti adversus patrem meum,
Idem dico; nam iniuste facerem,
Si non redderem. Ille enim vivens
Reddidisset tibi hanc, ut haberes, et huic te;
Vindicta est horum apud mortuos
Et vivos homines omnes: „Mens
„Defunctorum non vivit, sed tamen habet notitiam
„Immortalem, incidens in aeternum aetherem[62]).
Ut igitur pertexam non prolixe, tacebo,
Quae me suppliciter rogasti, neque stultitiae
Fratris adiutrix ero.
Afficiam eum beneficio, tametsi non videar,
Si faciam eum pium mea pietate.
Vos igitur invenite exitum;
Ego recedens tacebo.
Incipite a Diis, et supplices rogate
Venerem, ut permittat te redire in patriam;
Et ut Iuno maneat in sententia,
Quam habet de salute tua et mariti tui.
Tu vero, o pater, qui defunctus es, quantum ego possum,
Praestabo, ut nunquam voceris impius pro pio.
Chor. „Nemo unquam iniustus fortunatus fuit.
„In causa iusta spes est salutis.

59) te] sic Editt. 1558., 1562.; in Editt. recent. (= text. gr.) haec vox non legitur.

60) o virgo] sic (= Eurip. ὦ παρθένε) Editt. 1558., Fix.; Barn., Musgr.: virgo; in Ed. 1562. desunt.

61) Menelaum] sic Editt. recent. (= Eurip. Μενέλεων): Editt. 1558., 1562. Menelae.

62) H. l. in Ed. 1558. nota marg.: Immortalitas animi.

Hel. Menelae, quod ad virginem attinet, salvi sumus.
Inde oportet te deliberando
Excogitare commune consilium salutis.
Men. Audi nunc: tu diu fuisti in hac domo,
Et conversata es cum famulis regis.
Hel. Quare hoc dixisti? affers spem,
Quasi aliquid boni facturus sis nobis[63]) in commune.
Men. Persuadeas unum ex illis, qui quadrigis
Praesunt, ut nobis det currum.
Hel. Persuadebo; sed quomodo fugiemus,
Qui sumus imperiti locorum et terrae barbaricae?
Dixisti rem impossibilem. *Men.* Age quid, si occultatus in domo,
Interficiam hoc bicipiti gladio regem?
Hel. Non pateretur, neque taceret
Soror occidendum esse fratrem.
Men. Atqui non habemus navem, qua servemur
Fugientes; mare habet meam, quam ego habui.
Hel. Audi, si forte mulier aliquid prudenter dicat.
Vis dici mortuus verbis, cum non sis mortuus?
Men. Malum omen, sed tamen, si quid lucri est, ut hoc dicatur,
Paratus sum, ut patiar me verbis mortuum dici, cum non sim mortuus.
Hel. Movebo misericordiam muliebri
Tonsura et lamentationibus apud impium regem.
Men. Quod res illa remedium habet salutis?
Hel. Vetustum morem praetendam.
Mortuum te in mari vacuo sepulchro
Sepelire, ut mihi permittat, petam a rege.
Men. Fac eum concessisse, quomodo sine navi
Servabimur, sepelientes meum corpus in vacuo sepulchro?
Hel. Iubebo navim dare, in quam ponam
Ornatum ad tuam sepulturam in brachia maris.
Men. Quam bene hoc dixisti! praeter illud unum, si in terra sepulturam
Facere te iubet, nihil iuvabit nos tuus praetextus.

63) nobis] sic (= Eurip. νῷν) Editt. 1556. et recentt.; in Ed. 1562. deest.

Hel. Sed dicemus non esse consuetudinem in Graecia,
Tegere terra eos, qui in mari sunt mortui.
Men. Bene hoc emendas, deinde ego tecum navigabo,
Et simul imponam ornatum in hanc navim.
Hel. Oportet te adesse in primis, et tuos
Socios navigationis, qui reliqui sunt ex naufragio.
Men. Si prehendero navim in anchora,
Stabit vir iuxta virum armatus.
Hel. Oportet omnia ista gubernare; tantum secundi
Flatus sint velo, et navis cursus.
Men. Fiant haec; Dii finient meos labores.
Sed ex quo dicis te audivisse, quod mortuus sim?
Hel. Ex te, dic te solum evasisse fatum,
Navigantem cum filio Atrei, et vidisse eum mori.
Men. Certe haec lacerata et pannosa corporis vestimenta
Testimonium dabunt de nauticis ruderibus.
Hel. Opportune venit; prius importune fere te perdidisset;
Illud malum fortasse bene cadet.
Men. Utrum me tecum in domum ingredi oportet,
An tranquilli sedeamus ad sepulchrum hoc?
Hel. Maneas hic; nam si volet in te delinquere,
Hoc sepulchrum liberabit te, et tuus ensis.
Ego vadens domum, praecidam capillos,
Et mutabo candidas vestes nigris,
Et iniiciam cruentos ungues genis in cute.
Magnum certamen est. Video duo momenta:
Aut oportet me mori, si deprehensa fuero aliquid machinari;
Aut abire in patriam, et servare tuum corpus.
O veneranda, quae iaces in lecto Iovis,
Iuno, duos miseros homines recrea a laboribus.
Petimus, recta brachia ad coelum
Iacientes, ubi habitas in varia sede astrorum,
Et tu, quae consecuta es laudem pulchritudinis meis nuptiis,
Venus, filia Diones, ne me perdas.
Satis damni, quo me hactenus affecisti,
Nomen praebens apud barbaros, non corpus.
Sine me mori, si vis me occidere,
In patria. Cur es inexplebilis malis?

Amores, fraudes et dolosa inventa
Exercens, et cruentos amores aedium.
Sed quando es moderata, in caeteris rebus suavissima Dearum
Hominibus es, non aliter dico.

[*Strophe* 1.]

Chor. Te in aulis sub frondibus
Sedentem in museis et sedibus voco,
Te musicam et canoram avem
Lachrymantem lusciniam:
Veni per tenues
Genas gemens,
Adiuvans meas lamentationes,
Miseros labores Helenae
Canens, et Iliadum
Lachrymabilem laborem
Per hastas Graecorum,
Qui venit per campos
Barbarico remo,
Qui currit per fluctus, miserias
Adducens Troianis,
Ex Lacedaemone
Postquam rapuit tuum thalamum
Paris infelix maritus
Comitatu Veneris.

[*Antistrophe* 1.]

Multi Graecorum bellando et saxeis
Ictibus mortui, habent miserum infernum,
Facientes, ut tondeant miseram comam coniuges.
Domus iacent sine sponsis.
Multos incendens
Facem apud circumfluam
Euboeam sustulit nauta,
Immittens ad saxa Capharea
Et ad littora Aegaei maris,
Accendens dolosam facem
Per loca non portuosa
Barbaricae navigationis,
Quando tu a patria
Ventorum flatu
Monstrum non monstrum, sed
Nubem perniciosam
Vexisti in navibus,
Idolum sacrum Iunonis.

[*Strophe* 2.]

Sive illud fuerit Deus, sive non Deus, sive medium quiddam,
Quid dicis scrutans
Longissimum finem hominum? invenies, si divina videas.
Miserabilia et rursus huc
Et iterum contrariis
Insperatis casibus salientia:
Tu es filia Iovis, o Helena,
Quam volucris in sinu Le-
dae genuit pater;
Et fama de te est per Graeciam, quod sis iniusta,
Proditrix, perfida, impia: nescio,
Quid sit certi, quicquid id[64]) sit inter homines; *Deorum
Verbum invenio verum.

[*Antistrophe* 2.]

„Stulti, quicunque virtutem bello
„Comparatis, cuspidis, qua in pugna utimur,
„Hastis volentes sedare
„Miserias hominum, ut sit finis mali[65]).
Etiamsi enim nunc indicet certamen
Sanguinis, nunquam discordia
Desinet per hominum urbes,
Quae sunt abductae[66]) ex Troia;
Cum verbis posset componi
Tua discordia, o Helena.
Nunc alii apud inferos curae sunt Plutoni,
Moenia perierunt, sicut ignita
A Iove properat flamma;
Aliud malum supra aliud affers
Miseris Troianis in hac calamitate.

[*Theoclymenus, Helena, Menelaus, Chorus.*]

Theocl. O salve patris sepulchrum (nam in publica via
Te sepelii, o Proteu, propter meam salutationem)
Semper te egrediens et ingrediens domum
Theoclymenus filius hic tuus te affatur, pater.
Vos canes et bestiarum retia,
Famuli, ferte in domum regiam;
Ego mihi ipsi valde convicior,

---

64) quicquid id] sic Editt. 1558., 1562.; Barn.: quicquid (Eurip. ὅ,τι).

65) H. l. in Ed. 1558. nota marg.: Detestatio belli.

66) sunt abductae] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. sunt adductae (Eurip. Editt. Basil. 1551., Barn., Musgr. ἔλιπον).

Quod non mulctamus morte malos.
Et nunc audivi quendam Graecum palam
In terram venisse et fefellisse speculatores,
Aut exploratorem, aut furto abducturum
Helenam; morietur, si modo fuerit comprehensus.
Age. Sed ut videtur, omnia acta esse
Invenio; nam relicta vacua sede sepulchri,
Helena navigavit ex hac terra.
Heu laxate vectes, solvite equorum
Praesepia, ministri, et exportate currus,
Ut ne me fallat propter laborem, ex terra
Hac exportata uxor, quam expeto.
Expectate: video, quos persequimur,
Adesse in domo, et non effugisse.
Age tu, quare suspendisti nigras vestes a corpore,
Mutatis albis, et a generoso capite
Crines praecidisti immisso ferro,
Et humectas tuas genas recentibus lachrymis
Plorans? utrum persuasa nocturnis
Somniis gemis, aut famam aliquam domo
Audiens dolore conficis animum tuum?
Hel. O domine, (iam enim te sic nomino)
Perii, res meae sunt evanidae, nihil sum amplius.
Theocl. In qua calamitate versaris? qualis est tua fortuna?
Hel. Menelaus, hei mihi, quomodo dicam, mortuus est mihi.
Theocl. Non gaudeo tuo dolore; sed mecum bene agitur.
Quomodo novisti? an tibi Theonoe hoc dixit?
Hel. Et illa dicit, et hic praesens eum esse extinctum.
Theocl. Venitne aliquis, qui hoc vere dicit?
Hel. Venit; veniat, ut ego volo eum venire.
Theocl. Quis est? Ubi est? ut sciam certum.
Hel. Iste, qui sedet perculsus ad monumentum.
Theocl. O Apollo, quam deformiter est vestitus.
Hel. Hei mihi, videor mihi meum maritum sic se habere.
Theocl. Qualis est iste vir, et unde applicuit in hanc terram?
Hel. Graecus, unus e Graecis, qui navigarunt cum marito meo.
Theocl. Quo mortis genere ait Menelaum periisse?
Hel. Miserrimo, humidis fluctibus maris.
Theocl. Ubi? an navigantem in mari barbarico?
Hel. Impingentem ad importuosa saxa Libyae.
Theocl. Et quomodo hic non periit, cum fuerit socius navigationis?
Hel. Mali interdum sunt fortunatiores bonis.
Theocl. Ubi reliquit[67]) navis fragmenta?
Hel. Ubi utinam male periisset, et non Menelaus.
Theocl. Ille periit; sed in qua navi venit hic?
Hel. Nautae casu advenientes receperunt eum, ut dicit.
Theocl. Ubi est illud simulachrum, quod pro te missus est ad Troiam?
Hel. De effigie nubis loqueris? abiit in aerem.
Theocl. O Priame et terra Troiana, frustra periisti.
Hel. Et ego sum particeps calamitatis Troianorum.
Theocl. Reliquit maritum insepultum, an vero texit terra?
Hel. Insepultum. Heu me miseram propter mea mala.
Theocl. Propter hancne causam praecidisti cincinnos flavae comae?
Hel. Amicus est, quisquis est, qui adest.
Theol. Recte calamitas haec deploratur.
Hel. An facile tibi esset, mori tuam sororem?
Theocl. Nequaquam; quomodo igitur? deinceps etiam habitabis ad hoc sepulchrum?
Hel. Quid me lacessis, nec omittis mortuum?
Theocl. Tu es fida tuo marito, fugiens me.
Hel. Non amplius; iam incipe meas nuptias.
Theocl. Sero quidem venis, tamen laudo hoc.
Hel. Scis igitur, quid velim te facere? priora obliviscamur.
Theocl. Quam ob causam? ego reddam beneficium pro beneficio.
Hel. Faciemus foedus, et reconcilieris mihi.
Theocl. Remitto indignationem adversum te, avolet.
Hel. Nunc te per haec genua, quando es amicus.
Theocl. Quam rem petens supplex rogas me?
Hel. Volo maritum meum defunctum sepelire.

---

67) reliquit] sic Editt. recent. (= Eurip. λιπών); Editt. 1558., 1562. relinquit.

Theocl. Quid est sepultura absentium? an sepelies umbram?
Hel. Mos est apud Graecos, qui in mari mortuus fuerit, —
Theocl. Quid facere? Graeci sunt sapientes in talibus rebus.
Hel. Sepelire in vacuis textis tunicis.
Theocl. Fac funus, excita tumulum, ubi vis in terra.
Hel. Non sic sepelimus naufragos.
Theocl. Quomodo igitur? ignoro leges Graecorum.
Hel. Exportamus in mare, quae convenit mortuis.
Theocl. Quid exhibebo mortuo et tibi?
Hel. Nescio; ego sum imperita istarum rerum, cum prius nihil tale mihi acciderit.
Theocl. O hospes, gratum nuntium attulisti.
Men. Non mihi, neque mortuo.
Theocl. Quomodo sepelitis mortuos, qui in mari perierunt?
Men. Prout sunt uniuscuiusque facultates.
Theocl. Dic, quod ad sumptus attinet, quicquid voles, propter hanc accipies.
Men. Primum mactatur sanguis mortuis.
Theocl. Cuius? tu indica mihi, ego parebo.
Men. Tu ipse statuito; sufficient, quae dederis.
Theocl. Apud barbaros mos est, equum aut taurum.
Men. Si vis aliquid dare, nihil des generoso indignum.
Theocl. Non caremus illis in nostris gregibus.
Men. Et afferte lectum stratum sine corpore.
Theocl. Fiet; quid praeterea afferre mos est?
Men. Arma aenea; nam fuit bellator.
Theocl. Digna erunt haec Graecis, quae dabimus.
Men. Praeterea omnia pulchra germina nata e terra.
Theocl. Quomodo in fluctus illa demittis?
Men. Nunc[68]) oportet[69]) et gubernatores remorum.
Theocl. Quantum spatii arcet classem a terra?
Men. Ut vix conspici possint a littore fluctus circa navem.
Theocl. Quare hunc morem colit Graecia?
Men. Ne fluctus eiiciant hostias ad littus.
Theocl. Navis Phoenissa velox aderit.
Men. Recte et Menelao benefeceris.
Theocl. Nonne tu potes sine hac hoc facere?
Men. Matris hoc opus est, aut uxoris, aut liberorum.
Theocl. Huius negotium est, ut dicis, sepelire maritum.
Men. Res pia est, non defraudare mortuos suis iustis.
Theocl. Sit meum habere coniugem non pollutam.
Veniens in domum adferam apparatum pro mortuo,
Et dimitto te ex terra non vacuis manibus
Servientem huic. Cum mihi famam bonam
Attuleris, pro sordibus istis
Accipies vestem et cibum, ut in patriam
Venias, quando video te miserum esse.
Tu vero, o misera, non in re inutili
Crucies te ipsam. Menelaus functus est fato,
Neque potest vivere maritus tuus mortuus.
Men. Tuum officium est, o adolescentula, praesentem
Maritum oportet amare, et eum, qui periit, omittere:
Hoc tibi optimum est ad praesentem casum.
Quod si venero in Graeciam, et fuero salvus,
Qualem decet esse te tuo marito,
Si talis mulier fueris, ego compescam priores de te sermones[70]).
Hel. Fient haec: nunquam[71]) maritus culpabit
Me; tu, qui prope ades, scies ista.
Verum, o miser, intra et lava,
Et muta vestem, non ad moram
Benefaciam tibi; libentius enim
Charissimo meo Menelao convenientia
Feceris, si consequaris a nobis, quae te oportet.

[*Strophe* 1.]

Chor. Veloci pede montana
Mater Deorum festinavit

68) Nunc] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Νῦν*); Editt. recent. *Ναῦν* — Navem.

69) oportet] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. *δεῖ παρεῖναι*) oportet adesse.

70) Qualem — sermones.] hic horum duorum versuum ordo, quem Editt. 1558., 1562. exhibet, congruit cum Ed. Basil. 1551.; in Editt. recent. in textu gr. et interpr. ordine inverso versus 1309. versui 1308. praecedit.

71) Fient haec: nunquam . . .] sic Barn., Musgr. (= text. gr.); Editt. 1558., 1562. Fient haec nunquam.

Per sylvestria prata,
Et fluctus maris graviter sonantes
Desiderio amissae
Filiae arcanae.
Crepitacula Bacchica clarum
Sonitum mittentia sonabant,
Quando iugales bestias
Dea iungens ad currum
Raptam quaesivit
Virginum extra coetum.
Cum puellis celeres,
Diana sagittis,
Pallas armata hasta,
Spectans e coelo,
Aliud fatum ordinaverat.

[*Antistrophe* 1.]

Quando cursus et errationis
Labores mater finiit,
Quaerens labores,
Dolosam rapinam filiae,
Transiit nivosas
Speculas nympharum Idaearum.
Eiicit in luctu
Saltus in rupibus nivosos [72]),
Hominibus campos terrae sine herbis fecit.
Non dans fructum orationibus,
Perdit genus hominum.
Non mittebat greges vigentia
Pascua [72a]) graminum implicatorum.
Multorum vita defecit,
Neque erant sacrificia Deorum,
Et oblationes non incendebantur in aris.
Et prohibebat roridos fontes
Emittere limpidas aquas.

[*Strophe* 2.]

Postquam finivit sacrificium
Diis et hominibus,
Iupiter placans infestam
Iram matris, dicit:
Ite, castae Charites,
Ite, de virgine
Iratae Cereri
Moerorem eximite sonitu.
Et vos, Musae, chorum cum hymnis,
Et sonitum aeris terrestrem,
Et tympana in igne facta accipite
Pulcherrima. Tunc primum inter Deos
Risit Dea Venus,
Et accepit in manus
Tibiam graviter sonantem,
Delectata illa modulatione.

[*Antistrophe* 2.]

Quae non fas est neque sanctum est facere,
Incendisti in thalamis.
Habes inimicitiam magnae
Matris, o filia, cum sacrificia
Diis non colas.
Multum possunt hinnulorum
Variae pelles,
Et herba coronata hedera
In sacras ferulas,
Et circumvoluta rhombo
Concussio aetherea,
Et bacchans coma bacchantium,
Et nocturni cursus Deae.
Bene eam
Supera, o luna,
Forma tantum gloriaberis.

[*Helena, Theoclymenus, Menelaus, Chorus, Nuntius, Gemini.*]

Hel. Quod ad ea attinet, quae intus sunt, bene nobiscum agitur, o amicae.
Nam filia Protei simul adiuvans vestram fraudem,
Cum viderit meum maritum adesse,
Non dixit fratri, et quem ego dixi mortuum esse,
Eum non dicit vivere propter me.
Maritus meus rapuit pulcherrima ornamenta.
Nam arma, quae demissurus erat in mare,
Haec, immittens robustam manum palo [73]),
Ipse portat, et accipiens dextra hastam
Tanquam sacrificaturus mortuo,
Potius paravit corpus armis ad pugnam,
Tanquam multorum barbarorum tropaea manu
Collocaturus, quando descendemus in navem, quae remis agitur.
Mutavit vestem pro veste, quae corrupta est navigando,

72) Eiicit — nivosos,] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: Et proiecit se in luctu Saxea super tesqua nivosa;

72a) Non mittebat — Pascua] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: Gregibus vero non emittebat laeta Pabula

73) immittens — palo,] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent.: immissa robusta [Fix.: forti] manu in scuti manubrium,

Theseł. O filii Ledae et Iovis, priorem
Contentionem de vestra sorore remittam,
Et meam sororem non volo amplius interficere.
Illa eat domum, si Diis placet:
Scitote vos optimae simul et castissimae
Sororis esse fratres;
Et valete propter generosum Helenae
Animum, qualis non inest in multis mulieribus.
Chor. „Multae sunt formae divinorum operum,
„Dii multa praeter spem perficiunt;
„Et quae videntur, non eveniunt.
„Non speratorum invenit Deus viam[81]).
Sic exiit hoc negotium.

81) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Varietas fati.

LXXI. PHIL. MEL. INTERPRETATIO IONIS EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis integra legitur in altera *Xylandri* Ed. 1562., a qua interpretatio prioris Ed. 1558. differt, cuius rei causam Xylander in praefatione illius Editionis attulit (vide supra p. 285 sq.). Praeter hanc prioris Editionis interpretationem, quam genuinae in notis criticis subiunxi, etiam Editiones recentiores *Barnesii*, *Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. addidi uncinis inclusas.

EURIPIDIS ION

PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum[1]).

Creusam Erechthei filiam Apollo vitians gravidam fecit Athenis; illa vero partum sub arcem[2]) exposuit, eundem locum et delicti et partus[3]) testem accipiens. Infantem igitur Mercurius auferens[4]) Delphos tulit; inveniens illum[5]) prophetissa educavit. Creusam autem[6]) Xuthus duxit uxorem. Qui cum in bello contra principes Euboeae[7]) opem tulisset Atheniensibus, dono ab illis accepit et regnum et praedictae nuptias[8]). Huic igitur alius filius[9]) non fuit; hunc vero educatum a sacerdote[10]), Delphi aedituum[11]) fecerunt, qui ignorans servivit suo patri[12]). Scena huius fabulae in Delphis fingitur[13]).

Personae.

Mercurius
Ion
Chorus ex Creusae ancillis[14])
Creusa
Xuthus
Senex[15])
Famulus[16]) Creusae
Pythia seu Vates[17])
Minerva.

Praefatur Mercurius.

---

1) Haec veteris argumenti, quod graece in Eurip. Ed. Basil. 1551. legitur, interpretatio Melanthonis in Editt. 1558., 1562. exstat. Ed. Barn. hoc argumentum graece et latine auctius praebet.

2) sub arcem] sic Editt. 1562. Barn.; Ed. 1558. sub arce.

3) et delicti et partus] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. et sceleris et puerperii

4) auferens] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. sustollens

5) illum] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. vero

6) autem] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. vero

7) contra principes Euboeae] sic Ed. 1562.; Barn.: contra Chalcodontidas, principes Euboeae

8) Qui cum — nuptias] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Nam cum auxilium tulisset in bello Atheniensibus, regnum et praedictae nuptias accepit dono.

9) alius filius] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. filius alius.

10) sacerdote] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. vate muliere.

11) aedituum] sic Barn. (= νεωκόρον gr. argumenti); Editt. 1558., 1562. male: editum.

12) Qui ign. — patri] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. Hic vero ignarus servivit patri. — In Ed. Barn. post haec verba in argumento gr. et lat. inserta sunt haecce: Apollo itaque oraculum consulenti Xutho de liberis obtinendis, donum dedit suum et Creusae filium, Ionem vocatum, illi prius famulantem. Mater itaque per ignorantiam suo filio insidias struit. At deprehensa ex lege morte erat afficienda. Hic vero mutua agnitione facta, suaviter fabula clauditur.

13) Scena — fingitur.] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. Actio autem huius fabulae sita est in Delphis.

14) ex Creusae ancillis] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. ex famulis Creusae; Fix.: servarum Creusae.

15) Senex] sic Editt. 1558., 1562., Musgr.; Barn., Fix.: Senex sive Paedagogus

16) Famulus] sic Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr.; Fix.: Serva

17) seu Vates] sic Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr.; Fix.: sive Sacerdos

ION.

[*Mercurius, Ion, Creusa, Xuthus, Chorus.*]

Mercurius.

Atlas aeneo tergo coelum
Deorum antiquam domum terens: is ex Dea
Una[18]) genuit Maiam, quae me genuit
Mercurium, maximo Iovi Deorum nuntium.
Venio autem in hanc Delphorum terram, ubi supra umbilicum
Medium sedens Phoebus canit hominibus,
Praesentia et futura vaticinans.
Est et non obscura Graecorum civitas
Ab aurea hastam gerente Pallade[19]) vocata,
Ubi filiam Erechthei Phoebus nuptiis iunxit
Creusam per vim, quo loco septentrionalia saxa
Palladis sub arce Atheniensium terrae,
Macras vocant domini terrae Atticae.
Inscio vero patre (sic enim Deo placuit,)
Tulit onus ventris; postquam vero tempus venit,
Pariens domi puerum exposuit infantem
In idem antrum, ubi concubuit cum Deo
Creusa, et exponit tanquam mortuum
In rotundo orbe cavae cistae,
Maiorum morem servans et terra nati
Erichthonii. Illi enim Iovis filia
Custodes addidit, qui custodirent corpus,
Duos dracones, et virginibus excubantibus
Dedit servandum. Unde Erechthidis illic
Mos est inter serpentes auratos
Alere liberos. Sed ea, quae habebat virgo, ornamenta
Filio appendens reliquit, tanquam morituro.
Ibi me Phoebus frater hoc rogat:
O frater, vade ad indigenum populum
Inclytarum Athenarum; nosti enim Deae urbem.
Accipiens infantem recentem ex cava petra
Cum ipso vase et fasciis, quas[20]) habet,
Portato mihi fratri ad meum templum,
Et ponito in ipso introitu mearum aedium.
Reliqua (hic enim puer meus est, ut scias,)
Mihi erunt curae. Apollini vero beneficium
Praestans fratri, auferens contextum ex corio calathum
Detuli, et infantem intra limina
Templi huius pono, aperiens calathum
Involutum arculae, ut videretur infans[21]).
Occurrit exoriente sole orbe suo
Sacerdos ingrediens templum Dei.
Ea admovens oculos infanti
Mirata est, num aliqua Delphica ausa sit mulier
Clandestinum partum in Dei proiicere domum.
Volebat extrudere extra sacrum limen,
Miseratione autem omisit crudelitatem, et Deus
Adiutor erat puero, ne eiiceretur domo.
Accipiens ipsum alit, patrem vero

18) Una] huic voci in marg. Ed. 1562. adscriptum est nomen: Pleione.

19) Pallade] huic ibid. addita est nota marg.: Athena, Athena enim Minerva est.

20) quas] sic Editt. recent.; Ed. 1562. male: quae.

21) Atlas — infans. (vs. 1—40.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. habet hanc interpretationem:

Mercur. Atlas aereis humeris coelum
Deorum antiquam domum conterens, Deorum
Ex una genuit Maiam, quae me genuit
Mercurium maximo Iovi Deorum furtive;
Pervenio autem Delphorum hanc terram, ubi umbilicum
Medium occupans Phoebus hymnos canit hominibus,
Et praestantia et futura vaticinans semper.
Est enim non ignota Graecorum civitas,
Auream hastam habentis Palladis vocata,
Ubi filiam Erechthei Phoebus copulavit nuptiis
Per vim, Creusam; ubi septentrionales petras
Palladis sub arce Atheniensium terrae,
Macras vocant terrae reges Atticae.
Inscio vero patre, Deo enim placuit,
Ventris pertulit tumorem. Cum vero venit tempus.
Pariens domi puerum, detulit infantem
In idem antrum, ubi concubuit cum Deo
Creusa, et exponit tanquam moriturum
Cavae arcae in rotundo orbe,
Maiorum consuetudinem servans, ipsius terrigenae
Erichthonii. Illi enim Iovis filia
Custodes adiungens, custodiam corporis
Duos dracones, nymphis agrestibus
Dat servandum. Unde Erechthidis illic
Consuetudo quaedam est, inter serpentes auratos
Alere liberos. Sed quicquid habuit virgo ornamenti,
Filio appendens, reliquit tanquam morituro.
Ibi me existens frater Phoebus postulat haec.
O frater, profectus ad populum aboriginem
Inclytarum Athenarum (novisti enim Deae civitatem)
Accipiens infantem recentem ex cava petra,
Cum ipsa arca et fasciis, quibus continetur,
Fer fratri ad mea templa,
Et collocato ad introitum domus meae.
Caetera vero, meus enim est (ut scias) filius,
Nobis curae erunt. Apollini vero beneficium
Praestans fratri, nexum sustollens corium
Detuli, et puerum intra limina
Pono templi huius, aperiens corium
Nexum arcae, ut videretur puer.

Phoebum esse ignorat, neque, quae sit mater, novit,
Et ipse puer parentes nescit.
Iuvenis igitur existens circa stipem in templo datam
Vagabatur ludens; ubi vero evasit in virum,
Delphi ipsum fecerunt custodem auri ipsius Dei,
Et fidelem quaestorem omnium; in templo vero
Dei vivit hucusque honestam vitam.
Creusa vero, quae pepererat hunc adolescentem,
Xutho nubit, tali casu.
Erat Atheniensibus et Chalcodontidis,
Qui Euboeam terram inhabitant, bellum,
In quo Athenienses adiuvans et conficiens bellum hasta,
Nuptiarum Creusae dignitatem accepit,
Cum esset alienigena, ex Aeolo, Iovis filio, natus,
Genere Achaeus. Diu vero seminans suum lectum
Est sine liberis, et ipsa Creusa: propter quae
Veniunt ad hoc templum Apollinis
Cupiditate sobolis; Apollo vero fortunam
Huc impulit, et non est oblitus filii, ut existimatur.
Dabit enim ingredienti templum hoc
Xutho suum ipsius filium, et natum
Ipsum ex illo esse dicet, ut veniens ad maternam domum
Agnoscatur a Creusa, et ut nuptiae in Apollinem
Occultae sint, et filius habeat haereditatem;
Iona vero ipsum, conditorem Asiaticae terrae,
Vocari faciet per Graeciam.
Sed ibo in laureum secessum,
Ut de puero eventum discam.
Video enim egredientem Apollinis filium
Hunc, ut ornet portas ante templum
Lauri ramis; nomen vero, quod adepturus est,
Ionem, ego primus nomino Deorum [22]).

Ion. Currus splendidos quadrigarum
Sol iam illuminat per terram;
Astra vero aetheris incenduntur igne hoc
Ad noctem sacram.
Parnassi vero inaccessi vertices
Illustrati diem
Accipiunt, hominibus in rota vectum.
Fumus [23]) aridae myrrhae
In fastigia * Phoebi volat.
Mulier vero sedet ad sacrum tripodem,
Delphica canens Graecis oracula,
Quae Apollo illi dictat.
Sed, o Delphici Phoebi ministri,
Castaliae limpidos
Ite ad vertices, pura vero aqua
Abluti ite in templum,
Custodite os, ne quid dicatis irreligiosum,
Et volentibus bona * oracula dicite,
Propria lingua narrando.
Nos autem labores, quos a pueris
Laboramus usque, ramis lauri,

---

22) Occurrit — Deorum. (vs. 41—81.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Forte exoriente sole orbe suo,
Vates ingrediebatur templum Dei.
Visum vero admovens puero infanti,
Admiratur, si quae Delphica ausa mulier
Clandestinum partum in Dei proiicere domum,
Ultra vero limen secernere cupida erat.
Miseratione autem omisit crudelitatem, et Deus
Adiutor erat puero, ne eiiceretur e domo.
Alit vero ipsum accipiens; seminantem vero
Nescivit Phoebum, neque matrem, cuius esset,
Et ipse puer parentes nescit.
Iuvenis itaque existens, circa ea, quae de ara veniebant, alimenta
Ferebatur lusitans; ut vero excrevit corpore,
Delphi ipsum creaverunt custodem auri ipsius Dei,
Et quaestorem fidelem omnium. In templis vero
Dei vivit hic semper sanctam vitam.
Creusa vero, quae pepererat hunc adolescentem,
Xutho nubit, a tali casu.
Erit Athenis et Chalcidensibus,
Qui terram inhabitant Euboeam, hostilis motus.
Quod una perferens, et compescens hasta,
Nuptiarum Creusae dignitatem accepit,
Non gentilis existens, Aeoli filii Iovis,
Sed existens Achaeus. Diuturnos vero seminans lectos
Liberis caret et ipsa Creusa, quorum gratia
Veniunt ad vaticinia Apollinis haec,
Amore puerorum. Apollo vero hunc casum
Ad hoc producit, neque ignoratur, ut existimat.
Dabit enim ingredienti templum hoc
Xutho suum ipsius filium, et natum
Illius ipsum dicturus, matris ut profectus ad domum
Agnoscatur a Creusa, atque etiam ut nuptiae Apollinis
Occultae sint, et filius habeat haereditatem.
Iona vero ipsum, conditorem Asiaticae terrae,
Nomine nominari faciet per Graeciam.
Sed in hos laureos secessus ingrediar,
Factum ut agnoscam a puero.
Video enim egredientem ipsum Apollinis filium
Hunc, ut ante templum splendida faciat vestibula
Lauri ramis. Nomen vero, quod adepturus est,
Ionem ego primus nomino Deorum.

23) Fumus] sic Ed. 1558. et recentt.; Ed. 1562. mendo typogr.: Funus.

Et sacris coronis vestibulum Phoebi
Purum faciemus, et solum humidum
Humidis guttis[24]), et avium turmas, quae laedunt
Sacra donaria, sagittis meis
Fugabimus. Nam tanquam incerta matre
Et incerto patre natus, illud, quod me aluit,
Phoebi templum colo[25]).

[*Strophe.*]

Age, o recens natum,
Ministerium pulcherrimae lauri,
Quod Phoebi aream
Verrit, sub templo
Ex hortis Deorum,
Ubi ros irrigat sacer
Perennem fontem,
Emittens
Myrti sacras frondes,
Qua fronde verro solum Dei
Quotidie, cum solis
Ala celeri
Serviens quotidie.
O Paean, o Paean,
Felix, beatus
Sis, o Latonae fili[26]).

[*Antistrophe.*]

Honestum laborem,
Phoebe, tibi in templo servio
Colens oraculorum sedem.
Illustris mihi labor est
Diis servire,
Non hominibus, sed immortalibus,
Laudabili labore exerceri
Non defatigabor.
Phoebus mihi pater;
Educantem enim me praedico,
Illi, qui mihi utilis est, patris
Nomen tribuo,
Phoebi huius in templo.
O Paean, o Paean,
O beate, o beate
Sis, o Latonae fili[27]).
Sed finiam labores
Suspensionibus lauri.
Ex aureis vero vasis proiiciam
Terrae fontem,
Quem effundunt Castaliae

---

24) Hum. guttis] h. l. in Ed. 1562. nota marg.: scilicet faciemus.

25) *Ion*. Currus — colo. (vs. 82—111.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. Currus quidem hos splendidos quadrigarum
Sol iam illuminat per terram,
Astra vero ardent igne hoc aetheris
Ad noctis depulsionem.
Parnassi vero inaccessi vertices
Illustrantes diem,
Circulum mortalibus accipiunt.
Myrrhae vero aridae fumus
Ad culmina Phoebi volat,
Insidet vero mulier tripodem divinum
Delphis, cantans Graecis carmina,
Quae Apollo resonuerit.
Sed, o Delphici Phoebi ministri,
Castaliae limpidos
Ite ad vertices; pura vero aqua
Abluti, ite ad templa.
Osque bene ominatum conservate bonum,
Bona oracula volentibus vaticinamini,
Propria lingua interpretando.
Nos vero labores, quos a pueris
Laboramus usque, aut ramis lauri,
Aut sacris coronis introitus Phoebi
Puros faciemus, humida pavimentum
Aspergine madidum, et avium turmas, quatenus laedunt
Sacra donaria, sagittis meis
Fugabimus. Quoniam enim absque matre
Et absque patre existens, quae me alunt,
Phoebi templa procuro.

26) Age — fili. (vs. 112—126.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Age, o scopae virentes, o
Pulcherrimae sacrum ministerium lauri,
Quae Phoebi pavimentum
Verrit sub templis,
Ex hortis immortalibus,
Ubi ros rigat sacer
Perennem fontem,
Emittentes
Myrti sacra folia.
Qua vero pavimentum Dei
Per totum diem solis simul
Cum veloci ala,
Sacris studiis intentus quotidie,
O Paean, o Paean,
Felix felix
Sis, o Latonae fili.

27) Honestum — fili. (vs. 127—143.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Honestum hunc laborem, o
Phoebe, tibi ante templum exhibeo,
Colens vaticiniorum sedem.
Gloriosus vero labor iste mihi,
Diis servam manum habere.
Non mortalibus, sed immortalibus
Bene ominatis laboribus laborare,
Non subterfugiam.
Phoebus mihi genitor pater.
Alentem enim laudo.
Eum, qui utilis mihi est, patris
Nomine voco.
Phoebi huius in templo,
O Paean, o Paean,
Felix, felix
Sis, o Latonae fili.

Vortices, humidam aquam
Proiiciens, purus existens a lecto.
Utinam sic Phoebum
Colens non desinam,
Aut desinam bona fortuna.
Eia.
Veniunt iam et relinquunt
Volatiles Parnassi cubilia.
Praecipio non appropinquare pinus,
Neque in auream domum venire.
Feriam te telis, o Iovis
Praeco, avium rostro curvo
Robur vincens.
Hic ante pavimentum remigat aliud
Agmen, non? alias[28])
Rubentem pedem movebis?
Nihil te cithara Phoebi
Continens sagittis liberabit.
Alis tuis
Transi paludem Deli.
Cruentabis, nisi obtemperes,
Tua dulcia cantica.
Eia.
Quae nova avis accedit?
Num sub fastigio nidum
Ex festucis factura est suis pullis?
Stridor arcus arcebit te.
Non parebis? Vadens ad vertices
Alphei nidifica, aut
In nemus Isthmium,
Ut donaria non laedantur
Et templa Phoebi.
Vereor vos interficere
Nuntias vocis divinae
Hominibus. Quibus destinatus sum laboribus,
Iis serviam Phoebo, et non desinam
Meum nutritorem colere[29]).

Chor. Non in divinis Athenis
Sunt ornatae columnis aulae
Deorum tantum, neque sacrorum[29a])
Cultus, verum etiam apud Apollinem,
Latonae filium, geminorum Deorum
Speciosum lumen est.
Ion. Ecce hunc adspice.
Lernaeam hydram interficit
Aureis aduncis telis Iovis filius.
Quaeso te, intuere oculis.
Chor. Video. *Ion.* Et prope eum alius
Interficit ardentem volucrem.
Chor. Quisnam est, qui dicitur mea
Ad pensa?
Ion. Armiger Iolaus, qui
Suscipiens communes labores
Cum Hercule exhaurit.
Et illum specta
Insidentem equo alato, qui
Interficit efflantem ignes
Tricorpoream vim[30]).
Chor. Undique moveo palpebras.
Ion. Considera pugnam in parietibus
Saxeis gigantum[31]).

---

28) aliud Agmen, non? alias] sic Ed. 1562. (Ed. Basil. 1551. *ἄλλος . . Κόκλος. οὐκ, ἀλλά*); Editt. recent. *ἄλλος . . Κύκνος. οὐκ ἄλλᾳ* — alius . . Cycnus. Non alio

29) Sed finiam — colere. (vs. 144—183.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sed finiam labores
Lauri tractibus:
Ex aureis vasis proiiciam
Terrae fontem,
Quem effundunt Castaliae
Gurgites, humidam aquam
Proiiciens, integer a cubili existens.
Utinam sic scilicet, Phoebum
Colens ne desistam,
Aut desistam bona fortuna.
Ehem.
Accedunt iam et relinquunt
Volatiles Parnassi nidos.
Edico non accedere pinnis
Neque ad aureas domos
Corripiam te vicissim sagittis, o Iovis
Nuntia, avium rostro
Robur vincens.
Hic ante pavimenta alius remigat
In orbem. Non vero
Rubicantem pedem movebis,
Nihil te cithara Phoebi
Concentrix a sagittis liberat.
Et ad umbracula
Et lacunas accede, quae sunt in Delo.
Cruentabis, nisi pares,
Pulchrisonantes odas.
Ehem.
Quae haec avis insolita accessit?
Num scit pinnis aptas ad nidum
Festucas positura suis liberis?
Psalmi te arcebunt arcuum;
Non pares? Abiens in gurgitibus
Alphei nidificatio, aut
Nemus Isthmicum,
Ut sacra ne laedantur,
Et templa Phoebi.
Occidere enim vos vereor,
Deorum annuntiantes auguria
Hominibus; quibus vero incumbo laboribus,
Phoebo meo serviam, neque desinam
Eos, qui me alunt, colere.

29a) sacrorum] sic Ed. 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Agyiaei.

30) Tricorp. vim.] his in marg. Ed. 1562. adscripta est explicatio: Chimaeram.

31) *Chor.* Non — gigantum. (vs. 184—207.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

A me factam; et corpus balneo
Dedi, sera lavacra fluviatilis aquae.
Sed egreditur e domo, qui meas
Nuptias paratas se in manibus habere putat.
Oportet me tacere; et simulo te[74])
Benevolum esse et cohibere linguam, si possumus,
Servati ipsi, etiam te simul servare.
Theocl. Procedite ordine, ut ordinavit hospes[74 a]),
Ministri, adferentes marinas inferias.
Tu, Helena, si tibi non videor male loqui,
Obtempera, mane hîc. Idem praesens,
Et si non aderis, facies marito tuo.
Nam metuo, ne desiderium mariti
Persuadeat praecipitem te dare in mare,
Consternatam desiderio prioris viri.
Vehementer enim absentem eum tamen luges.
Hel. O inclyte marite, necesse est
Primum thalamum et consuetudinem nuptialem
Honore afficere. Ego propterea, quod amo maritum,
Possem una mori; sed quid ei prodesset,
Si una morerer? Sed permitte me
Ipsam proficisci, et inferias dare mortuo.
Dii tibi dent, qualia ego volo,
Et huic hospiti, quod nos adiuvat in hac re.
Habebis me talem, qualem te convenit in domo habere
Uxorem, postquam Menelao benefacis
Et mihi; venient haec ad aliquam fortunam.
Qui det navem, in qua abducamus haec,
Manda alicui, ut integram gratiam accipiam.
Theocl. Vade tu, et navem his quinqueremem
Sidoniam da, et praefectos remigum.
Hel. An non ille navem gubernabit, qui curabit inferias?
Theocl. Oportet nautas meos inprimis huic parere.
Hel. Iube iterum, ut clare intelligant te.
Theocl. Iterum iubeo et tertio, si tibi placet.
Hel. Bene sit tibi, et ego sum beata propter mea consilia.
Theocl. Ne nimium lachrymis conficias tuum corpus.
Hel. Haec dies tibi meam gratiam indicabit.
Theocl. „Res mortuorum nihil sunt, sed omnino miseriae.
Hel. Est aliquid et illic et hic, quae dico.
Theocl. Non habebis me deteriorem maritum Menelao.
Hel. Tu non es culpandus; fortuna solum curanda est.
Theocl. In te situm est hoc, si mihi benevolentiam praestiteris.
Hel. Non nunc primùm discimus amare amicos.
Theocl. Visne, ut ego te adiuvans tecum navigem?
Hel. Minime, ne servias servis, cum sis rex.
Theocl. Sed age, mitto ritus Graecorum.
Volo meam domum esse impollutam; non hic
Mortuus est Menelaus. Eat aliquis,
Qui dicat meis satrapis, ut ferant nuptiarum
Ornamenta in domum meam. Oportet totam
Terram sonare beatis laudibus
Hymenaeum Helenae, et meum, quod sit suspiciendus.
Tu vero, o hospes, veniens in marina brachia,
Dans haec priori huius marito,
Iterum propera domum, aut manens sis beatus[75]).
Men. O Iupiter, pater et prudens Deus vocaris,
Adspice nos, et libera ex malis,
Trahentes nos calamitates cum moerore,
Diligenter adiuva; et si attigeris summa tantum manu,
Veniemus ad eam fortunam, quam volumus.
Satis est laborum, quos hactenus pertulimus.
Invoco vos, Dii: possunt multa de me audiri bona
Et tristia; non debĕo semper infelix esse,
Sed recto pede aliquando incedere. Unum mihi
Tribuentes, deinceps me felicem facietis.

[*Strophe* 1.]

Chor. O Phoenicia Sidonia,
Velox navis, mater undis maris,

---

74) et simulo te] sic Editt. 1558., 1562.; Fix.: et te (*chorum*) mihi conciliare volo.

74 a) hospes,] sic (= text. gr.) Editt. recent.; Editt. 1558., 1562. hospes et

75) Iterum — beatus.] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) pro hoc uno versu habent hosce tres:
Rursus ad aedes propera [Fix.: festina] meam uxorem tecum habens,
Ut, huius nuptiis mecum celebratis [Fix.: cel. epulo],
Proficiscaris ad *tuas* aedes [Fix.: ad domum] aut hic manens sis beatus [Fix.: vivas felix].

Amica navigationi,
Dux suo ordine natantium
Delphinum, quando
Mare ventis caret,
Et glauca filia Ponti,
Tranquillitas, haec dixerit:
Pandite vela ventis
Marinis,
Accipite abiegnos remos,
O nautae: io nautae
Mittentes portuosum
Ad littus Perseae domus Helenam.

[*Antistrophe* 1.]

Certe alicubi puellas fluvii
Ad undam Leucippidas, aut ante templum
Minervae accipies,
Sero veniens ad istos choros,
Aut in coetu Hyacinthi
Ad nocturnam laetitiam:
Quem concertans
Tereti fragmine disci
Interfecit Apollo in terra Laconica
In festo die.
Filius Iovis iussit colere
Puellam, quam reliquerat in domo,
Cum nondum faces accensae fuerant ad nuptias.

[*Strophe* 2.]

Utinam per aerem volatiles
Essemus Libycae
Aves, ordine volantes.
Relicta hyberna tempestate,
Ibunt antiquissimae
Fistulae obtemperantes
Pastoris, qui siccos
Campos et fertiles terrae
Supervolans canit,
Quando habentes longa colla,
Currentes simul cum nivibus
Aves itis per medium aerem,
Et iuxta nocturnum Orionem.
Nuntiate hoc nuntium,
Sedentes supra Eurotam,
Quod Menelaus Dardani
Urbe capta, domum sit venturus.

[*Antistrophe* 2.]

Venite equites
Per aerem,
Filii Tyndari,
Inter nubes sub claris astris.
In coelo habitantes,
Servatores Helenae,
Supra glaucum mare,
Et caeruleos fluctus,
Et canas undas maris,
Nautis commodos navigationi ventorum
Flatus a Iove mittentes.
A sorore infamiam
Barbarici thalami auferte,
Quam propter contentionem, in Ida monte
Laborans nacta est,
Etsi non venit Ilii
Ad turres.
Nun. Rex, pessima in domo invenimus:
Ideo cito audies ex me nova mala.
Theocl. Quid est? *Nun.* Curato nuptias alterius
Mulieris; Helena abiit ex hac terra.
Theocl. Levata alis, an pedibus incedit?
Nun. Menelaus avexit eam navi ex hac terra,
Qui ipse venit nuntians se mortuum esse.
Theocl. O quam horrenda narras! sed quae navigatio eam
Avexit ex hac terra? incredibilia dicis.
Nun. Quam tu dedisti hospiti, habens tuos
Nautas abiit, ut paucis dicam.
Theocl. Quomodo? cupio audire; neque enim spero
Unam manum superiorem fuisse
Tot nautis, cum quibus tu missus es.
Nun. Postquam relicta regia hac domo
Filia Iovis ad mare venit,
Callide ponens tenerum pedem, lugebat
Maritum praesentem, et non mortuum.
Ut autem venimus ad ambitum tui portus,
Detraximus navem Sidoniam praecipuam
Cum iugis et remis quinquaginta,
In qua labor labori succedebat.
Alius malum, alius remum collocavit;
Et in manu remi capulum et candida vela simul erant,
Et gubernaculum immisit loris.
In hoc labore considerantes hoc
Viri Graeci, socii Menelai,
Accesserunt ad littus, vestiti nauticis
Vestibus, formosi quidem, sed squalidi ad adspiciendum.

Quos ubi Menelaus vidit adesse,
Allocutus est, dolosum luctum prae se ferens:
O miseri, quomodo, ex qua navi
Graeca venitis collisa scapha?
Num una sepelietis filium Atrei mortuum,
Quem haec filia Tyndari invitum sepelit?
Illi emittentes lachrymas per simulationem,
In navem iverunt cum Menelao, res mergendas in mare
Ferentes; nobis erat haec suspicio,
Et de hoc inter nos colloquebamur, simul navigantium
Quod magna multitudo esset: tamen expectabamus,
Servantes tua mandata: praeesse navi
Iubens hospitem, perdidisti haec omnia,
Et facile in navem haec
Levia posuimus; sed taurus pede
Non voluit recto accedere in tabulam navis,
Sed mugiebat, circumagitans oculos,
Et curvans tergum, et suspectans in cornua,
Arcebat nos, ne attingeretur. Ibi maritus Helenae
Vocavit: O socii, qui Troiam evertistis,
An non rapientes more Graecorum
Taurum iuvenilibus humeris
In proram coniicietis? et simul ensis
Promptus fodiet victimam mortuo?
Illi venientes ad hanc adhortationem, rapuerunt
Taurum, et ferentes posuerunt in tabulas navis;
Menelaus vero contrectans collum circumdatum uno fune,
Et frontem, persuasit ingredi in navim.
Tandem postquam navis omnia recepit,
Implens scalas formoso pede
Helena consedit in mediis transtris,
Et, qui verbis non amplius erat, Menelaus prope;
Alii in dextro pariete, et totidem in sinistro;
Vir apud virum sedebant, sub vestibus gladios
Abditos habentes; tum matutini impleti sunt
Clamores et acclamationes, ut audivimus.
Postquam non eramus valde procul a terra,
Neque prope, sic interrogavit custos gubernaculi:
O hospes, satisne est, an ulterius
Navigabimus? nam gubernatio navis mihi est curae.
Ille[76]) vero dixit: Satis est mihi; et dextra arripiens gladium
Accessit ad proram, ut mactaret taurum
Stans, nullius mortui mentionem faciens,
Sed secans daemonem precatus est: O qui habitas in mari,
Marine Neptune, et castae filiae Nerei,
Servate me ad littus Argivum, et coniugem
Incolumem[76a]) ex hac terra. Fluxus sanguinis
Saliebant in aquam secundo cursu.
Et aliquis hoc dixit: Dolosa est navigatio,
Rursus navigemus ad Naxiam: iube tu,
Tu verte gubernaculum. Sed a caede tauri
Stans filius Atrei, vocavit suos socios:
Quid cunctamini, o germina Graeciae,
Mactare, occidere barbaros, et e navi
Abiicere in aquam? tuis nautis
Noster praefectus clamat contrariam vocem.
Ergo aliquis apprehendit postremam tabulam,
Aliis frangens iugum, alius auferens remum a scalmo
Cruentat caput hostium peregrinorum.
Omnes recti consurrexerunt, alii in manibus
Perticas nauticas, alii gladios habentes.
Caede navis peribat, et erat adhortatio
Helenae ex puppi: Ubi est gloria Troiana?
Ostendite erga barbaros homines. Tum prae festinatione
Ruebant alii, alii erigebantur, alios iacere
Mortuos vidisses. Menelaus habens arma,
Considerans, ubi laborarent socii,
Eo manu dextra admovit gladium,
Ita ut praecipitarentur nostri e navi, nudavitque
Remos tuis nautis; inde ad gubernacula stans
Rex dixit se in Graeciam directurum navim.
Illi tollebant malum, et venerunt secundi venti,
Et sic abierunt e terra. Ego vero effugiens necem,
Demisi me in mare ad anchoram.
Laborantem iam me aliquis tendens funem
Recepit, et in terram exposuit, ut tibi
Nuntiarem haec. „Diffidentia moderata

76) Ille] sic Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Illa.
76a) Incolumem] Ed. 1558. mendo typogr.: Incolumen.

„Nihil est utilius hominibus[77]).
Chor. Nunquam putabam neque te, neque nos falli posse,
O rex, quod Menelaus adesset, et non resciseremus.
Theocl. O me miserum, deceptum muliebribus artificiis!
Elapsae sunt mihi nuptiae illae. Et si posset capi
Navis persequendo, cito reciperem ac interficerem hospites.
Nunc ulciscar sororem, quae me prodidit,
Quae videns Menelaum in domo, non indicavit mihi.
Nunquam alium decipiet vaticiniis.
Chor. Heus tu, quo fers pedem, o domine, ad quam caedem?
Theocl. Quo me ius iubet; verum discedite a me.
Chor. Non dimittam tuam vestem; moliris magna mala.
Theocl. An tu domino imperabis, cum servus sis? *Chor.* Sentio recte.
Theocl. Non sapis, nisi me sinens[78]). *Chor.* Non dimittemus.
Theocl. Ut interficiam meam pessimam sororem. *Chor.* Imo piissimam.
Theocl. Quae me prodidit? *Chor.* Honesta proditione, faciendo iusta.
Theocl. Quae meam coniugem alteri dedit? *Chor.* Domino.
Theocl. An quisquam est mearum rerum dominus?
Chor. Ille, qui accepit eam a patre.
Theocl. At fortuna dedit mihi. *Chor.* Sed fatum abstulit.
Theocl. Tu non debes meas res iudicare. *Chor.* Si dixero meliora.
Theocl. Ergo ego servio, non dominor.
Chor. Defendo hanc, quia pie fecit.
Theocl. Videris velle interfici. *Chor.* Interfice; sororem tuam
Non interficies nobis volentibus, sed me. „Pro dominis
„Honestissimum est generosis servis mori.

Gemini. Cohibe iram, qua non recte incitatus es,
Theoclymene, rex huius terrae. Gemini
Iovis filii vocamur, quos Leda olim
Peperit, et Helenam, quae fugit ex tua domo.
Irasceris propter nuptias, non destinatas fato.
Neque puella nata ex Dea Nereide,
Theonoe, soror tua, tibi facit iniuriam, quae ius divinum
Praetulit, et mandata iusta patris.
Num semper praesenti tempore
Illam in tua domo habitare oportuit?
Imo postquam Troia est eversa,
Et praebuit nomen Diis, non amplius
Debuit in eodem connubio iuncta esse,
Et redire domum, et habitare cum marito.
Abstine a sorore tua nigrum gladium;
Existima eam moderate haec fecisse.
Iam olim et prius servavimus sororem,
Postquam Iupiter fecit nos Deos,
Et tamen sumus inferiores simul et fato,
Et Diis, quibus haec visum est sic debere esse.
Haec tibi dico; sed tibi, soror, dico,
Ut naviges cum marito tuo. Surrexit secundus flatus:
Nos servatores gemini fratres tui,
Equitantes circa mare, mittemus te in patriam.
Sed quando laborabis et morieris,
Vocaberis Dea, et cum Iovis filiis geminis fratribus tuis
Particeps eris sacrificiorum, et oblationes ab hominibus
Nobiscum accipies; nam Iupiter ita vult.
Neque[79]) constituit te primum Mercurius,
Auferens e Spartae domo in coelum,
Furatus tuum corpus, ne Paris duceret te.
Ordinata in littore Phrurii[80]) (insulam dico)
Helena posthac apud homines invocabitur,
Postquam accepta est abductio tua ex domo,
Et erranti Menelao a Diis
Fatale est habitare in insulis fortunatis.
„Dii non oderunt generosos;
„Eorum vero, qui nullo numero sunt, magis sunt labores.

---

77) H. l. in Ed. 1558. nota marg.: Non facile ubique credendum.

78) sinens] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. sinent; Fix. (= Eurip. ἐάσεις) sines.

79) Neque] sic Editt. 1558., 1562. (= Editt. Basil. 1551., Musgr. Οὐδ'); Editt. recent.: Ubi vero (= Editt. Barn., Fix. Οὗ δ').

80) Phrurii] huic nomini in marg. Editt. 1558., 1562. adscripta est haec annotatio: ad Phrurium locum in Laconica, ubi colebatur Helena.

Theocl. O filii Ledae et Iovis, priorem
Contentionem de vestra sorore remittam,
Et meam sororem non volo amplius interficere.
Illa eat domum, si Diis placet:
Scitote vos optimae simul et castissimae
Sororis esse fratres;
Et valete propter generosum Helenae
Animum, qualis non inest in multis mulieribus.
Chor. „Multae sunt formae divinorum operum,
„Dii multa praeter spem perficiunt;
„Et quae videntur, non eveniunt.
„Non speratorum invenit Deus viam [81]).
Sic exiit hoc negotium.

81) H. l. in Editt. 1558., 1562. nota marg.: Varietas fati.

LXXI. PHIL. MEL. INTERPRETATIO IONIS EURIPIDIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis integra legitur in altera *Xylandri* Ed. 1562., a qua interpretatio prioris Ed. 1558. differt, cuius rei causam Xylander in praefatione illius Editionis attulit (vide supra p. 285 sq.). Praeter hanc prioris Editionis interpretationem, quam genuinae in notis criticis subiunxi, etiam Editiones recentiores *Barnesii, Musgravii* et *Fixii* contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. addidi uncinis inclusas.

EURIPIDIS ION
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum[1].

Creusam Erechthei filiam Apollo vitians gravidam fecit Athenis; illa vero partum sub arcem[2]) exposuit, eundem locum et delicti et partus[3]) testem accipiens. Infantem igitur Mercurius auferens[4]) Delphos tulit; inveniens illum[5]) prophetissa educavit. Creusam autem[6]) Xuthus duxit uxorem. Qui cum in bello contra principes Euboeae[7]) opem tulisset Atheniensibus, dono ab illis accepit et regnum et praedictae nuptias[8]). Huic igitur alius filius[9]) non fuit; hunc vero educatum a sacerdote[10]), Delphi aedituum[11]) fecerunt, qui ignorans servivit suo patri[12]). Scena huius fabulae in Delphis fingitur[13]).

Personae.

Mercurius
Ion
Chorus ex Creusae ancillis[14])
Creusa
Xuthus
Senex[15])
Famulus[16]) Creusae
Pythia seu Vates[17])
Minerva.

Praefatur Mercurius.

---

1) Haec veteris argumenti, quod graece in Eurip. Ed. Basil. 1551. legitur, interpretatio Melanthonis in Editt. 1558., 1562. exstat. Ed. Barn. hoc argumentum graece et latine auctius praebet.

2) sub arcem] sic Editt. 1562. Barn.; Ed. 1558. sub arce.

3) et delicti et partus] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. et sceleris et puerperii

4) auferens] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. sustollens

5) illum] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. vero

6) autem] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. vero

7) contra principes Euboeae] sic Ed. 1562.; Barn.: contra Chalcodontidas, principes Euboeae

8) Qui cum — nuptias] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Nam cum auxilium tulisset in bello Atheniensibus, regnum et praedictae nuptias accepit dono.

9) alius filius] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. filius alius.

10) sacerdote] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. vate muliere.

11) aedituum] sic Barn. (= νεωκόρον gr. argumenti); Editt. 1558., 1562. male: editum.

12) Qui ign. — patri] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. Hic vero ignarus servivit patri. — In Ed. Barn. post haec verba in argumento gr. et lat. inserta sunt haecce: Apollo itaque oraculum consulenti Xutho de liberis obtinendis, donum dedit suum et Creusae filium, Ionem vocatum, illi prius famulantem. Mater itaque per ignorantiam suo filio insidias struit. At deprehensa ex lege morte erat afficienda. Hic vero mutua agnitione facta, suaviter fabula clauditur.

13) Scena — fingitur.] sic Editt. 1562., Barn.; Ed. 1558. Actio autem huius fabulae sita est in Delphis.

14) ex Creusae ancillis] sic Editt. 1562., Barn., Musgr.; Ed. 1558. ex famulis Creusae; Fix.: servarum Creusae.

15) Senex] sic Editt. 1558., 1562., Musgr.; Barn., Fix.: Senex sive Paedagogus

16) Famulus] sic Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr.; Fix.: Serva

17) seu Vates] sic Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr.; Fix.: sive Sacerdos

I O N.

[*Mercurius, Ion, Creusa, Xuthus, Chorus.*]

Mercurius.

Atlas aeneo tergo coelum
Deorum antiquam domum terens: is ex Dea
Una[18]) genuit Maiam, quae me genuit
Mercurium, maximo Iovi Deorum nuntium.
Venio autem in hanc Delphorum terram, ubi supra umbilicum
Medium sedens Phoebus canit hominibus,
Praesentia et futura vaticinans.
Est et non obscura Graecorum civitas
Ab aurea hastam gerente Pallade[19]) vocata,
Ubi filiam Erechthei Phoebus nuptiis iunxit
Creusam per vim, quo loco septentrionalia saxa
Palladis sub arce Atheniensium terrae,
Macras vocant domini terrae Atticae.
Inscio vero patre (sic enim Deo placuit,)
Tulit onus ventris; postquam vero tempus venit,
Pariens domi puerum exposuit infantem
In idem antrum, ubi concubuit cum Deo
Creusa, et exponit tanquam mortuum
In rotundo orbe cavae cistae,
Maiorum morem servans et terra nati
Erichthonii. Illi enim Iovis filia
Custodes addidit, qui custodirent corpus,
Duos dracones, et virginibus excubantibus
Dedit servandum. Unde Erechthidis illic
Mos est inter serpentes auratos
Alere liberos. Sed ea, quae habebat virgo, ornamenta
Filio appendens reliquit, tanquam morituro.
Ibi me Phoebus frater hoc rogat:
O frater, vade ad indigenum populum
Inclytarum Athenarum; nosti enim Deae urbem.
Accipiens infantem recentem ex cava petra
Cum ipso vase et fasciis, quas[20]) habet,
Portato mihi fratri ad meum templum,
Et ponito in ipso introitu mearum aedium.
Reliqua (hic enim puer meus est, ut scias,)
Mihi erunt curae. Apollini vero beneficium
Praestans fratri, auferens contextum ex corio calathum
Detuli, et infantem intra limina
Templi huius pono, aperiens calathum
Involutum arculae, ut videretur infans[21]).
Occurrit exoriente sole orbe suo
Sacerdos ingrediens templum Dei.
Ea admovens oculos infanti
Mirata est, num aliqua Delphica ausa sit mulier
Clandestinum partum in Dei proiicere domum.
Volebat extrudere extra sacrum limen,
Miseratione autem omisit crudelitatem, et Deus
Adiutor erat puero, ne eiiceretur domo.
Accipiens ipsum alit, patrem vero

---

18) Una] huic voci in marg. Ed. 1562. adscriptum est nomen: Pleione.

19) Pallade] huic ibid. addita est nota marg.: Athena, Athena enim Minerva est.

20) quas] sic Editt. recent.; Ed. 1562. male: quae.

21) Atlas — infans. (vs. 1—40.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. habet hanc interpretationem:

Mercur. Atlas aereis humeris coelum
Deorum antiquam domum conterens, Deorum
Ex una genuit Maiam, quae me genuit
Mercurium maximo Iovi Deorum furtive;
Pervenio autem Delphorum hanc terram, ubi umbilicum
Medium occupans Phoebus hymnos canit hominibus,
Et praestantia et futura vaticinans semper.
Est enim non ignota Graecorum civitas,
Auream hastam habentis Palladis vocata,
Ubi filiam Erechthei Phoebus copulavit nuptiis
Per vim, Creusam; ubi septentrionales petras
Palladis sub arce Atheniensium terrae,
Macras vocant terrae reges Atticae.
Inscio vero patre, Deo enim placuit,
Ventris pertulit tumorem. Cum vero venit tempus,
Pariens domi puerum, detulit infantem
In idem antrum, ubi concubuit cum Deo
Creusa, et exponit tanquam moriturum
Cavae arcae in rotundo orbe,
Maiorum consuetudinem servans, ipsius terrigenae
Erichthonii. Illi enim Iovis filia
Custodes adiungens, custodiam corporis
Duos dracones, nymphis agrestibus
Dat servandum. Unde Erechthidis illic
Consuetudo quaedam est, inter serpentes auratos
Alere liberos. Sed quicquid habuit virgo ornamenti,
Filio appendens, reliquit tanquam morituro.
Ibi me existens frater Phoebus postulat haec.
O frater, profectus ad populum aboriginem
Inclytarum Athenarum (novisti enim Deae civitatem)
Accipiens infantem recentem ex cava petra,
Cum ipsa arca et fasciis, quibus continetur,
Fer fratri ad mea templa,
Et collocato ad introitum domus meae.
Caetera vero, meus enim est (ut scias) filius,
Nobis curae erunt. Apollini vero beneficium
Praestans fratri, nexum sustollens corium
Detuli, et puerum intra limina
Pono templi huius, aperiens corium
Nexum arcae, ut videretur puer.

Phoebum esse ignorat, neque, quae sit mater, novit,
Et ipse puer parentes nescit.
Iuvenis igitur existens circa stipem in templo datam
Vagabatur ludens; ubi vero evasit in virum,
Delphi ipsum fecerunt custodem auri ipsius Dei,
Et fidelem quaestorem omnium; in templo vero
Dei vivit hucusque honestam vitam.
Creusa vero, quae pepererat hunc adolescentem,
Xutho nubit, tali casu.
Erat Atheniensibus et Chalcodontidis,
Qui Euboeam terram inhabitant, bellum,
In quo Athenienses adiuvans et conficiens bellum hasta,
Nuptiarum Creusae dignitatem accepit,
Cum esset alienigena, ex Aeolo, Iovis filio, natus,
Genere Achaeus. Diu vero seminans suum lectum
Est sine liberis, et ipsa Creusa: propter quae
Veniunt ad hoc templum Apollinis
Cupiditate sobolis; Apollo vero fortunam
Huc impulit, et non est oblitus filii, ut existimatur.
Dabit enim ingredienti templum hoc
Xutho suum ipsius filium, et natum
Ipsum ex illo esse dicet, ut veniens ad maternam domum
Agnoscatur a Creusa, et ut nuptiae in Apollinem
Occultae sint, et filius habeat haereditatem;
Iona vero ipsum, conditorem Asiaticae terrae,
Vocari faciet per Graeciam.
Sed ibo in laureum secessum,
Ut de puero eventum discam.
Video enim egredientem Apollinis filium
Hunc, ut ornet portas ante templum
Lauri ramis; nomen vero, quod adepturus est,
Ionem, ego primus nomino Deorum[22]).

Ion. Currus splendidos quadrigarum
Sol iam illuminat per terram;
Astra vero aetheris incenduntur igne hoc
Ad noctem sacram.
Parnassi vero inaccessi vertices
Illustrati diem
Accipiunt, hominibus in rota vectum.
Fumus[23]) aridae myrrhae
In fastigia * Phoebi volat.
Mulier vero sedet ad sacrum tripodem,
Delphica canens Graecis oracula,
Quae Apollo illi dictat.
Sed, o Delphici Phoebi ministri,
Castaliae limpidos
Ite ad vertices, pura vero aqua
Abluti ite in templum,
Custodite os, ne quid dicatis irreligiosum,
Et volentibus bona * oracula dicite,
Propria lingua narrando.
Nos autem labores, quos a pueris
Laboramus usque, ramis lauri,

---

22) Occurrit — Deorum. (vs. 41—81.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Forte exoriente sole orbe suo,
Vates ingrediebatur templum Dei.
Visum vero admovens puero infanti,
Admiratur, si quae Delphica ausa mulier
Clandestinum partum in Dei proiicere domum,
Ultra vero limen secernere cupida erat.
Miseratione autem omisit crudelitatem, et Deus
Adiutor erat puero, ne eiiceretur e domo.
Alit vero ipsum accipiens; seminantem vero
Nescivit Phoebum, neque matrem, cuius esset,
Et ipse puer parentes nescit.
Iuvenis itaque existens, circa ea, quae de ara veniebant, alimenta
Ferebatur lusitans; ut vero excrevit corpore,
Delphi ipsum creaverunt custodem auri ipsius Dei,
Et quaestorem fidelem omnium. In templis vero
Dei vivit hic semper sanctam vitam.
Creusa vero, quae pepererat hunc adolescentem,
Xutho nubit, a tali casu.
Erit Athenis et Chalcidensibus,
Qui terram inhabitant Euboeam, hostilis motus.
Quod una perferens, et compescens hasta,
Nuptiarum Creusae dignitatem accepit,
Non gentilis existens, Aeoli filii Iovis,
Sed existens Achaeus. Diuturnos vero seminans lectos
Liberis caret et ipsa Creusa, quorum gratia
Veniunt ad vaticinia Apollinis haec,
Amore puerorum. Apollo vero hunc casum
Ad hoc producit, neque ignoratur, ut existimat.
Dabit enim ingredienti templum hoc
Xutho suum ipsius filium, et natum
Illius ipsum dicturus, matris ut profectus ad domum
Agnoscatur a Creusa, atque etiam ut nuptiae Apollinis
Occultae sint, et filius habeat haereditatem.
Iona vero ipsum, conditorem Asiaticae terrae,
Nomine nominari faciet per Graeciam.
Sed in hos laureos secessus ingrediar,
Factum ut agnoscam a puero.
Video enim egredientem ipsum Apollinis filium
Hunc, ut ante templum splendida faciat vestibula
Lauri ramis. Nomen vero, quod adepturus est,
Ionem ego primus nomino Deorum.

23) Fumus] sic Ed. 1558. et recentt.; Ed. 1562. mendo typogr.: Funus.

Et sacris coronis vestibulum Phoebi
Purum faciemus, et solum humidum
Humidis guttis[24]), et avium turmas, quae laedunt
Sacra donaria, sagittis meis
Fugabimus. Nam tanquam incerta matre
Et incerto patre natus, illud, quod me aluit,
Phoebi templum colo[25]).

[*Strophe.*]

Age, o recens natum,
Ministerium pulcherrimae lauri,
Quod Phoebi aream
Verrit, sub templo
Ex hortis Deorum,
Ubi ros irrigat sacer
Perennem fontem,
Emittens
Myrti sacras frondes,
Qua fronde verro solum Dei
Quotidie, cum solis
Ala celeri
Serviens quotidie.
O Paean, o Paean,
Felix, beatus
Sis, o Latonae fili[26]).

[*Antistrophe.*]

Honestum laborem,
Phoebe, tibi in templo servio
Colens oraculorum sedem.
Illustris mihi labor est
Diis servire,
Non hominibus, sed immortalibus,
Laudabili labore exerceri
Non defatigabor.
Phoebus mihi pater;
Educantem enim me praedico,
Illi, qui mihi utilis est, patris
Nomen tribuo,
Phoebi huius in templo.
O Paean, o Paean,
O beate, o beate
Sis, o Latonae fili[27]).
Sed finiam labores
Suspensionibus lauri.
Ex aureis vero vasis proiiciam
Terrae fontem,
Quem effundunt Castaliae

---

24) Hum. guttis] h. l. in Ed. 1562. nota marg.: scilicet faciemus.

25) *Ion*. Currus — colo. (vs. 82 — 111.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Ion. Currus quidem hos splendidos quadrigarum
Sol iam illuminat per terram,
Astra vero ardent igne hoc aetheris
Ad noctis depulsionem.
Parnassi vero inaccessi vertices
Illustrantes diem,
Circulum mortalibus accipiunt.
Myrrhae vero aridae fumus
Ad culmina Phoebi volat,
Insidet vero mulier tripodem divinum
Delphis, cantans Graecis carmina,
Quae Apollo resonuerit.
Sed, o Delphici Phoebi ministri,
Castaliae limpidos
Ite ad vertices; pura vero aqua
Abluti, ite ad templa.
Osque bene ominatum conservate bonum,
Bona oracula volentibus vaticinamini,
Propria lingua interpretando.
Nos vero labores, quos a pueris
Laboramus usque, aut ramis lauri,
Aut sacris coronis introitus Phoebi
Puros faciemus, humida pavimentum
Aspergine madidum, et avium turmas, quatenus laedunt
Sacra donaria, sagittis meis
Fugabimus. Quoniam enim absque matre
Et absque patre existens, quae me alunt,
Phoebi templa procuro.

26) Age — fili. (vs. 112 — 126.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Age, o scopae virentes, o
Pulcherrimae sacrum ministerium lauri,
Quae Phoebi pavimentum
Verrit sub templis,
Ex hortis immortalibus,
Ubi ros rigat sacer
Perennem fontem,
Emittentes
Myrti sacra folia.
Qua vero pavimentum Dei
Per totum diem solis simul
Cum veloci ala,
Sacris studiis intentus quotidie,
O Paean, o Paean,
Felix felix
Sis, o Latonae fili.

27) Honestum — fili. (vs. 127 — 143.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Honestum hunc laborem, o
Phoebe, tibi ante templum exhibeo,
Colens vaticiniorum sedem.
Gloriosus vero labor iste mihi,
Diis servam manum habere.
Non mortalibus, sed immortalibus
Bene ominatis laboribus laborare,
Non subterfugiam.
Phoebus mihi genitor pater.
Alentem enim laudo.
Eum, qui utilis mihi est, patris
Nomine voco.
Phoebi huius in templo,
O Paean, o Paean,
Felix, felix
Sis, o Latonae fili.

Vortices, humidam aquam
Proiiciens, purus existens a lecto.
Utinam sic Phoebum
Colens non desinam,
Aut desinam bona fortuna.
Eia.
Veniunt iam et relinquunt
Volatiles Parnassi cubilia.
Praecipio non appropinquare pinus,
Neque in auream domum venire.
Feriam te telis, o Iovis
Praeco, avium rostro curvo
Robur vincens.
Hic ante pavimentum remigat aliud
Agmen, non? alias[28])
Rubentem pedem movebis?
Nihil te cithara Phoebi
Continens sagittis liberabit.
Alis tuis
Transi paludem Deli.
Cruentabis, nisi obtemperes,
Tua dulcia cantica.
Eia.
Quae nova avis accedit?
Num sub fastigio nidum
Ex festucis factura est suis pullis?
Stridor arcus arcebit te.
Non parebis? Vadens ad vertices
Alphei nidifica, aut
In nemus Isthmium,
Ut donaria non laedantur
Et templa Phoebi.
Vereor vos interficere
Nuntias vocis divinae
Hominibus. Quibus destinatus sum laboribus,
Iis serviam Phoebo, et non desinam
Meum nutritorem colere[29]).

Chor. Non in divinis Athenis
Sunt ornatae columnis aulae
Deorum tantum, neque sacrorum[29a])
Cultus, verum etiam apud Apollinem,
Latonae filium, geminorum Deorum
Speciosum lumen est.
Ion. Ecce hunc adspice.
Lernaeam hydram interficit
Aureis aduncis telis Iovis filius.
Quaeso te, intuere oculis.
Chor. Video. *Ion*. Et prope eum alius
Interficit ardentem volucrem.
Chor. Quisnam est, qui dicitur mea
Ad pensa?
Ion. Armiger Iolaus, qui
Suscipiens communes labores
Cum Hercule exhaurit.
Et illum specta
Insidentem equo alato, qui
Interficit efflantem ignes
Tricorpoream vim[30]).
Chor. Undique moveo palpebras.
Ion. Considera pugnam in parietibus
Saxeis gigantum[31]).

---

28) aliud Agmen, non? alias] sic Ed. 1562. (Ed. Basil. 1551. *ἄλλος* . . *Κόκλος*. *οὐκ*, *ἀλλά*); Editt. recent. *ἄλλος* . . *Κύκνος*. *οὐκ ἄλλᾳ* — alius . . Cycnus. Non alio

29) Sed finiam — colere. (vs. 144—183.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sed finiam labores
Lauri tractibus:
Ex aureis vasis proiiciam
Terrae fontem,
Quem effundunt Castaliae
Gurgites, humidam aquam
Proiiciens, integer a cubili existens.
Utinam sic scilicet, Phoebum
Colens ne desistam,
Aut desistam bona fortuna.
Ehem.
Accedunt iam et relinquunt
Volatiles Parnassi nidos.
Edico non accedere pinnis
Neque ad aureas domos
Corripiam te vicissim sagittis, o Iovis
Nuntia, avium rostro
Robur vincens.
Hic ante pavimenta alius remigat
In orbem. Non vero
Rubicantem pedem movebis,
Nihil te cithara Phoebi
Concentrix a sagittis liberat.
Et ad umbracula
Et lacunas accede, quae sunt in Delo.
Cruentabis, nisi pares,
Pulchrisonantes odas.
Ehem.
Quae haec avis insolita accessit?
Num scit pinnis aptas ad nidum
Festucas positura suis liberis?
Psalmi te arcebunt arcuum;
Non pares? Abiens in gurgitibus
Alphei nidificatio, aut
Nemus Isthmicum,
Ut sacra ne laedantur,
Et templa Phoebi.
Occidere enim vos vereor,
Deorum annuntiantes auguria
Hominibus; quibus vero incumbo laboribus,
Phoebo meo serviam, neque desinam
Eos, qui me alunt, colere.

29a) sacrorum] sic Ed. 1562.; Editt. recent. (= text. gr.) Agyiaei.

30) Tricorp. vim.] his in marg. Ed. 1562. adscripta est explicatio: Chimaeram.

31) *Chor*. Non — gigantum. (vs. 184—207.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Chor. Huc spectemus, amicae.
Ion. Vides eam, quae adversus Enceladum
Horribilem vibrat clypeum?
Chor. Video Palladem, meam Deam.
Ion. An et fulmen utrinque candens, et impetuosum
In iaculatricibus manibus Iovis?
Chor. Video: pugnacem
Mimanta igne incendit.
Et Bacchus alium
Imbellibus hederaceis baculis
Interficit terrae filium.
Te aedituum compello.
Estne fas transire penetralia
Albo pede? *Ion.* Non est fas.
Chor. Neque ex te audiero?
Ion. Quid cupis? *Chor.* Num vere medium umbilicum terrae
Phoebi continet templum? *Ion.* Ornatum coronis,
Et circa sunt Gorgones. *Chor.* Sic dicitur.
Ion. Si accessistis ad praesegmina sacrificiorum [32]) ante domum,
Et si vultis interrogare Phoebum,
Ite in aream; nondum vero caesis
Ovibus, non transite in interius templum.
Chor. Intelligo Dei ritum,
Non transgrediemur; quae vero extra sunt, contemplabimur.
Ion. Omnia spectate, quoniam fas est [33]).
Chor. Miserunt me domini, hos secessus Dei ut viderem.
Ion. Vos, ancillae, cuius familiae vocamini?
Chor. [34]) Urbs Palladis est domestica meorum
Dominorum, hos praesentes interroga.
Ion. Generositas tibi adest, et indicium morum
Hanc speciem habes, quaecunque es.
De homine ut plurimum iudicari potest
Ex specie, num generosus sit.
Age, quum me terruisti claudens oculos,
Et humectas generosas genas,
Postquam vidisti castum sacellum Apollinis,
Cur venisti in hanc sollicitudinem, o mulier?
Omnes enim reliqui penetralia videntes Dei
Gaudent; hic vero tuus oculus lachrymas fundit.
Cre. O hospes, tua indoles non est hominis imperiti,
Venientis in admirationem de meis lachrymis.
Ego vero, cum vidissem Apollinis has aedes,
Revoco quandam antiquam memoriam,
Domi mentem habeo hic existens.

Chor. Non in divinis Athenis
Praestantes columnas habentes sunt alae
Deorum solum, neque sacri
Cultus, verum etiam apud Apollinem,
Latonae filium, bicorporum
Personarum pulchras ferras referens lumen.
Ion. Ecce hanc adspice.
Lernaeam hydram interficit
Aurea harpe Iovis filius.
Chara tu adspice oculis.
Chor. Video. *Ion.* Et prope eum alius
Allatam igne ambustam interfecit.
Chor. Quisnam, qui mea narratur
Apud pensa?
Ion. Scutifer Iolaus, qui
Communes subiens labores
Ioviali filio collaborat.
Atqui hunc adspice
Alati insessorem equi.
Iovem afflantem occidit
Tricorporem vim.
Chor. Omnia certe oculis consequor.
Ion. Considera tumultum in parietibus
Lapideis gigantum.

32) accessistis ad praesegmina sacrificiorum] sic Ed. 1562. (Ed. Basil. 1551. *ἐδύσατε πέλανον*). His in marg. illius Ed. Xylander hanc adiecit annotationem: „*ἐδύσατε πέλανον.* nullo sensu. Legerem *ἐθύσατε πέλανον*, et verterem: Si quidem sacrificio peracto ante templum expetiistis vaticinium." — Editt. recent. hanc lectionem *ἐθύσατε π.* in textum receperunt et vertunt: placentam immolastis [Fix.: *hostiae* sanguinem effudistis].

33) *Chor.* Huc — fas est. (vs. 208—232.)] sic Ed. 1562; Ed. 1558.:
Chor. Huc videamus, o charae.
Ion. Vides igitur prope Enceladum,
Horribilem vibrantem clypeum?
Chor. Video Palladem, meam Deam.
Ion. Ecquid fulmen utrinque candens, impetuosum,
In Iovis porro volantibus manibus?
Chor. Video impetuosum
Mimantem, igne ardet.
Et Bromius alium
Imbellibus hederaceis ramis
Interficit, terrae filius ille Bacchus.
Te certe aedituum voco,
Licet penetralia ingredi
Albo pede? *Ion.* Non licet, o hospitae.
Chor. Neque ex te audiero?
Ion. Quae vero cupis? *Chor.* Num re vera medium umbilicum terrae
Phoebi continet templum? *Ion.* Coronis circumdatus;
Circum vero Gorgones. *Chor.* Sic et fama loquitur.
Ion. Quandoquidem accessistis aram placentarum pro foribus,
Et quiddam sciscitari cupitis Phoebum,
Ite ad pavimenta, insuper vero non caesis
Ovibus, demorum ne ite in secessus.
Chor. Scio. Dei vero ritum
Non transgrediamur; quae vero extra, oculos oblectabunt.
Ion. Omnia spectate, quoniam et fas est oculis.

34) *Chor.*] sic Editt. 1558., 1562., Musgr., Fix.; Ed. Basil. 1551. et Barn. *Creusa*.

O miserae mulieres, o facinora
Deorum: quidnam, quousque poenas remittemus,
Si potentum iniuriis perimus[35])?
Ion. Quare gemis obscura quaedam, o mulier?
Cre.[36]) Nihil remitto arcum[37]); caetera
Ego taceo, et tu ne cures.
Ion. Quae es? Unde venis, ex qua patria
Es nata, quo nomine te vocare oportet?
Cre. Creusa mihi nomen est, ex Erechtheo
Nata sum, patria est Atheniensium civitas.
Ion. O inclytam habitans urbem, et a generosis
Educata parentibus, ut te admiror!
Cre. Eatenus sum felix et non ulterius.
Ion. Quaeso te per Deos, verane illa sint, quae dicuntur ab hominibus?
Cre. Quidnam interroges, volo cognoscere.
Ion. Pater avus patris tui ex terrane ortus est?
Cre. Erichthonius quidem, sed genus me non iuvat.
Ion. Num ipsum Minerva ex terra protulit?
Cre. In virgineas manus, cum eum non genuisset[38]).
Ion. Tradidit vero eum, sicut pingitur?
Cre. Filiabus Cecropis ad servandum non conspectum.
Ion. Audivi virgines solvisse arcam Deae.
Cre. Ideo mortuae cruentarunt saxum petrae[39]).
Ion. Age, quidnam? Estne verum, an frustra dicitur?
Cre. Quidnam interrogas? non laboro otio.
Ion. Pater tuus Erechtheus mactavitne tuas sorores?
Cre. Ausus est mactare victimas pro patria.
Ion. Quomodo tu sola sororum servata es?
Cre. Eram infantula in ulnis matris.
Ion. Num vere patrem hiatus terrae occultat?
Cre. Ictus tridentis Neptuni ipsum perdiderunt.
Ion. Locus vero istic est nuncupatus Macrae?
Cre. Quid interrogas hoc? ut mihi redigas in memoriam quiddam.
Ion. Honorat illum locum Pythius et radii solis.
Cre. Honorat, honorat, utinam nunquam illum locum vidissem.
Ion. Quid? num tu Deo gratissimum locum odisti?
Cre. Nihil, o hospes; scio probrum quoddam de illo antro.
Ion. Maritus vero quis te duxit Atheniensium?
Cre. Non civis, sed inquilinus.
Ion. Quis? nobilem ipsum esse oportet.
Cre. Xuthus, qui natus est ab Aeolo, Iovis filio.

---

35) *Chor.* Miserunt — perimus? (vs. 233—254.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Dimiserunt domini Dei me secessus hos videre.
Ion. Et famulae vero cuius vocamini familiae?
Chor. Palladis domestica, altilia atria
Meorum tyrannorum, circum vero praesentes interroga.
Ion. Generositas tibi, et morum indicium.
Talem figuram habes, quaecunque es, o mulier.
„Utinam cognosceret, quoniam multa homini accidunt,
„Formam videns quis, an esset generosus.
Ehem. Sed attonitum fecisti me, oculos claudens tuos,
Lachrymis vero irrigans pulchras genas,
Postquam vidisti pura Apollinis oracula.
Quidnam ad hoc sollicitudinis venisti, o mulier?
Quoniam omnes caeteri penetralia videntes Dei,
Gaudent, ibi oculus tuus lachrymas fundit.
Cre. O hospes, indoles quidem tua non inerudita est,
In admirationem veniens de meis lachrymis.
Ego vero, cum vidissem Apollinis has aedes,
Memoriam priscam recogitavi quandam.
Domi vero animum habuimus, hic existens certe.
O infelices mulieres, o facinora
Deorum; quid nunc? quo iustitiam remittemus,
Si dominantium iniuria perimus?

36) *Cre.*] sic Editt. 1558. et recentt. aeque ac Ed. Basil. 1551.; in Ed. 1562. deest.

37) Nihil rem. arc.] h. l. in Ed. 1562. nota marg.: deferbuit animi commotio. Proverb.

38) cum eum non genuisset] sic scripsi; Ed. 1562. male: cum eum genuisset; Ed. 1558. cum non peperisset eum (vide notam seq.); Editt. recent.: quamvis eum non peperisset (Eurip. οὐ τεκοῦσά νιν).

39) *Ion.* Quare — petrae. (vs. 255—274.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. Quamobrem obscura conquereris, o mulier?
Cre. Nihil. Remisi arcus; ea vero, quae huic rei conveniunt,
Et ego taceo, et tu non inquiras quid.
Ion. Quae vero es? unde terrarum venisti, ex quali patria
Es? nomine quo te vocare nos convenit?
Cre. Creusa mihi quidem nomen, ex Erechtheo
Nata sum, patria vero terra Atheniensium civitas.
Ion. O inclytam habitans urbem, et a generosis
Educata patribus, ut te admiror, o mulier.
Cre. Hactenus felices sumus, o hospes, neque ultra.
Ion. Per Deos re vera, ita ut tradatur mortalibus.
Cre. Quam rem interrogas, o hospes? discere volo.
Ion. Ex terra patris tui genitor natus est pater?
Cre. Erichthonius certe. Hoc vero genus me non iuvat.
Ion. Num et ipsum Minerva e terra sustulit?
Cre. Ad virgineas manus, cum non peperisset eum.
Ion. Tradit vero, ita ut in pictura pingitur?
Cre. Cecropis quidem ad servandum filiabus, quo non videbatur.
Ion. Audivi virgines solvisse arcam Deae.
Cre. Certe enim mortuae saxum cruentarunt petrae.

Ion. Quomodo hospes existens te duxit civem?
Cre. Prope Athenas est Euboea civitas.
Ion. Humidis, ut aiunt, limitibus terminata.
Cre. Hanc depopulatus est cum Cecropidis communi bello[40]).
Ion. Veniens auxiliator deinde te ducit[41])?
Cre. Dotem pro auxiliis in bello et pro pugna accipiens.
Ion. Venisti huc ad oraculum cum viro, an sola?
Cre. Cum viro; ipse adit sacellum Trophonii.
Ion. An spectatum, an vaticinii petendi causa?
Cre. Ab eo et item Apolline idem negotium vult cognoscere.
Ion. An venistis de terrae fructibus aut de liberis?
Cre. Liberis caremus, cum diu fuerimus in connubio.
Ion. Neque peperisti unquam, sed sine liberis es?
Cre. Phoebus novit meam sterilitatem.
Ion. Misera, in aliis quidem rebus es fortunata, sed in hac non.
Cre. Tu vero quis es? ut tuam matrem praedico!
Ion. Dei vocor servus et sum.
Cre. Donum urbis alicuius, aut venditus?
Ion. Non scio, nisi hoc unum: Apollinis vocor.
Cre. Et nos te vicissim miseramur.
Ion. Ut qui nesciam, quae me pepererit[42]), et unde natus sim.
Cre. Habitas in istis templis, vel in aliqua domo?
Ion. Totum templum est mihi domus, ubicunque me occupaverit sonus.
Cre. Venisti in templum puer aut adolescens?
Ion. Infantem dicunt, qui existimant se scire[43]).
Cre. Quae te lacte enutrivit ex Delphicis?
Ion. Nunquam attigi ubera; haec me aluit.
Cre. Quae mulier[44])? ut ego languens inveni similes miserias!
Ion. Phoebi sacerdos; ideo ducimus eam matrem.
Cre. Venisti vero ad virilem aetatem, cuius educationem adeptus?
Ion. Arae me aluerunt, et semper accedens hospes.
Cre. Misera, te quae peperit, quaecunque fuerit tandem.

---

40) *Ion.* Age — bello. (vs. 275 — 296.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. Age, ecquid? hocne verum, aut frustra sermo?
Cre. Quam rem interrogas? etenim non fatigor propter otium.
Ion. Pater tuus Erechtheus tuas mactavit sorores?
Cre. Sustinuit ante terrae victimas virgines mactare.
Ion. Tu vero servata es quomodo ex sororibus sola?
Cre. Infans recens eram in ulnis matris.
Ion. Patrem vero re vera hiatus tuum occultat terrae?
Cre. Ictus tridentis Neptuni ipsum perdiderunt.
Ion. Macre vero locus isthic est vocatus?
Cre. Cur interrogas hoc? ut me memorem fecisti cuiusdam.
Ion. Colit vos Pythius, et fulgura Pythea?
Cre. Colit, colit, utinam nunquam te adspexissem.
Ion. Quid vero? odisti tu Dei gratissima?
Cre. Nihil, o hospes; novi de antro flagitium quoddam.
Ion. Maritus vero quis te duxit Atheniensium, mulier?
Cre. Non civis, sed advena ex alia terra.
Ion. Quis? nobilem ipsum oportet esse aliquem.
Cre. Xuthus, natus ex Aeolo et a Iove.
Ion. Et quomodo peregrinus te existens acquisivit existentem indigenam?
Cre. Euboea Athenis prope est quaedam civitas.
Ion. Terminis humidis, ut aiunt, secreta.
Cre. Hanc depopulatus est cum Cecropidis communi hasta.

41) te ducit?] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. ducit tuum lectum? Editt. recent.: te duxit uxorem? (Eurip. *σὸν γαμεῖ λέχος;*).

42) pepererit] sic Fix.; Editt. 1558., 1562., Barn., Musgr.: peperit.

43) *Ion.* Veniens — se scire. (vs. 297 — 317.) sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. Auxiliator cum venisset, deinde ducit tuum lectum?
Cre. Dotes quidem belli, et hastae accipiens praemium.
Ion. Cum marito vero venis, aut sola, ad oracula?
Cre. Cum marito; templa vero adit Trophonii.
Ion. Utrum spectator, aut propter oracula?
Cre. Et illius et Phoebi, unicum cupiens discere carmen.
Ion. Fructum vero propter terrae venistis, aut propter liberos?
Cre. Liberis caremus, diu versati in coniugio.
Ion. Neque peperisti quicquam unquam, verum sine liberis es?
Cre. Phoebus novit meam carentiam liberorum.
Ion. O infelix, quantum in caeteris felix existens, non felix es.
Cre. Tu vero quis es? ut tuam matrem beatam iudico!
Ion. Dei vocor servus et sum, o mulier.
Cre. Donarium publicum civitatis, aut a quopiam venditus?
Ion. Nescio, nisi unum, Apollinis dicimur.
Cre. Nos tui sane rursus, o hospes, miseremur.
Ion. Ut qui nesciam, quae me peperit, et ex quo sim.
Cre. Templis vero habitas in istis, aut domo?
Ion. Tota domus Dei mihi est, ubicunque occuparit me somnus.
Cre. Puer vero existens venisti in templum aut adolescens?
Ion. Infantem dicunt, qui existimant scire.

44) Quae mulier?] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Quae, o aerumnose? Editt. recent.: Quaenam, o aerumnose [Fix.: o miser]? (Eurip. *Τίς, ὦ ταλαίπωρ';*).

Ion. Fortasse fui probrum alicuius mulieris.
Cre. Habes victum? bene enim ornatus es vestibus.
Ion. Ex Dei pensionibus ornamur, cui servimus.
Cre. Non contendisti ad inquisitionem parentum?
Ion. Nullum habeo indicium.
Cre. Heu.
Quaedam alia mulier passa est eadem cum tua matre.
Ion. Dicito, quaenam? si mihi opitulaberis, laetabimur.
Cre. Illa, cuius causa veni huc, priusquam accedat maritus.
Ion. Qua re indigens, ut tibi subserviam?
Cre. Oraculum ex Phoebo cupiens[45]) cognoscere.
Ion. Dicito, nos erimus internuntii.
Cre. Audi meum sermonem, sed pudet.
Ion. Ergo nihil ages, Dea[46]) est ignava[47]).
Cre. Quaedam mea amica dicit se concubuisse cum Phoebo.
Ion. An mulier compressa esset a Deo? ne dixeris.
Cre. Et clam ante hoc tempus puerum Deo peperit.
Ion. Non est: humanae culpae pudet eam.
Cre. Imo, quod inquit ipsa, id passa est.
Ion. Quid postea fecit, si quidem Deo iuncta fuit?
Cre. Filium, quem peperit, exposuit foras.
Ion. Hic expositus ubi est? vivitne?
Cre. Nemo scit, et hoc ipsum venio sciscitatum oraculum.
Ion. Si non amplius superest, quomodo periit?
Cre. Putat bestias interfecisse illum miserum.
Ion. Quo indicio utens cognovisti hoc?
Cre. Cum venisset, ubi eum exposuerat, non invenit iterum.
Ion. Erantne aliquae stillae sanguinis in via?
Cre. Negat quicquam vidisse, quamvis diligenter consideravit solum.
Ion. Quod tempus est interfecto puero?
Cre. Haberet eandem mensuram aetatis tecum, si viveret.
Ion. Iniuria afficit eam Deus; mater vero est misera.
Cre. Nunquam in posterum gignet aliam sobolem.
Ion. Quid, si Phoebus eum clam alit?
Cre. „Gaudens de re communi solus non facit iuste[48]).
Ion. Heu congruam fortunam meae calamitati.
Cre. Et te, o hospes, existimo matrem miseram desiderare.
Ion. Ne me ducas ad dolorem, cuius obliti sumus.

---

45) cupiens] sic Editt. 1558. et recentt. (= Eurip. δεομένη); Ed. 1562. mendo typogr.: cupies.

46) Dea] haec vox in marg. Ed. 1562. explicatur: Verecundia.

47) *Cre.* Quae te — ignava. (vs. 318 — 337.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Et quae lacte te enutrivit ex Delphicis?
Ion. Nunquam cognovi mammam; haecce aluit me.
Cre. Quae, o aerumnose? ut aegrotans inveni aegritudinem.
Ion. Phoebi prophetissa, matrem sicut veneramur.
Cre. Ad virum vero excrevisti, quod alimentum nactus?
Ion. Arae me paverunt, et accedens semper hospes.
Cre. Misera, te quae peperit, quaecunque fuerit tandem.
Ion. Probrum alicuius mulieris fui fortasse.
Cre. Habes vero victum; bene enim ornatus es vestibus.
Ion. Dei peplis ornamur, cui servimus.
Cre. Neque contulisti ad inquisitionem inveniendi parentes?
Ion. Habeo enim nullum, o mulier, indicium.
Cre. Eheu.
Passa est quaedam cum tua matre eadem alia mulier.
Ion. Quae? dic; si me adiuverit, laetaremur utique.
Cre. Cuius gratia veni huc, priusquam veniat maritus.
Ion. Quidnam cupiens? quoniam inserviam, o mulier.
Cre. Oraculum occultum cupiens Phoebi discere.
Ion. Diceres. Nos vero caetera procurabimus.
Cre. Audi iam sermonem, sed veremur.
Ion. Neque efficies quicquam; iners enim Dea.

48) *Cre.* Quaedam — iuste. (vs. 338 — 358.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Cum Phoebo se mixtam esse dicit quaedam ex amicis meis.
Ion. Cum Phoebo, mulier existens? ne dixeris, o hospita.
Cre. Et puerum certe peperit Deo clam olim.
Ion. „Non est, humanae iniustitiae puderet.
Cre. Hoc inquit ipsa, et passa est misera.
Ion. Quam rem fecit, quando quidem Deo copulata est?
Cre. Hunc puerum, quem peperit, exposuit foras.
Ion. Hic vero expositus puer ubi est? vivitne?
Cre. Non novit quisquam, et haec consulo.
Ion. Si non amplius est, quomodo periit?
Cre. Bestias ipsum infelicem sperat occidisse.
Ion. Quo vero cognovisti usa indicio?
Cre. Cum venisset, ubi eum exposuit, non invenit amplius.
Ion. Erat vero aspersio in vestigio quaedam sanguinis?
Cre. Non ait, quamvis plurimum peragrata solum.
Ion. Tempus vero quod huic puero perdito?
Cre. Tecum eandem pubertatis, si quidem esset, haberet staturam.
Ion. Iniurius in eum Deus, mater vero misera.
Cre. Nunquam amplius in posterum parit sobolem aliam.
Ion. Ecquid si clam ipsum Phoebus nutrit accipiens?
Cre. In communi re gaudens, non iuste facit solus.

Cre. Taceo; pertexe illa, de quibus interrogo te.
Ion. Scisne, quae pars tuae orationis laboret maxime?
Cre. Quid non languet isti miserae?
Ion. Quomodo vaticinabitur Deus id, quod vult clam esse?
Cre. Si quidem collocavit commune oraculum Graeciae.
Ion. Pudet eum huius rei; ne exquire ab ipso.
Cre. Dolet et ista, quae passa est hunc casum.
Ion. Nemo de hac re tibi vaticinabitur.
In suo enim templo accusatus tanquam turpis
Phoebus, iuste eum, qui oracula tibi redderet,
Puniret. Discede, mulier.
„Non enim dicenda sunt Deo contraria.
„Ne eo dementiae veniamus,
„Ut sollicitemus Deos nolentes
„Dicere, quae nolint[49]), aut ante aram factis
„Mactationibus ovium, aut per auguria avium.
„Si vi urgemus nolentes Deos,
„Possidemus invita bona;
„Quae vero volentes dederint, fruamur.
Chor.[50]) Variae sunt humanae calamitates,
„Specie differunt: unam bonam fortunam
„Vix inveniet aliquis in hominum vita[51]).
Cre. O Phoebe, et illic, et hic non iustus es
In illam absentem, cuius adsunt sermones.
Tu vero non servasti tuam sobolem, quam oportebat servare,
Neque interroganti matri vates existens dicis[52]),
Ut, si non superest amplius, tumuletur sepulchro;
Si vero vivit, veniat matris in conspectum tandem.
Sed omittere haec convenit, si a Deo
Prohibemur cognoscere, quae volumus.
Sed video generosum maritum
Xuthum, qui iam hos Trophonii
Specus reliquit; dictos sermones
Taceto apud maritum, ne probro afficiar
Curiose tractans arcana, et efferatur sermo
Non eo, quatenus nos eum explicavimus.
„Conditio mulierum misera est erga viros.
„Nam bonae etiam inter malas mixtae
„Odio habentur, adeo miserae sumus[53]).
Xuth. Primum quidem Deum, qui mearum precum
Primitias accipit, salvere iubeo; te vero, o uxor,
Num pavor consternatam reddidit me sero veniente[53a])?
Cre. Non; sed tu videris mihi esse consternatus; sed mihi
Dic, quodnam oraculum ex Trophonii specu fers?
Quomodo nobis semen liberorum succedat[53b])?
Xuth. Non voluit antevertere Dei

---

49) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: Dii non coguntur.

50) *Chor.*] sic Editt. 1558. et recentt.; in Ed. 1562. deest.

51) *Ion.* Heu — vita. (vs. 359—383.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. Eheu assimilis haec fortuna meo casui.
Cre. Et te, o hospes, existimo matrem miseram desiderare.
Ion. Et ne ad miserationem me ducas, cuius obliti sumus.
Cre. Taceo. Perge vero, de quibus te interrogo.
Ion. Scin' vero, quae laboret orationis maxime pars tibi?
Cre. Quid vero non illi aerumnosae male habet se?
Ion. Quomodo Deus, quod latere velit, vaticinetur?
Cre. Si quidem insidet tripodem communem Graeciae.
Ion. Puderet eum huius rei; ne exquire ab ipso.
Cre. Dolet certe, quae passa est casum.
Ion. Non est, qui tibi vaticinaretur haec.
In suis enim ipsius templis malus apparens
Phoebus, iure eum, qui oracula redderet tibi,
Afficeret aliquo nocumento; discede mulier.
„Deo enim, quae contraria sunt, non vaticinanda.
„Non enim ad tantum ignorantiae venerimus,
„Ut Deos ultro elaboremus,
„Dicere, quae nolint, aut ante aram factis
„Victimis ovium, aut propter avium volatus.
„Si enim per vim contenderimus invitis Diis,
„Invita acquiremus bona, o mulier.
„Quae vero dederint volentes, fruamur.
Chor. „Variae vero variis sunt calamitates hominum,
„Formae vero differunt. Unam vero felicitatem
„Vix unquam inveniet aliquis hominum in vita.

52) dicis] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: dices, Fix.: respondebis (= Eurip. ἐρεῖς).

53) *Cre.* O Phoebe — sumus. (vs. 384—400.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. O Phoebe, et illic et hic non iustus es
In absentem, cuius praesentes sunt sermones.
Tu quidem non servasti tuum, quem servasse te oportebat,
Neque interroganti matri, vates existens dicis.
Quod si non amplius vivit, tumuletur tumulo;
Si vero vivit, veniat matris in conspectum tandem.
„Sed sinere convenit haec, si a Deo
„Prohibemur, non discere, quae cupio.
Sed, o hospes, adspicio generosum maritum
Xuthum, prope iam has Trophonii
Relinquentem speluncas; dictos sermones
Sile erga virum, ne quam turpitudinem capiam
Curiose tractans occulta, et ne evulgetur sermo,
Quatenus nos eum exposuimus.
„Conditio enim mulierum difficilis est erga maritos.
„Et inter malas nos bonae mixtae,
„Odio habemur, adeo miserae sumus.

53a) veniente?] sic scripsi; Ed. 1562. venientem?

53b) Hic versus in Editt. 1558. et recentt. aeque ac in Ed. Basil. 1551, est *Creusae*, in Ed. 1562. *Xuthi*.

Oraculum: unum tantum dixit, me non sine liberis
Domum rediturum esse, neque etiam te.
Cre. O veneranda Phoebi mater, utinam feliciter
Venerimus huc, utinam commercia, quae antea fuerunt,
Cadant meliora apud filium tuum[54]).
Xuth. Fient haec. quis est hîc minister Dei?
Ion.[55]) Ego sum foris internuntius; interiora alii curant,
Qui sedent ad tripodem,
Optimates Delphorum, quos legit sors.
Xuth.[56]) Teneo omnia, quae volebam.
Ingredior; etenim, ut audio,
Per sortem cecidit advenis oraculum
Commune ante templum; volumus die
Hac (sacra enim est) Dei capere oracula.
Tu vero circa aras, o mulier, laureos
Accipiens ramos precare a Diis de liberis
Felix oraculum me referre ex templo Apollinis.
Cre. Erunt haec, erunt, si velit Apollo
Nunc priores iniurias sanare.
Non quidem omnino fuit amicus nobis,
Sed quod volet, accipiam; Deus enim est[57]).

Ion. Quidnam hospita Deum sermonibus
Obscuris convicians significat?
An cupit quaerere aliquid pro patria,
Et tamen tacet, quod taceri oportet?
Sed filia haec Erechthei quid mihi
Curae est? et quid me attingit solum Atticum? quin aureis
Gutturniis profectus ad aspersoria
Asperginem emittam. Sed castigandus mihi
Phoebus: quid facit virgines stuprans,
Et perdit deinde, clam cum genuerit,
Morientes? sed ne neglige haec, sed cum domi eris,
„Cole virtutem; quicunque enim hominum
„Improbus est, illum Dii puniunt.
„Quomodo igitur aequum est vos leges mortalibus
„Scribentes, ipsos iniustos esse?
Sed si falsum est, sit sane ita; de altero dicam.
Poenas dabitis hominibus violenti thori,
Tu et Neptunus et Iupiter, qui in coelo dominatur,
Facietis vacua templa, poenam iniustitiae dantes.
„Voluptates enim prae modestia
„Urgentes, iniuste facitis; non amplius homines
Accusare iustum est, si pulchra facta Deorum
Imitamur, sed eos, qui docent haec[58]).

---

54) utinam — filium tuum.] his in marg. Ed. 1562. additur explicatio: ut inveniatur meus ex Apolline filius, de quo cum Ione erat locuta.

55) *Ion.*] sic Editt. 1558. et recentt.; in Ed. 1562. deest.

56) *Xuth.*] sic Editt. 1558. et recentt.; in Ed. 1562. omiss.

57) *Xuth.* Primum — enim est. (vs. 401—428.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Xuth. Primum quidem Deus mearum compellationum
Capiens exordium, salveat, tuque, o uxor.
Num sero veniens te perculit pavor?
Cre. Nihil; pervenisti enim ad sollicitudinem. Sed mihi
Dic, quodnam oraculum ex Trophonii fers?
Liberorum quomodo nobis semen submittatur?
Xuth. Noluit Dei anticipare
Oraculum. Unum certe dixit, non sine liberis
Domum venturum, neque te ex oraculis.
Cre. O veneranda Phoebi mater, utinam sancte
Venerimus; quaeque nobis commercia ante erant,
Autore filio tuo in melius mutentur.
Xuth. Erunt haec. Verum quis minister sacrorum Dei?
Ion. Nos ea, quae foris; quae vero intus, aliis curae sunt,
Qui prope sedent tripodem, o hospes,
Delphorum optimates, quos elegit sors.
Xuth. Bene habeo iam omnia, quibus indigemus.
Eamus intro; etenim, ut ego audio,
Vaticinium cecidit per sortem advenis
Commune ante templum. Volumus in die
Hac (utinam fausta) Dei capere oracula.
Tu vero circa aras laurigeros, o uxor,
Accipiens ramos, idoneos ad sabalam, supplica Diis
Oracula me offerre ex Apollinis templis.
Cre. Erunt haec, erunt. Apollo vero si velit
Nunc verum priora peccata emendare,
Totus quidem non fuerit in nos amicus.
Quantum vero vult, Deus enim est, accipiam.

58) *Ion.* Quidnam — haec. (vs. 429—451.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Ion. Quidnam sermonibus hospita Deo
Occultis semper convicians innuit?
Aut certe solet pro terra vaticinari,
Aut aliquid obticet, quae sileri convenit.
Sed filia haec Erechthei, quid mihi
Curae est? et quid ad me pertinet patria? quin aureis
Gutturniis profectus ad aspersoria,
Asperginem dimittam; sed castigandus mihi
Phoebus, quid facit virgines per vim violans,
Prodit liberos creans furtim
Morientes, negligas ne tu quidem, verum quoniam imperas,
Virtutes consequere. „Etenim quicunque mortalium
„Improbus est, puniunt Dii.
„Quomodo igitur aequum est leges vos mortalibus
„Scribentes, ipsos praevaricationis reos esse?
Quod si, quamvis non sit, sequenti vero utar,
Poenas propter violentas dabitis hominibus nuptias,
Tu et Neptunus, et Iupiter, qui in coelo imperat.
„Templa punientes tamen scelera desolata redditis.
„Voluptates enim potius quam temperantiam
„Sequentes, iniurii estis. Non amplius homines
„Accusare iustum, si, quae Diis honesta sunt,
„Imitamur; sed eos, qui docent haec.

[*Strophe.*]

Chor. Te partuum obstetricem,
Eilithyiam meam,
Minervam obsecro,
Quae Prometheo Titani
Obstetricata es in summis
Montibus Iovis, o veneranda Victoria,
Veni ad Pythicam domum
Olympi ex aureis thalamis
Volitans ad plateas,
Ubi est Phoebi terra,
Et ara in terrae medio,
Cincta tripode
Perficit oracula.
Tu et Diana,
Duae Deae, duae virgines,
Castae sorores Phoebi,
Supplicate, o virgines,
Ut vetus Erechthei
Genus tandem sobolem fausta
Per vaticinia consequatur[59]).

[*Antistrophe.*]

„Eximias enim praebet
„Mortalibus felicitates
„Certa spes
„Liberorum[60]), quibus alita frugibus
„Fulget in domo
„Patria iuventus,
„Haereditarias divitias
„Tanquam habitura a maioribus,
„Subinde propagatas[60a]) ad alios filios.
„Sunt defensio in malis,
„Et magna voluptas in rebus secundis,
„In bello terrae patriae ferre
„Salutem.
„Mihi quidem et divitiis
„Et regiis thalamis praeferantur
„Educationes domesticae gratae liberorum.
„Odi orbam
„Vitam; et si cui placet, hunc reprehendo.
„Cum mediocribus facultatibus sim in vita
„Habente liberos[61]).

[*Epodus.*]

O sedes Panis et
Vicina petra
Secessus longis epulis,
Ubi choreas ducunt pedibus
Triplices puellae rusticas,
Per viridia stadia ante Palladis templa
Fistularum sub varia
Vociferatione hymnorum:
Quando in aula tibia canis,
O Pan, tuis istis in antris?
Ubi pariens quaedam
Virgo infantem Phoebo
Exposuit epulum volucribus,
Et feris cruentam
Dapem. „Stupra
„Violenta neque ad telam, neque in fabulis
„Unquam audivi habere felicitatem.
„A Diis dantur liberi mortalibus[62]).

---

59) *Chor.* Te partuum — consequatur. (vs. 452—471.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Te partuum obstetricem,
Elithyiam meam,
Minervam obsecro,
Prometheo Titani operam
In partu praestitisti in summis
Verticibus Iovis; o sancta victoria,
Veni ad Pythicam domum,
Olympi ex aureis thalamis
Volans ad plateas,
Phoebea ubi terra,
In medio terrae sita domus,
Numine afflato tripode
Oracula perficit.
Tu et filia a Latone genita,
Duae Deae, duae virgines,
Sorores sanctae Phoebi.
Supplicate vero, o virgines,
Priscum Erechthei
Genus sobolis procreationem diuturnam paris
Vaticiniis adipisci.

60) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: *Quam sit bonum habere liberos.*

60a) propagatas] *sic scripsi*; Ed. 1562. propagatos

61) Eximias — liberos. (vs. 472—491.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
„Eximias enim praebet
„Mortalibus felicitates
„Certo subsidio
„Liberorum, quibus alita frugibus
„Luxerint in thalamis
„Paternis iuvenilis pubertas,
„Haereditarias divitias
„Utpote habituri a maioribus
„Alios ad filios.
„Propugnaculum enim in malis,
„In felicitate gratum,
„Inque bello terrae patriae fert
„Salutarem defensionem.
„Mihi quidem et divitiis
„Et regiis thalamis praeferantur
„Educationes propriae bonorum filiorum.
„Carentem enim liberis abominor
„Vitam, et cui probatur, vitupero.
„Cum facultate mediocri vitam
„Cum procratione liberorum consequar.

62) O sedes — mortalibus. (vs. 492—509.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

[*Ion, Xuthus, Chorus.*]

Ion. Ministrae, quae circa basim templi
Fumantis observatis domum habentem custodiam,
Reliquitne iam sacram tripodem et oraculum
Xuthus? an manet in sacello interrogans de orbitate?
Chor. Intus est, nondum egressus hanc domum,
Sed tanquam iam egrediatur, harum portarum audimus
Strepitum: exeuntem iam dominum videre licet.
Xuth. O fili, salve; nam hoc exordium loquendi mihi convenit.
Ion. Salvi sumus, et tu sanus sis, et utrique nobis bene sit.
Xuth. Da manus tuae mihi osculum et complexum corporis:
Ion. Sanusne es, aut vertit te in furorem aliqua Dei noxa?
Xuth. Sanus sum, charissima inveniens, si fugis, consequar[62a]).
Ion. Desine, ne contrectes, et ornatum Dei ne manu rumpas.
Xuth. Attingam, neque pignus capio; invenio enim, quod mihi est charissimum.
Ion. Non omittes, priusquam arcu feriam pulmones tuos.
Xuth. Quare fugis me, cum agnoscas tua charissima?
Ion. Debeo[63]) ad sanitatem revocare ineptos et insanos hospites[64]).
Xuth. Interfice et incende; patris enim tui, si occideris, eris interfector.
Ion. Quomodo tu mihi pater es? hoc igitur an non ridendum mihi auditu?
Xuth. Nonne velox oratio poterit significare meas res?
Ion. Et quid dicturus es?
Xuth. Ego sum tuus pater, et tu meus filius.
Ion. Quis dixit haec?
Xuth. Apollo, qui te aluit meum existentem.
Ion. Dicis tibi ipsi testimonium?
Xuth. Dico illa cognito Dei oraculo.
Ion. Deceptus es audito aenigmate.
Xuth. An non recte audivimus?
Ion. Quis fuit sermo Phoebi?
Xuth. Eum, qui obviam mihi venisset, —
Ion. In quo occursu?
Xuth. Mihi egredienti ex his aedibus, —
Ion. Quid futurum, ut illi accidat?
Xuth. Meum esse filium.
Ion. Ex te natum aut adoptivum?
Xuth. Donum, et tamen natum ex me.
Ion. Primum ergo mihi coniungis pedem tuum?
Xuth. Non alteri, o fili.
Ion. Unde venit haec fortuna?
Xuth. Uterque miramur eandem rem[65]).

O Panis sedilia, et
Frequentata petra,
Secessus longis epulis,
Ubi choreas ducunt pedibus
Rustici nymphae triplices,
Per viridia stadia ante Palladis templa
Fistularum sub varia
Vociferatione hymnorum,
Quando in aula tibia canis,
O Pan, tuis istis in antris,
Ubi periens quaedam
Virgo, o misera, infantem Phoebo
Volucribus exposuit epulum,
Et feris cruentam
Coenam, tristium nuptiarum
Propter iniuriam, neque ad telam, neque dictis
Famam audivi fortunam consequi.
A Diis dantur liberi mortalibus.

62a) si fugis, consequar.] sic Editt. 1558., 1562. (Ed. Basil. 1551. *εἰ φυγεῖν ἐφίεμαι.*); Editt. recent. *εἰ φιλεῖν ἐφίεμαι.* — Fix.: si cupio deosculari.

63) Debeo] sic Editt. 1558., 1562. (= Editt. Basil. 1551., Musgr. *Ὀφείλω*); Barn., Fix. *Οὐ φιλῶ* — Non amo (Musgr. in interpr.: Quia amo).

64) *Ion.* Ministrae — hospites? (vs. 510—526.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Ion. O ancillae mulieres, quae harum circa pulpita domorum
Sacrarum stationem habentem dominum expectatis,
Reliquit iam sacrum tripodem et locum vaticinandi
Xuthus? aut intus manet, querens de orbitate liberorum?
Chor. Intus est, o hospes, nondum domum egressus hanc.
Tanquam vero in exitu existente harum audimus portarum
Sonitum; exeuntem iam dominum videre licet.
Xuth. O fili, salve; hoc enim exordium sermonis convenit mihi.
Ion. Salvi sumus; tu vero sis sanus, et duo existentes, bene habeamus.
Xuth. Da manus mihi osculum tuae, et corporis amplexus.
Ion. Sanusne es? aut te insanire fecit Dei quaedam noxa, o hospes?
Xuth. Sanus sum, charissima nactus, si fugis, consequar.
Ion. Quiesce, ne attrectans Dei
Coronamenta frangas manu.
Xuth. Attingam, neque pignus capio; quod mihi enim invenio, charum est.
Ion. Non discedis, antequam intra sagittam pulmones accipias.
Xuth. Ut quid iam fugis me, tua cognoscens charissima?
Ion. Debeo ad animum reducere ineptos et insanos hospites.

65) *Xuth.* Interfice — eandem rem. (v. 527—539.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Chor. Huc spectemus, amicae.
Ion. Vides eam, quae adversus Enceladum
Horribilem vibrat clypeum?
Chor. Video Palladem, meam Deam.
Ion. An et fulmen utrinque candens, et impetuosum
In iaculatricibus manibus Iovis?
Chor. Video: pugnacem
Mimanta igne incendit.
Et Bacchus alium
Imbellibus hederaceis baculis
Interficit terrae filium.
Te aedituum compello.
Estne fas transire penetralia
Albo pede? *Ion.* Non est fas.
Chor. Neque ex te audiero?
Ion. Quid cupis? *Chor.* Num vere medium umbilicum terrae
Phoebi continet templum? *Ion.* Ornatum coronis,
Et circa sunt Gorgones. *Chor.* Sic dicitur.
Ion. Si accessistis ad praesegmina sacrificiorum[32]) ante domum,
Et si vultis interrogare Phoebum,
Ite in aream; nondum vero caesis
Ovibus, non transite in interius templum.
Chor. Intelligo Dei ritum;
Non transgrediemur; quae vero extra sunt, contemplabimur.
Ion. Omnia spectate, quoniam fas est[33]).
Chor. Miserunt me domini, hos secessus Dei ut viderem.
Ion. Vos, ancillae, cuius familiae vocamini?
Chor.[34]) Urbs Palladis est domestica meorum
Dominorum, hos praesentes interroga.
Ion. Generositas tibi adest, et indicium morum
Hanc speciem habes, quaecunque es.
De homine ut plurimum iudicari potest
Ex specie, num generosus sit.
Age, quum me terruisti claudens oculos,
Et humectas generosas genas,
Postquam vidisti castum sacellum Apollinis,
Cur venisti in hanc sollicitudinem, o mulier?
Omnes enim reliqui penetralia videntes Dei
Gaudent; hic vero tuus oculus lachrymas fundit.
Cre. O hospes, tua indoles non est hominis imperiti,
Venientis in admirationem de meis lachrymis.
Ego vero, cum vidissem Apollinis has aedes,
Revoco quandam antiquam memoriam,
Domi mentem habeo hic existens.

Chor. Non in divinis Athenis
Praestantes columnas habentes sunt alae
Deorum solum, neque sacri
Cultus, verum etiam apud Apollinem,
Latonae filium, bicorporum
Personarum pulchras ferras referens lumen.
Ion. Ecce hanc adspice.
Lernaeam hydram interficit
Aurea harpe Iovis filius.
Chara tu adspice oculis.
Chor. Video. *Ion.* Et prope eum alius
Allatam igne ambustam interfecit.
Chor. Quisnam, qui mea narratur
Apud pensa?
Ion. Scutifer Iolaus, qui
Communes subiens labores
Ioviali filio collaborat.
Atqui hunc adspice
Alati insessorem equi.
Iovem afflantem occidit
Tricorporem vim.
Chor. Omnia certe oculis consequor.
Ion. Considera tumultum in parietibus
Lapideis gigantum.

32) accessistis ad praesegmina sacrificiorum] sic Ed. 1562. (Ed. Basil. 1551. ἐδύσατε πέλανον). His in marg. illius Ed. Xylander hanc adiecit annotationem: „ἐδύσατε πέλανον. nullo sensu. Legerem ἐθύσατε πέλανον, et verterem: Si quidem sacrificio peracto ante templum expetiistis vaticinium." — Editt. recent. hanc lectionem ἐθύσατε π. in textum receperunt et vertunt: placentam immolastis [Fix.: *hostiae* sanguinem effudistis].

33) *Chor.* Huc — fas est. (vs. 208—232.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Huc videamus, o charae.
Ion. Vides igitur prope Enceladum,
Horribilem vibrantem clypeum?
Chor. Video Palladem, meam Deam.
Ion. Ecquid fulmen utrinque candens, impetuosum,
In Iovis porro volantibus manibus?
Chor. Video impetuosum
Mimantem, igne ardet.
Et Bromius alium
Imbellibus hederaceis ramis
Interficit, terrae filius ille Bacchus.
Te certe aedituum voco,
Licet penetralia ingredi
Albo pede? *Ion.* Non licet, o hospitae.
Chor. Neque ex te audiero?
Ion. Quae vero cupis? *Chor.* Num re vera medium umbilicum terrae
Phoebi continet templum? *Ion.* Coronis circumdatus;
Circum vero Gorgones. *Chor.* Sic et fama loquitur.
Ion. Quandoquidem accessistis aram placentarum pro foribus,
Et quiddam sciscitari cupitis Phoebum,
Ite ad pavimenta, insuper vero non caesis
Ovibus, demorum ne ite in secessus.
Chor. Scio. Dei vero ritum
Non transgrediamur; quae vero extra, oculos oblectabunt.
Ion. Omnia spectate, quoniam et fas est oculis.

34) *Chor.*] sic Editt. 1558., 1562., Musgr., Fix.; Ed. Basil. 1551. et Barn. *Creusa*.

O miserae mulieres, o facinora
Deorum: quidnam, quousque poenas remittemus,
Si potentum iniuriis perimus[35])?
Ion. Quare gemis obscura quaedam, o mulier?
Cre.[36]) Nihil remitto arcum[37]); caetera
Ego taceo, et tu ne cures.
Ion. Quae es? Unde venis, ex qua patria
Es nata, quo nomine te vocare oportet?
Cre. Creusa mihi nomen est, ex Erechtheo
Nata sum, patria est Atheniensium civitas.
Ion. O inclytam habitans urbem, et a generosis
Educata parentibus, ut te admiror!
Cre. Eatenus sum felix et non ulterius.
Ion. Quaeso te per Deos, verane illa sint, quae dicuntur ab hominibus?
Cre. Quidnam interroges, volo cognoscere.
Ion. Pater avus patris tui ex terrane ortus est?
Cre. Erichthonius quidem, sed genus me non iuvat.
Ion. Num ipsum Minerva ex terra protulit?
Cre. In virgineas manus, cum eum non genuisset[38]).
Ion. Tradidit vero eum, sicut pingitur?
Cre. Filiabus Cecropis ad servandum non conspectum.
Ion. Audivi virgines solvisse arcam Deae.
Cre. Ideo mortuae cruentarunt saxum petrae[39]).
Ion. Age, quidnam? Estne verum, an frustra dicitur?
Cre. Quidnam interrogas? non laboro otio.
Ion. Pater tuus Erechtheus mactavitne tuas sorores?
Cre. Ausus est mactare victimas pro patria.
Ion. Quomodo tu sola sororum servata es?
Cre. Eram infantula in ulnis matris.
Ion. Num vere patrem hiatus terrae occultat?
Cre. Ictus tridentis Neptuni ipsum perdiderunt.
Ion. Locus vero istic est nuncupatus Macrae?
Cre. Quid interrogas hoc? ut mihi redigas in memoriam quiddam.
Ion. Honorat illum locum Pythius et radii solis.
Cre. Honorat, honorat, utinam nunquam illum locum vidissem.
Ion. Quid? num tu Deo gratissimum locum odisti?
Cre. Nihil, o hospes; scio probrum quoddam de illo antro.
Ion. Maritus vero quis te duxit Atheniensium?
Cre. Non civis, sed inquilinus.
Ion. Quis? nobilem ipsum esse oportet.
Cre. Xuthus, qui natus est ab Aeolo, Iovis filio.

---

35) *Chor.* Miserunt — perimus? (vs. 233—254.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Dimiserunt domini Dei me secessus hos videre.
Ion. Et famulae vero cuius vocamini familiae?
Chor. Palladis domestica, altilia atria
Meorum tyrannorum, circum vero praesentes interroga.
Ion. Generositas tibi, et morum indicium.
Talem figuram habes, quaecunque es, o mulier.
„Utinam cognosceret, quoniam multa homini accidunt,
„Formam videns quis, an esset generosus.
Ehem. Sed attonitum fecisti me, oculos claudens tuos,
Lachrymis vero irrigans pulchras genas,
Postquam vidisti pura Apollinis oracula.
Quidnam ad hoc sollicitudinis venisti, o mulier?
Quoniam omnes caeteri penetralia videntes Dei,
Gaudent, ibi oculus tuus lachrymas fundit.
Cre. O hospes, indoles quidem tua non inerudita est,
In admirationem veniens de meis lachrymis.
Ego vero, cum vidissem Apollinis has aedes,
Memoriam priscam recogitavi quandam.
Domi vero animum habuimus, hic existens certe.
O infelices mulieres, o facinora
Deorum; quid nunc? quo iustitiam remittemus,
Si dominantium iniuria perimus?

36) *Cre.*] sic Editt. 1558. et recentt. aeque ac Ed. Basil. 1551.; in Ed. 1562. deest.

37) Nihil rem. arc.] h. l. in Ed. 1562. nota marg.: deferbuit animi commotio. Proverb.

38) cum eum non genuisset] sic scripsi; Ed. 1562. male: cum eum genuisset; Ed. 1558. cum non peperisset eum (vide notam seq.); Editt. recent.: quamvis eum non peperisset (Eurip. οὐ τεκοῦσά νιν).

39) *Ion.* Qnare — petrae. (vs. 255—274.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. Quamobrem obscura conquereris, o mulier?
Cre. Nihil. Remisi arcus; ea vero, quae huic rei conveniunt,
Et ego taceo, et tu non inquiras quid.
Ion. Quae vero es? unde terrarum venisti, ex quali patria
Es? nomine quo te vocare nos convenit?
Cre. Creusa mihi quidem nomen, ex Erechtheo
Nata sum, patria vero terra Atheniensium civitas.
Ion. O inclytam habitans urbem, et a generosis
Educata patribus, ut te admiror, o mulier.
Cre. Hactenus felices sumus, o hospes, neque ultra.
Ion. Per Deos re vera, ita ut tradatur mortalibus.
Cre. Quam rem interrogas, o hospes? discere volo.
Ion. Ex terra patris tui genitor natus est pater?
Cre. Erichthonius certe. Hoc vero genus me non iuvat.
Ion. Num et ipsum Minerva e terra sustulit?
Cre. Ad virgineas manus, cum non peperisset eum.
Ion. Tradit vero, ita ut in pictura pingitur?
Cre. Cecropis quidem ad servandum filiabus, quo non videbatur.
Ion. Audivi virgines solvisse arcam Deae.
Cre. Certe enim mortuae saxum cruentarunt petrae.

Ad mulierem non habentem liberos, quae socia
Tuae calamitatis prius, frustrata nunc
Fortunam suam aegre feret:
Quomodo non ei invisus ero?
Quomodo assistam ad pedem tuum,
Illa sine liberis existens tibi chara acerbe intueretur.
Deinde aut tu me negligens, respiceres tuam uxorem,
Aut me complectens confunderes domum.
„Quot neces venenorum letalium
„Mulieres invenerunt viris perniciem adferentes?
Alioqui etiam tuam coniugem miseror
Absque liberis senescentem; non enim digna est
Esse sine sobole, cum sit tam nobilis.
„Regni vero frustra laudati
„Species quidem grata est; interiora autem
„Sunt tristia [71]). Quis enim beatus, quis felix,
„Qui in metu est, et semper male suspicans de vita
„Degit vitam? privatus vero fortunatus
„Vivere malim quam princeps,
„Cui voluptas est improbos habere amicos,
„Et qui bonos odit, metuens ne moriatur.
„Dices forte, opulentiam obscurare haec mala,
„Et dulce esset habere divitias; non amo male audire
„In manibus servans divitias, neque habere labores.
„Sint mihi mediocria sine tristitia [72]).
„Iam quae haec habui bona, audi, pater,
„Gratissimum hominibus [72a]) otium,
„Et coetum mediocrem; neque me deturbavit e via
Improbus quisquam, (illud enim non tolerabile
Cedere de via, et locum dare deterioribus,)
In Deorum precibus, aut luctibus, aut hominibus
Servientem gaudentibus et non lugentibus [73]).
Et hos quidem dimittebam, et alios excipiebam hospites.
Itaque iucundus semper eram novis ipse novus existens.
Quod vero optandum est hominibus, etiam nolentibus,
Iustum me et lex et natura
Deo reddit. Haec cogitans mecum
Meliora existimo, quae hic sunt, quam quae illic.
Sinas me mihi vivere; „similis enim gratia est,
„Magnis gaudere, et parva boni consulere [74]).

---

71) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: Incommoda imperii.

72) Veniens vero — tristitia. (vs. 607—632.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Veniens vero ad domum alienam, advena existens,
Et uxorem tuam, utpote carentem liberis, particeps
Fortunae tecum antea repulsam patiens,
Ipsa per se ipsam fortunam feret acerbe.
Quomodo vero non ab ipsa iure odio habebor?
Quando adstitero quidem tibi ad pedes,
Illa vero sine liberis, grata tibi, adspicit acerbe.
Et deinde aut deserens tu me, ad uxorem tuam respicies;
„Aut me magnifaciens, domum perturbaveris tuam,
„Quot caedes iam veneficiorum letalium
„Mulieres invenerunt, viris perniciem adferentes?
Quamvis alias tuae uxoris misereor, o pater,
Absque liberis senescentis; „non enim est digna
„Nobilibus a parentibus existens, carentia liberorum laborare.
„Tyrannidis vero perperam laudatae
„Vultus quidem iucundus, interiora vero
„Tristia. Quis enim beatus, quis felix,
„Qui in metu est, et qui suspectam habens vitam,
„Vitam degit? popularis vere beatus
„Vivere velim potius, quam tyrannus existens:
„Cui improbos voluptas amicos habere,
„Probos vero odit, ne occidant metuens.
„Diceres, quod aurum superet haec,
„Habereque divitias iucundum sit? non amo male audire,
„In manibus servans divitias, neque habere labores.
„Utinam contingant mihi mediocria, nullo dolore affecto.

72a) hominibus] sic Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. ab hominibus.

73) In Deorum — lugentibus.] sic Ed. 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Θεῶν δ᾽ ἐν εὐχαῖς, ἢ γόοισιν, ἢ βροτῶν Ὑπηρετῶν, χαίρουσιν οὐ γοωμένοις.*); Barn.: *Θ. δ᾽ ἐν εὐχαῖς ἦγον αἰῶν᾽, ἢ βροτῶν Ὑπηρέτουν χαίρουσιν οὐ γοώμενος.* — In deorum vero precibus vitam agebam, aut hominum Inserviebam gaudentibus *ipse* non lugens. Fix.: *Θ. δ᾽ ἐν εὐχαῖς ἢ λόγοισιν ἢ βροτῶν, Ὑπηρετῶν χαίρουσιν, οὐ γοωμένοις.* — Tum in deorum precibus vitam agebam aut hominum sermonibus, Ministrans gaudentibus, non lugentibus.

74) Iam quae — consulere. (vs. 633—647.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
„Quae vero hic habui bona, audi, mi pater.
„Gratissimum quidem primum hominibus otium,
„Et negotium mediocre. Neque me deterruit a via
„Improbus quisquam. Illud enim non tolerabile,
„Cedere de via, locum dantem improbis.
„Deorum vero supplicationibus, aut luctibus, aut hominibus
„Serviens gaudentibus, non lugentibus.
Et hos quidem dimittebam; alii vero veniebant hospites.
Itaque iucundus semper, novus existens, novis eram.
Quod vero optandum hominibus, etiam invitis,
Iustum esse me consuetudo, simulque natura
Exhibuit Deo. Haec cogitans mecum,

Chor. Recte dixisti, si quidem et illi, quos ego amo,
De tua oratione essent feliciores[75]).
Xuth. Desine de hac re, et discas esse felix.
Volo enim pro eo, quod te inveni, sacrificare,
Exhibito communi epulo,
Et volo sacrificare natalitia, quae prius non obtuli;
Nunc autem te sicut hospitem ducens domesticum
Exhilarabo te convivio, et Atheniensis terrae
Ducam velut spectatorem, tanquam non existentem meum.
Meam enim coniugem non volo
Tristitia afficere existentem sterilem, cum ipse sim felix.
Tempore vero occasionem accipiens adducam
Coniugem, ut sinat te habere regnum.
Ionem vero nomino te, ut convenit illi casui[75a]),
Eo quod egredienti mihi ex templo
Tu primus occurristi; quare amicorum
Coetum congregans iucundo sacrificio,
Saluta relicturus Delphicam civitatem.
Vobis vero ancillis edico tacere haec;
Aut, si uxori dixeritis, denuntio mortem.
Ion. Proficiscar ergo; sed una pars fortunae deest mihi.
Nisi enim matrem inveniam,
Vivendum non est; atque si est optandum,
Utinam sit Attica mulier, quae me peperit,
Ut mihi sit a matre libertas.
„Si enim quis hospes inciderit in puram civitatem,
„Quamquam nomine civis sit, tamen os
„Servile mutescit, et non habet loquendi libertatem[76]).

[*Strophe.*]

Chor. Video quidem lachrymas, et alia lugubria,
Luctuum exordia,
Quando mea domina sobolem
Maritum suum habere sciet,
Ipsa vero sterilis fuerit et sine liberis.
O fili Latonae, quo vate
Usus es ad vaticinandum?
Unde adolescens iste circa tua templa
Alitus venit, et ex qua muliere?
Non enim impellunt me oracula,
Ne habeant aliquem dolum:
Metuo hunc casum,
Et quo sit evasura res.
Absurda, absurda
Mihi tradit,
Illi autem grata.
Habet dolum et suam felicitatem hic puer
Ab alio genitus sanguine.
Quis non haec mecum sentiat[77])?

Meliora existimo, quae hic sunt, quam quae illic, pater.
Sine vero me mihi ipsi vivere; „par enim voluptas
„Magnis gaudere, et parva suaviter ferre.

75) De tua or. essent fel.] his in marg. Editt. 1562. adscripta est explicatio: opto iis eam, quam dicis, felicitatem.

75a) casui] sic scripsi (= Eurip. τύχῃ); Ed. 1562. casu.

76) *Chor.* Recte — libertatem. (vs. 648—675.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Recte dixisti, si quidem, quos ego amo,
Tuis felices erunt dictis.
Xuth. Finem fac sermonibus istis, felix esse disce.
Volo enim, ubi te inveni, sacra facere, fili,
Publicae mensae epulum ad publicum veniens,
Et celebrare, quos ante non natales celebravimus.
Et nunc quidem iam tanquam hospitem deducens domesticum,
Epulo oblectabo; huius vero Atheniensium terrae
Adducam tanquam spectatorem, tanquam non existentem meum.
Etenim uxorem meam nolo
Tristitia afficere, sine liberis existentem, ipse felix existens.
Tempore vero occasionem capiens adducam
Uxorem sinere te sceptra mea habere terrae.
Ionem vero nomino te, fortunae conveniens,
Quod ex adytis eunti mihi Dei,
Pedem contulisti primus. Quare amicorum
Coetum congregans, cum iucundo sacrificio
Alloquere, relicturus Delphicam civitatem.
Vobis vero silere ancillis edico haec,
Aut mortem proferentibus ad uxorem meam.
Ion. Eo quidem; unicum vero fortunae abest mihi.
Nisi enim, quae peperit me, inveniam, o pater,
Non vivendum nobis; quod si exoptare liceret,
„Ex Atheuis, me quae peperit, utinam sit mulier,
„Ut mihi esset a matre libertas loquendi.
„Puram enim si quis in civitatem inciderit hospes,
„Quamvis verbis civis sit, et os tamen
„Servile compescit, et non habet loquendi libertatem.

77) *Chor.* Video — sentiat? (vs. 676—694.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Video quidem lachrymas, et lugubria alia,
Luctuum exordia,
Quando mea domina [*sciet*] sobolis auctionem
Maritum habere iam,
Ipsa vero orba fuerit, et relicta a liberis.
Quo, o fili, vate Latona [*pro*: Latonae]
Usus es ad conscriptionem oraculorum?
Unde filius hic in tuis templis
Educatus excrevit, ex qua muliere?
Non enim mihi persuadent oracula,
Ne aliquem habeant dolum.
Metuo casum,
Quo tandem evadat
Absurdus; absurda quidem

[*Antistrophe.*]

O amicae, utrum meae dominae haec acuta voce
In aurem sonabimus
De marito, in quo omnia habens spei
Erat socia?
Nunc illa quidem perit calamitate, (hic vero felix est)
Ventura ad canam senectam.
Maritus[78]) vero indigens amicis
Miser peregre venit in hanc domum
Ad magnas opes, nec servarit partem fortunae.
Pereat, pereat, o dominam
Deripiens meam,
Et a Diis non sortiatur eventum,
Pulchram flammam edens sacrificium
Ad ignem sacrificans.
Hoc, quod ego scio, scies domina[79]) amica*
regni[80]),

[*Epodus.*]

Certe iam accedens ad convivium vadit
Pater et filius,
Ubi iuga Parnassi
Habentia scopulum saxeum,
Et altas sedes,

Exhibet mihi,
Huic certe auspicata.
Habet fraudem et casum hic puer,
Ab alio educatus sanguine.
Quis non haec crediderit mecum?

78) Maritus] sic Editt. recent.; Ed. 1562. mendo typogr.: Moritus.

79) Hoc quod — domina am. r.] h. l. in text. gr. aliquid deesse, a Fixio asteriscis indicatur; a Barnesio et Musgravio haec lacuna sic expletur: Meam vero sciet utique (Domina fidelitatem, Animique erga principes amorem: Veteris enim sum) amica Regni, regni.

80) O amicae — regni. (vs. 695—710.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Charae, num meae dominae haec diligenter
In aurem dicemus
De marito? in quo omnia sita habens, spei
Particeps erat infelix?
Nunc vero ipsa quidem perit calamitate; hic vero felix est,
In canam incidens senectam.
Maritus vero laetus est propter liberos.
Miser, qui advena veniens in domum
Magnas ad divitias, non servavit partem fortunae.
Pereat, pereat, o dominam
Decipiens meam,
Et Diis non eventum sortiatur
Pulchre ardentem molam
In igne sacrificans.
Hoc vero, quod ego, sciet regina chara.

Ubi Bacchus ardentes sustollens
Taedas celeriter salit
Cum nocturnis Bacchis.
Utinam hic puer nunquam veniat in meam civitatem,
Et moriatur relinquens illam novam diem.
Gemens civitas habitura est
Recusationem, si peregrinam insitionem
Congregaret, qui dux fuit antea,
Erechtheus rex[81]).

[*Creusa, Senex, Chorus.*]

Cre. O senex paedagoge Erechthei patris
Mei, cum viveret,
Excita te ad templum Dei,
Ut mecum laeteris, si Apollo
Oraculum de futuris liberis dixerit.
Cum amicis enim dulce est esse fortunatum.
Econtra vero, si quid acciderit mali (quod absit),
„Dulce est intueri in oculos hominis benevoli.
Ego te, ut tu olim meum patrem,
Quamquam domina existens, colo loco patris.
Sen. O filia, dignos claris maioribus
Mores obtines, neque deformas
Tuos maiores aborigines.
Trahe, trahe me ad templum, et duc me.
Sunt enim nimis alta templa senectae meae.
Adiuvans pedem sis mihi medica.
Cre. Sequere nunc, observa vestigium ubi ponas.
Sen. Ecce, pes tardus, animus vero promptus.
Cre. Firma baculo lubricum iter terrae.
Sen. Et hoc caecum, quia exiguo spatio video.
Cre. Recte dixisti; sed non moleste feras[82]).

81) Certe iam — rex. (vs. 711—724.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Certe iam accedens, coenarum potietur
Filius, et pater novus, novarum.
Ubi iuga Parnassi
Petrae habentia scopulum,
Et sublimem sedem,
Ubi Bacchus ardentes sustollens
Faces, celeriter salit
Nocturnis simul cum Bacchis.
Utinam nunquam ad civitatem veniat puer;
Novam vero diem relinquens, moriatur.
Luctuosa enim civitas possit
Queri hospitalem ingressionem,
Congregans, quod antea dux
Existens Erechtheus rex.

82) *Cre.* O senex — feras. (vs. 725—745.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. O senex paedagoge Erechthei, patris
Mei olim existentis, cum adhuc viveret,
Tolle te ipsum ad Dei vaticinia,

Sen. Non quidem volens, sed quod est immolatum, non est in mea potestate.
Mulieres, meae telae et radii
Fidae ancillae, quam fortunam accipiens maritus
De liberis abiit, quorum gratia huc venimus?
Dicite mihi; si enim bona mihi dixeritis,
Iniicietis gaudium in dominam fidam.
Chor. O fortuna,
Hoc initium sermonum inauspicatum.
O miseram.
Sed quid oraculis dominorum excrucior?
Sint illa: quid agemus? mors nobis proposita est[83]).
Cre. Quae est ista cantilena? et de qua re hic metus est?
Chor. Dicemus, aut tacebimus, aut quid agemus?
Cre. Dicito, quocunque modo habes aliquem casum de me.
Chor. Dicetur, etiamsi bis moriendum sit.
Non licet tibi, domina, in ulnas capere
Liberos, neque uberibus tuis applicare hos.
Senex. Hei utinam morerer, filia.
Cre. Me miseram.
Dixi te habere calamitatem quandam in me[84]).

[*Strophe* 1.]

[*Cre.*] Accepi calamitatem, patior dolorem vitae[85]).
Sen. Periimus, o filia. *Cre.* Vae vae, vae vae,
Penetrans dolor sauciavit me
Intra meum cor.
Sen. Nondum ingemiscas, —
Cre. Verum adsunt luctus.
Sen. Priusquam discamus, —
Cre. Quod audiam nuntium?
Sen. An eadem patiatur dominus, miseria
Simili conflictans, an tu sola calamitosa sis.
Chor. Illi quidem, o senex, filium Apollo
Dedit, peculiariter beatus est.

[*Strophe* 2.]

Cre. Hoc summum malum supra hoc
Locuta es, dolorem mihi lugendum.
Sen. Utrum nasciturum ex aliqua muliere
Filium, de quo dixisti, an iam natum vaticinatus est?
Chor. Iam natum confecta adolescentia
Dat ei Apollo, affui ego[86]).

Ut mecum collaeteris, si quod Apollo rex
Oraculum liberorum de procreatione dixerit.
„Cum amicis enim dulce agere bene.
„Quod vero absit, si quid acciderit mali,
„Ad vultum boni viri adspicere dulce.
Ego vero te, quemadmodum et tu patrem meum olim,
Domina tamen existens, colo loco patris.
Sen. O filia, dignos dignorum progenitorum
Mores obtines, neque dedecoras
Tuos antiquos progenitores aborigines.
Trahe, trahe ad atria, et deduc me.
Ardua enim mihi loca vaticinii; senectae vero mihi
Adiuvans gressum, medicus sis.
Cre. Sequere nunc, vestigium vero observa, ubi ponas.
Sen. „Ecce. Pedis quidem officium tardum, animi vero velox.
Cre. Bacillo vero inquire planum tramitem terrae.
Sen. Et hoc caecum, quoniam ego video minus.
Cre. Recte dixisti; verum ne quo modo morosus sis.

83) *Chor.* O fortuna — posita est.] hi quinque vss. 752—756. in Ed. 1562. (aeque ac in Ed. 1558. et in Ed. Basil. 1551.) sunt *Chori*; in Ed. Barn. vss. 752. 754—756. sunt *Chori*, vs. 753. *Creusae*; in Ed. Musgr. vss. 752. 754. 756. *Chori*, vss. 753. 755. *Creusae*; in Ed. Fix. vss. 752. 754. 756. *Chori*, vss. 753. 755. *Paedagogi*.

84) Dixi — in me.] hic vs., qui in Ed. 1562. (et in Ed. 1558.) legitur, neque in Ed. Basil. 1551. neque in Editt. recent. invenitur.

85) *Sen.* Non quidem — in me. (vs. 746 — 763.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sen. Minime lubens; eius, quod me invito fit, non imperium habeo.
Cre. Mulieres, telae meae et radii
Servitium fidele, quam fortunam accipiens maritus,
Abiit de liberis, quorum gratia venimus,
Indicate. Si enim bona mihi dixeritis,
In dominos non infideles inieceris gaudium.
Chor. O fortuna,
Hoc prooemium quidem sermonum non auspicatum.
O miseram.
Sed quid oraculis dominorum excrucior?
Age, quid agemus, mors de quibus proposita est?
Cre. Quae haec cantio, et hic metus de quibus?
Chor. Dicemus? aut tacebimus? aut quid agemus?
Cre. Dic, quoniam habes calamitatem quandam in me.
Chor. Dicetur sane, etiamsi moriendum esset bis.
Non licet tibi, domina, in ulnas capere
Liberos, neque mammis tuis applicare hos.
Sen. Eheu utinam morerer, filia. *Cre.* Me miseram.
Dixi, quod habes calamitatem quandam in me.
Calamitatem accepi, patior dolorem vitae, o charae.

86) *Sen.* Periimus — ego. (vs. 765—781.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sen. Perimus, o filia. *Cre.* Vae, vae, vae, vae.
Penetrabilis percussit dolor me
Intestina haec intra.
Sen. Nondum ingemiscas, —
Cre. Verum adsunt luctus.
Sen. Antequam discamus, —
Cre. Nuntium quod mibi?
Sen. An haec faciens dominus calamitatis
Particeps est? aut sola tu infelix es?
Chor. Illi quidem, o senex, filium Apollo

[*Strophe* 3.]

Cre. Quid ais?
Incredibilem et indicibilem
Rem narras.
Sen. Et mihi. *Cre.* Quomodo oraculum absolvitur?
Clarius mihi dicito; et quis est hic puer?
Chor. Qui occurret egressus ex templo
Tuo marito primo, hunc dedit ei filium.

[*Strophe* 4.]

Cre. Heu.
Quod ad me attinet, sterilem accepi
Vitam, solitudine vidua domos inhabitabo.
Quis igitur significatus est oraculo, cuinam occurrit
Maritus miserae? quomodo eum videam?
Chor. Nosti, chara domina, adolescentem,
Qui hoc verrit templum? iste est filius.

[*Strophe* 5.]

Cre. Utinam volitem per humidum aerem
Extra Graeciam
Ad stellas Hesperias.
Quali, quali dolore afficior.
Sen. Quo nomine ipsum nominavit pater,
Nosti? an silentio hoc incertum manet?
Chor. Ionis, quoniam primus obviam venit patri.
Sen. Matre vero ex qua est?
Chor. Non possum dicere.
Sed abiit, ut omnia scias, quae ego scio,
Pro filio sacrificaturus xenia et genethlia,
In sacra templa clam huius maritus,
Communiter celebraturus epulum cum filio [87]).

Sen. Domina, proditi sumus (tecum doleo)
A tuo viro, et instructa fraude
Iniuria afficimur, et domo Erechthei
Eiicimur. Non hoc odio tui viri
Dico, sed quod te magis quam illum amo.
Qui cum duxisset te, veniens hospes in hanc civitatem,
Et domum et haereditatem tuam accipiens,
Ex alia muliere pueros procreans
Clam deprehenditur; quam furtim vero, ego dicam.
Postquam te sensit esse sterilem, non sat habuit tibi
Similis esse, et fortunae aequalitatem ferre,
Sed adiungens sibi aliquam servam, clam congressus
Hunc puerum genuit, ablegatum vero alicui
Delphorum tradit educandum; hic vero in Dei
Templo educatur, ut latitaret tanquam Deo dedicatus.
Ut vero sensit adolescentem adolevisse,
Persuasit tibi proficisci propter orbitatem.
Et Deus non mentitus est, iste vero est mentitus,
Iam olim alens hic suum filium et nexuit dolos
Tales: deprehensus confert causam in Deum.
Veniens vero volens liberare filium post aliquod tempus,
Imperium terrae ipsi tradere vult.
Novum vero nomen post longum tempus fictum,
Ion, quod scilicet occurrit venienti [88]).

Dedit; privatim felix est, sine hac.
Cre. Hoc vero super hoc summum malum,
Loquuta es dolorem mihi lugendum.
Sen. Utrum creandum iam? ex qua muliere,
Hunc filium quem dixisti? aut natum dixit?
Chor. Iam creatum, perfectum adolescentem
Dat ei Apollo, adfui vero ego.

87) *Cre.* Quid — filio. (vs. 782—807.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Quid ais?
Non dicendum, non dicendum, non loquendum
Sermonem mihi dicis.
Sen. Et mihi quidem. *Cre.* Quomodo vero oraculum perartum est?
Clarius mihi dicito: ecquis est hic puer?
Chor. Cui obviam veniret, ex Dei templo cum iret,
Primo maritus tuus, filium dedit ei Deus.
Cre. Otto to to ti.
Mea sane orbitatem accepit
Vita; solitudine vero viduas domos inhabitabo.
Quis igitur praesto fuit? cui contulit vestigium pedis
Maritus miserae? ubinam ipsum adspiciam?
Chor. Novisti, o chara domina, adolescentem,
Qui hoc verrit templum? iste est filius.
Cre. Utinam per humidum volarem aerem,
Ultra terram Graecanicam
Ad sidera occidentalia,
Talem talem dolorem passa sum.
Sen. Nomine vero, quo ipsum nominavit pater,
Novisti, an silentio hoc non ratum manet?
Chor. Ionem, quoniam primus obviam venit patri.
Sen. Matre vero ex qua est? *Chor.* Non possum dicere.
Sed abiit, ut scias omnia a me, o senex, pro
Filio sacrificaturus hospitalia et genitalitia,
Ad tabernacula sacra huius clam maritus,
Communiter celebraturus epulum cum filio recenti.

88) *Sen.* Domina — venienti. (vs. 808—831.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sen. Domina, proditi sumus; tecum enim doleo
Tuo marito, et consulta fraude
Iniuriam patimur, et domo Erechthei
Eiicimur, et tuum non odio habens maritum
Dico, sed te quidem magis quam illum amans,

Heu, ut semper odi improbos,
Qui agentes iniustam causam, deinde praetextus
Fingunt; „assumere bonum et inertem
„Magis velim, quam malum sapientem.
Et horum omnino extremum feres malum.
Hic, qui est in nullo censu, natus ignota et serva
Matre[89]), introducetur in tuam domum dominans.
Simplex esset hoc malum, si ab aliqua nobili
Muliere, te concedente, allegans tuam sterilitatem,
Genuisset posteritatem; si vero hoc tibi fuisset acerbum,
Oportebat ipsum petere nuptias ab Aeolo patre[90]).
Itaque oportet te aliquid muliebre facere,
Aut sumentem gladium, aut dolo quodam,
Aut venenis tuum interficere maritum
Et filium, priusquam tibi mors ex illis eveniat.
Si enim eris ignava, tu amittes vitam.
„Duobus enim hostibus in unam domum venientibus,
„Aut alterum oportet esse infortunatum, aut alterum.
Ego certe volo te adiuvare,
Et simul interficere filium, cum rediero domum,
Quando convivium apparat, et praemia nutricationis dominis
Reddens, et mori et vivere tecum volo.
„Solum enim adfert servis dedecus
„Nomen; in caeteris omnibus, liberis
„Nullus servus bonus est deterior[91]).
Chor. Et ego, chara domina, calamitatem volo
Communicans tecum aut mori, aut vivere honeste.
Cre. O anima, quomodo tacebo, aut quomodo
Aperiam concubitum illegitimum,
Pudorem vero quomodo exuam?
Quod enim impedimentum obstat mihi amplius?
Ad quod certamen posita virtutis sum?
Nonne maritus meus proditor factus est?
Privor domo et privor liberis,
Omnes spes perierunt, quas disponere
Cupiens recte non potui,
Tacens concubitum et tacens partum deplorandum.
Sed non per solum sidereum Iovis,
Et non per Deum habitantem supra meos scopulos,
Et non per paludis aquosae Tritonidos
Sacrum littus, non amplius occultabo concubitum, ut a corde
Abluens sim levior.
Stillant meae pupillae lachrymis,
Et anima dolet insidiis petita
Et ab hominibus et a Diis,
Quos convincam

Qui te ducens hospes ingrediens civitatem,
Et domum, et tuam assumens totam haereditatem,
Ex alia muliere liberos procreans
Clam deprehensus est. Quam furtim vero, ego dicam.
Postquam te sterilem sensit, non sat habuit tibi
Similis esse, et fortunae aequalitatem ferre;
Sed capiens serviles lectos, congressus clam,
Hunc puerum procreavit. Ablegatum vero alicui
Delphorum tradit educandum. Hic vero in Dei
Templis sacer, ut lateret, instituitur.
Adolescentem vero cum audivit educatum,
Venire huc tibi persuasit, orbitatis gratia.
Et sic Deus non mentitus est; ipse vero mentitus,
Dudum alens hunc puerum, et nexuit nexus
Huiusmodi. Deprehensus quidem, referret in Deum.
Veniens vero, et diuturnitatem temporis propulsare volens,
Imperium sibi vindicare vult terrae.
Novum vero nomen per otium fictum est,
Ion, eunti scilicet quod obviam factus sit.

89) et serva Matre] sic scripsi; Ed. 1562. male: et serva Matre et serva; Editt. 1558. et recentt.: ex serva quadam [Editt. recent.: ex aliqua serva] Muliere (= Eurip. *ἐκ δούλης τινὸς Γυναικὸς*).

90) petere nuptias ab Aeolo patre.] his in marg. Ed. 1562. adscripta est explicatio: ex sua gente ducere.

91) Heu ut — deterior. (vs. 832—856.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
„Hei mihi, versipelles ut homines semper odi,
„Qui componentes iniusta, deinde fraudes
„Adornant. Inertem probum accipere amicum
„Caperem magis, quam malum sapientiorem.
Et horum omnium ultimum, persuadeberis malum,
Carentem matre, nullius numeri ex serva quadam
Muliere in domum tuam dominum recipere.
Simplex enim fuisset malum, si a nobili
Matre, persuadens tibi, dicens tuam orbitatem,
Frequentasset domos. Si vero tibi hoc fuisset acerbum,
Ab Aeolo ipsum oportebat appetere nuptias.
Ex istis oportet te iam muliebre quiddam facere.
Aut enim gladium accipientem, aut dolo quodam
Aut venenis, tum interficere maritum
Et puerum, antequam tibi mors ex illis eveniat.
Si enim negligens fueris, fungêris hac vita.
„Duobus enim hostibus venientibus in unum tectum,
„Aut alterutrum oportet infortunium pati.
Ego certe tibi etiam collaborare volo,
Et simul interficere filium, obiter ingrediens domum,
Ubi convivium parat, et praemia educationis dominis
Reddens, et mori, et vivens lumen adspicere.
„Unum etenim servis ignominiam fert,
„Nomen, in caeteris omnibus liberis
„Nullus peior servus, quicunque bonus fuerit.

Esse ingratos proditores lectorum[92]).
O septem chordarum canens
Vocem citharae, et quae nocturnis
Cornibus inanimatis sonant clare sonantes hymnos Musae,
Tibi, o fili Latonae, reprehensionem
Hoc die dicam.
Venisti mihi auricomus
Lucens, quando in sinus
Crocea folia[92a]) decerpebam,
Ut variarem aureis floribus.
Prehendens vero albis volis
Manuum[92b]), in antri cubilia
Clamantem me, o mater, magno clamore
Deus concubinus
Ducebas impudenter
Veneri gratificans.
Ego infelix pario tibi
Filium, quem metu matris
Ad antrum proiiciens tuum,
Ubi me tuis lectis miseram
Iunxisti miseram.
Heu mihi; nunc periit
Avibus direptus esca
Meus filius et tuus[93]).

Tu interim cithara clangis
Paeanam canens.
Heu te, filium Latonae, alloquor,
Qui oracula sortiris
In aureis sedibus et
Terrae mediis sedibus,
Tibi vocem in aurem sonabo:
O improbe concubitor,
Qui meo quidem marito Xutho
De te non bene merito
Filium tribuis[94]);
Meus vero et tuus filius ignotus
Periit abreptus a volucribus, proprias
Fasciolas matris amittens.
Odit te Delus, et lauri
Rubentes rami auricomi,
Ubi peperit divinos partus
Latona, divinis manibus eos tenens.
Chor. Heu magnus thesaurus[95]) apertus est
Malorum, propter quae quis emittat lachrymas[96]).

---

92) *Chor.* Et ego — lectorum. (vs. 857 — 880.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Et ego, chara domina, calamitatem volo
Participans hanc, aut mori, aut vivere honeste.
Cre. O anima, quomodo tacebo? quomodo vero
Illegitima perferam cubilia?
Pudorem vero quomodo exuam?
Quod enim prohibet impedimentum me amplius?
Ad quod certamen ponimur virtutis?
Nonne maritus nostrûm proditor factus est?
Privor vero domo, privor liberis.
Nullae vero sunt spes, quas statuere
Cupiens recte non potui
Tacens nuptias, silens partus luctuosos.
Verum Iovis non desiderosum templum,
Et quae templum habet supra mea saxa Deam,
Lacusque aquosi Tritoniadis
Sacrum littus, non amplius celabo lectum, quoniam a pectoribus
Abluens melius habebo.
Stillant pupulae lachrymis meae.
Anima vero dolet, insidias passa
Et ab hominibus, et a Diis,
Quos ostendam
Lectorum proditores ingratos.

92a) folia] sic (= Eurip. πέταλα) Editt. 1558. et receutt.; Ed. 1562. fila.

92b) Manuum] sic (= Eurip. χειρῶν) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Manum.

93) O septem — tuus. (vs. 881 — 904.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
O septem phthongorum canens
Citharae vocem, quaeque rustica
Cornua perinanimata resonat Musarum hymnos sonoros:
Te, o Latonae fili,
Ad hunc diem incusabo,
Venisti mihi auro caesarie
Renidens, quando in sinus
Crocea folia texturis metebam,
Ut variarem aureolo.
Albis vero inhaerens volis
Manuum, in antri cubilia
Clamantem, o mater, me clamore
Deus concubinus
Ducebas per impudentiam,
Veneri gratificans.
Pario vero infelix tibi
Filium, quem ex timore matris
Ad cubile proiiciens tuum,
Ubi me lectis miseram miseris
Copulasti miseram.
Hei mihi; et nunc perit
Avibus direptus esca
Filius mihi, et tuus infelix.

94) tribuis] sic Ed. 1562.; Fix. (= text. gr.) in aedes deducis.

95) thesaurus] Ed. 1562. mendo typogr.: theusarus.

96) Tu interim — lachrymas. (vs. 905 — 924.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Tu interim cithara obstrepis,
Paeanas cantans
Ohe; filium Latonae loquor,
Qui oracula sortiris
Ad aureas sedes, et
Terrae medias sedes,
In aurem vocem clamabo.
Io, male marite,
Qui meo quidem sponso,
Nullo prius beneficio affectus,
Filium in domum collocas.
Meus vero filius, et tuus, obscurus,
Ab avibus perit dilaniatus, proprias
Fascias matris permutans.
Odit te ipsa Delus, et lauri
Ramos iuxta rubros crinitum,
Ubi sacram obstetricationem parturivit
Latona Iovialibus te manibus.

Sen. O filia, non possum satiari intuens tuam
Faciem: extra me eram.
Exhauriens enim me nunc fluctum malorum animo,
A puppi obruit alius fluctus a tuis verbis,
Quae dicens a praesentibus malis
Transiisti ad vias aliorum malorum.
Quid ais? qua ratione accusas Phoebum?
Quale puerum ais te peperisse, et quo loco urbis posuisse
Bestiis gratum epulum? redeas igitur huc mihi.
Cre. Quamquam pudet, tamen dicam iterum.
Sen. Quia scio generose una dolere cum amicis.
Cre. Audi igitur: novisti Cecropiae rupis
Septentrionale antrum, quas Macras vocant.
Sen. Scio, ubi est sacellum Panis et ara prope.
Cre. Ibi subii difficile certamen.
Sen. Quod? ut occurrunt lachrymae tuae orationi.
Cre. Cum Phoebo coniunxi invita infaustum connubium.
Sen. O filia, num erant illa, quae ego senseram?
Cre. Nescio; vera si dicis, vera fatebimur[97]).
Sen. Quando gemebas clam arcanum morbum?
Cre. Hoc erat malum, quod nunc tibi aperte dico.
Sen. Deinde quomodo celasti Apollinis nuptias?
Cre. Peperi (audiens ex me, cohibe te).
Sen. Ubi? et quis te in partu adiuvabat, an sola sustinuisti hunc laborem?
Cre. Sola in antro, ubi compressa sum.
Sen. Puer ubi est, ut non sis sine liberis?
Cre. Mortuus est expositus bestiis.
Sen. Mortuus est, an Apollo ingratus nihil profuit?
Cre. Nihil iuvit, sed castigatur in domo pudoris.
Sen. Quis ipsum exposuit? non enim tu quidem.
Cre. Nos nocte obscura involventes peplis.
Sen. Nemo conscius tibi est expositionis filii?
Cre. Ipsa calamitas, et ipsae latebrae tantum.
Sen. Et quomodo in antro puerum relinquere ausa es?
Cre. Quomodo? dicent multa miseranda.
Sen. O te audacem! Deus autem durior est quam tu.
Cre. Si puerum vidisses manus porrigentem mihi.
Sen. An expetentem ubera, aut insidere tuis brachiis?
Cre. Ibi, ubi ille, qui nihil iam erat, iniusta patiebatur[98]).
Sen. Tibi vero quare venit in mentem exponere filium?
Cre. Sperabam Deum servaturum suam sobolem.
Sen. Hei domum tuam, ut felicitas eius agitatur fluctibus!

Chor. „Eheu, magnus thesaurus ut apertus
„Malorum, propter quae quivis fundit lachrymas?

97) *Sen.*] O filia — fatebimur. (vs. 925 — 943.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sen. O filia, non tuum adspiciens expleor
Vultum; extra vero factus sum animum meum;
Malorum enim modo fluctum exhauriens animo,
A puppi tollit me alius tuis a sermonibus,
Quos eiiciens a praesentibus malis,
Transiisti aliorum malorum ad malas vias.
Quid ais? qua oratione Apollinem incusas?
Qualem dicis peperisse filium? ubi posuissse civitatis
Feris gratum epulum? memora mihi denuo.
Cre. Revereor quidem te, o senex; dicam tamen.
Sen. „Quoniam dolorem ferre novi generose cum amicis.
Cre. Audi nunc iam; novisti Cecropiae petrae
Boreale antrum, quas Macras vocamus?
Sen. Novi, ubi Panis antra et arae prope.
Cre. Ibi certamen grave certavimus.
Sen. Quod? quoniam obviam veniunt lachrymae mihi tuis dictis.
Cre. Cum Phoebo contraxi invita nuptias miseras.
Sen. O filia, nimirum erunt haec, quae sensi ego.
Cre. Nescio; vera vero si dicis, fatebimur.

98) *Sen.* Quando — patiebatur. (vs. 944 — 963.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sen. Aegritudine occulta quum laborares clam.
Cre. Hoc erat, quae nunc tibi manifesta indico mala.
Sen. Et deinde celasti quomodo Apollinis nuptias?
Cre. Peperi; sustine haec a me audiens, senex.
Sen. Ubi, quis obstetrix tibi fuit? an sola laborasti haec?
Cre. Sola in antro, ubi copulata eram nuptiis.
Sen. Puer autem ubi est, ut tu non amplius sis sine liberis?
Cre. Mortuus est, o senex, feris expositus.
Sen. Mortuus est? Apollo vero improbus non auxilium tulit?
Cre. Non tulit auxilium; pudoris vero in domo instituit.
Sen. Quisnam ipsum exposuit? non enim tu quidem.
Cre. Nos in obscura nocte involventes peplis.
Sen. Neque quispiam tecum conscius est expositionis filii?
Cre. Ipsa infortunia, et ipsum latêre tantum.
Sen. Et quomodo in antro puerum tuum relinquere passa es?
Cre. Quomodo? miseranda multa ore proferens.
Sen. Eheu,
Infelix tu propter audaciam, Deus autem magis te.
Cre. Si puerum vidisses manus extendentem ad me.
Sen. Ubera appetentem, aut ad ulnas ruere?
Cre. Ibi ut non existens, iniqua passus est a me.

Cre. Cur tegis caput[99]) tuum lachrymans?
Sen. Te et patrem tuum video agitatos tristibus casibus.
Cre. Res mortalium huiusmodi sunt, nihil manet in eodem statu.
Sen. Ne nunc amplius inhaereamus querelae.
Cre. Quid me oportet facere? miser est inops consilii.
Sen. Ipsum primum iniuriantem te ulciscere Deum.
Cre. Et quomodo numen mortalis existens superabo?
Sen. Incende eius sanctum templum.
Cre. Metuo, et nunc quidem satis miseriarum habeo.
Sen. Ausis igitur possibilia, interficias tuum maritum.
Cre. Revereor coniugium, quod habuimus, cum esset bonus.
Sen. Nunc autem filium declaratum adversus te.
Cre. Quomodo? si esset possibile, quam vellem!
Sen. Armans tuos comites.
Cre. Placet mihi; verum ubi fiet hoc?
Sen. In sacris tabernaculis, ubi excipit convivio amicos.
Cre. Caedes haec est nimis in conspectu, et servi sunt imbecilles.
Sen. Hei tu es trepida, age delibera tu aliquid.
Cre. Et vero habeo dolosa et audacia.
Sen. Ero minister utriusque rei[100]).

Cre. Audi igitur: novisti pugnam Gigantum?
Sen. Novi, quam fecerunt in Phlegra Gigantes adversus Deos.
Cre. Ibi terra edidit Gorgonem, terribile monstrum.
Sen. Num suis filiis sociam, certantem cum Diis?
Cre. Etiam, et eam interfecit Pallas.
Sen. Qualemnam formam habentem terribilem?
Cre. Thoracem spiris viperae armatam.
Sen. Num haec est fabula, quam audivi dudum?
Cre. Huius pellem esse in pectore Palladis.
Sen. Quam Aegidem nominant Palladis vestem?
Cre. Hoc adepta est nomen, quando venit in pugnam Deorum[1]).
Sen. Quid inde tuis hostibus damni?
Cre. Erichthonium nosti, aut forsan non curas, o senex.
Sen. Quem primum nostrum progenitorem submisit tellus?
Cre. Huic dat Pallas edito recenter —
Sen. Quid? serium enim quoddam adfers dictum.
Cre. Geminas guttas sanguinis a Gorgone.
Sen. Quam vim habent ad hominis naturam?
Cre. Hanc quidem mortiferam, aliam vero curatricem morborum.
Sen. In quo appendens corpori pueri?
Cre. In aureis ligamentis; hic autem dedit meo patri.
Sen. Illo vero mortuo, ad te pervenit?
Cre. Etiam, et ego illud in manus commissura fero.
Sen. Quomodo igitur temperatur geminata pelle[1a]) Deae?
Cre. Quae stillavit ex cava vena caedis.

---

99) caput] Ed. 1562. mendo typogr.: capit.

100) *Sen.* Tibi — rei. (vs. 964—986.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sen. Tibi vero ad quam opinionem venit exponere filium?
Cre. Tanquam Deum servantem suum ipsius filium.
Sen. „Hei mihi, propter domum tuam; divitiae ut tempestatem patiuntur!
Cre. Quid capite tecto, o senex, fundis lachrymas?
Sen. Te et patrem tuum esse miseros adspiciens.
Cre. Res mortalium huiusmodi, neque in eodem manent.
Sen. Ne nunc amplius miserationem, filia, consectemur.
Cre. Quid enim mihi faciendum est? Inops consilii infelicitas.
Sen. Ipsum primum iniurantem te ulciscere Deum.
Cre. „Et quomodo potentiora, mortalis existens, superavero?
Sen. Succende sancta Apollinis templa.
Cre. Metuo, et nunc satis malorum habeo.
Sen. Possibilia nunc aude maritum tuum interficiendo.
Cre. Veneramur coniugium, quod habuimus, cum esset bonus.
Sen. Nunc vero puerum tuum tibi declaratum.
Cre. Quomodo? si possibile esset, quam vellem!
Sen. Ensiferos tuos armans ministros.
Cre. Ivero utique; verum ubi fiet hoc?
Sen. Sacris in tabernaculis, ubi convivio excipit amicos.
Cre. Famosa haec caedes: et ipsum servile imbecille.
Sen. Eheu; improbas? Age tu nunc consule quiddam.
Cre. Atqui habeo dolosa et audacia.
Sen. Amborum fuero horum minister ego.

1) *Cre.* Audi — Deorum. (vs. 987 — 997.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Audi igitur; novisti terrigenam pugnam?
Sen. Novi, quam in Phlegra Gigantes exhibuerunt Diis.
Cre. Ibi Gorgonem genuit terra, dirum monstrum.
Sen. Num filiis ipsius socium, Deorum laborem?
Cre. Certe. Et ipsum interfecit Iovis filia, Pallas Dea.
Sen. Qualemnam formae habitum habentem agrestis?
Cre. Thoracem ipsius viperae spiris armatam.
Sen. Num haec est fabula, quam audio dudum?
Cre. Huius Palladis pellem in pectoribus esse.
Sen. Quam Aegidem nominant, Palladis vestem?
Cre. Hoc adepta est nomen, Deorum cum venit in bellum.

1a) geminata pelle] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. gemina pellis (= Ed. Basil. 1551. *δίπτυχον δέρος*); Editt. recent. *δίπτυχον δῶρον* — geminum donum [Fix.: duplex munus].

Sen. In quem usum hac utimini? quam vim habet?
Cre. Arcet morbos, et nutrit vitam.
Sen. Altera vero gutta quid facit?
Cre. Interficit, venenum excetrae Gorgonis.
Sen. In una commixtione eundem cruorem fers?
Cre. Seorsim; malo enim bonum non miscetur.
Sen. O charissima, omnia habes, quae convenit[2]).
Cre. Hoc moriatur puer, tu vero interfector eris.
Sen. Ubi, et quid faciens? tuum est imperare, meum vero obsequi.
Cre. Athenis domum cum venerit meam.
Sen. Non recte hoc dixisti; nam et tu me potes reprehendere.
Cre. Ubi ergo? suspicans hic, quod etiam mihi in mentem venit.
Sen. Tu filium videberis interfecisse, etiamsi non feceris.
Cre. Recte; dicunt enim novercas inimicas esse privignis.
Sen. Hîc ipsum interfice, ut negare possis caedem.
Cre. Anticipo certe tempore voluptatem.
Sen. Et fallas maritum iis, quibus te conatur capere[3]).

Cre. Scis igitur, quid facias? ex mea manu accipe
Aureum opus Palladis, vetus vasculum.
Proficiscaris, ubi clam sacrificat maritus,
Cumque coenae finem fecerit, et libamina Diis
Volunt libare, habens hoc in veste,
Dimitte in poculum adolescentis,
Privatim illi, non omnibus, separans potum
Huic, qui futurus est dominus meae domus.
Et cum pervenerit ad fauces, nunquam veniet
Ad inclytas Athenas, sed moriens hic manebit.
Sen. Tu mitte pedem intra domum hospitum;
Nos autem id faciemus, ad quod ordinati sumus.
Age, o senilis pes, iuvenis fias
Factis, etiamsi tempore non possis.
Hostilem ad virum perge cum dominis,
Et simul interfice, et eum tolle ex aedibus.
„In rebus secundis est honestum pietatem
„Colere; quando vero hostibus nocere
„Aliquis vult, nulla lex obstat[4]).

[*Strophe* 1.]

Chor. O Trivia filia Cereris, quae
Nocturnis itineribus dominaris
Et diurnis, ducito
Letalis poculi

---

2) *Sen.* Quid — convenit. (vs. 998—1018.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sen. Quid inde, filia, hoc tuis hostibus damnum?
Cre. Erichthonium novisti? aut forsan non curas, senex.
Sen. Quem primum nostrum progenitorem submisit tellus?
Cre. Huic dat Pallas edito recenter.
Sen. Quid rei? serium enim quoddam adfers dictum.
Cre. Geminas guttas sanguinis a Gorgone.
Sen. Vim habeant quam ad hominis naturam?
Cre. Hanc quidem mortiferam, aliam salubrem morbis.
Sen. In quo, appendens circa puero corpus?
Cre. Aureis vinculis; hic vero tradidit meo patri.
Sen. Illo vero mortuo, ad te pervenit?
Cre. Certe; et ego in coniunctura id manus fero.
Sen. Quomodo igitur temperantur gemina pellis Deae?
Cre. A cava quae quidem vena stillant caedis.
Sen. Quid hac utimini? quam habet vim?
Cre. Morbos prohibet, et alimoniam habet vitae.
Sen. Alius vero numerus, quem dicis, quid facit?
Cre. Interficit, draconum venenum existens Gorgonum.
Sen. In una commixtione eundem cruorem fers?
Cre. Separatim. „Malo enim bonum non permiscetur.
Sen. O charissima filia, omnia habes, quae te convenit.

3) *Cre.* Hoc — capere. (vs. 1019—1028.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Hoc morietur puer; tu vero interfector eris.
Sen. Ubi, et quid faciens? tuum vero dicere, audere vero meum.
Cre. Athenis, domum cum venerit meam.
Sen. Non recte hoc dixisti, et tu meum vituperas.
Cre. Ubi ergo? suspicaris hoc, quod etiam mihi in mentem venit.
Sen. Tu filium videberis perdidisse, etsi non interficies.
Cre. Recte. „Invidere enim novercas aiunt liberis.
Sen. Hoc in loco nunc ipsum interfice, ubi inficiaberis caedem.
Cre. Anticipo certe tempore voluptatem.
Sen. Praeterea latebis maritum, quae in te molitur, quo minus capias.

4) *Cre.* Scis — obstet. (vs. 1029—1047.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Scin' igitur, quid facias? manu mea capiens
Amuletum aureum Palladis, hoc antiquum vasculum,
Profectus, ubi nobis sacra facit clam maritus,
Coenae cum finem fecerint, et libamina Diis
Volunt libare, in vestibus habens hoc,
Demitte, iniiciens in potionem huic adolescenti.
Privatim vero, non omnibus, separans potum
Huic, qui meis domibus imperaturus est.
Et si quidem penetraverit guttur, nunquam veniet
Ad inclytas Athenas; mortuus vero, hic manebit.
Sen. Tu quidem in hospitia transfer pedem.
Nos vero, ad quod instituti sumus, faciemus.
Age, o senilis pes, iuvenis fias
Operibus, etsi non per aetatem adest tibi.
Hostilem ad virum perge cum dominis,
Et simul interfice et simul eiice e domo;
„Ipsam vero pietatem bene habentibus quidem honestum
„Colere; cum vero hostibus male facere
„Velit quispiam, nulla impedimento sita est lex.

Impletionem, quibus mittit
Mea domina
Terrestris Gorgonis
Guttam sectam ex faucibus,
Erechthidarum
Invadenti familiam.
Nunquam alius ex aliena familia
Imperet urbi,
Praeter nobiles Erechthidas.

[*Antistrophe* 1.]

Si vero mors iam non potest perfici, et si conatus dominae,
Et ipsa opportunitas destituit audaciam,
Et spes nunc aufertur; aut
Acutus gladius, aut fatum sit
Iniicere laqueum circa collum,
Dolores ex doloribus
Veniunt, in alias
Vitae formas vadunt.
Non enim domibus
Praeesse externos dominos
Vivens unquam[4a]) in conspectu
Tolerare queat oculorum,
Quae ex nobili familia nata est[5]).

[*Strophe* 2.]

Puderet coram laudata hymnis
Dea, quae circa fontes, ubi congregantur chori,

4a) unquam] sic (= Eurip. *ποτ'*) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. nunquam.

5) *Chor.* O Trivia — nata est. (vs. 1048—1073.)] Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. O Hecate, filia Cereris, quae
Nocturnis itineribus imperas,
Et diurnis, ducito
Letalium craterarum
Impletiones, quibus mittit
Veneranda domina mea
Terrestre Gorgonis
Abscissis de guttis,
Erechthidarum
Domibus successuro.
Nunquam alius ab alia domo
Civitatis imperium teneat,
Praeterquam a generosis Erechthidis.
Si vero imperfecta mors, et conatus dominae,
Et ipsa opportunitas destituit audaciam,
Quae nunc fertur spes, aut
Acutus gladius, aut Deus adnectat
Laqueum circa collum,
Doloribus dolores
Perficiens, in alias
Vitae formas migrabit.
Non enim domibus
Praeesse peregrinos,
Viva unquam oculorum clara
Sustineat luce,
Quae ex nobili familia nata est.

Facem spectacularem festi vigesimi diei
Viderat nocturna ipsa vigilans,
Quando Iovis stellatum
Chorum ducit aether,
Et choros agitat Luna,
Et quinquaginta filiae
Nerei, quae in Ponto
Perenne fluentium fluviorum
In gurgitibus fluminum celebrantes chorum,
Aureas coronas habentem Proserpinam
Et matrem sanctam,
Ubi sperat se regnaturum,
Et aliorum opes occupaturum
Phoebeius adolescens.

[*Antistrophe* 2.]

Videte, qui infaustis
Musici
Canitis hymnis
Nostros thalamos, et
Veneris iniustos concubitus:
Quantum nos antecellimus pietate
Iniustam seminationem virorum.
Carmen contradicens
Et musicus vir sciat
Infaustos circa thalamos.
Ostendit natus ex Iovis
Filiis ingratitudinem,
Non communem liberorum fortunam
Domi seminans
Cum domina; ad Venerem vero
Aliam hoc ponens beneficium,
Spurium puerum adeptus est[6]).

---

6) Puderet — adeptus est. (vs. 1074—1105.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Revereor multis hymnis laudatam
Deam, quanto circa frequentatos choris fontes
Facem sacram vigesimi cuiusque dei [*pro*: diei] mensis
Visura est nocturna, insomnis existens,
Quando Iovis stellatus
Tripudiavit aether.
Tripudiavit vero luna,
Et quinquaginta filiae
Nerei, quae in Ponto
Perenne fluentium fluviorum
Per gurgites tripudiantes,
Aureas coronas habentem Proserpinam,
Et matrem sanctam,
Ubi sperat regnaturum,
Aliorumque in laborem venturum
Phoebeius erro.
Videte quotquot famosis
Carmina scribentes
Canitis carminibus,
Nostros lectos nuptias

[*Famulus, Chorus, Creusa, Ion.*]

Fam. Inclytae mulieres, ubi filiam Erechthei
Dominam invenero? passim enim in urbe
Quaerens eam circuivi, nec possum eam invenire.
Chor. Quid hoc rei est, quae alacritas
Pedum hebet te, et quos sermones adfers?
Fam. Investigamur, et magistratus indigena
Quaerit eam, ut moriatur lapidata.
Chor. Hei, quid dicis? anne deprehensae sumus
Molientes clandestinam caedem puero?
Fam. Deprehensi sumus omnes, et sumus in extremis malis.
Chor. Quomodo anteverterunt arcana consilia?
Fam. „Iniustum inferius iustitia,
„Invenit Deus, nolens pollui.
Chor. Quomodo? supplicans rogo te dicere ista.
Cum enim audiverimus, an oportet[7]) nos mori,
An vero videre lumen, facilius moriamur[8]).
Fam. Postquam abiit relicta aede Dei
Maritus Creusae, filium novum secum ducens
Ad convivium, et sacrificia, quae parabat Diis
Xuthus, abiit illic, ubi ignis emicat Dei
Bacchicus, ut victimis[9]) Bacchi saxa
Rigaret gemina pro agnitione filii.
Cum dixisset: Tu, o fili, aequaliter librata
Tabernacula statue fabrorum operis.
Postquam sacrificavero genitoribus Diis, si diutius
Abfuero, epulae sint praesentibus amicis.
Acceptis vero vitulis abiit; adolescens autem
Modeste ambitus tabernaculorum carentes parietibus
Erectis columnis erigebat, solis flammae
Diligenter cavens, neque ad meridiem
Radios, neque rursus ad occidentem,
Pertica metiens ad rectangulos
Habens mensuram in medio decies mille
Pedum numerum, ut dicunt artifices,
Tanquam universum Delphorum populum convivio excepturus[10]).
Accipiens vero aulaea sacra ex thesauris
Obumbrabat mira hominibus visu.
Primum alam iniicit fastigio aulaei,
Quod fuit donarium Herculis, quod
Attulit Apollini spolium Amazonum.
Erant ibi huiusmodi texturae intertextae:
Coelum congregans stellas in circulo suo,
Equos quidem agebat ad ultimam flammam
Sol, trahens secum clarum luciferi lumen.
Atra vero nox non catenatum ignis
Vehiculum vibrabat; stellae comitabantur Deam.
Pleias quidem ibat medium per aethera,
Atque ensifer Orion; desuper vero
Ursa circumvolvens se cum cauda in aureo polo
Et circulus integer Lunae surgebat
Mensis divisor, et Hyades nautis

Veneris illicitas, impias,
Quantum pietate praestamus,
Iniustam segetem virorum
Recantans musa,
Et perita viros sciat
Famosos in servandis lectis.
Ostendit enim Iovis filius
Ex liberis oblivionem,
Non communem liberorum fortunam
Domi plantans
Dominae; ad Venerem vero
Aliam ponens gratiam,
Spurium puerum adeptus est.

7) an oportet] sic Ed. 1562.; Barn.: utrum oporteat; Musgr., Fix.: sive oporteat.

8) *Fam.* Inclytae — moriamur. (vs. 1106 — 1121.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Fam. Inclytae mulieres, ubi filiam Erechthei
Dominam invenero? passim enim in urbe
Quaerens ipsam, explevi, neque possum invenire.
Chor. Quid vero est, o conservae, quae alacritas
Pedum habet, et sermones quos adfers?
Fam. Capti sumus; magistratus indigenae terrae
Quaerunt ipsam, ut moriatur dilapidata.
Chor. Eheu, quid dicis? anne capti sumus,
Clandestinam contra puerum conantes caedem?
Fam. „Iniquitatem ab iniquitate quae vincitur,
„Invenit ipse Deus, non pollui volens.
Chor. Quomodo? quaeso te supplex, dicere haec.
Cum audiverimus enim, an mori nos necesse sit,
Libentius moriemur, quam vivamus.

9) victimis] sic Ed. 1558.; Editt. recent.: [caesarum] victimarum sanguine (Eurip. σφαγαῖσι); Ed. 1562. corrupte: victum.

10) *Fam.* Postquam — excepturus. (vs. 1122 — 1140.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Fam. Postquam Dei aede abiit relicta
Maritus Creusae, puerum novum accipiens
Ad coenam, et sacrificia, quae Diis praeparabat,
Xuthus abiit, ubi ignis emicat Dei
Bacchius, ut victimis Bacchi vertices
Rigaret geminos, filii pro dotibus,
Dicens: Tu quidem nunc, fili, erige
Tabernacula alta fabrorum laboribus;
Sacrificans vero genitoribus Diis, diutius
Mansero, praesentibus convivia sint amicis.
Acceptis vero vitulis abiit. Hic vero adolescens
Religiose carentes parietibus circuitus tabernaculorum
Erectis trabibus erigebat, solis flammae
Recte vitans, neque ad meridiem
Radios, neque rursus ad occidentem,
Iugeri dimetiens ad longitudinem rectos angulos habentem
Mensurationem, habentem in medio multorum
Pedum numerum, ut dicunt sapientes,
Utpote omnem Delphorum populum invitans.

Signum notissimum, et lucifera
Aurora pellens astra, in parietibus vero
Iniecit alia aulaea barbarica,
Instructas naves remis contrarias Graecis,
Et semiferos viros, et equestres venationes
Cervorum, et leonum agrestium capturas[11]).
Ad ianuam vero Cecropem una cum filiabus
Involutum nodis, id quod cuiusdam Atheniensis
Donarium erat, aurea in convivio
Pocula collocavit. Stans in summis pedibus
Praeco proclamat: Quicunque velit indigena
Ad convivium ut veniat. Postquam impletum est tabernaculum,
Coronis ornati, laeto cibo
Animum explerunt; ut vero voluptatem remiserunt,
Progressus senex quidam in medium pavimentum
Constitit; risum vero fecit convivis magnum
Officiosus existens. Namque ex hydriis aquam
Manibus fundebat lavacra, et adolebat
Myrrhae succum, et aureis poculis
Praeerat ipse, sibi ipsi iniungens hunc laborem.
Postquam vero ad tibias venit, et ad poculum
Novum, senex dicit, oportere auferre
Parva pocula, et magna adferre,
Ut citius veniant ad voluptatem animorum[12]).
Erat tum labor adferentium argentea
Atque aurea vasa. Ipse vero capiens eximium,
Tanquam novo iam hero gratificaturus,
Dedit plenum vas, iaciens in vinum
Efficax venenum, quod dicunt dedisse
Dominam, ut interficeretur novus filius,
Et nemo hoc norat; in manibus vero habenti
Libationem tunc filio declarato,
Dixit aliquis ex domesticis aliquid mali ominis.
Ille vero tanquam nutritus in templo et cum vatibus,
Animadvertit omen, et iussit alium novum
Craterem implere; priorem vero libationem Dei
Effundit in terram, omnibusque effundere edicit.
Silentium successit, implemus rore
Crateras sacros et vino Biblino[13]).
Et in hoc labore irruit in domum volucre
Agmen columbarum (Apollinis enim in templo
Tuto habitant). Postquam eae gustaverunt vinum,
Et in ipsum rostra egentes potu
Demiserunt, et traxerunt pennata in guttura:
Caeteris erat innoxius potus,

---

11) Accipiens — capturas. (vs. 1141—1162.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Capiens vero texturas sacras a thesauris,
Obumbrabat, mira hominibus visu.
Primum quidem culmini alam circumponit peplorum,
Donarium Iovialis pueri, quos Hercules
Amazonum spolia tulit Deo.
Inerant vero textae picturis huiusmodi texturae.
Coelum amplectens astra in aethere rotundo,
Equos quidem agebat ad ultimam flammam
Sol, attrahens clarum hesperi lumen.
Nigra vero nox non colligatum iugis
Currum movebat, astra vero sequebantur Deam.
Pleias quidem ibat medium per aethera,
Atque ensifer Orion, desuper vero
Ursa vertens caudata ad aureum polum.
Orbis vero plenae lunae tendebat sursum
Mensis divisor, et Hyades nautis
Certissimum signum, et ipse Lucifer
Matutinus consectans astra; ad parietes vero
Induit alias barbarorum texturas.
Remis bene instructas naves adversas Graecanicis,
Et semiferos viros, equestresque venationes
Cervorum, et leonum agrestium capturas.

12) Ad ianuam — animorum. (vs. 1163 — 1180.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Secundum introitus vero, Cecropem filias prope
Nodis constrictum, Atheniensis alicuius
Donarium, aureosque in medio loci convivii
Crateres statuit; summis incedens pedibus
Praeco indixit, quicunque velit indigena
Ad epulum venire. Ut vero completum tectum est,
Coronis ornati, festivo cibo
Animam impleverunt. Cum remiserunt voluptatem,
Progressus senex in medium pavimentum
Constitit; risum vero exhibuit convivis ingentem,
Officiosus existens. Namque ex hydriis aquam
Manibus fundebat lavacra, et adolebat
Myrrhae succum, et aureis poculis
Praeerat ipse, sibi ipsi hunc iniungens laborem.
Cum vero ad tibias venissent, ad crateremque
Novum, senex dixit, auferre oportere
Vinaria vasa parva, magna vero adferre,
Ut citius venirent isti ad voluptates animorum.

13) Erat tum — Biblino. (vs. 1181—1195.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Erat tum afferentium labor argenteas
Et aureas phialas. Ipse vero capiens insignem,
Tanquam novo iam domino gratificaturus,
Tradidit plenum vasculum in vinum iaciens,
Quod tradunt dedisse venenum efficax
Dominam, ut filius novus relinqueret lucem.
Et nemo haec sciebat; in manibus habenti vero
Libamina cum aliis filio declarato,
Maledictum aliquis ex domesticis dixit.
Is vero tanquam in templo et cum bonis vatibus educatus,
Omen animadvertit, et iussit alium novum
Craterem implere, priores vero libationes Dei
Dat terrae, omnibusque effundere edicit.
Silentium vero successit; explemus rore
Crateres sacros, et Biblina potione.

Quae vero consederat, ubi novus filius effuderat,
Et gustavit potum, statim alatum corpus
Concussit, et bacchari coepit[14]), et clanxit voce,
Eiulans, quod non intelligeretur[15]); obstupuit totus
Convivarum coetus columbae labores.
Illa moriens palpitans rubros
Pedes demisit. Nuda tum ex vestibus membra
Supra mensam demittens, vaticinio declaratus filius
Clamat: Quis hominum voluit me occidere?
Indica, o senex; tuum enim fuit ministerium,
Et poculum a tua accepi manu.
Statim vero inquirit senile brachium prehendens,
Ut in ipso facto senem praesentem caperet.
Deprehensus et coactus vix dixit
Facinus Creusae, et machinationes poculi.
Currit vero statim foras ducens convivas
Apollinis vaticinio renuntiatus filius,
Et stans inter proceres Pythicos dixit:
O sancta terra, ab hac Erechthide
Hospita muliere interficimur veneno.
Delphorum vero principes decreverunt proiectam de rupe
Mori meam dominam non uno suffragio:
Tanquam conatam interficere sacerdotem, et in templo
Caedem committentem; tota vero quaerit civitas
Illam, quae huc maturavit miserum iter.
Veniens desiderio liberorum ad Phoebum,
Corpus suum una cum liberis perdidit[16]).

Chor. Non est, non est mortis
Effugium mihi miserae.
Manifesta sunt, manifesta sunt[17]) haec iam
Per libationes celeres vini
Mixtas guttis echidnae propter caedem.
Manifesta sunt sacrificia mortuorum:
Calamitates meae vitae,
Et lapidationis pernicies[18])
Meae dominae.
Alatam fugam, aut
Sub tenebricosos secessus terrae
Ibo, mortis lapidationem
Fugiens? quadrigarum
Celerrimos pedes conscendens, aut
In puppes navium?
Non potest fieri, nisi volens
Deus clam nos eripit.
Quidnam, o misera domina,
Animo passura es? „volentes
„Nocere aliis, ipsae
„Patimur[19]), ut iustum est[20]).

---

14) coepit] sic Editt. recent.; Ed. 1562. cepit.

15) intelligeretur.] Ed. 1562. corrupte: netelligeretur.

16) Et in hoc — perdidit. (vs. 1196 — 1228.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Et in hoc labore volatilis irruit in tentoria
Turma columbarum. Apollinis in templis
Impune enim habitant. Ubi vero effuderant vinum,
Et in ipsum rostra potione egentes
Demiserunt, traxerunt vero pennata in guttura:
Et caeteris quidem innocua erat libatio Dei;
Quae vero consederat, ubi novus effuderat filius,
Cum potum gustasset, statim pennatum corpus
Concussit, et bacchata est, et edidit vocem
Confusam stridens. Obstupuit vero totus
Convivarum coetus columbae labores.
Sed moriens, palpitans, rubras
Chelas demittens, nuda ex vestibus membra
Supra mensam misit fatidicus filius.
Clamat vero: Quis me voluit hominum occidere?
Indica, o senex; tuum enim est studium,
Et potionem a tua manu accepi.
Statim vero inquirit senilem ulnam prehendens,
In ipso veneficio senem ut praesentem caperet.
Deprehensus vero et dixit tortus vix
Facinora Creusae, et potionis fraudes.
Procurrit vero statim foras prehendens convivas
Ille fatidicus Apollinis adolescens,
Et inter principes Pythicos constitutus dicit:
O terra veneranda, Erechthei filia a
Peregrina muliere venenis morimur.
Delphorum vero principes decreverunt, delapidatam
Mori meam dominam, non suffragio uno:
Sacrum utpote interficientem, et in templis
Caedem committentem. Tota vero quaerit civitas
Eam, quae misere confecit miseram viam.
Liberorum enim veniens propter amorem ad Phoebum,
Corpus communiter cum liberis perdidit.

17) Manifesta sunt, manifesta sunt] sic Barn., Musgr.; Ed. 1562. Manifesta sunt sunt; Editt. 1558., Fix.: Manifesta, manifesta.

18) pernicies] sic Editt. 1558., Barn.; Ed. 1562. male: perniciem.

19) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: Malum consilium consultori pessimum.

20) *Chor.* Non est — iustum est. (vs. 1229 — 1249.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Non est, non est mortis
Effugium miserae mihi.
Manifesta, manifesta haec iam
Per libamina ex Bacchi botris fortia
Echidnae guttis mixta caedi.
Manifesta sacrificia inferorum.
Calamitates quidem meae vitae,
Pernicies vero lapidabiles
Dominae, qua

Cre. Ministrae investigamur ad necem.
Capta suffragiis Pythiis, condemnata sum.
Chor. Scimus, o misera, tuas calamitates, ut sis misera.
Cre. Quo fugiam igitur? vix enim abstuli pedem extra,
Ne morerer, vix effugi elapsa ex manibus hostium.
Chor. Quonam alio, nisi ad aram?
Cre. Quid mihi proderit hoc?
Chor. Non est fas occidere supplicem. *Cre.* At lege pereo.
Chor. Manibus quidem capta. *Cre.* Atque illi saevi ministri
Huc festinant strictis ensibus. *Chor.* Sede ad aram.
Etiamsi enim moriaris, tamen interfectoribus tuis
Excitabis tua caede diras; ferenda est fortuna[21]).
Ion. O taurina praedite facie Cephise pater,
Qualem viperam hanc genuisti? aut ignis
Draconem emittentem letalem flammam?
Cui omnis audacia inest, neque minor est
Gorgoneis guttis, quibus me voluit interficere.
Prehendite, ut eius pulchros cincinnos
Comae radant saxa Parnassi,
Unde saltu de saxo deiicietur.
Bona autem hoc fortuna evenit mihi, priusquam ad civitatem
Athenarum venirem, et sub noverca essem.
Inter socios expertus sum mentem
Tuam, quantum tu malum et inimica mihi sis.
Complexa enim me intra tuam domum,
Mox demisisses in Plutonis domum.
Sed neque ara neque Apollinis templum
Servabit te. Tua vero miseratio est; sed maior est mei,
Et meae matris; etiamsi mihi corpus
Eius abest, tamen nomen nunquam abest.
Videte hanc veneficam: artem ex arte
Quomodo nectit[22]); non horruit aram Dei,
Tanquam non datura poenam factorum[23]).
Cre. Interdico tibi, ne me interficias:
Mea causa hoc dico et Dei, in cuius ara stamus.
Ion. Quid tibi et Phoebo commune est?
Cre. Do Deo corpus hoc purum.
Ion. Postquam vero interfecisti famulum Dei?
Cre. Verum non amplius eras Apollinis, sed patris tui.
Ion. Sed fuimus, etiamsi mea substantia est ex patre.
Cre. Tunc eras; nunc vero ego et tu non amplius.
Ion. Non es pie sacra; ego autem fui rite sacer.
Cre. Interfeci hostem meae familiae.
Ion. Num armatus veni in tuam domum?
Cre. Maxime; incendisti enim iam domum Erechthei.

Fuga alatam, aut
Terrae sub tenebricosos secessus
Ibo, mortis lapidabilem
Noxam effugiens, quadrigarum
Velocissimam chelam conscendens, aut
In puppes navium.
„Non licet adipisci, quando nolens
„Deus subducit.
„Quidnam, o misera domina,
„Animo passura es? num volentes
„Facere aliquid mali proximis, ipsae
„Patimur, tanquam aequum est.

21) *Cre.* Ministrae — fortuna. (vs. 1250 — 1260.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Famulae, persequimur ad letalem mortem,
Pythio calculo victa, condemnata vero sum.
Chor. Scimus, o misera, tuas calamitates, ubi felix sis.
Cre. Quo fugiam igitur? ex telis enim eripui vix pedem,
Ne moriar; furtim vero adveni, effugiens hostes.
Chor. Quonam alio, nisi ad aram?
Cre. Et quid mihi prodesset hoc?
Chor. Supplicem fas non est occidere. *Cre.* Lege lata pereo.
Chor. Dediticia quidem deprehensa. *Cre.* Atqui hi certatores acerbi
Huc festinant ensiferi. *Chor.* Sede nunc ad focum.
Et si moriaris hic existens, interfectoribus tuis
Contaminatam facies caedem; „ferenda vero fortuna.

22) nectit] sic Ed. 1562.; Editt. recent.: nexuerit.

23) *Ion.* O taurina — factorum. (vs. 1261 — 1281.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. O taurinam formam habens vultus Cephisi patris.
Qualem echidnam istam produxisti? aut ignis
Draconem respicientem letalem flammam?
Cui audacia omnis inest; neque deterior existit
Gorgonis guttis, quibus voluit me interficere.
Apprehendite, ut eius integros cincinnos
Comae deradant Parnassi rudera,
Unde petricoso iactu iaculabitur.
Bonam vero habui fortunam, antequam ad civitatem
Venirem Athenarum, et sub novercam venirem.
Inter socios enim cogitare possum animum
Tuum, quantum mihi damni et hostis esses.
Intra domos enim complexa me,
Mox certe dimisisses in Plutonis domum.
Verum neque ara, neque Apollinis templum
Servabit te; miseratio tui, haec mihi potior debetur.
Et meae matri; etenim si corpus mihi
Abest eius, nomen vero non abest unquam.
Videte scelestam, ex fraude fraudem
Qualem texit, non aram extimuit Dei,
Tanquam non supplicium datura commissorum.

Ion. Quibus facibus, aut qua flamma ignis?
Cre. Eras possessurus mea, me invita occupans.
Ion. Patre concedente terram, quam bellando acquisivit.
Cre. Quae societas Aeoli posteris cum urbe Palladis?
Ion. Armis eam liberavit, non verbis.
Cre. Fuit auxiliator, non tamen possessor [24]).
Ion. Ergo occidisti me metu futuri?
Cre. Ne morerer, si tu non morereris.
Ion. Invides, quod pater invenit me, cum tu careas liberis?
Cre. Tu ergo eorum, qui carent liberis, diripies haereditatem?
Ion. Nobis nonne erat pars paternae haereditatis?
Cre. Quantum est clypeus et hasta, haec est tua possessio.
Ion. Relinque aram, et numine plenas sedes.
Cre. Erudias tuam matrem, ubicunque est.
Ion. Num tu non dabis poenam me interficiens?
Cre. Si quidem intra adyta voles me interficere.
Ion. Quae voluptas tibi est ad aram mori?
Cre. Afficiam dolore, a quo dolore affecta sum.
Ion. Proh! „Odiosa res est, quod hominibus non recte leges
„Posuit Deus neque sapienter.
„Iniustos enim ad aram non sedere conveniebat,
„Sed depelli inde; neque enim honestum est attrectari
„Deos manu iniusta, sed iustos
„Ad aram sedere oportebat, si quis illorum esset iniuria affectus,
„Et non aequalia habere euntem ad unum locum
„Bonum et malum a Diis [25]).

[*Pythia, Ion, Creusa, Minerva, Chorus.*]

Pythia. Contine te, o fili; sedem enim oraculi
Ego relinquens, transeo istum limitem
Phoebi sacerdos, antiquam observationem tripodis
Servans electa ex omnibus Delphinis [26]) ad hoc.
Ion. Salve, o chara mater, quamvis non pepereris.
Pyth. Sed tamen dicor, et est mihi grata appellatio.
Ion. Audivisti, ut haec me interfecit dolis?
Pyth. Audivi, et tu crudelitate peccas.
Ion. Nonne decet interfectores vicissim perdere?
Pyth. „Semper sunt infestae uxores privignis.
Ion. „Et nos sumus infesti novercis, quae nobis male fecerunt.
Pyth. Non haec relinquens sacra et abiens in patriam.
Ion. Quid me facere convenit abs te admonitum?
Pyth. Vade purus Athenas bono omine.
Ion. Purus est, quisquis occidit hostes.

---

24) *Cre.* Interdico — possessor. (vs. 1282—1299.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Interdico, te non interficere me.
Et pro me ipsa, et Deo, ubi stamus.
Ion. Quid est Phoebo tibique commune invicem?
Cre. Sacrum hoc corpus Deo do habere.
Ion. Et deinde interfecisti venenis eum, qui fuit Dei.
Cre. Verum non amplius eras Apollinis, patris vero tui.
Ion. At eramus, patris vero facultatem vindico.
Cre. Non tum eras, nunc vero ego, tu vero non amplius es.
Ion. Non sacrata es, res vero meae sacratae erant tum.
Cre. Interfeci vero existentem hostem domibus meis.
Ion. Num cum armis veni ad tuam terram?
Cre. Maxime, et succendebas Erechthei domos.
Ion. Quibus torribus, aut qua ignis flamma?
Cre. Voluisti incolere meas res, me invita, accipiens.
Ion. Patre quidem terram concedente, quam possidebat.
Cre. Filiis Aeoli quomodo intererat terra Palladis?
Ion. Armis eam, non verbis liberavit.
Cre. Auxiliator incola quidem non sit terrae.

25) *Ion.* Ergo — a Diis. (vs. 1300—1318.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. Et deinde rei futurae me interfecisti metu?
Cre. Ne morerer, si tu non cunctans potieris.
Ion. Invides, carens liberis, quod pater invenit me?
Cre. Tu ergo eorum, qui carent liberis, diripies domos?
Ion. Nobis atqui paternae possessionis non sit portio?
Cre. Quaecunque clypeus, et hasta, haec tibi universa possessio.
Ion. Desere aram, et numine plenas sedes.
Cre. Tuam ubi tibi matrem sit admoneto.
Ion. Tu non sustinebis mulctam, interficiens me?
Cre. Si me intra haec adyta trucidare velis.
Ion. Quae voluptas tibi, Dei mori inter coronas?
Cre. Laedemus aliquem, a quibus tristitia affecti [*pro*: affectae] sumus.
Ion. Eheu.
„Miserum quidem, mortalibus leges non recte
„Statuit Deus, neque sapienter.
„Iniustos enim ad aram non sedere conveniebat,
„Sed propellere; neque enim attrectare convenit
„Deorum res iniustam manum, sed iustos
„Ad sacra sedere, quicunque laederetur, aequum;
„Et neque ad unum eundem locum euntem habere aequale
„Bonum existentem, et improbum, a Diis.

26) Delphinis] sic Ed. 1562.; Editt. recent.: Delphicis mulieribus (Eurip. *Δελφίδων*).

Pyth. Ne tu; excipe a nobis, quos habeo sermones.
Ion. Dicas; benevola enim existens dices, quaecunque dices [27]).
Pyth. Vides hoc vas sub meo cubito?
Ion. Video arculam antiquam involutam coronis.
Pyth. In hac te accepi infantem olim.
Ion. Quid ais? nova fabula est haec.
Pyth. Clam enim habui haec; nunc vero ostendimus.
Ion. Quomodo occultasti, cum acceperis nos dudum?
Pyth. Deus te voluit in templo habere ministrum.
Ion. An nunc non vult? unde hoc possum scire?
Pyth. Indicans patrem dimittit te ex hac terra.
Ion. Tu vero an iussu alicuius, aut unde servas haec?
Pyth. In animum mihi hoc posuit Apollo.
Ion. Quam rem ut ageres? dic, perfice tuos sermones.
Pyth. Ut servarem hoc inventum ad praesens usque tempus.
Ion. Quid hoc mihi prodest aut nocet?
Pyth. Hic occultata sunt fasciis quaedam; nosti tu?
Ion. Matris has nobis affers inquisitiones [28]).
Pyth. Quando Deus vult; antea non protuli.
Ion. O dies, quae faustas res mihi monstrat [29]).
Pyth. Accipe nunc haec, et quaere matrem
Circumiens fines Asiae et Europae,
Agnosces haec signa ipse; propter Deum vero te
Alui, o fili, et tibi haec reddo,
Quae ille voluit [30]) me accipere non iussam
Et servare; non scio autem, quare voluerit.
Nemo hominum vero haec norat
Me habere, neque ubi essent seposita [31]).
Sed vale; perinde enim ac mater diligo te.
Incipias vero, unde oportet quaerere tuam matrem.
Primum quidem, si quae Delphica pariens te,
In hoc templum exposuerit puella;
Deinde, an aliqua Graeca; ex nobis vero habes
Omnia et Phoebo, qui est socius tuae fortunae [32]).
Ion. Heu ab oculis ut humidas emitto lachrymas,

27) *Pyth*. Contine — dices. (vs. 1320 — 1336.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Pyth. Contine, o fili; tripodem enim fatidicum
Relinquens, septum hoc supero pede,
Phoebi prophetissa, tripodis antiquam consuetudinem
Servans, ex omnibus Delphicis electa.
Ion. Salve, o chara mihi mater, quamvis non pepereris.
Pyth. Sed tamen dicimur, haec fama autem non mihi ingrata.
Ion. Audivisti, ut me interfecit haec dolis?
Pyth. Audivi, et tu crudelis existens peccas.
Ion. Non convenit me interfectores vicissim perdere?
Pyth. Ante genitis uxores infensae sunt semper quodammodo.
Ion. Nos vero erga novercas affecti sumus male.
Pyth. Ne haec relinquens sacra, et abiens ad patriam.
Ion. Quid iam me facere admonitum convenit?
Pyth. Pure Athenas abi, bonis avibus.
Ion. „Purus omnis est, hostes qui interfecerit.
Pyth. Non tu; a nobis vero excipe, quos habeo sermones.
Ion. Dicas; benevola enim existens dixeris, quaecunque dixeris.

28) Matris has — inquisitiones] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. M. has — inquisitionem; Editt. recent.: Matris haec nobis profers inquirendae indicia.

29) *Pyth*. Vides — monstrat. (vs. 1337 — 1354.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Pyth. Vides hanc cistam manus brachiis sub meis?
Ion. Video antiquam cistam, involutam coronis.
Pyth. In hac te accepi nuper genitum infantem olim.
Ion. Quid ais? sermo illatus est novus.
Pyth. Cum silentio enim continui ea, nunc vero ostendimus.
Ion. Quomodo igitur occultasti hoc, cum acceperis nos dudum?
Pyth. Deus ipse te voluit in aede habere ministrum.
Ion. Nunc vero non vult? quo hoc cognoscere possum?
Pyth. Patrem cum indicavit, hac te emittit ex terra.
Ion. Tu vero ex iussu, aut unde servas haec?
Pyth. In animum mihi hoc ponit Apollo.
Ion. Quam rem ut agam? dic, perfice tuos sermones.
Pyth. Servare hoc inventum ad praesens usque tempus.
Ion. Habet vero mihi quam utilitatem, aut quod damnum?
Pyth. Hic occulta sunt fasciis; novisti tu?
Ion. Matris has nobis profers inquisitiones?
Pyth. Postquam Deus voluerit, antea vero non.
Ion. O beatorum [*pro*: beatarum] mihi revelationum hodierna dies.

30) voluit] sic Editt. 1558. et recentt. (= Eurip. ἐβουλήθη); Ed. 1562. noluit.

31) seposita] Ed. 1562. corrupte: seposiat.

32) *Pyth*. Accipe — fortunae. (vs. 1355 — 1368.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Pyth. Accipiens nunc haec, genitricem inquire.
Omnem vero peragrans Asiam et Europae terminos,
Cognosces haec ipse; propter Deum vero te
Alui, o fili, et haec trado nunc tibi,
Quae ille iniussam me voluit accipere
Et servare; cuius vero voluerit gratia, non possum dicere.
Novit vero mortalium nemo hominum haec
Habentes nos, neque ubi fuerint abscondita.
Sed vale; pari enim modo tanquam mater te amplector.
Incipe vero, unde tuam matrem inquiri convenit.
Primum quidem, si qua Delphica pariens te
In haec templa exposuit virgo;
Deinde an aliqua Graecanica. Ex nobis vero habes
Omnia, et Phoebo, qui particeps fuit fortunae.

Illud cogitans, quod mater mea
Clam nupta, vendidit[33]) me clam,
Et non praebuit ubera, sed ignotus ego
In templo habui vitam servilem.
Quod ad Deum attinet, bene habet; quod vero ad fortunam,
Misera res est, per id tempus enim, quo me oportuit in ulnis
Matris deliciari, et aliquam voluptatem percipere vitae,
Privatus sum charissimae matris alimento.
Misera etiam mater, quae eandem miseriam
Tulit, filii amittens gaudia.
Et nunc accipiens hanc arcam, porto Deo
Donarium, ut non inveniam, quae non volo.
Si enim serva me peperit quaedam,
Deterius esset invenisse matrem, quam omittere tacentem.
O Phoebe, templis hanc dedico tuis.
Atqui[33a]) quid facio? „an Dei benignitati
„Repugno, qui indicia matris servavit mihi?
„Aperienda est arca et audendum.
„Fatum enim nemo praeterire potest.
O sacrae coronae, quidnam mihi abditis,
Et illigastis ea, quibus, quae mihi chara erant, sunt custodita?
Ecce involucrum arculae teretis,
Quod non senuit divinitus,
Et caries abest a nexibus, cum tamen, quod interfuit,
Tempus longum sit istis thesauris.[34]).

Cre. Quodnam insperatum spectaculum video?
Chor. Tacere tu saepe etiam antea novisti.
Cre. Mihi non est amplius silendum, ne me doceas.
Video enim arcam, quam exposui olim,
Et te, o fili, infantem adhuc tenerum existentem
Ad antra Cecropis, et ad rupibus cinctas Macras.
Relinquam hanc aram, etiamsi nunc moriendum sit.
Ion. Prehendite eam, divinitus in furorem versa desiliit,
Relinquens simulachra arae, vincite brachia.
Cre. Ne interficiendo quidem efficietis, ut cessem apprehendere
Et hanc et te et tuas res hic sepositas.
Ion. An non sunt haec atrocia? vador sermone.
Cre. Non, sed amicis tuis inventus es amicus.
Ion. Egone amicus tuus? postquam me clam interfecisti?
Cre. Imo filius es: si quidem hoc est parentibus charissimum.
Ion. Desine fingere; pulchre te coarguam.
Cre. Eo veni, ut huc collimem[35]), o fili[36]).

---

33) vendidit] haec vox in marg. Ed. 1562. explicatur: id est, exposuit.

33a) Atqui] sic Ed. 1558. (Eurip. *Καίτοι*; Editt. recent.: Sed); Ed. 1562. Atque.

34) *Ion.* Heu — thesauris. (vs. 1369 — 1394.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. Eheu, ab oculis ut humidas eiicio lachrymas,
Illuc animum intendens, ubi genitrix mea
Clam desponsata, exposuit clam,
Neque mammam praebuit, sed ignobilis
In Dei atriis habui servilem vitam.
Sed quod ad Deum, bonum est; quod vero ad fortunam,
Grave. Per id tempus enim, quo me oportuit in ulnis
Matris deliciari, et aliquam voluptatem percipere vitae,
Privatus sum charissimae matris alimento.
Infelix quoque ea, quae peperit me, quoniam eadem mala
Passa est, filii amittens gaudia.
Et nunc accipiens hanc arcam, fer [*pro*: fero] Deo
Donarium, ut nequicquam inveniam, quod volo.
Si enim serva me peperit quaedam,
Invenisse peius matrem, quam tacentem omisisse.
O Phoebe, templis dedico hanc tuis.
„Atqui quid facio? Dei voluntati
„Adversor, matris indicia qui servavit mihi.
„Aperienda haec sunt, et audenda.
„Ea enim, quae fato decreta sunt, non transgrediuntur unquam.
O sacrae coronae, quidnam mihi ignotae fuistis?
Et ligamina, in quibus quae mihi custodiuntur grata.
Ecce operimentum arcae rotundae,
Ut non senuit, ex quodam numine Dei,
Et caries abest contexturis, cum tamen, quod interfuit,
Tempus longum sit istis thesauris.

35) Eo veni, ut huc collimem] sic Ed. 1562.; Fix.: Utinam eo venerim, *ut deprehendar quae sim*; in hoc collineo.

36) *Cre.* Quodnam — o fili. (vs. 1395 — 1411.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Quodnam visum rerum insperata video?
Chor. Silere tu saepe etiam antea novisti mihi.
Cre. Non in silentio sunt res meae, ne me admoneas.
Video enim arcam, quam exposui ego olim,
Te utique, o fili, mihi infantem, adhuc existentem stultum,
Cecropis ad antra, et Macras petris cameratas.
Relinquam vero aram, etsi moriendum mihi sit.
Ion. Comprehendite vero hanc; Deo agitata enim prosiliit,
Arae relinquens simulachra; ligate vero manus.
Cre. Interficere utinam non desinatis, quoniam vicissim adhaerebo
Et huic, et tibi, et tuis rebus absconditis.
Ion. An non haec indigna? opprimor sermone.
Cre. Non, sed tuis amicis deprehenderis amicus.
Ion. Ego amicus tuus? et tamen me interfecisti clam.
Cre. Imo filius, „quoniam hoc est parentibus charissimum.
Ion. Desine inhaerere; coarguam enim bene.
Cre. Ad hoc veni, ut hoc consequerer, o fili.

Ion. Vacuane est arca, aut capit aliquid impositum?
Cre. Tua indusiola, quibus te exposui ego.
Ion. Dices notas indusiorum, priusquam inspicias.
Cre. Et si non dixero, polliceor mori.
Ion. Dic, quia ista tanta fiducia habet aliquid singulare.
Cre. Videte texturam, quam ego puella existens texui.
Ion. Qualemnam? multae enim texturae puellarum.
Cre. Non absolutam, sed veluti rudimentum radii.
Ion. Quam habet figuram? ut me non hîc capias.
Cre. Gorgon in medio staminis indusii.
Ion. O Iupiter, quod fatum nos venatur?
Cre. Est fimbriata serpentibus figura Aegidis[37]).
Ion. Ecce.
Haec est textura, ut invenimus fatalia.
Cre. O vetus virgineum opus mearum telarum[38]).
Ion. An in hoc solo fuisti vera coniectatrix, an aliud quiddam praeter hoc adest?
Cre. Dracones, antiquum signum, ex auro facti.
Ion. Donum Minervae, quae liberos iubet nutrire inter serpentes.
Cre. Ad imitationem antiqui Erichthonii.
Ion. Ad quod opus, et in quem usum hic torques[38a])? dic mihi.
Cre. Ut ferret puer recens natus haec monilia.
Ion. Insunt ista. Tertium autem cupio cognoscere.
Cre. Coronam ex olea imposui tibi tum,
Quam primum Palladis edidit scopulus.
Quae si adhuc adest, nondum reliquit folia,
Sed viret, cum ex non marcescente olea sit facta.
Ion. O charissima mihi mater, ut lubens te adspicio,
Et allabor ad tuas genas libenter[39]).

[*Strophe* 1.]

Cre. O fili, o lumen matris melius sole
(Ignoscet mihi Deus), in manibus te habeo.
Insperatum inventum: quem inter mortuos
Mortuum et cum Proserpina existimavi habitare.
Ion. Atque, o chara mater, in manibus tuis
Mortuus et vivus conspicior.

[*Strophe* 2.]

Cre. Io lucidi aetheris orbes,
Quam vocem sonabo?
Clamabo? unde mihi
Occurrit insperata voluptas?
Unde accepimus hoc gaudium?
Ion. Omnia citius mihi eventura,
O mater, creditum est quam hoc, quod tuus sim ego.

[*Strophe* 3.]

Cre. Adhuc metu tremo. *Ion.* Nunc non putans te me habere?
Cre. Quia procul abieceram spes.
Io mulier, unde accepisti meum infantem ulnis?
Per quam manum venit ad domum Apollinis?

---

37) figura Aegidis] sic Ed. 1562.; Editt. 1558. et recentt.: Aegidis in modum.

38) *Ion.* Vacuane — telarum. (vs. 1412 — 1425.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. Vacuane est arca, aut continet impletionem aliquam?
Cre. Tua indusia, quibus te exposui ego olim.
Ion. Et nomen ipsorum eloqueris, antequam inspicias.
Cre. Et si non dixero, mori polliceor.
Ion. Dic, quoniam habet aliquid grave haec audacia.
Cre. Considerate, quam puella olim existens texturam texui ego.
Ion. Qualemnam? multae virginum texturae.
Cre. Non perfectam, sed veluti rudimentum radii.
Ion. Figuram habens quam? ne me hac capias.
Cre. Gorgo quidem in mediis textis ex flamine peplis.
Ion. O Iupiter, quod nos captat fatum?
Cre. Et fimbriata serpentibus, Aegidis in modum.
Ion. Ecce.
Haec est textura, mira quoniam invenimus.
Cre. O iam olim opus virgineum telarum mearum.

38a) hic torques?] sic scripsi; Ed. 1562. hoc torques?

39) *Ion.* An in — libenter. (vs. 1426 — 1438.)] sic Ed. 1562; Ed. 1558.:
Ion. Est aliquid ad hoc? an hoc solo felix es?
Cre. Dracones, antiquum quoddam, omnino aureo colle.
Ion. Donum Minervae, quae liberos inter serpentes alere iubet?
Cre. Erichthonii antiqui ad imitationes.
Ion. Ad quod opus, ad quem usum, dic mihi, aurea insignia?
Cre. Collaria puero recenti ad ferenda, fili.
Ion. Insunt isti; sed tertium cupio scire.
Cre. Coronam olivae imposui tibi tum,
Quam primum Palladis scopulum [*pro*: scopulus] produxit.
Quae si inest, nondum reliquit folia,
Sed viret, ex olea semper virescente cum sit facta.
Ion. O charissima mihi mater, lubens te adspiciens,
Ad gratas tuas accidi genas.

Ion. Divinum hoc est; deinceps simus
Beati: quae praecesserunt, satis fuerunt infelicia[40]).

[*Strophe* 4.]

Cre. Fili, non sine lachrymis editus es,
Et ingenti luctu ex manibus matris exterminatus;
Nunc vero ad tuas genas spiro
Magnas nacta voluptates.
Ion. Eandem fortunam tuam et meam dicis.

[*Strophe* 5.]

Cre. Sine liberis non amplius sumus, neque orbi.
Et mea domus colitur, et habet dominos.
Repubescit Erechtheus, et terrigena
Domus non amplius noctem videt,
Solis vero splendorem intuetur.
Ion. Mater, cum pater iam adsit, sit socius
Huius voluptatis, quam praebui vobis.

[*Strophe* 6.]

Cre. O fili, quid ais? *Ion.* Quomodo invenior?
Cre. Quid dixisti? aliunde natus es, aliunde.
Ion. Heu tua virginitas peperit me nothum[41]).

[*Strophe* 7.]

Cre. Non sub facibus,
Non cum tripudiis
Hymenaeus meus, o fili,
Peperit tuum caput.
Ion. Heu, mater, unde ergo natus sum ignobilis?

[*Strophe* 8.]

Cre. Testor interfectricem Gorgonis. *Ion.* Quid[41 a]) hoc dixisti?
Cre. Quae scopulis in meis
Insidet saxum gignens oleas.
Ion. Dicis mihi obscura, nec manifesta haec.
Cre. Ad rupem lusciniarum Phoebo —
Ion. Quid narras Phoebum?
Cre. Furtivo lecto iuncta sum.
Ion. Perge, quia dicis aliquid gloriosum et faustum mihi.

[*Strophe* 9.]

Cre. In decima revolutione mensis
Occultum partum peperi Phoebo.
Ion. O gratissima locuta, si modo vera dicis[42]).

[*Strophe* 10.]

Cre. Virginales vero meae matris
Fascias tegumenta haec tibi
Appendo, varium opus mei radii.
Neque vero lac neque mammam praebui

---

40) *Cre.* O fili — infelicia. (vs. 1439 — 1457.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. O fili, o lumen matri melius solis.
Dabit enim veniam Deus, in manibus te habeo.
Insperatum inventum, quem in terra inferorum
Inferum, et apud Proserpinam existimavi habitare.
Ion. At, o chara mi mater, in manibus tuis
Mortuus et vivus imaginor esse.
Cre. Io, io, clari aetheris convexa,
Quam vocem sonabo?
Clamabo? Unde mihi
Contigit insperata voluptas?
Unde accepimus gaudium?
Ion. Mihi accidere omnia potius,
Mater, creditum, prae iis, quod tuus sim ego:
Cre. Adhuc metu tremo. *Ion.* Num non habere me, habens?
Cre. Has enim spes abieci procul.
Io mulier, undenam accepisti meum infantem ulnis?
Per quam manum venit ad domum Apollinis?
Ion. Divinum hoc; sed reliqua fortunae,
Bene habeamus, ut ante acta infelicia,

41) *Cre.* Fili — nothum. (vs. 1458 — 1472.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Fili, non sine lachrymis enixus es.
Luctibus vero matris ex manibus abductus.
Nunc vero genas apud tuas suspiro,
Felicissimas adepta voluptates.
Ion. Meum dicens, et tuum communiter dicis.
Cre. Sine liberis non amplius sum, neque absque filiis.
Domus vero celebratur, haec vero habet dominos.
Repubescit Erechtheus, et terrigena
Domus non amplius noctem videt,
Solis vero respicit splendoribus.
Ion. Mater, praesens et mihi pater particeps fiat
Voluptatis huius, cuius partem exhibui vobis.
Cre. O fili, quid ais? *Ion.* Ita ut invenior.
Cre. Quid dixisti? aliunde enim natus es, aliunde.
Ion. Eheu, spurium me virginitas tua peperit?

41 a) Quid] sic Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Quod.

42) *Cre.* Non — dicis. (vs. 1473 — 1488.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Non sub facibus,
Non tripudiis
Hymenaeus meus, o fili,
Peperit tuum caput.
Ion. Vae, vae, natus sum ignobilis, mater, unde?
Cre. Testis Gorgonis interfectrix. *Ion.* Quid hoc dixisti?
Cre. Quae scopulis in meis
Oleis plenum collem occupat.
Ion. Dicis mihi dolosa, neque manifesta haec.
Cre. Apud lusciniis frequentatum saxum, cum Phoebo —
Ion. Quid Phoebum narras?
Cre. Furtivo lecto dormivi.
Ion. Perge, quoniam dicis quid bonum, et auspicatum mihi.
Cre. Decimo vero te mensis in orbe,
Occulto partu peperi Phoebo.
Ion. O gratissima loquuta, si modo dicis vera.

Alimenta matris, neque lavacra manibus.
In antro deserto
Avium rostris
Necandus, et epulum ad mortem eiiciens.
Ion. O gravia ausa mater.

[*Strophe* 11.]

Cre. Metu constricta tuam
Animam perdidi,
Et occidi te invita.
Ion. Et ex me non pie mortua es.

[*Strophe* 12.]

Cre. Heu misera quidem tunc fortuna,
Misera vero et haec:
Volvimur huc
Atque illuc aerumnis,
Et rursum ad meliorem fortunam
Flatus mutati sunt.
Maneant modo, sufficiant superiora mala; nunc
Accidit secundus eventus ex malis[43]).
Chor. „Nemo putet quidquam hominibus unquam
„Insperatum esse, considerans ea, quae nunc accidunt.
Ion. „O quae mutas innumerabiles homines,
„Ut sint infortunati et rursus fortunati,
„Fortuna, ad quale momentum vitae venimus,
Ut mater interficeretur et ferret[44]) indigna,
Papae!
Certe in lucidis solis circumvolutionibus
Licet haec quotidie discere.
Charum quidem inventum te, mater, ... nimus,
Et genus nihil culpandum, quod ad hoc ...
Caetera vero ad te solam volo loqui.
Huc accede, in aurem hos sermones dicere ...
Et involvere tenebras his rebus.
Vide, mater, ne decepta virgo
Commiseris vitium in concubitu arcano,
Deinde Deo imputans causam,
Meam turpitudinem effugere conata,
Peperisse me dicas Phoebo, cum non ... ex Deo.
Cre. Non, per adiuvantem curribus
Victoriam Iovis Palladem contra terrig...
Nemo ex mortalibus est tibi pater,
Sed qui te aluit, Apollo[45]).
Ion. Quomodo igitur suum filium ded... patri,
Ex Xutho vero dicit me natum esse fil...
Cre.[46]) Non dicit te natum esse, sed te d...
Ex se natum. Nam amicus amico
Dare queat suum filium haeredem dom...
Ion. Deus quidem verax est, aliuqui ... vaticinaretur.
Meam merito perturbas, mater, ment...
Cre. Audi nunc, quae mihi in mentem ve...
Cum velit tibi Deus benefacere, in ...
Domum collocat; si fuisses dictus Dei ...
Nunquam hanc haereditatem adeptus ...
Neque nomen patris; cuius enim Dei ...
Occultavi ipsa, et te interfeci clam.

---

43) *Cre.* Virginales — malis. (vs. 1489 — 1509.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cre. Virgineas vero meae matris
Fascias, tegumenta tibi haec
Appendi, radii meus errores.
Non lacte vero praebui neque mammâ
Alimenta matris, neque lavacra manibus.
Per antrum vero desertum,
Avium rostris
Caedes et esca ad mortem eiiceris.
Ion. O gravia ausa mater.
Cre. In metu constricta, tuam
Animam abieci, o fili,
Interfeci te invita.
Ion. Et ex me non pie mortua es.
Cre. In misera quidem tum fortuna,
Misera vero et haec.
Trahimur inde
Huc infelicitate,
Felicitateque rursum.
Commutati autem sunt flatus.
Maneant priora satis mala. Nunc
Vero contingit aliquis ventus ex malis, o fili.

44) ferret] sic Ed. 1562.; Editt. recent.: ipse paterer.

45) *Chor.* Nemo — Apollo. (vs. 1510—1531.)] ...
Ed. 1558.:
Chor. „Nullus existimet quicquam homin...
„Insperatum esse ad praesentia haec.
Ion. „O quae commutas infinitos iam mort...
„Et male habere, et rursus bene agere,
„Fortuna, ad quale venimus momentum ...
Matrem interficere, et pati indigna?
Papae!
Certe in claris solis circumvolutionibus
Licet omnia haec quotidie discere,
Charum quidem inventum te, mater, ...
Et genus nihil culpandum nobis hoc,
Caetera vero ad te volo solam loqui.
Huc accede; in aurem enim sermones ...
Et circumtegere rebus tenebras.
Vide tu, mater, ne lapsa virgo,
Commiseris vitium in occultis nuptiis,
Deinde Deo adscribens culpam,
Meum dedecus effugere conata,
Phoebo peperisse me dicas, cum non ...
Cre. Non per adiuvantem curribus ...
Victoriam Iovi contra terrigenas,
Non est, qui tibi pater ex mortalibus, ...
Verum qui educavit, Apollo ...

46) *Cre.*] in Ed. 1562. h. l. deest.

Ille te adiuvans alteri patri attribuit.
Ion. Non ita segniter assentior tibi,
Sed compellabo Phoebum templum ingressus,
An sim filius hominis sive Phoebi.
Ehem, quis eminens supra templum
Deorum ostendit faciem fulgentem?
Fugiamus, o mater, ne Deos
Videamus, nisi cum opus est videre[47]).
Min. Ne fugite; non enim hostem me fugitis,
Sed amicam vobis, et Athenis et hîc.
Veni tuae terrae cognominis
Pallas festinans cursu ab Apolline,
Qui in conspectum vestrum venire noluit,
Ne veniat in reprehensionem priorem.
Nos vero mittit hos sermones vobis dicere,
Quod haec peperit te ex Apolline patre.
Dat autem te, quibus dedit, cuius dicet te esse[48]),
Ut existimas, in domum nobilissimam[49]).
Postquam autem patefactum est hoc negotium indicio,
Et metuens te mori matris consilio,
Et illam[49a]) a te, liberavit vos mirabili modo.
Erat haec taciturus Apollo,
Et Athenis cognitum facturus hanc esse tuam matrem,
Et te, quod natus sis ex hac et Apolline patre[50]).
Sed ut finiam rem et Dei oracula,
In quibus coniuncti estis curribus, audite,
Accipiens hunc filium, ad Cecropiam terram
Vade, Creusa, et in sedem regiam
Eum colloca, ex Erechthei posteris natum.
Iustum est imperare huic meae terrae,
Eritque in tota Graecia clarus. Huius autem
Filii quatuor ex una radice nati
Cognominatores terrae, distributique in tribus
Populi erunt, qui Athenas habitant.
Teleon erit primus, deinde secundus
Oples, et Argoles[51]), et quae a mea Aegide
Familia nomen habet Aegicores; horum autem
Liberi cum tempore fatali
In insulis Cycladibus fundabunt urbes,
Et in terra maritima, quae robur meae civitati
Dat; opposita vero littora duorum continentium
Inhabitabunt, et campos Asiaticae terrae
Et Europae. Ab Ionis vero nomine
Iones nominati habebunt gloriam[52]).

---

47) *Ion.* Quomodo — videre. (vs. 1532 — 1552.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. Quomodo igitur suum ipsius filium dedit alii patri?
Ex Xutho vero dicit filium me natum esse?
Cre. Natum quidem non, donat vero te,
Ex se natum. „Nam amicus amico
„Dare queat suum filium, haeredem domus.
Ion. Hic Deus verus est, aut frustra vaticinatur.
Meum perturbas, mater, merito animum.
Cre. Audi iam nunc, modo in animum venit, fili,
Beneficiis te afficiens Apollo in generosam
Domum collocat. Dei enim dictus,
Neque adeptus esses unquam neque totam haereditatem,
Neque nomen patris; aliquo enim modo, cuius ego nuptias
Occultavi ipsa, et te interfeci clam,
Hic adiutans te, addicit alteri patri.
Ion. Non sic perperam eadem ego intelligo.
Sed interrogabo Phoebum ingressus templum,
An sim mortalis patris, sive Apollinis.
Ehem, quis domos supra sacras eminens
Solem referentem vultum profert Deorum?
Fugiamus, o mater, ne res Deorum
Videamus, si non tempus est nos videre.

48) cuius dicet te esse] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. cuius dicit te (= Ed. Basil. 1551. *οὐ φασί σε*); Editt. recent.: *οὐ φύσασί σε* — qui te non genuerunt [Musgr.: non quod te genuerunt].

49) Ut existimas, in dom. nob.] sic scripsi; Ed. 1562.: Ut existimans in dom. nob.; Ed. 1558.: Sed ut existimas, ad dom. nob. (= Ed. Basil. 1551. *Ἀλλ' ὡς νομίζεις οἶκον εὐγεν.*); Barn. *Ἀλλ' ὡς κομίζοις οἶκον εὐγεν.* — Sed *hoc facit*, ut accipias *habeasque* domum nob.; Musgr. *Ἀλλ' ὡς κομίζεις ο. ε.* — Sed te in domum nob. introducens; Fix. *Ἀλλ' ὡς κομίζῃ σ' οἶκον ε.* — Sed ut te duceret in dom. nob.

49a) illam] sic scripsi (= Eurip. *τήνδε*); Ed. 1562. illum.

50) *Min.* Ne fugite — patre. (vs. 1553 — 1568.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Min. Ne fugite; non enim hostilem me fugitis,
Sed et Athenis, et hic existentem benevolam.
Tutelaris vero veni tuae terrae
Pallas, cursu festinans ab Apolline,
Qui in conspectum vestrum voluit [*pro*: noluit] venire,
Ne anteactorum in reprehensionem incideret.
Nos vero mittit, hos sermones vobis dicere,
Quod haec peperit te ex Apolline patre.
Dat vero, quibus dedit, cuius dicit te;
Sed, ut existimas, ad domum nobilissimam.
Postquam vero revelata est indicio facto haec res,
Mori te metuens matris ex consiliis,
Et hanc a te machinis liberavit.
Voluit vero, qui haec conticuit, rex
Atheuis cognitum facere haucque tuam,
Et te, quod natus sis ex hac, et Apolline patre.

51) Oples, et Argoles] sic Ed. 1562. (Ed. Basil. 1551. *ὁ πάντες ἀργολῆς τ'*); Editt. recent. *Ὅπλητες, Ἀργαδῆς* [Barn. *Ἀργαδεῖς*, Musgr. *Ἐργαδεῖς*] *τ'* — Hopletes, Argadesque.

52) Sed ut — gloriam. (vs. 1569 — 1588.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sed ut rem conficiam et oracula Deo,
In quibus copulati estis curribus, audite.
Accipiens hunc puerum ad Cecropiam terram
Abi, Creusa, et ad sedes regias
Collocato. Ex Erechthei enim liberis natus,
Dignus est imperare huius [*pro*: huic] meae terrae hic,
Eritque per Graeciam gloriosus. Huius etenim
Filii nati quatuor stirpe ex una
Cognominatores terrae, et distributae in tribus terrae
Populorum erunt, scopulum qui habitant meum.

Xutho vero et tibi datur communis filius
Dorus, unde Dorica celebrabitur
Terra in Peloponneso; et alter filius
Achaeus, qui maritimae terrae prope Rhium
Dominus erit, et approbabitur,
Ut populus ab eius nomine habeat nomen.
Recte vero Apollo omnia fecit; primum quidem
Sine dolore parere te fecit, ut non rescirent amici.
Postquam vero peperisti hunc puerum, et imposuisti
Fasciis, arreptum in ulnas
Mercurium iubet ferre infantem huc,
Illumque aluit, et non sivit mori.
Nunc igitur tace, quod hic puer sit tuus,
Ut hac opinione Xuthus delectetur,
Et tu similiter tua bona habeas.
Et valete; ex hac enim respiratione laborum
Denuntio vobis magnas felicitates [53]).
Ion. O Pallas, maximi Iovis filia, non per incredulitatem
Tuos sermones recipimus. Credo me esse filium
Apollinis et huius, et prius hoc non erat incredibile.
Cre. Et me nunc audi: laudo Phoebum non laudans antea,
Quod, quem antea neglexit filium, nunc reddit mihi.
Hae [54]) autem formosae portae mihi sunt templum Dei,
Antea mihi infestum, nunc ex ansis manus
Libenter suspendimus, et saluto portas [55]).
Min. [56]) Laudo, quod Deum laudes mutata voluntate.
Auxilia Deorum tarda sunt, sed [illegible] non sunt infirma.
Cre. O fili, eamus domum.
Min. Ite, sequar ego.
Cre. Digna nobis comes viae, et amans [illegible]
Min. In sedes antiquas te colloca. *Cre.* [illegible] mihi possessione.
Chor. O Apollo, Iovis et Latonae fili, [illegible]
„Quando concutitur
„Domus calamitatibus, pium decet [illegible] fidere.
„Tandem enim boni consequuntur digna [57]),
„Mali autem, ut digni sunt, nunquam [illegible] fiunt [58]).

Sacra quidem administrabit primus, deinde secundus,
Quod omnes insignita serpentibus a mea Aegide
Tribunitium habebunt sacerdotes. Porro ex iis
Filii nati, tempore ex fatis constituto
Cyclades inhabitabunt, insulares civitates,
Et terram maritimam, quod robur meae terrae
Dat; oppositos vero littorales continentium duorum
Campos inhabitabunt, Asiaticae terrae
Et Europae. Propter hoc vero nomen
Iones nominati habebunt gratiam.

53) Xutho — felicitates. (vs. 1589—1605.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Xutho vero et tibi nascitur communis filius,
Dorus quidem, unde celebrabitur Dorica
Civitas; per terram vero Peloponnesum alius,
Achaeus, qui terrae maritimae iuxta Rhium
Tyrannus erit, et approbabit
Illius nominari populus nomine cognominatus.
Recte vero Apollo omnia fecit, primum quidem
Sine dolore parere fecit te, ne cognoscerent amici.
Postquam vero peperisti hunc puerum, et imposuisti
Fasciis, arreptum in ulnas
Mercurium iubet ferre infantem,
Et aluit, neque permisit exhalare vitam.
Nunc igitur tace, puer hic quod sit tuus,
Ut falsa existimatio Xuthum delectet,
Tuque similiter tua bona habens, sis uxor.
Et valete; ex hac enim respiratione laborum
Auspicatum vobis fatum annuntio.

54) Hae] sic Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Haec

55) *Ion.* O Pallas — portas. (vs. 1606 — 1613.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ion. O Iovis Pallas maximi filia, non per incred[illegible]
Tuos sermones admittimus; sed credo esse pa[illegible]
Apollinis, et huius etiam antea hoc non incre[illegible]
Cre. Me quoque nunc audi. Laudo Phoebum, [illegible]dans ante,
Quod, quem ante neglexit filium, reddit mihi.
Hae autem formosae portae, et Dei templa.
Quae adversa ante fuerunt, nunc vero ex an[illegible]
Cum voluptate pendere facimus, et saluto port[illegible]

56) *Min.*] in Ed. 1562. h. l. deest.

57) Tandem — digna,] his in marg. Ed. 1562. adscr[illegible]
Tandem bonis est bene.

58) *Min.* Laudo — fiunt. (vs. 1614 — 1622.)] sic E[illegible]
Ed. 1558.:
Min. Laudo, quod laudas Deum, mutans a[illegible]per aliquo modo.
Sero veniunt res Deorum, sed postremo non [illegible]
Cre. O fili, eamus domum.
Min. Ite; sequar vero ego.
Cre. Digna comes vobis, et amans civitatis
Min. In sedes antiquas colloca. *Cre.* Dign[illegible]sionem meam.
Chor. O Iovis et Latonae Apollo: vale, c[illegible]
Calamitatibus domus, pium bono animo esse [illegible]
Nam ad extremum quidem boni consequuntur [illegible]
Improbi vero, ut digni sunt, nunquam felices [illegible]

LXXII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO EURIPIDIS HERCULIS FURENTIS.

Huius tragoediae interpretatio latina Melanthonis integra in altera *Xylandri* Editione 1562. praebetur, a qua interpretatio prioris Ed. 1558. differt, cuius rei causam Xylander in praefatione alterius Editionis exposuit (vide supra p. 285 sq.). Ut lector utramque ipse conferat, interpretationi Melanthonis genuinae illam prioris Editionis in notis criticis subiunxi, et praeterea Editiones recentiores *Barnesii*, *Musgravii* et *Fixii* cum iis contuli. — Versuum numeros, stropharum partitiones et alias quasdam inscriptiones ex Ed. Barnes. addidi intra uncinos inclusas.

EURIPIDIS HERCULES FURENS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Argumentum[1]).

Hercules uxorem ducens[2]) Megaram filiam Creontis, liberos[3]) ex ea procreavit, quibus relictis Thebis, ipse profectus est Argos, ut certamina ab Eurystheo proposita conficeret. Superatis autem omnibus, tandem ad inferos descendit: et cum longo ibi tempore moratus fuisset, homines, qui vivebant, mortuum esse eum existimaverunt. Thebani vero seditione commota adversus Creontem[4]), Lycum ex Euboea adduxerunt[5]).

Personae fabulae.

Amphitryo
Megara
Lycus
Iris
Lyssa, id est, Rabies[5a])
Nuntius
Hercules
Theseus

Chorus constat ex Thebanis senibus.
Praefatur autem Amphitryo.

---

1) Haec veteris argumenti, quod graece in Eurip. Ed. Basil. 1551. legitur, interpretatio Melanthonis in Editt. 1558., 1562. exhibetur. Barnesius eandem (paucis mutatis) cum textu graeco repetiit, in eius fine autem haecce graece et latine addidit: Qui [scil. *Lycus*] cum Herculis liberos, uxorem patremque neci tradere decrevisset, subito ille superveniens Lycum obtruncat. Hinc a Iunone ad insaniam redactus uxorem suam et liberos ipse telis confecit, patri vero manus iam iniecturus a Minerva lapidis sophronisteris coniectu sopitur. Mox ad se rediens miserandum in modum suum hoc facinus luget, lucemque odit; cum Theseus adveniens illum solatur et expiaturus demum Athenas ducit.

2) uxorem ducens] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. cum duxisset.

3) liberos] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. filios.

4) quibus relictis Thebis — Creontem,] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.: Relinquens vero hos Thebis, ipse Argos profectus est, Eurystheo certamina elaboraturus. Omnium vero superior factus, postremo ad Plutonis descendit. Et longum illic moratus tempus, opinionem reliquit apud vivos, quod esset mortuus. Seditionem vero habentes Thebaei adversus principem Creontem,

5) adduxerunt.] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. reduxerunt.

5a) Lyssa, id est, Rabies] sic Ed. 1562.; Barn.: *Lyssa*, id est, Rabies vel Furia; Editt. 1558., Musgr. et Fix. habent solum nomen: *Lyssa*.

HERCULES FURENS.

[*Amphitryo, Megara, Lycus, Chorus.*]

Amphitryo.

Quisnam hominum[6]) non novit rivalem Iovis
Amphitryonem, quem olim Alcaeus
Filius Persei genuit, patrem illum Herculis?
Qui tenuit has Thebas, ubi terrigena
Sedes satorum ex dentibus effloruit, ex quorum genere Mars
Parvum numerum servavit, qui Cadmi urbem
Foecundam reddunt liberis liberorum, ex quibus natus est
Creon, filius Menoecei, dominus huius terrae.
Creon autem pater est huius Megarae,
Quam olim omnes Thebani in nuptiis
Celebrarunt tibia, quando ad meam
Domum ipsum duxit inclytus Hercules.
Relictis vero Thebis, quo ego migravi,
Et Megara et affinibus, filius meus
Muros Argivos et urbem Cyclopicam
Incolere voluit, ex qua ego exul sum, propterea quod occidi
Electryonem, meas autem calamitates
Placans, et volens habitare in patria,
Magnum Eurystheo dat praemium, ut ubique
Pacet terram, sive a Iunonis
Stimulis vexatus, sive fato aliquo.
Ac caeteros quidem labores exantlavit;
Ad extremum vero per fauces Taenari
Ivit ad Plutonis domum, canem illum tricorporem
In lucem educturus, unde von redit[7]).
Est autem vetus Thebanorum sermo,
Antea Lycum fuisse maritum Dircae,
Dominum huius urbis, quae septem turres habet,
Priusquam terrae dominarentur in equis albis equitantes
Amphion et Zethus, filii Iovis.
Cuius filius eodem, quo pater, nomine vocatus
Non Thebanus, sed ex Euboea veniens,
Occidit Creontem: quo interfecto, ipse imperat terrae,
Impetu facto in urbem seditione laborantem[7a]).
Nobis vero affinitas cum Creonte facta
Maximum, ut apparet, malum est.
Nam dum in penetralibus terrae est filius meus,
Ille inclytus huius terrae dominus[7b])
Liberos Herculis vult eiicere,
Interfecta coniuge, ut caedem caede extinguat,
Et me, (si modo inter viros numerare me convenit,
Senem inutilem) ne aliquando illi, postquam adoleverint,
Poenas exigant caedis ab avunculis[8]).

---

6) hominum] sic scripsi (= Eurip. βροτῶν; Editt. 1558. et recentt.: mortalium); Ed. 1562. hominem.

7) Quisnam — redit. (vs. 1—25.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. habet hancce interpretationem:
Quis Iovis corrivalem non novit mortalium
Argivum Amphitryonem, quem Alcaeus olim
Genuit, filius Persei, patrem ipsum Herculis?
Qui has Thebas incoluit, ubi terrigena
Spartorum seges provenit, ex quorum genere Mars
Servavit numerum parvum, qui Cadmi civitatem
Foedificant posteris, ex quibus creatus est
Creon, Menoecei filius, rex huius terrae.
Creon vero Megarae huius existit pater,
Quam omnes nuptialibus carminibus Thebani olim
Cum tibia concelebrarunt, quando ad meas
Domos inclytus Hercules ipsum deduxerat.
Relictis vero Thebis, ubi habitabam ego,
Megaraque hac, socerisque, filius meus
Argiva moenia, hoc est, Cyclopeiam urbem,
Concupivit inhabitare, quam ego fugio, cum interfecissem
Electryonem; calamitates vero meas
Expediens, et patriam inhabitare volens,
In summa dat praemium Eurystheo magnum,
Cicurari terram, sive a Iunone
Stimulis domitus, sive aliquo cum fato.
Et quidem caeteros exhausit labores;
Ultimum vero, Taenari per fauces
Descendit ad Plutonis tricorporem canem
Ad lucem subducturus, unde non rediit.

7a) laborantem] sic Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. laborante.

7b) dominus] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. et recentt. (= text. gr.) addunt: Lycus.

8) Est autem — avunculis. (vs. 26—43.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Antiqua vero quaedam est Cadmaeorum fama,
Quod fuerit ante Dircae coniunx Lycus,
Insignem septem turribus hanc dominans civitatem,
Priusquam utentes albis equis fratres imperium occupassent terrae,
Amphion atque Zethus, filii Iovis.
Cuius eodem nomine filius patris nominatus,
Thebanus non existens, sed ex Euboea profectus,
Interficit Creontem; et cum interfecisset, imperat terrae,
Seditione laborantem obiter occupans civitatem.
Nobis vero affinitas ad Creontem relata,
Incommodum maximum (ut palam est) fit.
Meo enim existente filio in penetralibus terrae,
Inclytus ille huius terrae princeps Lycus
Herculanos filios interficere vult,
Interfecta uxore, ut caede extinguat caedem,
Et me, (si quid et me convenit inter viros numerare)
Sene imbecille, ne quando hi adulti
De avunculis exigant sanguinis poenam.

Ego vero (reliquit enim me in his aedibus
Nutritorem liberorum, custodem domus, quando terrae
Obscuram caliginem ingressus est filius meus,)
Cum matre, ne liberi Herculis moriantur,
Ad aram hanc Iovis servatoris sedeo,
Quam statuit, ut monumentum sit victricis hastae,
Cum vicisset Minyas generosus filius meus.
Has autem sedes occupans in rerum inopia omnium,
Cibi, potus, vestitus, in solo non strato
Ponentes latera; etenim exclusi
E domo, sedemus salutis defectu.
Amicorum vero[8a]) alios video non esse veros amicos,
Et qui vere sunt, non possunt nos adiuvare.
„Eiusmodi inter homines res est calamitas,
„Ut nemini, qui vel mediocriter etiam mihi sit amicus,
„Contingere eam velim, certissimum indicem amicorum[9]).
Megara. O senex, qui Taphiorum olim cepisti urbem,
Gloriose dux exercitus Thebanorum,
Quam nihil Deorum certum est hominibus.
Ego enim non sum tuta a fortuna propter patrem,
Quod potentia magnus gloriatus aliquando est,
Cum haberet regnum, propter quod longae hastae,
Cupide multi magni pereunt viri[9a]).
Qui cum liberos haberet, filio tuo me dedit
Herculi, nobili matrimonio collocans.
Et nunc illa quidem mortuo[10]) avolaverunt:
Ego vero et tu, senex, moriemur,
Et liberi Herculis, quos sub alis
Pullos veluti gallina incubans servo.
Ipsi autem ad explorandum alius aliunde accedens,
O mater, inquit, ubinam terrarum abest pater?
Quid facit? quando veniet? errore autem aetatis,
Quaerunt patrem; ego autem extraho
Verbis consolans. Admiror vero, quando
Fores strident, et unusquisque attollit pedem,
Tanquam ad genua patris accidere velit.
Nunc igitur quam spem aut sedem salutis
Praebes, o senex? ad te enim[10a]) respicio.
Nam neque terminos terrae clam egredi possumus,
(Sunt enim custodiae in exitu nobis potentiores,)
Neque in amicis spes salutis
Nobis est amplius. Sententiam igitur, quam habes,
In medium profer, ne moriendum sit,
Tempusque prorogemus, cum imbecilles simus[11]).

8a) vero] sic (= Eurip. *δὲ*) Editt. recent.; Ed. 1562. vere.

9) Ego vero — amicorum. (vs. 44—59.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ego vero, reliquit enim me hisce in aedibus
Nutritorem filiorum domesticum, quando terrae
Obscuram caliginem ingrederetur filius meus
Cum matre, filios (ne moriantur) Herculis
Ad aram colloco hanc servatoris Iovis,
Quam victricis hastae memoriale statuit,
Minyis superatis, meus generosus filius.
Omnium vero egeni has sedes obtinemus,
Ciborum, potus, vestitus, non strato solo
Latera ponentes; etenim exclusi
E domo sedemus, inopia salutis.
Ex amicis autem alios quidem non certos video amicos;
Qui vero sunt recte, impotentes sunt, ut iuvent.
„Talis res est hominibus ipsa infelicitas,
„Quam nullus unquam (quicunque vel mediocriter amicus mihi)
„Assequatur, amicorum examen certissimum.

9a) pr. quod longae hastae, Cupide — viri.] sic Ed. 1562.; Editt. recent.: pr. quod longae hastae saltant [Fix.: ruunt] *eius occupandi* cupiditate in beata corpora *principum*.

10) illa quidem mortuo] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. illi quidem mortui; Musgr., Fix.: illa quidem evanida [Fix.: perdita]; Barn.: illa una cum mortuo illo (Eurip. Editt. Basil. 1551., Musgr., Fix. *ἐκεῖνα μὲν θανόντ'*, Barn. *ἐκεῖνα μετὰ θανόντ'*).

10a) enim] sic (= Eurip. *γὰρ*) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. non.

11) *Meg.* O senex — simus. (vs. 60—87.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Meg. O senex, Taphiorum qui olim expugnasti civitatem,
Imperator ductans inclytas Thebanorum hastas:
Ut nihil hominibus a Diis certum.
Ego enim neque ad patrem profecta sum a fortuna,
Eo quod divitiis potens gloriatus est olim
Habens tyrannidem, cuius longe [*pro*: longae] hastae gratia
Volant ex cupiditate corpora infelicia.
Habens praeterea liberos, et me tradidit filio tuo,
Insigne coniugium Herculi elocans.
Et nunc illi quidem mortui avolarunt;
Ego vero et tu sumus morituri, o senex,
Ipsique Herculani filii, quos sub ala complexos
Servo pullos gallina veluti contracta.
Hi vero ad inquisitionem alius aliunde veniens,
O mater (inquit), ubi pater abest terrarum?
Quid facit? unde veniet? iuventute vero errantes
Quaerunt parentem; ego autem protraho,
Dictis consulans. Admiror vero, quando
Fores crepant, et quivis assurgat pede,
Tanquam ad paterna lapsuri genua.
Nunc igitur, quam spem aut locum salutis
Exquiris, o senex? ad te enim respicio,

Am. O filia, non facile est talia
Sollicitum sine labore segniter consulere.
Meg. Quid tristitiae tibi deest? cur amas tantopere lucem?
Am. Ego vero et laetor[12]) ea, et spem amo.
Meg. Et ego; sed non oportet sperare non speranda.
Am. In ipsa malorum mora insunt remedia.
Meg. At tempus interiectum triste mordet me.
Am. Utinam, filia, contingat secundus cursus
Ex praesentibus malis mihi et tibi,
Ac veniat aliquando filius meus, tuus maritus.
Verum quiesce, filia, et lachrymarum plenos
Fontes aufer, et demulcearis verbis,
Fabulis te ipsam decipiens, quamquam miserae sint illae deceptiones.
„Etenim cessant tandem etiam hominum casus.
„Et flatus ventorum non eandem semper vim habent,
„Et qui felices sunt, non sunt perpetuo felices.
„Nam omnia inter se variantur dupliciter.
„Ille autem optimus est vir, qui spei
„Semper confidit[13]); at desperare hominis est ignavi[14]).
Chor. Sublimia atria et senilem
Lectum circa baculos

Quoniam neque terrae terminos egredi possumus clam.
Custodiae enim nobis potentiores in exitu,
Neque in amicis spes salutis
Amplius sunt nobis. Quod igitur consilium habes,
Dicito communiter, ne moriendum sit.
„Tempus vero protrahimus, existentes imbecilles.

12) laetor] sic Editt. recentt.; Ed. 1562. laeter.

13) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: Sperandum rebus adversis.

14) *Am*. O filia — iguavi. (v. 88—106.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Am. O filia, non facile huiusmodi
Prompte admonere conantem, absque labore.
Meg. Moeroris quid impedit te? num amas adeo vitam?
Am. Et hac gaudeo, et amo spes.
Meg. Et ego; sperare sed insperata non convenit, senex.
Am. „In ipsa mora malorum sunt remedia.
Meg. Sed quod interest, me (triste existens) cruciat tempus.
Am. Utinam contingat, o filia, prosper cursus.
Ex praesentibus mihi et tibi malis,
Veniatque aliquando filius meus, coniunx vero tuus.
Sed quiesce, et lachrymosas [*pro*: lachrymosos] filiorum
Fontes aufer, et consolare dictis,
„Decipiens fabulis, miserae deceptiones quamvis.
„Deficiunt certe et mortalium calamitates,
„Et flatus ventorum non semper impetum habent.
„Quique felices sunt, non perpetuo felices;
„Decedunt enim omnia a se mutuo seorsum.
„Hic autem vir optimus, qui spebus
„Confidit semper; non autem sperare, viri ignavi.

Fulcrum postquam feci, missus sum lugubrium
Carminum cantator, ut cana avis.
Verba tantum et species nocturna
Somniorum nocturnorum,
Tremula tantum, sed tamen prompta sum,
O liberi, liberi patre
Carentes, o senex,
Tuque, mater infelix, quae
Maritum, qui est in domo Plutonis,
Gemis.
Ne defatigetis pedem et lenta membra,
Tanquam ad saxeam rupem coniugatos
Equos emittentes, tanquam
Onus gestans equi currum trahentis,
Apprehende me manibus et veste,
Ubi deficit imbecille pedis vestigium.
Senex senem gesta,
In labore iuventutis,
Cui iuvenilia simul arma hastae
Iuveni olim aderant, celeberrimae
Non patriae dedecus.
Videte, ut truces isti patris similes
Oculorum fulgores sunt.
Infortunium certe non est relictum a liberis,
Neque periit gratia.
O Graecia, auxiliatores
Quales perdes,
Cum his privaberis.
Sed video dominum huius terrae
Lycum esse prope hanc domum[15]).

15) *Chor*. Sublimia — domum. (vs. 107—139.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Sublimia atria, et antiqua
Cubilia circum baculis
Nisum ponens, accersitus sum lugubrium
Luctuum cantator, veluti cana avis,
Verba tantum, et visio noctu apparens
Nocturni somni,
Tremula tantum, sed tamen animo lubenti.
O filii, filii patre
Carentes. O senex,
Tuque misera mater, quae
Eum, qui est Plutonis in aedibus, maritum
Ingemiscis.
Ne offendatis pedem, graviaque membra,
Tanquam ad saxosam
Rupem, coniugatum
Equum emittentes, tanquam
Onus gestans in curru trahentis equi,
Apprehende manum et vestes.
Cuius defecit pedis languidus gressus,
Senex senem deducito.
Olim inter aequalium labores
Cui arma hastae recentes
Iuveni aderant olim, inclytissimae
Patriae non opprobria,
Videte patris quod acres hi assimiles

Lyc. Herculis patrem et uxorem,
Si convenit, interrogo: et convenit, si quidem dominus
Vester sum, interrogare, quae volo.
Quamdiu quaeritis vitam prorogare?
Quam vero spem aut quod auxilium
Videtis, ne moriamini?
An patrem horum iacentem apud Plutonem
Venturum creditis? ita praeter dignitatem
Luctum tollitis, si mori vos oporteat.
Tu quidem spargens per Graeciam inanem fabulam,
Quod particeps tui coniugii Iupiter Herculem genuerit;
Tu vero, quod praestantissimi viri uxor vocata sis[16].
Quid tandem praeclari gestum est a tuo marito,
Quod palustrem Hydram interfectam perdidit?
Aut Nemeam feram? quam retibus captam
Strangulatione brachiorum se interfecisse dicit.
Quibus autem rebus certatis? an propter ista
Non oportet mori liberos Herculis?
„Qui habuit existimationem fortitudinis, cum nihil esset,
„In certamine ferarum, alioqui non fortis.
„Qui nunquam clypeum habuit in sinistra manu,
„Neque venit prope hastam; sed ărcum habens,
„Ignavissimum armorum genus, ad fugam paratus erat.
„At viri fortitudinis indicium est non arcus,
„Sed qui manens adspicit, et vicissim intuetur
„Hastae velocis sulcum, in acie constitutus.
Habet autem factum meum, o senex, non impudentiam,
Sed cautionem; scio enim, cum interfecerim
Creontem, patrem huius, et regnum habeam,
Quos vos educatis, ultores meos
Relinquendos non esse, qui de factis supplicium exigant[17]).
Am. Iupiter defendat ipse partes suas.
Quod vero ad me pertinet, mihi tu, o Hercules, curae es,
Et verbis huius stultitiam de te
Ostendam; neque enim committendum est, ut male audias.
Primum igitur nefanda (inter nefanda enim
Herculi a te obiectam timiditatem esse arbitror)[18])
Testimonio Deorum amovere a te oportet.
Interrogo autem Iovis fulmen et currum,
In quo stans, terra natis
Gigantibus, lateribus infigens volucria tela,
Gloriose cum Diis triumphavit.
Quadrupes Centaurorum genus vitiosum,
Ad Pholoën profectus, o pessime rex,
Interroga, quemnam virum praestantissimum iudicent,
An non filium meum, quem tu dicis videri esse[18a]).

Oculorum nitores.
Ipsum certe infortunium non abest a filiis,
Neque abest gratia.
O Graecia, auxiliatores
Quales quales amittens,
Istis privaberis.
Sed adspicio enim huius dominum terrae,
Lycum praesentem has domos prope,
Herculis patrem et uxorem.

16) vocata sis] sic Editt. recent.; Ed. 1562. vocata es.

17) *Lyc.* Herculis — exigant. (vs. 140—169.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Lyc. An convenit me, interrogo; licet autem, quoniam dominus
Vester constitutus sum, interrogare, quae volo?
Quousque quaeritis producere vitam?
Quam spem auxiliumque respicitis, quo minus moriamini?
Num apud Plutonem patrem horum qui est,
Creditis venturum? ita ultra meritum
Luctum producitis, quandoquidem mori vos necesse est.
Tu quidem per Graeciam iactans verba inania,
Quod rivalis tuus Iupiter genuerit filium;
Tu vero, quod optimi viri diceris uxor.
Quid adeo magnum tuo patratum est a marito,
Hydram palustrem si perdidit interficiens?
Aut Nemeam belluam? quam laqueis capiens
Manuum dicit suffocationibus interfecisse.
Istis periculo vos subducitis? horumne gratia
Herculis filios non mori convenit?
„Qui adeptus est opinionem (nil existens) fortitudinis,
Ferarum in proelio, caeterum nihil fortis.
„Qui nunquam habuit clypeum ad sinistram manum,
„Neque venit hastam prope, sed arcum habens,
„Ignavissima arma, ad fugam promptus erat.
„Viri vero indicium, non arcus animositatis,
„Sed qui manens adspicitque et e regione adspicit
„Hastae velocis ictum, constitutus in acie.
Habet vero meum factum non impudentiam, senex,
Sed prudentiam; conscius enim sum, interfecisse
Creontem, patrem huius, et thronos possidens.
Non igitur enutritis hisce, ultores meos
Volo reliquisse anteactorum poenam.

18) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: Plutarch. Catone Utic. [Plut. vita Catonis c. 52., ubi hi duo vss. 174 sq. laudantur.].

18a) videri esse.] sic Ed. 1562.; Editt. recent.: videri *tantum fortem* esse.

Et si quis quaerat Dirphen[19]) Abantidem, quae te nutrivit,
Certe non te ea laudaverit; non est enim locus, in quo
Aliquid praeclari gesseris, ut testem accipere patriam possis.
Inventum autem sapientissimum, pharetram et arcum
Reprehendis, nunc me audiens sapiens fias[20]).
Vir armatus servus est armorum,
Et quando qui simul in acie stant, non sunt strenui,
„Ipse quoque occumbit propter timiditatem eorum, qui ei adstant.
Et ubi fregerit hastam, non potest a corpore
Mortem depellere, vires solum habens.
Qui vero manum habet, quae bene iaculetur,
Unum habet optimum, quod multa tela emittens
In alios, suum corpus defendit a morte;
Et procul stans, hostes ulciscitur,
Vulnerans non videntes caecis telis.
Neque dat corpus hostibus,
Sed est in loco tuto. Illud autem in pugna
Sapientissimum est, laedendum hostes
Servare corpus non obnoxium fortunae.
Haec oratio contrariam tuae
Sententiam habet de rebus propositis.
Verum liberos hosce cur vis occidere?
Quid tibi fecerunt? Una in re te sapientem existimo,

19) Dirphen] sic (= Eurip. Δίρφην) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Dircen.

20) *Am.* Iupiter — sapiens fias. (vs. 170—189.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Am. Sui quidem Iupiter defendat partes
Filii; quod vero ad me, o Hercules, mihi curae est,
Dictis insignem huius stultitiam pro te
Coarguere; male enim te non permittendum audire.
Primum itaque nefanda (inter nefanda enim
Tuam aestimo timiditatem, Hercules)
Testibus Diis, convenit me amovere abs te.
Iovis fulmen vero interrogo, currusque,
Quos conscendens, ipsis terrae natis
Gigantibus, lateribus volatiles adaptasset sagittas,
Ipsam victoriam cum Diis celebravit.
Quadrupedem iniuriosam Centaurorum sobolem,
Ad Pholoën profectus, o pessime rex,
Interroga, quem virum optimum iudicaverint,
An non filium meum, quem tu ais esse visum?
Dirphenque interrogans, quae te educavit, Abantidem,
Non certe laudaverit; „non est enim, ubi
„Strenue quid agens, testem accipias patriam.
Sapientissimum vero inventum, sagittariam armaturam
Reprehendis: audiens nunc itaque a me, sapiens fias.

Quod posteros optimorum virorum, cum ipse malus sis,
Metuis; sed hoc nobis est grave,
Si propter tuam timiditatem morientur,
Quod aequum erat, ut a nobis, qui meliores sumus, tibi contingeret,
Si Iupiter iustum erga nos animum haberet[21]).
Quod si igitur tu imperium huius terrae vis habere,
Concede nobis, et egrediamur ex hac terra in exilium.
Nequaquam vero vim facies, aut patieris gravia,
Cum flatus Dei mutatus fuerit.
Proh!
O terra Cadmi (ad te enim venio
Verba conviciatoria renuntians),
Itane opem fertis Herculi et liberis eius?
Qui solus pugna cum omnibus Minyis congressus
Fecit, ut Thebae libero oculo cernerent,
Neque Graeciam laudo, neque sustinebo unquam
Tacens, pessimam experiens in filium meum,
Quam oportebat pueris istis ignem, hastas, arma
Ferre ac venire, ut pro marinis purgationibus
Et terrae, gratiam laborum referrent.
Hæc vobis, o liberi, neque Thebanorum civitas

21) Vir armatus — haberet. (vs. 190—212.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
„Vir armatus gravi armatura, servus est armorum.
„Et qui in eodem ordine sunt, existentibus non strenuis,
„Ipse occumbit timiditate eorum, qui prope sunt.
„Ubique fregerit hastam, non habet a corpore
„Mortem ut depellat, habens vires quamvis.
„Quotquot vero sagittis manum habent certam,
„Unum certe hoc optimum, innumeras sagittas mittens
„Aliis, suum corpus servat, ne oppetat.
„Eminus autem stans, hostes ulciscitur,
„Caecis cernentes vulnerans sagittis,
„Corpusque non exhibet hostibus;
„Verum in tuto est. Illud vero in pugna
„Sapientissimum est, hostes laedentem,
„Servare corpus, ne incidas in grassantes.
Sermones quidem hi, tuis contrariam
Sententiam habent de re proposita.
Pueros vero cur istos occidere vis?
„Quid tibi fecerunt? in qua re existimem sapientem,
„Si optimorum filios, ipse existens malus,
„Times? Sed hoc tamen nobis grave,
Si ignaviam tuam moriendum est propter.
„Quod aequum erat te a nobis praestantioribus pati,
„Si Iupiter aequum haberet erga nos animum.

Neque Graecia praestat; ad me vero amicum imbecillum
Respicitis, qui nihil sum praeter strepitum linguae.
Defecerunt enim vires, quas prius habui,
Senectute autem tremula membra, et evanidum robur.
Quod si essem iuvenis, et adhuc compos corporis,
Arrepta hasta flavum huius capillum
Cruentarem, ut ultra Atlanticos
Terminos metu fugeret meam hastam[22]).
Chor.[23]) An non occasiones dicendi boni
Homines habent, etiamsi tardus sit aliquis ad dicendum?
Lyc.[24]) Tu dicito contra nos verba, quibus munitus es.
Ego vero tibi pro tuo sermone malefaciam.
Age alios ad Heliconem, alios ad valles Parnassi
Ire et secare iubeo sylvestres quercuum
Truncos; postquam vero in urbem intulerunt,
Circa aram cumulantes utrinque constructa ligna,
Incendite ea, et cremate corpora
Omnium; et videant, quod non mortuus[25])
Imperat huic terrae, sed ego nunc.
Vos autem senes, qui adversarii meae
Sententiae estis, non solum lugete
Liberos Herculis, verum etiam familiae vestrae
Calamitates, quando aliquid patietur, ut recordemini
Vos servos esse meae tyrannidis[26]).
Chor. O partus terrae, quos Mars seminavit olim,
Nudans amplas genas Draconis,
Non sceptra gestamina dextrae manus
Tolletis, et viri huius impium caput
Cruentabitis? qui cum non sit Thebanus,
Dominus est ignavissimus iuvenum advena.
Verum non imperabis mihi unquam laetus,
Neque quae ego multo labore manibus meis comparavi,
Habebis; sed abiens, unde venisti, ibi
Iniuriam facias. Nam me vivente nunquam occides
Liberos Herculis: non tam procul terram
Subter latet ille relictis liberis.
Nam tu quidem in terram veniens eam perdidisti.
Ille vero cum profuerit ei, non consequitur praemia.
Deinde multa facio ego, amicos meos
Beneficiis afficiens mortuos, ubi amicis maxime opus est.
O dextra manus, quam cupis sumere hastam,
Sed per imbecillitatem amisisti opportunitatem;
Alioqui te compescuissem, qui me servum appellas,
Et Thebas has gloriose incoleremus,
In quibus tu laetaris; neque enim recte sapit civitas

---

22) Quod si — hastam. (vs. 213—235.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Quod si habere huius sceptra terrae ipse vis,
Sine nos exules egredi terram.
„Vim vero facies nequaquam, aut patieris maiorem,
„Cum fortunae tibi flatus permutatus fuerit.
Heu.
O terra Cadmi, etenim ad te devenio,
Verba probrosa convicians,
Tali modo fertis opem Herculi, filiisque?
Qui unus Minyis cum omnibus pugna congressus,
Thebis fecit lucem liberam videre.
Neque Graeciam laudo, neque sustinebo unquam
Tacens, pessimam experiens erga filium meum,
Quam conveniebat pueris istis, ignem, hastas, arma
Ferentem, venire marinas propter pestes
Terraeque in retributionem, quarum laboravit gratia.
Haec vero non, o filii, vobis, neque Thebana civitas,
Neque Graecia praestat; sed ad me imbecillem amicum
Respicitis, nihil existentem, nisi linguae strepitum.
Robur enim defecit, quod ante habuimus.
Senectute vero tremula membra, et evanidum robur.
Si vero essem iuvenisque, et adhuc corporis potens,
Arrepta hasta huiusce flavas comas
Cruentassem, ita ut Atlanticos ultra
Fugeret terminos prae timiditate mea [*pro*: meam] hastam.

23) *Chor.*] sic Editt. recent.; in Editt. 1558., 1562. aeque ac in Ed. Basil. 1551. deest.

24) *Lyc.*] sic Editt. 1558. et recentt. aeque ac Ed. Basil. 1551.; in Ed. 1562. deest.

25) mortuus] huic voci in marg. Ed. 1562. additur interpretamentum: Creon.

26) An non — tyrannidis. (vs. 236—251.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
„An non occasionem dicendi praestantes
„Mortalium habent, etsi tardus quis fuerit ad dicendum?
Lyc. Tu quidem dicito in nos, quibus abundas dictis;
Ego vero faciam tibi pro dictis male.
Age, alii quidem ad Heliconem, alii Parnassi ad valles
Abscindant iube profecti sylvestres quercus
Truncos; postquam vero attraxerint, ad urbem
Aram circumstruentes, utrinque constructa ligna
Accendite, ipsorumque comburite corpora
Omnium, ut sciant, quod non mortuus
Imperet terrae huic; sed ego nunc in praesentia.
Vos vero senes, meae contrarii
Sententiae existentes, non solum lugetis
Herculanos filios, verum et domos,
Calamitatem ubi acceperint aliquam; memineritis vero,
Servi quod sitis meae tyrannidis.

Seditione laborans et malis consiliis.
Nunquam enim alias te dominum habuisset[27]).
Meg. Laudo senes; amicorum enim gratia
Amicos iram iustam habere convenit.
Sed propter nos irati dominis
Nihil patiamini; sed meam, Amphitryo,
Sententiam audi, si quid tibi videar dicere.
Equidem liberos amo; quomodo enim non amarem,
Quae peperi, quae enixa sum? et morte m
Miseram iudico; et necessitati
Qui resistit, eum hominem stultum existimo.
Nos autem quando mori necesse est, mori convenit,
Ne igni consumpti, hostibus risum
Moveamus: quid mihi videtur morte ipsa maius malum.
Etenim debemus multam honestatem domus tueri.
Te cepit opinio celebris hastae[28]);
Quare non est ferendum, ut moriaris prae timiditate;
Meus vero generosus maritus sine teste etiam indicat,
Quod non velit liberos suos liberare
Malam famam adeptos; nam generosi
Male audiunt apud hostes pro liberis.
Mihi non est repudianda imitatio viri[29]).

Verum considera, quomodo spem tuam existimem.
An putas filium tuum a terra venturum?
Quis mortuorum ex inferis rediit?
Sed etiamsi verbis hunc placaremus,
Minime convenit virum stultum hostem fugere;
Sapientibus vero et honeste educatis cedere convenit.
Facilius enim pudorem iniiciens bonum aliquid consequare.
Sed venit mihi iam in mentem: si deprecando impetraremus
Exilia liberorum horum: tamen id quoque miserum est,
Salutem miserabili cum paupertate adipisci,
„Quia amici fugiunt vultum hospitum,
„Unum diem solum iucundum adspectum habere dicunt.
Ausis nobiscum mortem oppetere, quae tamen te manet.
Obtestor te per tuam ingenuitatem, o senex.
„Quicunque incidit in calamitates divinitus,
„Confidens est; sed audacia illa stulta est.
„Nullus enim, ne Deus quidem, faciet, ne fiat id, quod opus est[30]).
Chor. Si quis valentibus meis brachiis

---

27) *Chor.* O partus — habuisset. (vs. 252—274.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. O terrae exercitus, quos Mars seminat olim,
Amplas draconis vacuans maxillas,
Non sceptra manus dextrae statumina
Tollitis? et huius viri impium caput
Cruentatis? qui non Thebanus existens,
Imperium obtinet pessimus iuvenum, advena existens?
Sed non mei tu dominaberis laetus unquam,
Neque quae elaboravi multa ego patrans manu,
Habebis. Sed male abiens unde venisti, illic
Petulans sis; me enim vivente non interficies unquam
Herculis filios; non usque adeo terram
Infra ille occultatur desertis filiis,
Quoniam tu quidem terram hanc perdidisti;
Ille vero cum auxerit, meritum non consequitur.
Et deinde faciam egregie ego, amicis meis
„Mortuis benefaciens, ubi amicis maxime opus est.
O dextra manus, ut desideras apprehendere hastam,
Sed per imbecillitatem fortunam amisisti,
Quoniam te compescerem, servum appellantem me,
Et has Thebas gloriose incoleremus,
Quibus tu insultas. „Non enim recte sapit civitas,
„Seditione laborans, et malis consultationibus.
Non enim unquam te dominum accepisset.

28) Te cepit — hastae;] haec in marg. Ed. 1562. sic explicantur: habitus es pro forti.

29) *Meg.* Laudo — viri. (vs. 275—294.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Meg. O senes laudo. „Amicos enim propter
„Iras iustas amicos habere convenit.
Nostri sed gratia dominis irati,
Potiamini nihil; meam vero, Amphitryo,
Sententiam audi, si quid tibi videor dicere.
Ego amo quidem liberos; quidni enim amarem,
Quae peperi, quae enixa sum? et mori
Miserum puto. „Necessitati vero
„Qui obnititur, laevum existimo hominem.
„Nos vero quoniam oportet mori, mori convenit,
„Non igne ambusti hostibus risum
„Exhibentes, quod mihi ipsa morte maius malum.
Debemus enim multam dominibus honestatem.
Te quidem existimatio cepit gloriosa rei bellicae,
Itaque non tolerabile per timiditatem mori.
Meus vero absque teste gloriosus maritus,
Qui hosce filios nollet servari
Famam malam adeptos. „Generosi enim
„Male audiunt apud hostes, propter filios.
Mihique imitatio viri non repudianda.

30) Verum — opus est. (vs. 295—311.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Sed considerato tuam spem, quatenus colligo.
Venturum existimas filium tuum sub terra?
„Et quis mortuorum reversus est a Plutone?
Verum ut sermonibus eum molliamus,
„Minime fugere improbum virum hostem convenit.
„Sapientibus vero cedere, et educatis honeste.
„Facilius enim per verecundiam monens, grata effeceris.
Modo vero in animum venit, si deprecando impetraremus
Exilia filiorum horum. „Verum etiam hoc miserum,
„Paupertate cum miserabili acquirere salutem,

Iniuriam faceret, facile cessasset.
Nunc nihil sumus, tuum est porro considerare,
Amphitryo, qua ratione pellas hanc calamitatem.
Am. Non timiditas neque desiderium vitae
Prohibet, quin moriar, sed volo filii
Liberos servare, alioqui impossibilia viderer amare.
Ecce adest collum hoc ensi,
Ut pungatur, occidatur[31]), paratus sum in exilium ire[32]):
Unam nobis ut hanc gratiam, o rex, des, precamur,
Interficiens me et miseram hanc ante pueros,
Ne liberos intueamur, spectaculum impium,
Morientes et vocantes matrem,
Et patrem patris; reliqua vero, si lubet,
Facies: non habemus auxilium, quo minus moriamur.
Meg. Et ego te supplex rogo, ut addas gratiae gratiam,
Et ambobus unus gratum facias dupliciter.
Concede mihi, ut filio addere possim ornatum mortuorum,
Aperta ianua; nunc enim exclusi sumus:
Saltem haec consequantur ex aedibus patris[33]).
Lycus. Erunt haec; dico ministris, ut aperiant claustra,
Ornemini introeuntes, non invideo peplis[33a]).
Ubi ornatum corporibus applicaveritis,
Veniam ad vos, mersurus sub terram inferorum.
Meg. O liberi, sequimini matrem misero pede
In domum paternam, in qua facultates
Alii tenent, nomen nobis adhuc restat.
Am. O Iupiter, frustra ergo te rivalem habui,
Frustra etiam filii templum vocabamus.
Tu vero minor es amicus, quam videaris.
Virtute te supero Deum magnum ego mortalis.
Neque enim prodidi liberos Herculis.
Tu clam noveras venire in meum thalamum,
Accipiens[34]) alienum lectum nemine concedente;
At non novisti servare tuos amicos,
Aut Deus es stultus, aut non es iustus[35]).

[*Strophe* 1.]

Chor. Lugubrem felici
Voce Phoebus sonat
Sonoram citharam
Pulsans aureo plectro.
Ego vero in terrae et inferorum caliginem
Ingressum filium, sive Iovis ipsum dixero,
Sive Amphitryonis filium,
Celebrare laborum coronam
Laudibus volo.
„Virtutes fortium laborum
„Sunt decus mortuis.
Ac primum quidem nemus Iovis

„Quoniam hospitum vultum fugiunt amici,
„Unum diem gratum adspectum habere aiunt solum.
Audeto nobiscum mortem, quae manet te nihilominus.
Provocamus ingenuitatem, o senex, tuam.
„Qui a Diis sunt etenim, quicunque perferre conatur casus,
„Fortis est; sed fortitudo haec caret prudentia.
„Quod enim facto opus est, nullus Deorum non efficiet unquam.

31) occidatur] sic scripsi; Ed. 1562. occideretur; Editt. recent.: caedatur.

32) paratus sum in exilium ire] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. exire ex patria (= Ed. Basil. 1551. *ἰέναι πάτρας ἄπο*); Editt. recent. *ἰέναι πέτρας ἄπο* — ut de saxo deturbetur.

33) *Chor.* Si quis — patris. (vs. 312—331.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558:
Chor. Si quidem valentibus meis brachiis
Esset aliquis contumeliosus, facile compesceretur.
Iam vero nihil sumus: tuum ergo, exinde considerare,
Quomodo propulses fortunas, o Amphitryo.
Am. Non timiditas, neque vitae amor
Mori prohibet me, sed filio volo
Servare filios; alias impossibilia viderer expetere.
Ecce adest hoc gladio iugulum
Ferire, trucidare, exire ex patria.
Unam vero nobis des gratiam, o rex, oramus,
Occide me et hanc miseram ante filios,
Ne filios adspiciamus (impium spectaculum)
Morientes, et invocantes matrem,
Patrisque patrem; caetera vero, si cupis,
Age; non enim robur habemus, quo minus moriamur.
Meg. Et ego te oro gratiae addere gratiam,
Ut ambobus tu unus praestes bifariam.
Ornatum concede mihi filio addere funerum;
Domo aperta nunc enim excludimur;
Sed ut haec sortiantur de facultate patris.

33a) n. invideo peplis.] sic Ed. 1562.; Editt. recent.: n. invideo *vobis* vestes.

34) Accipiens] sic Ed. 1562.; Editt. recent.: Occupans.

35) *Lyc.* Erunt — iustus. (vs. 332—347.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Lyc. Erunt haec: aperire claustra famulis dico.
Ornamini, intro profecti, non invideo peplis.
Ubi vero ornatum circumposueritis corporibus,
Veniam ad vos inferae immolaturus telluri.
Meg. O filii, sequimini miserum matris pedem
Paternum ad atrium, ubi facultatum
Alii potiuntur, nomen vero restat vobis adhuc.
Am. O Iupiter, frustra sane corrivalem te habui,
Frustra etiam filii sane templum celebravimus.
Tu utique eras deterior, quam credebaris esse amicus.
Virtute te supero, mortalis existens, Deum magnum.
Filios enim non prodidi Herculis.
Tu vero ad cubilia quidem occultus novisti venire,
Aliena coniugia concedente nemine accipiens;
Servare autem tuos nescis amicos.
Rigidus quispiam es Deus, aut iniquus es.

Liberavit leone.
Tectus autem est incendio
Torquens caput flavum in tergum
Terribili rictu bestiae[36]).

[*Antistrophe* 1.]

Et montivagorum ac agrestium
Centaurorum genus olim
Vulneravit letalibus telis,
Interficiens volucribus sagittis.
Novit hoc Peneus, qui pulchros vortices habet,
Et longa camporum sterilia arva,
Et ancillae ad Pelium montem,
Et qui prope Homolam habitant
Inter pinus, unde manus
Armantes, terram Thessalorum
Equitatu domabant,
Et habentem aureum caput
Cervam maculosam,
Praedatricem sylvestrem,
Occidens, spectaculum venatorium,
Dianam[37]) delectat[38]).

[*Strophe* 2.]

Et ascendit quadrigam,
Et frenis domuit equos
Diomedis, qui ad letalia praesepia
Sine frenis raptabant
Cruentos cibos genis, gaudiis * viros[39]) vorantibus, mensam difficilem praebentes.
Trans argento fluentem autem
Hebrum traiecit eos in littus,
Laborans iussu regis Mycenaei.
Apud hoc littus Peliacum,
Ad portas Anauri,
Cygnum hospitum interfectorem
Perdidit telis Amphanaeas[40])
Habitatorem inhospitalem[41]).

[*Antistrophe* 2.]

Et ad puellas musicas
Venit in aulam Hesperiam,
Et ab aureis ramis poma ferentem
Fructum manu decerpturus,
Dracone rubente tergo,
Qui locum inaccessum circum
Vario giro custodiebat
Interfecto. Et maris
Sinum ingressus est, mortalibus
Miserias faciens remis.
Et sub mediam
Sedem agitat manus
Atlantis domum accedens:

---

36) *Chor.* Lugubrem — bestiae. (vs. 348—363.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Cantum lugubrem quidem felici
Cantione accinit Phoebus,
Pulchre sonantem citharam
Pulsans plectro aureo.
Ego vero, qui sub terra inferorumque ad caliginem
Profectus est, filium sive Iovis ipsum dixero,
Sive Amphitryonis filium,
Celebrare secundum series laborum
Honorifica laudatione volo.
„Fortium enim virtutes laborum
„Mortuis decus sunt.
Primum quidem Iovis sylvam
Vacuavit leone.
Flava pelle vero amictus est,
Flavum caput cum in tergum retorsisset
Vasto rictu belluae.

37) Dianam] sic Ed. 1562.; Ed. Basil. 1551. h. l. habet lectionem *Οἰνόα τίν'*, ad quam spectat Xylandri annotatio in marg. Ed. 1562. h. l. adscripta: „*Οἰνόα.* vox mendosa; alter legit *Οἰνέα.* Oeneus rex fuit Aetolorum." Hanc lectionem exprimit Ed. 1558.: Oenea quendam. Editt. recent. exhibent *Οἰνωᾶτιν* — Oinoatidem [i. e. Dianam, quae in Oenoë, agri Argivi urbe, colitur].

38) Et montivagorum — delectat. (vs. 364—379.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Et monticulorum [*pro*: monticolarum] agrestium
Centaurorum sobolem olim
Vulneravit arcubus cruentis
Interficiens alatis iaculis.
Conscius est Peneus, qui pulchros habet gurgites,
Longaque arva camporum sterilia,
Et Peliaci incolae,
Vicinique Homoles habitantes
Inter piceas, unde manus
Armantes terram Thessalorum
Equitationibus vastabant.
Et aureum caput habentem
Capream, vario dorso praeditam,
Vastatricem venatorum,
Interficiens, venatorium spectaculum,
Oenea quendam exhilarat.

39) viros] Ed. 1562. mendo typogr.: vivos.

40) Amphanaeas] huic nomini in marg. Ed. 1562 est annotatio: „Quid sit hoc, nondum asse... 1558. amphareis; Barn.: Amphanaeae regionis

41) Et ascendit — inhospitalem. (vs. 380—393 ... 1562.; Ed. 1558.:
Quadrigasque ascendit,
Et frenis domuit equos
Diomedis, quae cruentis praesepibus
Effrenatae dilaniabant,
Cruentos cibos suis maxillis,
Pugnis clamosis inhospitales.
Trans vero argentifluum
Hebrum traiecit, laborem
Mecaeneo [*pro*: Mycenaeo] laborans do...
Et Peliacum littus,
Anauri iuxta hostia.
Cycnum vero, hospitum interfectorem,
Sagittis interfecit amphareis,
Habitatorem inhumanum.

Et tulit sidereas domos
Fortitudine divina[42]).

[*Strophe 3.*]

Et ad exercitum equestrem Amazonum
Circa Maeotim fluminosam
Ivit per fluctus Euxinos paludis.
Quem non ex Graecia
Coetum amicorum colligens,
Ad puellas Martias peplorum
Auream ad vestem,
Ad perniciosam venationem balthei?
Graecia accepit pulchra
Spolia puellae barbarae,
Et servantur Mycenis.
Et innumera[43]) capita habentem
Canem clamosum Lernae
Hydram igni delevit,
Et telis perculit
Tricorporem, quibus
Occidit pastorem Erythiae[44]).

[*Antistrophe 3.*]

Atque aliorum cursuum praemia fortunato
Confert. Lachrymosum
Ad Plutonem labore postremo navigavit,
Ut miser finiret
Vitam, neque rediit.
Domus autem sine amicis est.
Hanc vero sine reditu liberorum
Charontis navis expectat
Finem vitae impiam,
Iniustam; in tuas manus
Respicit corpus praesentis.
Quod si ego pubescerem viribus,
Et hastam in pugna vibrare possem,
Et Thebanorum coaevi:
Adessem liberis
Vi. Nunc autem deest
Mihi felix iuventus.
Sed video hos mortuorum
Vestitum habere,
Filios magni aliquando
Antea Herculis, et charam uxorem
Trahentem catenatis pedibus
Liberos et senem patrem Herculis.
Me miserum,
Non possum continere lachrymantium
Oculorum senilium fontes[45]).

---

42) Et ad — divina. (vs. 394—407.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cantatricesque ad virgines
Venit, Hesperiam ad aulam,
Aureis ab ramis poma ferentem
Manu fructum destringens,
Dracone habente fulvum dorsum,
Qui inaccessibilem iuxta ramum
Ramum custodiebat,
Interfecto, marinosque maris
Secessus ingressus est, mortalibus
Columnis insignitos faciens remigatione.
Coelique sub mediam
Sustulit manus sedem,
Atlantis domum accedens.
Stelliferasque sustinuit domos
Sua fortitudine, Deorum.

43) innumera] Ed. 1562. male disiunctim: in numera.

44) pastorem Erythiae.] his in marg. Ed. 1562. additum est nomen eius: „Geryonem." — Et ad — Erythiae. (vs. 498—424.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Equestremque Amazonum exercitum,
Maeotin circa fluminosam
Ivit per Euxinum mare,
Quemnam non a Graecia
Exercitum congregans amicorum,
Virginis bellicosae peplorum
Aureum ad amictum,
Balthei ad perniciosas praedas.
Inclyta vere Graecia accepit
Barbarae puellae spolia,
Et servat Mycenis.
Et mille capita habentem,
Clamosum canem Lernae,
Hydram igne combussit,
Iaculisque circumdedit,
Tricorporem quibus
Interfecit pastorem Erythiae.

45) Atque — fontes. (vs. 425—450.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Cursuumque aliorum monumenta felicia
Peragravit. Lachrymosum
Navigavit ad Plutonem, laborum finem,
Ubi defunctus est miser
Vita, nec reversus est.
Tecta vero carent amicis.
Hanc autem non reducem suis liberis
Charontis manet in nave [*pro*: navis],
Vitae viam impiam,
Iniustam, ad tuas vero manus
Respicit corpus praesentis.
Quod si ego viribus pubescerem,
Hastamque vibrarem in pugna,
Thebanorumque coaetanei,
Liberis utique adessem
Auxilio. Sed nunc deficio
Secundum felicem pubertatem.
Sed adspicio enim hos mortuorum
Indumentum habentes,
Istos magni olim filios
Antea Herculis, uxoremque charam
Iuxta se catenatis pedibus trahentem
Liberos, et senem patrem Herculis.
Me miserum,
Lachrymas quoniam nequeo continere
Seniles oculorum amplius fontes.

[*Megara, Amphitryo, Hercules, Chorus.*]

Meg. Age, quis sacerdos, quis mactator miserorum,
Aut miserae meae animae occisor,
Ut ducat paratas hasce victimas ad inferos?
O liberi, ducimur non pulchra pocula mortuorum
Una senes et iuvenes et matres.
O fatum miserum meum et liberorum.
Hos, quos postremum video oculis,
Peperi vos; hostibus vero educavi,
Ut vos iniuria afficiant, et laetentur et perdant.
Heu admodum sane spes meam opinionem delusit,
Quam ex patris vestri sermone olim speravi.
Tibi enim pater moriens Argos tribuebat,
Eras autem habitaturus in aedibus Eurysthei,
Imperium habens fertilis Pelasgiae.
Et stola bestiae circumdedisti caput tuum,
Leonis scilicet, qua ipse armatus erat[46]).
Tu vero rex eras Thebarum, quae currus amant,
Possidens meos campos haereditarios.
Sic persuasum ĕrat patri tuo.
Et in tuam dextram, quo in defensione usus es,
Lignum tradebat, fallax donum Daedali.
Tibi autem eam, quam olim demonstravit longe iaculantibus
Telis, Oechaliam daturum se promisit.
Tres vero vos triplici regno
Pater muniebat, elatus magnitudine animi.
Ego autem deligebam sponsas,
Contrahens affinitates e terra Atheniensium
Et Sparta et Thebis: ut religantes rudentes[47])
Retinaculis vitam haberetis beatam.
Haec sunt evanida; fortuna vero mutata
Dedit vobis sponsas Parcas, quas habeatis,
Mihi autem lachrymas, lavacrum; me miseram[48]).
Avus autem hic praebet convivium nuptiale,
Plutonem socerum iudicans, et affinem patris.
Heu me, quemnam vestrum primum aut quem ultimum
Ad pectus admovebo? cui adhibebo os?
Quem complectar? quomodo, ut aridas alas habens
Apis, ex omnibus conferam luctus?
Et in unum conferens, uberes lachrymas edam?
O charissime, si quis modo exaudit
Mortuorum apud Plutonem, tibi haec, Hercules, dico:
Moritur pater tuus, et liberi; pereo autem ego,
Quae antea felix ab hominibus propter te vocabar.
Opem feras, veni, et umbra mihi appareas;
Satis enim superque eris nobis, ubi veneris.
Nam sunt ignavi contra te, qui tuos liberos occidunt[49]).

---

46) *Meg.* Ago — erat. (vs. 451 — 466.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Meg. Age, quis sacerdos, quis victimarius horum infelicium,
Aut quis miserae meae animae occisor?
Paratae ut ducuntur victimae ad Plutonem hae.
O filii, ducimur copula indigna funerum,
Simul senes, et iuvenes, et matres.
O fatum infelix, meumque et filiorum,
Hos, quos ultimo oculis adspicio,
Peperi quidem vos, sed hostibus educavi
Ad ignominiam, et ludibrium ac perditionem.
Eheu, certe multum me ab opinione excusserunt spes,
Quam patris vestri ex sermone olim speravi.
Tibi quidem Argos legaverat mortuus pater,
Eurysthei vero inhabitaturus eras aedes,
Fructuosae imperium obtinens Pelasgiae.
Vestitumque belluae circumponebas tuo capiti
Leonis, qua ipse armabatur.

47) rudentes] huic voci in marg. Ed. 1562. Xylander adscripsit annotationem: „κάλως. mallem καλῶς. ut esset: ut vestris navibus bene subductis, hoc est: rebus vestris optime et in tranquillo constitutis."

48) Tu vero — miseram. (vs. 467 — 482.)] sic Ed. 1562; Ed. 1558.:
Tu vero eras Thebanorum currus amantium rex,
Haereditatem integram meam terrae possidens.
Sic persuasum habuit pater tuus.
In dextram vero tuam, auxiliatricem
Clavam demittebat, Daedali fallax donum.
Tibi vero, quam vastavit porro iaculantibus olim
Telis, daturum Oechaliam promisit.
Tres vero existentes, triplici imperio
Pater muniebat, magna spirans ob fortitudinem.
Ego vero uxores deligebam ex optimis,
Affinitates contrahens ex Atheniensium terra,
Spartaeque, Thebisque, ut annectentes funes
Rudentibus vitam haberetis felicem.
Et ista causa; permutata enim fortuna,
Sponsas quidem habere vobis Parcas dedit,
Mihi vero lachrymas lavacra; me miseram.

49) Avus — occidunt. (vs. 483 — 496)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Avus vero celebrat nuptias hic,
Plutonem aestimans socerum, ex affinitate patris.
Eheu, quem vestrûm primum, aut quem ultimum
Pectori applicabo? cui admovebo os?
Cuius capiam? quomodo veluti flava
Apis conferre possum ex omnibus luctus?
In unum vero conferens uberes dem lachrymas?

Am. Tu, mulier, ea perages, quae ad inferos pertinent.
Ego te, o Iupiter, manus ad coelum tendens
Compello, ut liberis, si quid eos iuvare
Velis, opem feras, et quidem forte non iurabis;
Quamquam saepe vocatus es, frustra laboro.
Mori, ut apparet, necesse est.
Verum, o senes, „brevis est haec vita:
„Hanc quam iucundissime transigatis,
„A die ad noctem non dolentes.
„Adeo tempus non novit[49a]) spes
„Servare; suum vero negotium curans, avolat.
„Videte me, qui suspiciendus eram hominibus
„Praeclare vivens; et fortuna haec mihi eripuit,
„Sicut ala ad aerem volans uno die.
„Divitiae vero magnae et gloria, haud scio, cuinam
„Stabiles sint. Valete; virum enim amicum
Postremum nunc, o vos aequales, vidistis[50]).
Meg. Ehem.
O senex, videone mea charissima? aut quid dicam?
Am. Nescio, filia, et me stupor tenet.
Meg. Hic est, quem audiebamus infra terram esse,
Nisi in luce somnium aliquod videmus.
Quid loquar? quale somnium video consternata?
Non est alius ille quam tuus filius, o senex.
Huc, o liberi, suspendite vos a paterna tunica.
Ite, festinate, ne dimittatis: quoniam Iove
Servatore nihil hic vobis est inferior.
Herc. Salve, o domus, tuque vestibulum domus meae,
Quam libens te adspicio, postquam in lucem veni.
Hem? quid rei est? video liberos ante domum
Coronatos capita ornatu mortuorum,
Et meam uxorem in turba virorum,
Et patrem lachrymantem ob aliquam calamitatem.
Age prope hos stans interrogabo:
Mulier, quae res nova accidit domui?
Meg. O charissime vir, o lumen patri veniens,
Venis, salvus es, opportune veniens ad amicos[51]).
Herc. Quid ais? in quem tumultum venimus, pater?
Meg. Perimus; tu vero, senex, veniam des mihi,
Si praeripui, quae te loqui ad hunc conveniebat.
Mulieres enim quodammodo magis sunt viris miserabiliores.
Et liberi mei mortui sunt, et ego perii.
Herc. O Apollo, quo exordio incipis sermonem?
Meg. Perierunt fratres, et pater meus senex.
Herc. Quid ais? quid fecit, aut qualem hastam expertus?

O charissime, si quis vocem exaudit
Mortalium apud Plutonem, tibi haec, o Hercules, dico.
Moritur pater tuus, et filii; pereo autem ego,
Quae antea beata propter te vocabar mortalibus.
Fer opem, adsis, et umbra appareto mihi.
Satis namque veniens superque fueris tu.
Ignavi enim contra te, qui filios interficiunt tuos.

49a) non novit] sic Editt. recent. (= Eurip. οὐκ ἐπίσταται; Ed. 1558. nescit); Ed. 1562. mendo typogr.: non vovit.

50) *Am.* Tu — vidistis. (vs. 497—513.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Am. Tu quidem funebria ornata fac mulier,
Ego vero te, o Iupiter, manus ad coelum tendens
Compello, liberis, si quid hos adiuvare
Vis, ferre opem, quoniam mox nullam feres.
Quamvis vocatus es saepe, frustra laboro.
Mori enim, ut apparet, necesse est.
Sed, o senes, „brevis quidem haec vita.
Hanc vero ut suavissime transigatis,
Ex die ad noctem nulla tristitia affecti.
„Quoniam spes quidem tempus nescit
„Servare: hoc sui gratia qui affectat, frustratur.
„Adspicite me, qui etiam conspicuus mortalibus,
„Praeclara peragens, et me deiecit fortuna
„Veluti plumam ad aethera una die.
„Sed divitiae magnae, et gloria, nescio cui
„Stabiles sint. Valete; verum enim amicum
„Ultimo nunc, o aequales, videtis.

51) *Meg.* Ehem — amicos. (vs. 514—532.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Meg. Ehem.
O senex, video mea charissima? aut quid dicam?
Am. Nescio, o filia, stupor vero et me tenet.
Meg. Hic est, quem subtus terra audivimus,
„Nisi somnium in luce quoddam videmus.
Quid loquar? qualia somnia deficiens video?
Non est hic alius nisi tuus filius, o senex.
Huc, o filii, pendeatis paternis a vestibus.
Ite, accelerate, ne dimittatis, quoniam Iove
„Servatore vobis nihil est hic inferior.
Herc. O salve atrium, et vestibula laris meae,
Quam lubens te adspexi, ad superos reversus.
Ehem, quid rei? filios video ante domum
Ornatu funebri capite coronatos,
Turbaque in virorum meam uxorem,
Patremque lachrymantem ob calamitatem quandam.
Age, interrogabo istos prope constitutus.
Uxor, quid novum venit domibus usui?
Meg. O charissime virorum, o lumen veniens patri,
Ades, servatus es, ad periculum veniens amicis.

Meg. Inclytus Lycus, dominus terrae, ipsos perdidit.
Herc. Utrum occurrens armis, an concitata terra seditione?
Meg. Seditione regnum Cadmi tenet, quod septem portas habet.
Herc. Quid ad te et senem pervenit hic terror?
Meg. Interfecturus erat patrem et me et liberos.
Herc. Quid ais? an metuens meos liberos pupillos?
Meg. Ne quando ulciscantur mortem Creontis.
Herc. Ornatus vero iste vestium quis est, vestium, quae mortuis destinatae?
Meg. Induti sumus amictu mortis.
Herc. Et per vim moriebamini? o me miserum.
Meg. Amicis orbi; te vero[52]) mortuum audiebamus.
Herc. Unde autem ad vos pervenit haec desperatio?
Meg. Eurysthei nuntii nuntiaverunt ista[53]).
Herc. Sed quare reliquistis domum et meos lares?
Meg. Vi pater eiectus est e lecto strato.
Herc. An non pudet ipsum contumelia afficere senem?
Meg. Pudor procul habitat ab illa dea[54]).

---

52) te vero] sic (= Eurip. σὲ δὲ) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. tenere.

53) *Herc.* Quid ais? — ista. (vs. 533—553.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Herc. Quid ais? quam in turbam venimus, pater?
Meg. Periimus. Tu vero, senex, ignosce mihi,
Si praeripui, quae te loqui ad hunc conveniebat.
„Feminae enim quodammodo magis miserabiles maribus.
Et mei perierunt filii, perii etiam ipsa.
Herc. O Apollo, quibus prooemiis incipis sermonem?
Meg. Oppetierunt fratres, et pater meus senex.
Herc. Quem ais? quid faciens? aut bellum quod incidens?
Meg. Lycus ipsos inclytus terrae rex peremit.
Herc. Armis congressus, aut dissidente terra?
Meg. Ex seditione Cadmi septem portas habens occupat imperium.
Herc. Quid igitur ad te et senem pervenit metus?
Meg. Interficere vult patrem, et me, et liberos.
Herc. Quid ais? metuens pupillos meos?
Meg. Ne quando Creontis mortem ulciscantur.
Herc. Ornatus vero vestrum [*pro*: vestium] quis inferorum?
Meg. Mortis hunc iam amicti sumus amictum.
Herc. Et per vim moriemini? o infelix ego.
Meg. Amicis privati, te vero mortuum audivimus.
Herc. Unde vero ad vos haec pervenit desperatio?
Meg. Eurysthei nuntii annuntiarunt haec.

54) ab illa dea] his in marg. Ed. 1562. adiecta est explicatio: id est, a vi.

Herc. Adeone absens carui amicis?
Meg. „Ecqui sunt homines amici calamitoso?
Herc. Proelia vero, quae contra Minyas sustinui, exspuerunt?
Meg. „Calamitas, ut dicam iterum, est sine amicis.
Herc. Non abiicietis Plutonis istum amictum a coma,
Et lucem adspicietis, inferorum tenebrarum[55])
Gratas vicissitudines oculis cernentes?
Ego vero (nunc enim opus est meae manus,)
Primum vado, et evertam domum
Novi tyranni; caput autem impium abscisum
Abiiciam canibus dilacerandum; quoscunque vero Thebanos
Malos deprehendero, cum beneficiis a me sunt affecti,
Armis hisce victricibus subigam.
Alios dissipans alatis sagittis
Caede mortuorum implebo totum Ismenum,
Et limpida aqua Dircae cruentabitur.
Etenim cui me magis quam uxori opitulari convenit,
Et liberis et seni? valeant labores.
Frustra enim prae his perfeci eos.
Et convenit me pro istis, si quidem illi pro patre,
Defendentem mori, aut quid dicemus honestum
Pugnare cum hydra et leone,
Missum ab Eurystheo? et non a meis liberis
Mortem depellam? non quidem Hercules
Victoriosus dicerer, ut antea.
„Iustum est, ut parentes adiuvent liberos,
„Et patrem senem, et participem nuptiarum[56]).

---

55) inferorum tenebrarum] sic Ed. 1562.; Editt. recent.: infernarum tenebrarum (= Eurip. τοῦ κάτω σκότους).

56) *Herc.* Sed quare — nuptiarum. (vs. 554—584.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Herc. Cur vero reliquistis domum, laresque meos?
Meg. Per vim, pater quidem eiectus strato ex molli.
Herc. „Neque habuit pudorem, senem ignominia afficere?
Meg. „Pudor enim hinc habitat divinus procul.
Herc. „Sic vero absentes carebamus amicis?
Meg. Amici sunt vero infelici quinam?
Herc. Proelia vero contra Minyas, quae subii, neglexerunt?
Meg. Caret amicis (ut iterum tibi dicam) infelicitas.
Herc. Quin abiicitis Plutonis hos amictus a capite?
Et lumen suspicitis pro infernis tenebris,
Gratas vicissitudines oculis adspicientes?
Ego vero, nunc enim meae opus est manus,
Primo quidem ibo, et diruam domos
Novorum tyrannorum; caput vero impium abscindens,

Am. Tuum est, o fili, amicis esse amicum,
Et inimicos odisse. Sed ne nimium festines.
Herc. Quid vero in his, o pater, citius fit, quam conveniat?
Am. Multos pauperes, sed qui sermone divites
Videntur esse, auxiliarios habet rex,
Qui seditionem concitarunt, qui perdiderunt civitatem
Propter rapinas proximorum[57]), res autem familiaris
Sumptibus profusa est, et otio periit.
Visus es accedens ad urbem; postquam vero iussus es, vide,
Ne congregatis inimicis praeter opinionem tuam pereas.
Herc. Non est mihi curae, etiamsi tota me civitas viderit.
Cum autem vidissem avem quandam in loco inauspicato,
Intellexi aliquam calamitatem incidisse in domum.
Itaque de industria clam ingressus sum terram.
Am. Recte accedens nunc saluta lares,
Et paternis aedibus da tuum conspectum, ut videant.
Ipse enim veniet tuam uxorem et liberos
Tractaturus, interfecturus, et me una mactaturus rex.
Manenti tibi domi, omnia erunt expedita,
Et lucrum facies tua securitate, et urbem tuam
Non prius turbaveris, quam hoc bene feceris, o fili[58]).

Proiiciam canibus tractionem. Thebanorum vero quotquot
Ingratos deprehendo, bene affectos a me,
Victricibus istis armis subigam.
Reliquos vero alatis dissipans telis,
Mortuorum totum Ismenum implebo caede,
Dircesque latices limpidi cruentabuntur.
Cui enim me opem ferre potius quam uxori convenit,
Et filiis, et seni? Valeant labores.
Frustra enim eos prae iis confeci.
Nam convenit me pro istis (si quidem hi pro patre)
Mori pugnantem; aut quid dicendum egregium,
Cum hydra quidem congressum proelio, leoneque,
Eurysthei ductibus, sed pro meis liberis
Non amoliar mortem? non sane Hercules
Victoriosus, ut antea, dicar.
„Aequum est, parentes adiuvare liberos,
„Patremque senem, et participem nuptiarum.

57) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: Seditionum causa.

58) *Am.* Tuum — o fili. (vs. 585—605.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Am. „Tuum quidem est, o fili, amicis esse amicum,
„Et inimica odisse; sed ne festines nimis.

Herc. Faciam ista; recte enim dixisti: vado intra domum.
Ex longo intervallo vero rediens ex sole carentibus recessibus
Subter puellam Plutonis, non negligam
Primum Deos domesticos alloqui.
Am. Verene venisti in domum Plutonis, o fili?
Herc. Et quidem belluam tricipitem in lucem duxi.
Am. Pugna victum, an munere Deae?
Herc. Pugna; fortunatus autem fui, qui viderim sacra sacerdotum.
Am. Estne in aedibus Eurysthei bellua?
Herc. Nemus Cereris et civitas Hermion ipsam habet.
Am. An non scit Eurystheus te rediisse in terram?
Herc. Non scit; veni, ut scirem prius, quomodo se hic res haberent.
Am. Quomodo autem tamdiu fuisti sub terra?
Herc. Reducens Theseum cunctatus sum, o pater.
Am. Ubi is est? utrum ivit in solum terrae patriae[59])?

Herc. Quid vero fit in istis citius quam oporteat, pater?
Am. Multos pauperes, divites vero sermone
Visos esse, auxiliares rex habet,
Qui seditionem moverunt, et perdiderunt rempublicam,
Propter direptionem proximorum; res vero familiaris
Sumptibus periit, dilapsa ob inertiam.
Visus es accedens civitatem; postquam vero visus es, vide,
Inimicos congregans, ne praeter opinionem cadas.
Herc. Curae est nihil, etsi me tota vidisset civitas.
Avem vero cum vidissem quandam non in auspicatis sedibus,
Cognovi calamitatem quandam in domum incidisse:
Itaque ex consulto tacitus ingressus sum terram.
Am. Recte procedens nunc, et salutato Vestam,
Et da paternis aedibus tuum vultum adspicere.
Veniet enim ipse, tuam uxorem et liberos
Tractaturus, interfecturus, et me iugulaturus rex.
Manenti vero hoc in loco omnia tibi fient,
Et securitate frueris, civitatemque tuam
Non prius turbaveris, quam haec bene posueris, o fili.

59) in solum terrae patriae?] his in marg. Ed. 1562. adscriptum est nomen: Athenas. — *Herc.* Faciam — patriae? (vs. 606—621.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Herc. Faciam haec; recte enim dixisti, ibo intra domos.
Tandem vero reversus ex opacis secessibus
Plutonis puellae infernalis, non negligam
Deos alioqui primum domesticos.
Am. Venisti enim re vera ad domos Plutonis, o fili?
Herc. Et belluam ad superos tricipitem duxi.
Am. Pugna superans, aut Deae ex dono?
Herc. Proelio, sacerdotum infernalium sacra feliciter adspexi.
Am. Num in domo est Eurysthei bellua?
Herc. Hecates ipsum lucus, Hermionque habet oppidum.

Herc. Ivit Athenas, gaudens se fugisse ex locis subterraneis.
Sed sequimini patrem, o liberi, in domum.
Melior ingressus quam egressus
Vobis[59a]) est; verum fiduciam sumite,
Et non amplius exhauriantur flumina oculorum;
Tuque, mea uxor, animum recipe,
Et desine metuere, et dimitte meas vestes;
Non enim sum alatus, neque fugiam amicos.
Ah non dimittunt hi, sed suspendunt se a vestibus[60]).
Tanto magis huc accessistis in ipso articulo periculi.
Accipiam sane manibus, tanquam scaphulas
Traham veluti navis; neque enim recuso
Curare liberos. „Omnes homines aequales in hoc sunt.
„Et praestantes homines amant liberos,
„Et contempti; opibus differunt:
Habent alii, alii non; sed omnes amant suos liberos[61]).

[*Strophe* 1.]

Chor. „Iuventus mihi gratum
„Onus, senectus vero semper
„Gravior scopulis Aetnae
„Supra caput iacet[61a]),
„Palpebras tenebricoso
„Velo tegens.
„Non mihi neque Asiatici
„Regni opes sint,
„Neque domum auri plenam
„Acciperem pro iuventute,
„Quae pulcherrima in divitiis,
„Pulcherrima in paupertate.
„Molestam vero et letalem senectutem
„Odi; sub fluctus
„Abeat. Utinam nunquam
„Ad aedes hominum et civitates
„Veniret; sed in aere semper
„Ferretur alis[62]).

[*Antistrophe* 1.]

„Si prudentiam haberent Dii
„Et providentiam erga homines,
„Haberent hi geminam iuventutem,
„Manifestum signum
„Virtutis, quibus
„Adesset, et mortales ad
„Splendores solis iterum
„Irent geminas vias;
„Sed ignobiles simplicem
„Haberent vitae modum.
Atque ad hunc modum, et malos
Et bonos cognoscere
Aequum esset, sicut in nubibus stellarum
Numerus est nautis.
Nunc autem nulla est a Diis nota
„Certa bonorum et malorum.
„Sed volutata quaedam vita
„Auget solum divitias[63]).

Am. Neque scit Eurystheus, te supra terram rediisse?
Herc. Non novit, profectus, quae hic aguntur, ut scirem prius.
Am. Tempus vero quomodo tantum fuisti sub terra?
Herc. Thesea ad superos ducens, moram traxi in Plutonis, o pater.
Am. Et ubi est? num ad terrae patriae ivit solum?

59a) Vobis] sic (= Eurip. ὑμῖν) Editt. 1558. et recentt.; Ed. 1562. Nobis.

60) vestibus.] sic Editt. recent. (= Eurip. πέπλων); Ed. 1562. mendo typogr.: restibus. (Ed. 1558. peplis).

61) *Herc.* Ivit — liberos. (vs. 621—636.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Herc. Abiit Athenas, ab inferis lubens fugiens.
Sed eia sequimini, o filii, in domum patrem,
„Laetiores certe introitus quam exitus.
„Adsunt vobis; sed fiduciam sumite,
Et lachrymas ex oculis non amplius edite.
Tuque, o uxor mea, animum recipe,
Aque trepidatione cessa, et dimittite meas vestes.
Non enim alatus sum, neque effugiam amicos.
A, hi vero non dimittunt, sed implicantur peplis.
„Tanto magis sic veniretis in novaculae [*pro*: novaculam].
Traham accipiens sane scaphulas manibus,
Navis vero quasi attraham; etenim non abnuo
Obsequium filiorum. „Omnes res hominum pares sunt.
Amant liberos, quique praestantes sunt mortalium,
Quique obscuri; pecuniarum autem expetentes alii
Sunt, alii vero non; „omne vero amat liberos genus.

61a) iacet] sic (= Eurip. κεῖται) Barn., Musgr.; Ed. 1562. iaces.

62) *Chor.* Iuventus — alis. (vs. 637—654.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. „Ipsa iuventa mihi gratum
„Pondus, sed senecta semper
„Gravius Aetnae scopulis
„Capiti imminens,
„Oculorum tenebricosum
„Amictum obtegens.
„Non mihi neque Asiatici
„Regni divitiae sint,
„Non auri domus plena,
„Pro ipsa iuventute.
„Quae pulcherrima quidem in divitiis,
„Pulcherrima autem in paupertate.
„Sed triste letaleque senium
„Odi; per fluctus vero
„Pereat; neque unquam debet
„Mortalium ad domos et civitates
„Redire, sed per aethera semper
„Alis feratur.

63) Si prudentiam — divitias. (vs. 655—672.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

[*Strophe 2.*]

Non cessabo gratias
Musis miscere
Iucundissima coniunctione.
Utinam vivam in bonis studiis,
Et semper sim in coronis[64]).
Adhuc vetus cantator
Canit Mnemosynam[65]).
Adhuc Herculis
Egregias victorias canam,
Tum[65a]) apud Bacchum largitorem vini,
Tum[65a]) apud chelyos septem fides habentis
Cantum et tibiam Libycam.
Nondum deseram
Musas, quae me adiunxerunt choro.

[*Antistrophe 2.*]

Paeana Deliades
Cantant circa portas,
Felicem filiam Latonae,
In gyrum ducentes pulchram choream.
Paeanas autem in tua aula
Sicut cygnus senex cantor
Ex canis genis
Sonabo; bonitas vero
Hymnorum est,
Filius Iovis, nobilitatem
Longe superans,
Qui labore tuo tranquillam
Vitam fecit hominibus,
Deletis terribilibus belluis[66]).

[*Lycus, Amphitryo, Iris, Lyssa, Chorus.*]

Lycus. In tempore extra domum egrediens Amphitryo,
Tempus iam longum est, ex quo vestibus
Et monumentis mortuorum ornatis corpus.
Sed age, liberos et uxorem Herculis
Iube extra has aedes apparere,
Quia promisistis vos ultro morituros.
Am. O rex, insectaris me miserum,
Ad iniuriam aliam iniuriam addis, supra hoc, quod meos mori oportet;
Quibus rebus conveniebat te mediocriter, etiamsi dominus es, studere.
Sed quando cogis nos mori,
Necesse est boni consulere; facienda vero, quae tibi videntur.
Lyc.[67]) Ubinam est Megara? ubi proles filii Alcmenae?
Am. Videtur mihi, quantum foris stans possum coniicere, —
Lyc. Quid coniicis?
Am. Supplicem sedere ad sanctas fossas laris.
Lyc. Frustra supplicat, ut conservet vitam.
Am. Et frustra vocat mortuum.

„Quod si Diis esset prudentia,
„Et sapientia apud homines,
„Geminam sane iuventam attulissem.
„Manifestam notam
„Virtutis, quibus
„Adfuerit, et mortales
„Ad splendores iterum solis
„Duplices utique ivissem [*pro*: ivissent] cursus.
„Sed ignobilitas simplicem
„Haberet vitae modum.
Et hac nota et improbos
Cognoscere, et bonos,
Aequum esset, veluti in nubibus astrorum
Nautis numeratio existit.
„Nunc vero nullus index ex Diis
„Bonis neque malis certus,
„Verum fraude utens quaedam vita
„Divitias tantum comparat.

64) coronis] haec vox in marg. Ed. 1562. explicatur: conviviis.

65) Mnemosynam] huic ibid. adscripta sunt verba: matrem Musarum.

65a) Tum — Tum] sic Editt. recent. (= Eurip. τε — τε; Ed. 1558. Et — Et); Ed. 1562. Tu — Tu

66) Non cessabo — belluis. (vs. 673 — 700.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Non desistam gratias
Musis coniungens,
Suavissimam coniugationem.
Utinam vivam infelici Musarum studio;
Semper vero in coronis sim.
Adhuc certe vetulus cantor
Cantat memoria dignum.
Adhuc Herculis
Victoriam cantabo,
Et apud Bromium vini largitorem,
Et ad chelys [*pro*: chelyos] septem sonos habentis
Cantum et Libycam tibiam.
Nondum reliquimus
Musas, quae me tripudiare fecerunt.
Paeana quidem Deliades
Cantant circa portas,
Latonae felicem filium,
In gyrum ducentes pulchram choream.
Paeanas etiam iuxta tua atria
Veluti cycnus vetulus cantor
Canis ex genis
Cantabo. „Etenim bonam materiam
„Cantionibus subministrat
„Iovis filius, egregia vero facta
Maxime superavit,
Laborans tranquillam
Fecit vitam mortalibus,
Devastans timores belluarum.

67) *Lyc.*] sic h. l. et in seqq. usque ad v. 722. Editt. recent. aeque ac Ed. Basil. 1551.; Ed. 1562. *Lys.*; Ed. 1558. *Ly.* (cuius loco equidem scripsi *Lyc.*).

Lyc. Ille non adest, neque venturus est unquam.
Am. Non, nisi Deus aliquis excitaverit eum.
Lyc. Vade ad eam, et e domo ducas.
Am. Particeps essem caedis, si facerem haec.
Lyc. Nos, si quidem hoc tibi est cordi,
Qui sumus extra terrores, educemus
Liberos cum matre. Huc sequimini, famuli,
Ut solvamus moram huius negotii libentes.
Am. Tu vero eas. Vadis autem, si fatum est, alia fortassis
Alteri curae erunt. Expecta autem, cum malefeceris,
Ut aliquid mali patiaris. O senes, recte
Vadit, capietur retium laqueis
Ensiferis, qui sperat se interfecturum vicinos
Pessimus. Ibo, ut videam mortuum
Cadentem; affert enim voluptates moriens vir
Inimicus, et cum persolvit poenas factorum[68]).

[*Strophe* 1.]

Chor. Mutatio malorum.

---

68) *Lyc.* In tempore — factorum. (vs. 701 — 733.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Lyc. Opportune e domo Amphitryon egreditur.
Tempus enim iam longum, ex quo peplis
Ornatis corpus, et mortuorum ornamentis;
Sed age, filios et uxorem Herculis
Extra iube has apparere aedes,
Ea conditione, qua promisistis ultro condicti mori.
Am. O rex, iubes me misere affectum,
Iniuriamque infers erga morituros meos,
In quibus convenit te moderate (etsi victor es) agere.
„Sed postquam necessitatem addis nobis moriendi,
„Ferenda aeque necessitas; faciendum quod tibi videtur.
Lyc. Ubi igitur Megara? ubi filius Alcmenae filii?
Am. Video quidem illam, tanquam foris existentem coniectari.
Lyc. Quam rem opinionis huius habes coniecturam?
Am. Supplicem ad inviolatas laris sedere fossas.
Lyc. Incassum sane supplicantem conservare vitam.
Am. Etiam mortuum invocat frustra maritum.
Lyc. Ille vero non adest, utinam etiam nunquam veniat.
Am. Non, nisi forsan quispiam Deorum excitaverit ipsum.
Lyc. Abi ad eam, et educ e domo.
Am. Particeps essem caedis, faciens hoc.
Lyc. Nos, quoniam tibi hoc est cordi,
Qui metus expertes sumus, educemus
Cum matre liberos; huc sequimini famuli,
Ut otium solvamus, lubentes laborum.
Am. Tu igitur eas; vadis vero, si fatum est: caetera forsan
Alteri curae erunt. „Expecta vero faciens male,
„Mali aliquid passurum. O senes, recte
Abit, laqueis retium capietur
Ensiferis, proximos sperans interfecturum,
Pessimus ille; abeo vero, ut videam mortuum
Cadentem. „Praebet enim voluptates, cum moritur vir
„Hostis, cumque solvit ob perpetrata poenam.

Qui magnus rex antea erat,
Iterum flectit
Vitam ad Plutonem.
O Iustitiam et Deorum
Fatum refluens.
Am. Venisti quamvis sero, ubi morte poenam lues
Iniuriae, quam fecisti melioribus te.

[*Strophe* 2.]

Chor. Gaudia lachrymarum
Excusationes dederunt.
Venerunt rursus, quae antea
Nunquam animo spe-
ravit se passurum dominus terrae.
Sed, o senex, quid intra domum fiat,
Videamus, si quis agat, ut ego cupio.

[*Strophe* 3.]

Lyc. O me. *Chor.* Incipit hoc
Carmen, quod mihi ad audiendum
Gratum est in aedibus.
Mors non procul, clamat,
Clamat gemens prooemium caedis rex.
Lyc. O tota Cadmi terra, dolo pereo.
Chor. Quia perdidisti; persolvens autem poenas,
Sustine, poenas daturus factorum.

[*Strophe* 4.]

Chor. Quis mortalis, Deos polluens iniustitia,
Stultum sermonem contra beatos coelites
Emisit, quod Dii nihil possint?
Senes, non est amplius impius vir.
Tacent atria, vertamur ad choros.
Amici enim, quos volo, felices sunt[69]).

---

69) *Chor.* Mutatio — felices sunt. (vs. 734 — 762.)] sic Ed 1562.; Ed. 1558.:
Chor. „Commutatio est malorum.
„Magnus antea rex
„Iterum deflectet
„Vitam ad Plutonem.
„Hem iustitiam, et Deorum
„Retro fluens fatum.
Am. Venisti quamvis sero, ubi poenam dabis mortuus,
Iniuria afficiens praestantiores te.
Chor. „Gaudia lachrymas
„Excusserunt.
Iterum venit, quae antea
Nunquam animo speravit
Se passurum terrae rex.
Sed, o senex, etiam domorum interiora
Consideremus, num agat quis, ut ego cupio.
Lyc. Eheu. *Chor.* Hoc initium capit

[*Strophe* 1.]

Chori et convivia curae sunt Thebanorum
Per sacrum oppidum.
Mutationes enim lachrymarum,
Mutationes fortunae
Pepererunt cantus.
Abiit inclytus rex;
Sed antiquior
Regnat reiecto portu Acherontis.
Venit spes praeter opinionem.

[*Antistrophe* 1.]

Dii solent iniusta
Et iusta audire:
Aurum et res secundae
A sanitate mentis depellunt homines;
Iniustam potentiam
Attrahens enim, tempore sustinuit
Iterum videre,
Relicta lege, iustitiae dans gratiam,
Concussit[70]) nigrum currum divitiarum[71]).

[*Strophe* 2.]

Ismeno coronatio,
Et urbis septem portas habentis ornati
Vici, saltate;
Et Dirce pulchre fluens,
Et una puellae Asopicae,
Ite patris aqua
Relicta celebrantes
Nymphae Herculis
Victoriosum certamen. O
Pythii nemorosa rupes,
Et domus Musarum Heliconidarum,
Venite laeto[72]) cantu
In meam urbem, et meos muros,
Ubi spartorum genus[73]) apparuit
Agmen armatorum, quod terram
Liberorum liberis permutat,
Sacrum lumen Thebis[74]).

[*Antistrophe* 2.]

O lectorum duo cognata
Cubilia, mortalis scilicet Amphitryonis
Et Iovis, qui venit ad cubile
Nymphae Perseidis, et credibilis
Mihi iam vetus
Concubitus tuus, o Iupiter,
Praeter spem apparuit.
Tempus vero ostendit splendidam
Victoriam Herculis,
Qui ex penetralibus terrae rediit,
Relicta domo infernali Plutonis.
Melior dominus mihi factus es,

Carmen mihi auditu
Gratum in domibus.
Mors non procul; clama,
Clama ingemiscens prooemium, rex, caedis.
Lyc. O tota Cadmi terra, pereo dolo.
Chor. Etiam perdidisti; talionem vero persolvens,
Sustine, dans ob patrata poenam.
„Quisnam Deos iniquitate polluens mortalis existens,
„Stultum sermonem contra coelites beatos
„Eloquutus est, quod utique nulla potentia praediti sint Dii?
O senex, non amplius vivit impius vir.
Silens [*pro*: Silent] atria, ad choros vertamur.
Amici enim felices sunt, quos ego cupio.

70) A sanitate mentis — Concussit etc.] sic Ed. 1562.; Fix. hunc locum sic vertit: Abripit a modesta mente homines, Iniustam potentiam secum trahens. Temporis enim nemo sustinet Vicissitudines respicere, Qui leges contemsit, sed iniquitati quum indulsit, Fregit etc.

71) Chori et — divitiarum. (vs. 763—780.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Certe choreae, et tripudia curae sint Thebanorum
Sacrum per oppidum.
Commutationes enim lachrymarum,
Commutationes fortunae
Effecerunt carmina.
Abiit rex ille inclytus;
Sed antiquior
Victor est, postquam portum reliquit Acheronticum.
Opinionem praeter evenit spes.
„Dii ipsi impios cunctantur et
„Pios audire.
„(Sed aurum et felicitas
„Ad superbiam homines ducit,
„Vim iniquam
„Attrahens;) tandem enim dedit
Vicissitudinem (vel, pristinum statum) adspicere
Legem concedens, aequitati gratificans,
Fregit divitiarum nigrum currum.

72) laeto] Ed. 1562. mendo typogr.: laeco.

73) spartorum genus] his in marg. Ed. 1562. adiecta est annotatio: qui ex dentibus a Cadmo satis orti sunt.

74) Ismeno — Thebis. (vs. 781—797.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Ismeno est gestatio coronarum,
Politaeque septem portas habentis civitatis
Saltate plateae;
Dirceque pulchre fluens,
Unaque Asopicae puellae
Patris aquam ite,
Relinquentes concentrices
Nymphae Herculis
Victoriosum certamen; o
Apollinis arborifera rupes
Musarumque Heliconidarum domus,
Venite laeto cantu
Ad meam urbem, meaque moenia,
Spartorum ubi genus apparuit,
Armatorum virorum agmen, quod terram
Posteris incolit per vices,
Thebis sacrum lumen.

Gratus ex genere regio[74a]),
Quae nunc ostendit videre
Ad certaminum ensiferorum
Mutationem ad iustitiam[75]),
Diis adhuc placent.
Hem[76])!
An in idem certamen timoris venimus,
Senes? quale visum video supra domum?
Fugiendo
Segnem attolle pedem, e medio abi.
O rex Apollo,
Depelle a me mala[77]).
Iris. Confidite videntes filiam hanc Noctis,
Lyssam, o senes, et me Deorum ministram,
Iridem; non enim adsumus, ut noceamus civitati;
Sed militamus adversus corpora unius viri,
Quem Iovis et Alcmenae filium esse dicunt.
Nam priusquam absolveret dura certamina,
Necessitas ipsum servavit, neque permisit pater
Iupiter ei malefacere, neque me, neque Iunonem.
Sed postquam confecit labores Eurysthei,
Iuno vult ei novum sanguinem addere
Interficienti liberos, et ego assentior.
Sed age inexorabilis, correpto eius corde,
Virgo obscurae Noctis sine nuptiis nata filia,
Insaniam in virum hunc, et interfectricem filiorum
Mentis perturbationem, et pedum saltationem
Impelle, commove, et homicidii laxa rudentem,
Ut, occisa propter iter infernale
Corona pulchrorum liberorum sua manu,
Noscat, qualis ei sit ira Iunonis,
Et discat meam. Certe Dii nihil essent,
Res vero mortalium magnae, si is non daret poenam[78]).
Lyssa. Ex generoso patre et matre
Nata sum, a sanguine Noctis et Coeli;
Et eum habeo honorem, ut non sim grata amicis;
Neque laetor vadens ad homines amicos.
Sed admonere, priusquam errantem videatis[79]),
Iunonem teque volo, si obtemperaveritis meis verbis.
Vir hic non obscurus neque in terra,
Neque inter Deos, ad cuius domum me mittis.
Regionem vero inaccessam et ferum mare
Pacans, solus restituit Deorum
Honores, qui ab impiis viris aboliti erant.
Neque tibi suadeo, ut gravia mala velis.
Iris. Ne tu admoneas, Iunonis mala[79a]) consilia
In optimum vestigium collocans pro malo.

74a) Gratus ex g. r.] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Gratus ex progenie regum (=Ed. Basil. Ἡδὺς γένει ἀνάκτων.); Editt. recent. Ἢ δυςγένει' ἀνάκτων — Fix.: Quam degeneres reges.

75) ad iustitiam] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. secundum aequitatem (utrumque = Ed. Basil. 1551. εἰς τὸ δίκαιον); Editt. recent. εἰ τὸ δίκαιον — si iustitia (Diis adhuc placet).

76) Hem!] Barn. et Musgr. h. l. adnotant: Apparent Iris et Furia.

77) O lectorum — mala. (vs. 798—821.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

O lectorum duo cognata
Cubilia, mortalisque
Et Iovis, qui venit ad cubilia
Nymphae Perseidos, et fidele
Mihi iam antiquum
Coniugium, o Iupiter, tuum
Citra spem apparavit.
Claram enim ostendit tempus
Herculis victoriam,
Qui terrae evasit ex penetralibus,
Plutonis domum relinquens infernalem.
Melior mihi tyrannus es,
Gratus ex progenie regum.
Quae nunc adspicere licet
Armatorum proeliorum ad
Certamen secundum aequitatem
Diis adhuc placent.
Ehem.
Num in idem periculum venimus metus,
O senes? quale visum supra domum video?
Per fugam
Segnem tolle pedem, e medio curre.
O rex Apollo,
Depulsor fias mihi malorum.

78) *Iris.* Confidite — poenam. (vs. 822—842.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Iris. Confidite, Noctis hanc cernentes filiam
Lyssam, o senes, neque Deorum ministram
Iridem; civitati enim nullum adsumus damnum,
Unius, sed contra viri corpora militamus,
Quem dicunt esse Iovis et Alcmenae.
Antequam enim certamina perfecisset dura,
Necessitas ipsum conservavit, neque sinebat pater
Iupiter ei nocere, neque me, neque Iunonem unquam.
Postquam vero labores confecit Eurysthei,
Iuno adiungere novum sanguinem ei vult.
Filios interficienti, volo quoque ego.
Sed eia inexorabilis occupans cor,
Noctis nigrae innupta o virgo,
Furoresque in virum hunc et interfectrices filiorum
Mentis perturbationes, et pedum saltus
Impelle, commoveto, letalem emitte funem.
Ut, cum interfecerit per Plutonicam viam
Pulchrorum filiorum coronam propria manu,
Cognoscat quidem illam Iunonis, qualis sit ei ira;
Discat vero meam. Aut Dii quidem sint nihili,
Mortalia autem sint magna, non dante poenam.

79) videatis] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. videas; Editt. recent.: *te* videam.

79a) mala] sic Editt. 1558., 1562. (= Editt. Basil. 1551. et Musgr. κακά); Barn. καλά — bona; Fix. χάμα — et mea (sic etiam Musgr. in interpret.).

Lys.[80]) Coniunx Iovis non misit te huc, ut moderate agas.
Iris.[80]) Solem testor me facere, quae non cupio facere.
Lys.[80]) Si me Iunoni tibique inservire necesse est,
Celeriter et cum impetu sequi tanquam canem venatorem,
Vado; neque pontus adeo celeriter fluctibus ingemiscens,
Neque terrae motus et stimulus fulminis impetus spirans,
Sicut ego curram in pectus Herculis,
Et rumpam domum, et impetum faciam in familiam,
Interficiens primum liberos; qui vero occidet, nesciet
Liberos se, quos genuit, occidere, priusquam liberatus fuerit a mea rabie[80a]).
Ecce quatit caput a foribus et repagulis,
Et tacite movet truces oculos.
Respirando autem non moderate agit, ut taurus ad impetum
Incitatus, mugit vero invocans Deos Tartari.
Ego te mox magis incitabo, et terrore inflabo.
Vade ad Olympum, o Iri, tollens generosos pedes.
Ego ingrediar invisibilis in domum Herculis[81]).

Chor. Eheu
Geme, detonde tuum florem,
O civitas, filius Iovis
Infelix, o Graecia, quae benefactorem
Amittis, perdes Lyssae insania
Incitatum in ipso sonante furiis.
Ivit luctuosa ista in curru;
Currui autem stimulos dat tanquam ad perniciem
Noctis filia centum capitibus
Lyssa serpentum vociferatione fulgens.
„Cito Deus commutavit felicem.
Celeriter vero exspirastis a patre caesi, o liberi.
O me infelicem! o Iupiter, tuum genus statim sine liberis erit.
Lyssa te crudelis, et ultrices
Vindictae ad mala transferent. O domus,
Inchoatur chorea sine tympanis,
Non grata thyrso Bacchico, o domus,
Ad necem, non Bacchicum
Propter damnum ad fluxum damni[81a]).
Fugiendo, o liberi, proripite vos.
Hostile illud
Canticum sonat.
Venatur persecutionem liberorum.
Non sine affectu in aedibus
Lyssa insaniet[82]).

---

80) *Lys.* (vs. 857.) — *Iris* (vs. 858.) — *Lys.* (vs. 859.)] hae personae his vss. in Editt. 1558., 1562. secundum Ed. Basil. 1551. sunt praefixae; in Ed. Barn. vss. 855—857. sunt *Iridis*, vss. 858—873. *Lyssae*; in Editt. Musgr., Fix. vss. 855. 857. sunt *Iridis*, vss. 856. 858—873. *Lyssae*.

80a) a mea rabie] sic Editt. recent.; Ed. 1558. mea rabie (= Eurip. ἐμᾶς λύσσας); Ed. 1562. male: a me a rabie.

81) *Lyssa*. Ex generoso — Herculis. (vs. 843 — 873.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Lyssa. Ex generoso quidem patre, et ex matre
Nata sum, Noctis Coelique a sanguine.
Officiaque habeo haec, non invidere amicis.
Neque gaudeo vadens ad homines amicos.
Admonere vero, priusquam peccantem videas,
Iunonem teque volo, si obtemperaretis meis verbis.
Vir hic non obscurus, neque in terra,
Neque apud Deos, in cuius me mittis domus.
Inaccessas vero regiones et mare ferum
Cum purgavit, Deorum excitavit solus
Honores, qui ceciderant impiis a viris.
Teque non adhortor, mala ut velis ingentia.
Iris. „Ne tu admoneas; etiam Iunonis mala consilia,
„In optimum abeunt vestigium, potius quam in malum.
Lys. Non moderate facere misit huc te Iovis uxor.
Iris. Solem testamur, faciens quae facere nolo.
Lys. Si vero eam, me Iunonique inservire tibique necesse est,
Celeriter, cumque impetu sequi veluti venatorem canem,
Ab eo [*pro*: Abeo] quidem, neque portus sic fluctibus ingemiscens impetuose,
„Neque terrae motus, fulminisque vis dolores spirans,
„Qualiter ego celeriter ferar in pectus Herculis.
Et perrumpam atria, et domos diruam,
Filios interficiens primo; qui vero interfecerit, nesciet
Filios suos interficere, donec mea rabie destitutus sit.
Ecce fit, et iam concutiet caput ab initio,
Et perversos distorquet paulatim truces oculos,
Anhelitum vero non recte trahet, veluti taurus ad incursum
Vehemens: imo mugit, furias invocans infernales.
Mox te ego magis exagitabo, et inflabo metu.
Redi ad Olympum sustollens, o Iris, generosum pedem.
In domum vero nos invisibiles subibimus Herculis.

81a) damni] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. proterviae (utrumque = Ed. Basil. 1551. λώβας); Editt. recent. λοιβᾶς — Barn., Musgr.: libationem.

82) *Chor.* Eheu — insaniet. (vs. 874—898.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Eheu.
Luge, abradeque tuum florem,
Civitas, Iovis filius
Infelix est, o Graecia, quae benefactorem
Amittis, perdis insanie Lyssae
Agitatum interiore.
Abiit in curribus illa luctuosa;
Curribus vero dat stimulum, ut noceat,
Noctis monstrum, centum capitibus,
Serpentum sibilationibus Lyssa, horrenda adspectu,
„Cito felicem commutavit Deus.
Cito vero a patre, filii, moriemini,
Heu mihi ob infelicem; o Iupiter, tuum genus absque liberis mox.

Heu mala,
Heu, heu,
Quam lugeo senem
Patrem, et liberorum nutricem.
Frustra liberos peperit.
Ecce, ecce,
Turbo concutit domum, concidit tectum.
Heu, heu, quid agis, o fili Iovis?
Perturbationem tartaream in domum,
Ut olim Pallas adversus Enceladum,
In domum mittis.
O senio[83]) alba corpora, quo clamore me vocas?
Non effugienda mala ea, quae in domo; non ducam alium vatem.
Mortui sunt liberi:
Heu heu! lugete, quia lugenda sunt,
Hostiles neces,
Hostiles parentum manus.
Nemo posset maiora dicere, quam passi sumus.
Quomodo liberis lamentabilem noxam[84]),
Noxam patris ostendis[85])?
Dic, quomodo venerunt[86]) divinitus
Ad domum haec mala?
Et miseros casus puerorum[87]).

[*Nuntius, Chorus, Amphitryo, Hercules.*]

Nun. Ante arcam Iovis erant sacra
Purificantia domus, postquam interfectum huius terrae regem
Eiicit[88]) ex his aedibus Hercules.
Stabat autem chorus pulchre ornatus vestibus,
Et pater et Megara; calathus vero circa
Aram ferebatur, vocem autem sacram habebamus.
Cumque vellet torrem manu dextra ferre
Filius Alcmenae, ut intingeret in aquam,
Constitit tacitus; et cum cunctaretur prius,
Pueri intuebantur eum. Ille vero non amplius idem erat;
Sed corruptus conversione oculorum,
Et emissis in oculis cruentis flammulis,
Destillabat spumam hirsutis genis.
Dixit autem cum risu furioso:
Pater, quid sacrifico, priusquam interficiam Eurystheum?
Ignem lustralem et duplicem laborem habeo,
Cum liceat mihi una manu ista facere?
Quando vero huc feram caput Eurysthei,
Propter praesentes mortuos purificabo manus.
Effundite fontes, et abiicite canistra e manibus.
Quis mihi dat arcum? quis arma manus?
Ad Mycenas vado; oportet capere
Vectes et ligones, ut sedem Cyclopicam
Regula punicea et commissuris compactam
Ferro inflexo evertam urbem.
Postea abiens, cum non haberet currum, habere se

Lyssa vero te crudelis, indemnes
Vindictae malis persequentur, o tecta.
Incipitur tripudium absque tympanis.
Non Bromio gratas per thyrsum, o domi,
Ad caedes, non Dionysiacae
Botrorum ad luxus [*pro*: fluxus] proterviae
Cursu filii curritis.
Hostilis haec, hostilis
Cantio incinitur,
Venaturque filiorum persequutionem.
Nunquam irrita intus
Rabies bacchabitur.

83) senio] sic Editt. recent. (= Eurip. γῆρας; Ed. 1558. senectute); Ed. 1562. corrupte: sentio.

84) O senio — noxam,] hi 8 vss. et 4 seqq. aeque ac praecedentes vss. 874—909. in Editt. 1558., 1562. secundum Ed. Basil. 1551. *Chori* sunt; in Ed. Barn. vs. 910. pars prior „O senio alba corp." *Nuntii*, altera „quo clam. me voc." *Chori* est, vss. 911—912. *Nuntii* sunt, vs. 913. verba priora „Heu heu!" *Chori*, verba seqq. „lugete etc." et vss. 914—916. *Nuntii*, vss. 917—921. *Chori* sunt.; in Editt. Musgr. et Fix. vss. 910. et 917—921. eadem ratione, vss. 911—916. autem aliter sunt dispertiti.

85) ostendis?] sic scripsi (= Eurip. ἀμφαίνεις; Ed. 1558. enarrare vis? Barn.: indicas? Fix.: enarras?); Ed. 1562. ostendit?

86) venerunt] sic Editt. 1558., 1562.; Barn., Musgr.: venerint.

87) Heu mala — puerorum. (vs. 899 - 921.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Hei malorum.
Hei iterum atque iterum,
Senem ut lugeo
Patrem et matrem,
Frustra filii generantur.
En, ecce,
Turbo concutit domum, corruit tectum.
Ei, ei, quid facis, o fili Iovis?
Atrio perturbationem immanem,
Ut contra Enceladum olim Pallas,
In domos mittis.
O alba senectute corpora, revocas me qua voce?
Perdita ea, quae intus; omen non aliud ducam,
Mortui sunt filii.
Ae, ae, lugete, quoniam lugenda sunt,
Hostiles caedes,
Hostiles vero parentum manus.
Nemo dicere queat magis, quam passi sumus.
Quomodo filiis lamentandam noxam,
Noxam a patre enarrare vis?
Dic, quomodo venerunt a Diis
Ad atria mala haec,
Miserosque puerorum casus?

88) Eiicit] sic Ed. 1562.; Ed. 1558. Eiecerat, Editt. recent.: Eiecit (= Eurip. Ἐξέβαλε).

Dicebat, et ascendit in summitatem currus,
Et regebat, manu tanquam stimulo verberans[89]).
Mixtus autem erat risus famulis, et simul metus.
Et aliquis hoc dicebat in alium intuens:
Ludit nobiscum dominus, an furit?
Ille autem serpebat sursum et deorsum in domo;
Veniens vero in mediam habitationem virorum, in civitatem Nisi
Venire se dicebat, ingressus in domum.
Recumbens autem in solo, tanquam ut ibi pararet
Epulas; sed brevi tempore vadens per habitationem,
Dicebat se accedere ad rupes nemorosi Isthmi;
Et ibi posito nudo corpore a chlamyde,
Cum nemine certabat, et renuntiabatur
Ipse a se egregius victor, nemine
Audiente loquens; multa vero Eurystheo minans,
Erat Mycenis sermone; pater autem ipsum
Attingens valida manu, sic alloquutus est:
O fili, quid pateris? quis est modus novitatis
Huius? num quid dementavit te caedes mortuorum,
Quos modo interfecisti? ille vero pro Eurystheo existimans
Patrem formidantem, supplicem, manum attingere,
Repellit; apparat autem pulchram pharetram
Et arcum suis liberis, Eurysthei liberos
Interficere se putans. Illi metu consternati
Ruebant alius alio, sub vestes alius
Miserae matris, alius sub umbram columnae,
Alius ad aram sicut avis trepide fugit.
Mater autem clamat: O genitor, quid agis? liberos
Occidis? clamat senex et turba ministrorum.
Ipse vero insequens puerum circa columnam
Adversus pedem pueri stans, dirum telum
Mittit in hepar; supinus autem lapideas
Columnas irrigavit exspirans vitam[90]).
Ille iubilavit et gloriatus est haec:
Unus hic puer pullus Eurysthei mortuus
Poenam persolvens paternae inimicitiae iacet.
Arcum vero alteri intendit, qui ad altaris
Crepidinem confugerat, tanquam latiturum se sperans.
Praevenit autem miser ad genua patris accedens,
Et manu ad mentum ac collum extensa,
O charissime, inquit, pater, ne me occidas.

---

89) *Nun.* Ante — verberans. (vs. 922—949.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Nun. Sacrae quidem erant ante aras Iovis
Lustrationes domorum, terrae rege postquam interfecto
Eiecerat ex his aedibus Hercules.
Chorus vero pulchre institutus erat ex peplis,
Paterque Megaraque, circum iam canistrum
Ferebatur aram; vocem vero sanctam habebamus.
Erat vero torrem manu dextra laturus,
In sacram aquam ut intingeret Alcmenae filius.
Constitit cum silentio, et moram trahente ante
Filii intendebant oculos; ille vero non amplius idem erat,
Sed revolutionibus oculis perversus,
Fibrasque in oculis cruentas emicans,
Spumam destillabat villosae genae.
Dixit vero simul cum risu attonito:
O pater, quid in animo, antequam interficiam Eurysthea,
Lustralem ignem et labores duplices habeo,
Cum liceat mihi manu rite facere ista?
Cum vero affero huc caput Eurysthei,
Supra praesentes mortuos expiabo manus.
Effundite fontes, proiicite ex manibus canistra.
Quis mihi dat arcus? quis arma manus?
Mycenas eo; capere convenit
Vectes, ligonesque, ut Cyclopum fundamenta
Rubra regula et opibus fabricata
Torto ferro communi opera diruamus civitatem.
Exinde procedens, currus non habens, habere
Dicebat, vehiculisque ingressus est sedem.
Et verberabat, tanquam stimulo, sed verberans manu.

90) Mixtus — vitam. (vs. 950—980.)] sic Ed. 1562.; Ed 1558.:

Dupliciter vero famulis erat risus, metusque simul.
Et quispiam hoc dicebat, alius ad alium respiciens:
Iocatur nobiscum dominus, aut furit?
Ille vero ibat sursum et deorsum per tecta;
Mediam vero in aulam deveniens, ad Nisi civitatem
Venisse se dicebat, intra domus cum ivisset.
Recumbens vero ad pavimentum, ut illic praeparet
Prandium, digressus vero brevi tempore a statione,
Isthmi nemorosae dicebat venire ad arva.
Et ibi nudum corpus ponens a fibulis,
Contra neminem certabat, et promulgabatur
Ipse a se ipso victor nullius,
Famam pronuntians, graviter autem Eurystheo fremens,
Erat Mycenis sermone, pater vero ipsum
Tangens forti manu, alloquutus est hisce:
O fili, quid est tibi? qui modus alienationis
Huius? nimirum caedes te dementavit funerum,
Quos modo interfecisti? Ille vero Eurysthea putans
Patrem, pro aliis trepidantem supplicem manus tangere,
Removet; pharetram vero ornatam apparat,
Et sagittis petit suos filios, Eurysthei
Existimans interficere. Hi vero trepidantes metu
Ruebant alius alio, in vestes unus quidem
Matris miserae, alius sub columnae umbram,
Alius autem sub aram velut avis trepidavit.
Clamat vero mater: O genitor, quid agis? liberos
Interficis? clamat autem etiam senex, famulorumque turba.
Hic vero evolvens filium columnae in orbe,
Sagittam diram pede adverso constitutus
Mittit ad hepar; supinus vero lapideas
Columnas rigavit, exspirans vitam.

Tuus sum, tuus filius; non perdis[91]) Eurysthei filium.
Ille vero vertens truces oculos Gorgonis,
Ut puer stetit intra iactum tristis sagittae,
Fabri instar ferrarii supra caput elevans
Lignum, dimisit in flavum caput pueri.
Fregit autem ossa. Cum vero secundum interfecisset,
Vadit tanquam tertiam victimam mactaturus supra duos.
Sed antevertit eum intra domum misera
Eripiens mater, et claudit portas.
Ille vero, quasi ad muros Cyclopicos esset,
Fodit, vectibus movet fores, et excusso limine
Uxorem et filium uno telo prostravit.
Inde properat ad necem senis.
Sed venit imago, et apparebat esse
Pallas vibrans hastam cum casside, ad cor
Ea iecit saxum[92]) in pectus Herculis,
Quod prohibuit ipsum a furiosa caede, et somnum
Immisit; cadit autem in solum ad columnam
Concutiens tergum, quae ruinâ tecti
Disrupti iacebat super crepidinem,
Cum sene vincula constringens laqueo.
Nos autem arcentes pedes eius a fuga,
Alligavimus columnae, ne desistens a somno,
Addat aliquid ad facta.
Somnum vero dormit miser non bonum,
Occisis liberis et uxore. Ego quidem
Haud scio, quisnam mortalium miserior[93]).

Chor. Caedes erat, quam habuit terra Argolica,
Tunc celeberrima et optima
Graeciae, filiarum Danai.
Superavit eam et praecurrit
Eius temporis mala misero
Insigni filio Prognes habentis[94]) unicum filium.
Possem dicere caedem dicatam Musis[95]).
Tu vero tres filios, quos genuisti, o Iovis fili[96]),
Rabioso fato occidisti.
Quo gemitu aut luctu,
Aut humana voce,
Aut Plutonis choro clamabo?
Heu heu,
Videte, fores utrinque
Altarum aedium inclinantur.
Heu me.
Videte miseros istos liberos ante patrem
Miserum iacentes,
Qui dormit gravem somnum post caedem.
Circum vero vincula et multiplicia nodorum
Retinacula circa corpus Herculis
Haec suspensa lapideis
A columnis domus[97]).
Hic vero veluti avis gemens implumem
Dolorem liberorum, senex tardo pede
Observans acerbam solutionem, adest[98]).

---

91) perdis] sic Editt. 1558., 1562.; Editt. recent. (= Eurip. ὀλεῖς) perdes.

92) saxum] huic voci in marg. Ed. 1562. adscripta est explicatio: Lapis σωφρονιστήρ. Vide Paus. Boeot. [Pausan. lib. IX. (Boeot.) c. 11.]

93) Ille iubilavit — miserior. (vs. 981 — 1015.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Hic vero iubilavit, et iactavit haec:
Unus quidem pullus hic mortuus Eurysthei,
Inimicitiam paternam luens cecidit mihi.
Alteri quoque intentavit arcum, qui ad altaris
Occultavit se fundamenta, sic latere putans.
Praevenit vero miser ad genua cadens patris,
Et ad collum manum et cervicem tendens:
O charissime (clamat), ne me interficias, pater,
Tuus sum, tuus filius, non Eurysthei perdis.
Is vero immanem visum Gorgonis vertens,
Ut intra constitit puer, tristem iaculationem
Instar fabri ferrarii supra caput feriens,
Lignum demisit filii in flavum caput,
Confregit vero ossa. Secundum vero cum interfecisset,
Pergit tertiam victimam tanquam iugulando additurus duobus.
At praevenit eum misera intro
Mater eripiens, et claudit portas.
Hic vero tanquam in ipsis iam Cyclopeis existens,
Fodit, vectibus agitat fores; et cum eiecisset foras,
Uxorem et puerum uno prostravit ictu.
Et inde ad senis equitat caedem.
Sed adfuit imago, ut videre licebat,
Pallas vibrans hastam cum casside secundum cor,
Et proiecit in pectus saxum Herculis,
Quod illum a caede vesaniente prohibuit, et in somnum
Demisit (procumbit vero in solum ad columnam
Tergum concutiens, quae ruina tecti
Disrupti iacebat circa imas bases)
Cum sene vincula constringens laqueo.
Nos vero liberantes per fugam pedem,
Alligamus ad columnam, ut desinens e somno
Nihil addat factis.
Dormit vero miser somnum non felicem,
Liberis interfectis et uxore; ego quidem
Haud scio mortalium quis infelicior.

94) Prognes habentis] sic Ed. 1558., Barn. (= text. gr.); Ed. 1562. Progne habens — In marg. huius Ed. adscripta est annotatio: Progne Ityn filium mactavit. Ovid. 6. Metam. [Ovid. Met. VI, 424 – 676.].

95) H. l. ibid. nota marg.: forte de interfectis Pieri filiis.

96) Iovis fili] his Xylander ibid. adiecit notam: „δαΐς. legit, διός." Eurip. enim Ed. Basil. 1551. h. l. habet lectionem ὦ δαΐς; Musgr., Fix. ὦ δάϊε — o infelix; Barn. autem ὦ παῖ Διός — o fili Iovis.

97) lap. A columnis domus.] sic scripsi; Ed. 1562. male: lap. A columnis suspensis domus; Editt. 1558., Barn., Musgr. (= text. gr.): lapideas Circa columnas domorum [Barn., Musgr.: aedium].

98) *Chor.* Caedes — adest. (vs. 1016 — 1041.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Caedes erat, quam Argolica habet patria,
Tunc quidem maxime insignis et optima

Am. Senes Thebani, non tacite
Solutum somno
Sinitis oblivisci malorum?
Chor. Et te gemo lachrymis et
Liberos et victoriosum caput.
Am. Longius procedite, ne
Strepitum faciatis, ne clametis, ne
Dormientem bene
Et somniculosum ex somno excitetis.
Chor. Heu me, quanta haec est caedes. *Am*. Ah discedite,
Iacens resurgit.
Non tacite lamentationem
Lamentamini, o senes? ne
Excitatus, vinculis
Ruptis, perdat civitatem,
Patrem vero et domum deiiciat.
Chor. Impossibile mihi est.
Am. Tace, spirationem considerabo.
Age aurem admovebo.
Chor. Dormit? *Am*. Sane quidem dormit somnum perniciosum,
Qui uxorem interfecit,
Interfecit liberos, arcus
Stridore iaculans. *Chor*. Geme nunc.
Am. Gemo mortem liberorum [99]).

Chor. O heu mihi ob filium tuum.
Ah, o senex. *Am*. Tace, rursus
Vertitur excitatus.
Age corpus absconditum
In domo occultabo.
Chor. Confide, nox habet palpebras filii tui.
Am. Videte, videte,
Lucem relinquere in
Malis non fugio miser.
Verum si me, qui sum pater, interficiet,
Ad mala addet,
Et ad Furias habebit caedem cognatam.
Chor. Tunc te mori oportuit, quando coniugi tuae
Caedem fratrum ulturus eras,
Eversa insigni urbe Taphiorum.
Am. Fuga, o senes, fuga
A domo
Currite, fugite furiosum
Virum excitatum.
Mox caedem alteram ad caedem addens,
Bacchabitur per urbem Thebanorum [100]).

Graeciae Danai filiarum.
Sed ea superavit, excelluit
Tum mala misero
Insigni filio unicum filium habentis Prognes.
Caedem possum dicere dicatam Musis.
Tu vero filios tres cum genuisti, o Iovis fili,
Rabioso simul trucidasti fato.
Quo gemitu aut luctu,
Aut mortalium voce,
Aut Plutoni dicato thoro resonabo?
Eheu.
Videte, divisa claustra
Iacent altarum aedium,
Eheu.
Videte hos filios ante patrem miseros
Iacentes infelicem,
Dormientem somnum gravem finita caede.
Vincula vero, et ex multis laqueis nexuum,
Retinaculaque Herculanum circa corpus,
Haec lapideas alligata
Circa columnas domorum.
Hic vero velut avis quaedam, implumem ingemiscens
Dolorem filiorum, senex tardo pede
Tristem persequens hanc solutionem adest hicce.

99) *Am*. Senes — liberorum. (vs. 1042 — 1065.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Am. Thebani senes, non per silentium
Somno solutum
Sinitis oblivisci malorum?
Chor. Et te lachrymis deploro, o senex, et
Filios, et hoc victoriosum caput.
Am. Longius discedite, ne
Strepitum edite, non clamate, ne
Bene sopitum
Somnoque deditum suscitate.
Chor. Eheu, caedes haec quanta? *Am*. A, a, discedite,
Perturbatur, expergiscetur.
Quin tacite lamentationem
Lamentamini, o senes? ne
Vinculis resuscitatus
Diruptis, perdat civitatem,
Patrem, atriaque perrumpat.
Chor. Impossibile, impossibile mihi est.
Am. Tace. Flatus cognoscam.
Age, aurem admovebo.
Chor. Dormit? *Am*. Imo, dormit somnum perniciosum,
Qui interfecit uxorem,
Interfecit filios, ab arcu edito
Plausu iaculans. *Chor*. Ingemisce nunc.
Am. Ingemisco filiorum perditionem.

100) *Chor*. O heu — Thebanorum. (vs. 1066 — 1086.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Chor. Eheu mihi, tui filii.
Ae, ae, o senex. *Am*. Tace, tace, conversus
Expergefactus agitur.
Age occultatum corpus
In domo abscondam.
Chor. Bono sis animo, nox occupat palpebras filio tuo.
Am. Videte, videte.
Vitam quidem relinquere in
Malis non fugio miser.
Sed si me interfecerit, patrem existentem.
Ad haec mala, mala patrabit,
Insuper Furiis caedem cognatam habebit.
Chor. Tunc mori te oportebat, cum uxori tuae
Caedem sororum volebas ulcisci,
Taphiorum inclytam urbem vastans.
Am. Fugite, o senes,
Longe a domo.
Fugite, fugite furentem
Virum expergefactum,
Mox caedem alteram caedi addens,
Furiet per Thebanorum civitatem.

Herc. O Iupiter, quare odisti adeo iracunde filium
Tuum, et induxisti in mare istud malorum?
Hem.
Spiro quidem, et video, quae me oportet,
Aerem et terram et radios hosce solis,
Ut in fluctibus et perturbatione mentis
Gravi cecidi, et spiro calidos halitus
Ex alto, et ex pulmonibus non aequaliter.
Ecce, cur sicut navis vinculis alligatus
Iuvenilem thoracem et brachium,
Adsum ad fractum lapideum parietem?
Certe sedes habeo vicinas mortuis;
Et hastae[1]) volucres, et tela arcus sparsa sunt in terra,
Quae antea admota meis brachiis
Servabant latera, et a me servabantur.
Numnam redii iterum ad inferos,
Vadens ad inferos viam ab Eurystheo impositam?
At neque Sisypheam alam[1a]) video,
Neque Plutonem, neque sceptra Cereris.
Consternatus, ubi sim nescio.
Eheu, quis prope vel procul est meorum amicorum,
Qui meae ignorantiae medeatur?
Nihil vero novi earum rerum, quae fieri solent[1b]).
Am. Senes, venio prope mea mala.
Chor. Et ego tecum, ne recuses calamitatem.
Herc. Pater, quid ploras, et tegis oculos,
A charissimo filio tuo longe discedens?

1) hastae] sic scripsi; Ed. 1562. bastas.

1[a]) alam] sic Ed. 1562. (= Ed. Basil. 1551. πτερόν); Editt. 1558. et recentt.: saxum (= Editt. recent. πέτρον).

1[b]) *Herc*. O Iupiter — solent. (vs. 1087 — 1108.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Herc. O Iupiter, quid filium odisti adeo iracunde
Tuum, malorum vero in hoc mare duxisti?
Ehem.
Vivus quidem sum, et video, quae me convenit,
Aetheraque et terram, radiosque solis hos.
Ut in tempestate et mentis perturbatione
Cecidi gravi, et spiritus ferventes spiro
Profunde, non firmiter a pulmonibus.
Ecce, quid vinculis velut navis subducta
Iuvenili pectore et brachio,
Adsum fracto lapideo parieti?
Num mortuis locum vicinum occupo?
Alataeque sagittae arcusque sparsi sunt solo,
Qui antea adhaerentes meis brachiis
Servabant latera, et a me servabantur.
Num descendi retro ad Plutonis iterum,
Eurysthei reciprocum iter ad inferos profectus?
Sed neque Sisypheum adspicio saxum,
Plutonemque, neque sceptra Cereris filiae.
Certe attonitus sum; ubi sim haesito.
Ohe, quis prope vel procul est amicorum meorum,
Ignorantiae qui meae medeatur?
Certe enim nihil novi factorum.

Am. O fili; es enim meus, tametsi infelix sis.
Herc. Quid ego mali patior, quamobrem plores?
Am. Noxam Deorum quis, dicite, deplorare queat?
Herc. Magnum exordium, at fortunam nondum narras.
Am. Ipse vides, si iam sapiens es.
Herc. Dic, si quid novi vitae meae adscribis.
Am. Nisi apud inferos esset Bacchus, dicerem.
Herc. Papae, hoc tanquam suspectum dixisti iterum.
Am. Et te iam considero, an constanter animi compos sis.
Herc. Atqui non memini me mente captum esse.
Am. Senes, solvam vincula pedum, aut quid agam?
Herc. Dic eum, qui ligavit; recuso enim.
Am. Tantum scis malorum; caetera vero omitte.
Herc. Satis est; non enim tacite cognoscere volo.
Am. O Iupiter, unde vides haec a sede Iunonis?
Herc. An aliquid ab illa mali passi sumus?
Am. Missâ Deâ, cura tua mala.
Herc. Periimus, quam calamitatem dices?
Am. Ecce adspice liberorum cadavera haec.
Herc. Heu me, quale spectaculum video miser?
Am. Infelici pugna cum liberis pugnavisti.
Herc. Quam pugnam vocas? quis perdidit hos?
Am. Tu et arcus tuus, et Deorum is, qui in culpa est.
Herc. Quid ais? quid feci? o pater mala nuntians.
Am. Insaniens; quaeris autem miserabilem narrationem.
Herc. An et uxorem meam ego occidi?
Am. Haec omnia ab una tua manu facta sunt.
Herc. Heu heu, circumdat me nubes luctuum.
Am. Propter haec deploro tuam calamitatem[2]).

2) *Am*. Senes — calamitatem. (vs. 1109 — 1141.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Am. O senes, ibo ad mea mala prope.
Chor. Et ego tecum una; ne deseras hos casus.
Herc. Pater, quid ploras, et contegis oculos,
A charissimo tuo procul filio profectus?
Am. O fili, es enim, etsi male agens, meus.
Herc. Facio ego quid mali? quare lachrymaris?
Am. Noxam Deorum quis, dicite ei, deplorare queat?
Herc. Magna haec iactantia; fortunam vero nondum narras.
Am. Vides enim ipse, si sapiens iam es.

Herc. Num enim concussi aut ex furore dirui domum meam?
Am. Haud scio praeter unum hoc, omnia tua sunt infelicia.
Herc. Ubi me furor invasit? ubi perdidit?
Am. Quando circa aram sanctificabas manus accenso igni.
Herc. Heu me, quid parco vitae meae,
Cum factus sum homicida meorum liberorum?
Et cur non vado ad saltus praeruptae petrae,
Aut gladium ad hepar emittens,
Vindex fiam sanguinis liberorum?
Aut carnem meam incendens igni,
Infamiam vitae meae, quae me manet, repellam?
Sed impedimento mihi consiliorum de morte
Venit Theseus ille cognatus et amicus meus.
Videbor, et parricidialis contaminatio
Veniet in conspectum charissimorum meorum hospitum.
Heu me, quid faciam? ubi malorum liberationem
Inveniam? alatusne in terra vadens?
Age caput circumdabo tenebris.
Pudet enim me malorum, quae feci,
Et adspergens[2a]) hunc sanguinem parricidialem,
Non volo nocere innocentibus[3]).

[*Theseus, Amphitryo, Hercules, Chorus.*]

Thes. Venio cum aliis, qui ad fluenta Asopi
Armati iuvenes terrae Atheniensium manent,
Tuo filio, o senex, hastam auxiliatricem ferens.
Venit enim fama in urbem Erechthidarum,
Quod Lycus rapiens imperium huius regionis,
Bellum et pugnam contra vos excitavit.
Ut autem referrem gratias pro beneficiis, quae in me contulit Hercules,
Cum me salvum ex inferis reduxit, veni, si opus sit, o senex,
Aut manu mea, aut sociis.
Hem, quare solum repletum est cadaveribus istis?
Num frustratus sum, et malis recentibus
Posterior venio? quis liberos hos occidit?
Cuius uxor haec fuit, quam video?
Non enim in acie collocantur pueri;
Sed aliquod aliud novum malum invenio.

[*Strophe* 1.]

Am. O qui tenes tumulum oleas ferentem.
Thes. Quamobrem me vocas miserabili isto prooemio?

[*Strophe* 2.]

Am. Passi sumus gravia mala a Diis.
Thes. Cuius sunt hi pueri, propter quos ploras?

[*Strophe* 3.]

Am. Meus miser filius genuit eos,
Et postquam genuit, interfecit,
Funestam caedem facere ausus.

Herc. Dic, si quid novi adscribis meae vitae.
Am. Nisi apud inferos esset Bacchus, dicerem.
Herc. Papae, istud ut suspectum coniectura assequor denuo.
Am. Et te, si constanter animi compos es, iam considero.
Herc. Non certe captum me memini mente.
Am. Solvam, o senex, vincula filii, aut quid agam?
Herc. Quin, qui ligaverit, dicito; execramur enim.
Am. Tantundem scias malorum; caetera vero omitte.
Herc. Satis est; tacite enim cognoscere volo [*pro*: nolo].
Am. O Iupiter, a Iunonis num vides sedibus haec?
Herc. Num quid ab illa hostile passi sumus?
Am. Deam omittens, tua cura mala.
Herc. Periimus; infortunum habiturus es quodnam?
Am. Ecce contemplare has filiorum caedes.
Herc. Eheu, quam visionem hanc video miser?
Am. Imbelle, o fili, bellum intendisti filiis.
Herc. Quod bellum narras? istos quis perdidit?
Am. Tu, et tua tela, et Deorum qui culpandus est.
Herc. Quid ais? quid faciens? o mala nuntians pater.
Am. Furiosus; interrogas vero misera responsa.
Herc. Num etiam uxoris sum ego occisor meae?
Am. Solius omnia manus opera tuae haec.
Herc. Ae, ae, luctuum enim me circumdat nubes.
Am. Propterea tuas deploro fortunas.

2a) adspergens] sic Editt. 1558., Barn. (= Eurip. προςβαλών); Ed. 1562. adspergere.

3) *Herc.* Num enim — innocentibus. (vs. 1142 — 1162.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Herc. Num enim concussi domum aut dirui meam?
Am. Nescio, nisi unum, omnes res infelices sunt tuae.
Herc. Ubi vero furor nos occupavit? ubi perdidit?
Am. Quando circa aram manus lustrares igne.
Herc. Eheu, quid iam parco animae meae,
Charissimorum mihi cum sim filiorum occisor?
Quin eo saxi furiosi ad saltus,
Aut gladium ad hepar infigens,
Filiorum ultor sanguinis fiam?
Aut corpus meum comburens igni,
Ignominiam, quae manet me, repellam vitae?
Sed impedimento mihi de caede consiliorum
Theseus iste accedit, cognatus amicusque meus,
Videbimur, et parricidiale odium
In conspectum veniet charissimorum hospitum meorum.
Eheu, quid agam? ubi malorum solitudinem
Inveniam? alatusne, aut per terram iter faciens?
Age capiti obducam tenebras;
Pudet enim me patratorum malorum.
Praeterea huic expiandum sanguinem adspergens,
Nihil conscelerare insontes volo.

Thes. Bona verba quaeso. *Am.* Volentes iubes.
Thes. O quam indigna dixisti.
Am. Periimus, celeriter periimus.
Thes. Quid ais? quid faciens? *Am.* Furioso certamine
Deceptus iuncturis hydrae habentis centum capita.
Thes. Istud certamen mortuis dolo Iunonis accidit[4]).

[*Strophe* 4.]

Am. Hic est meus filius
Laboriosus, ad pugnam Gigantum
Venit cum Diis Phlegraeum
In campum scutatus.
Thes. Heu heu, quis vir adeo est infelix?

[*Strophe* 5.]

Am. Non facile cognosces alium miseriorem
Hominem et magis errabundum.
Thes. Quare tegit miserum caput veste?

[*Strophe* 6.]

Am. Reveretur tuum adspectum,
Et amicitiam cognatam,
Et caedem filiorum.
Thes. Atqui veni, ut una doleam; detege eum.

[*Strophe* 7.]

Am. O fili, demitte ab oculis
Vestem, reiice, ostende faciem soli.
Alternat lachrymis alternante onere[5]).
Supplico ad
Mentum tuum et genua et
Manum advolutus,
Et canas lachrymas emittens.
O fili,
Cohibe animum saevi leonis, ut
Emittas fremitum de caede impia,
Mala volens malis addere, o fili[6]).
Thes. Age. Te, qui sedes in misera sede,
Alloquor, ut ostendas amicis vultum tuum.
Vide, si sic tenebrarum[7]) nigram nubem habeat,
Qui malorum tuorum calamitatem velit occultare?
Quare mihi contendens manum ostendis necem,
Ne me contaminatio invadat alloquii tui?
Nihil recuso tecum infelix esse.
Etenim fui aliquando felix; illo redeundum est.
Quid me salvum ex miseris in lucem eduxisti?
„Odi gratiam amicorum senescentem,
„Et eum, qui frui vult rebus bonis,

---

4) *Thes.* Venio — accidit. (vs. 1163—1189.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Thes. Venio cum aliis, qui apud Asopi fluenta
Manent armati terrae Atticae iuvenes,
Tuo filio, o senex, auxiliares ferens copias.
Fama enim venit Erechthidarum civitatem,
Quod sceptra agri huius accipiens Lycus
Ad bellum vobis, et pugnam opponatur.
Persolvens retributiones, quae in me contulit Hercules,
Cum servaret me ab inferis: adsum, si quid opus est, senex,
Aut manu mea, aut sociorum.
Ehem, quid cadaverum horum repletum est solum?
Num posterior sum? et graviorum malorum
Tardior expers sum? quis hos interfecit pueros?
Cuius existentem hanc video uxorem?
Non enim proelio pueri congrediuntur;
Verum aliud certe novum invenio malum.
Am. O oleis fertilem collem habitans.
Thes. Cur me miserabilibus compellas prooemiis?
Am. Passi sumus passiones diras a Diis.
Thes. Pueri isti qui sunt, ob quos lachrymaris?
Am. Genuit quidem meus filius infelix;
Sed cum genitor esset, trucidavit,
Funestam caedem patrans.
Thes. Auspicata loquere. *Am.* Cupidos iubes.
Thes. O indignum facinus.
Am. Periimus, actum est ocissime.
Thes. Quid ais? quid faciens? *Am.* Vesanienti impetu
Perculsus centicipitis tincturis hydrae.
Thes. Iunonis hoc certamen quoddam ex dolo mortuis, o senex.

5) Alternat — onere.] sic Ed. 1562.; Fix.: Pondus aequale (*amicitiae debita officia*) certat cum *tuis* lacrimis.

6) *Am.* Hic — o fili. (vs. 1190—1213.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Am. Meus hic filius,
Ille laboriosus ad
Bellum giganticidum
Venit cum Diis Phlegraeum
In campum armatus.
Thes. Eheu, quis virorum adeo infelix est?
Am. Non facile cognoscas alium magis laboriosum,
Et magis errabundum inter mortales.
Thes. Quid enim vestibus miserum obtegit caput?
Am. Reverens tuum vultum,
Et amicitiam consanguineam,
Caedemque filiorum.
Thes. Sed ad condolentem veni, detege ipsum.
Am. O fili, dimitte ab oculis
Vestem, reiice, faciem soli ostende.
„Autoritas opposita lachrymis contendit.
Supplicamus ad
Tuum mentum advolutus, et
Genua et manum,
Senilesque lachrymas emittens.
Io fili,
Contine leonis agrestis iram, cum
Fremitum ad letalem impium stimularis,
Mala volens malis addere, o fili.

7) Vide, si sic tenebrarum] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551. *Ἴδ᾽, εἰ σκότους γὰρ ὧδ᾽*); Editt. recent. *Οὐδεὶς σκότος γὰρ ὧδ᾽* — Nulla caligo [Barn.: Nullus nigror] enim adeo

Sed non vult una navigare cum amicis calamitosis.
Surge, detege miserum caput,
Intuere nos. „Quicunque homo generosus est,
„Casus Deorum fert, nec recusat.
Herc. O Theseu, vidistine certamen meorum liberorum?
Thes. Audivi, et videnti mala indicas.
Herc. Quare meum caput detegis soli?
Thes. Quidni? non polluis Deos, cum sis homo.
Herc. Fuge, o miser, impiam contagionem meam.
Thes. Nullum contagium amicis ab amicis[8]).
Herc. Laudo; quod tibi benefecerim, non recuso.
Thes. Ego vero, cum beneficio sim a te tum affectus, misereor nunc tui.
Herc. Miserandus adsum, qui occiderim meos liberos.
Thes. Deploro tuam gratiam in aliis calamitatibus.
Herc. Invenistine alios in maioribus malis?
Thes. Suspensa de coelo desuper calamitas[9]).
Herc. Parati sumus, ut moriamur.
Thes. Videris aliquid velle minari Diis.
Herc. Res est implacabilis Deus; ego autem adversus eos sum contumax.
Thes. Comprime os, ne superba loquens maiora patiaris.
Herc. Plenus sum malorum, neque est amplius locus malo.
Thes. Quid igitur facies? quo iratus ferris?
Herc. Mortuus sub terram vadam, unde veni.
Thes. Dixisti verba hominis plebeii.
Herc. Tu, cum extra calamitatem sis, me mones.
Thes. Hercules ista dicit, qui tam multa passus est?
Herc. Non tantum, si mensura laborandum est.
Thes. Benefactor hominum et magnus amicus?
Herc. Illi vero nihil iuvant me, sed vincit Iuno.
Thes. Non ferret Graecia in illo errore mori[10]).
Herc. Audi nunc, ut verbis contendam
Contra tuam educationem, explicabo tibi,
Non vivendum mihi neque nunc neque antea fuisse.
Ac primum quidem ex eo natus sum, qui occiso
Sene patre matris, cum esset pollutus,
Duxit in uxorem Alcmenam, quae me peperit.
„Cum autem fundamentum generis non iactum est
„Recte, necesse est infelices esse liberos.
Iupiter vero, quicunque ille sit Iupiter, genuit me inimicum
Iunoni, quamquam tu non debes moleste ferre, o senex.
Nam te iudico patrem ego pro Iove.
Cum adhuc lacterem, truculentos serpentes
Clam immisit in cunabula mea

8) *Thes.* Age — amicis. (vs. 1214—1234.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Thes. Age, te sedentem miseras sedes
Compello, amicis vultum ostendere tuum.
Vide, si tenebrarum sic est nigra nubes,
Quinam malorum tuorum casum velit occultare?
Quid mihi protendens manum, significas caedem,
Ne inquinatio me tuae adspergat alloquutionis?
Nihil curae mihi est, una tecum male habere.
Etenim olim felix fui, illuc redeundum,
Quando servasti me in lucem a mortuis.
„Beneficium enim senescens odi amicorum,
„Et bonis quidem qui frui vult,
„Una vero navigare cum amicis infelicibus, non.
Quare assurge, detege miserum caput,
Respice ad nos. „Quicunque fortis mortalium
„Fert Deorum casus, neque respuit.
Herc. O Theseu, vidisti horum certamen meorum filiorum?
Thes. Audivi, et cernenti indicas mala.
Herc. Quid ergo meum caput revelasti soli?
Thes. „Ecquid, num polluis mortalis existens res Deorum?
Herc. Fuge, o aerumnose, impiam inquinationem meam.
Thes. „Nullus malus genius amicis ab amicis.

9) Suspensa — calamitas] sic Ed. 1562.; Fix.: Attingis inde a terra coeli terminos infortunio tuo.

10) *Herc.* Laudo — mori. (vs. 1235—1254.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Herc. Laudo; sed quod benefecerim tibi, non inficior.
Thes. Ego vero cum beneficio affectus sim prius, misereor tui nunc.
Herc. Miserandus adsum, meos qui interfecerim liberos.
Thes. Ploro gratiam tuam in aliis calamitatibus.
Herc. Invenistine alios in malis maioribus?
Thes. Laederis, divinitus missa calamitate.
Herc. Itaque adornamus, ut moriamur.
Thes. Videris minari quippiam Diis.
Herc. „Res dura Deus ipse, contra vero Deos ego.
Thes. „Contine os, ne superba loquens maius patiaris.
Herc. Plenus sum malorum, neque amplius est, ubi collocetur.
Thes. Quid vero nunc ages? quo ferris furiosus?
Herc. „Mortuus, unde veni, eo sub terram.
Thes. Dixisti servilis hominis dictum.
Herc. „Tu quidem extra existens calamitatem, me mones.
Thes. Qui multa iam passus est, Hercules dicit haec?
Herc. Certe tantum, si modo cum mensura laborandum est.
Thes. Benefactor mortalium, et magnus amicus?
Herc. Hi vero nihil iuvent me, sed Iuno vincit.
Thes. „Non ferret Graecia inconsulte mori.

Coniunx Iovis, ut perirem.
Postquam vero carnis amictum adeptus sum
Pubescentem, labores, quos pertuli, quorsum attinet me referre?
Quales aut leones, aut tricorpores
Typhones, aut Gigantes, aut quadrupedes?
An non confeci bellum Centauris repletum?
Et utrinque habentem capita, et repullulantem canem
Hydram interfeci? et infinitorum aliorum laborum
Greges pervasi, et ad inferos perveni,
Canem custodem inferni tricipitem in lucem ut ducerem iussu Eurysthei[11]).
Postremo hanc caedem facere sum ausus,
Occidendo meos liberos, ut fastigiarem domum malis.
Venio autem in hanc necessitatem, neque in meis charis
Thebis habitare fas est; si vero maneo,
Ad quod sacrum aut coetum amicorum
Vadam? neque enim faciles affatu habeo noxas.
Sed Argos? quomodo, si fugio patriam?
Age vero in aliam aliquam civitatem proficiscar?
Et deinde erimus suspecti tanquam cogniti,
Vexati acerbis aculeis linguae:
Num quid hic filius est Iovis, qui interfecit aliquando liberos,
Et uxorem? an non tolletur ex hac terra?
„Ei vero, qui aliquando dicebatur beatus,
„Acerba est mutatio; at cui semper male
„Est, nihil dolet eorum, quae ei cognata sunt, cum sit infelix.
Ad hanc calamitatem venturum me aliquando puto.
Etenim terra mittet vocem interdicens mihi,
Ne attingam terram, et mare, ne traiiciam,
Et fontes fluminum; et eum, qui rotatur,
Ixionem in vinculis imitabor.
Et hoc est optimum, ut nemo Graecorum me videat,
Inter quos bona fortuna utentes eramus beati.
Quid igitur opus est me vivere? quod lucrum habebimus,
Si vitam inutilem et pollutam habeam?
Tripudiet inclyta uxor Iovis,
Pulsans pedem Iovis Olympii[12]) solea.
Fecit enim id, quod voluit,
Virum primum in Graecia ex ipsis fundamentis
Sursum atque deorsum evertens. Talem Deam
Quis adoraret? quae propter mulierem
Invidens thalamo Iovis, benefactores
Graeciae perdidit, qui extra culpam sunt[13]).

---

11) *Herc.* Audi — Eurysthei. (vs. 1255 — 1278.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Herc. Audi iam nunc, ut contendam dictis
Contra admonitiones tuas; explicabo vero tibi,
Nullam vivendi rationem nobis et nunc et antea esse.
Primum quidem ex hoc natus sum, qui cum interfecit
Matris senem patrem, scelestus existens
Genuit, quae peperit Alcmenam me.
„Cum enim fundamentum non iactum fuerit generis
„Recte, necesse est infelices esse posteros.
Iupiter deinde, quicunque ille sit Iupiter, inimicum me genuit
Iunoni. Tu certe nihil doleas, o senex;
Patrem enim pro Iove existimo te ego.
Adhuc in lacte existenti, horrendos serpentes
Clam immisit in cunabula mea
Illa Iovis uxor, ut periremus.
Cum vero carnis amictus nactus sum,
Pubescentes labores, quos protuli, quid oportet narrare?
Qualesnam aut leones, aut tricorpores
Typhones, aut Gigantes, aut quadrupedes?
Centauris repletum bellum an non confeci?
Et bicipitem et repullulantem canem
Hydram occidens? infinitorumque aliorum laborum
Perveni catervas, et ad mortuos descendi,
Plutonis ianitorem canem tricipitem in lucem
Ut deducerem praeceptis Eurysthei.

12) Olympii] sic Editt. 1558., Barn., Musgr.; Ed. 1562. Olympi.

13) Postremo — culpam sunt. (vs. 1279 — 1310.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Postremum vero hanc patravi caedem
Filios occidendo, domum ut accumularem malis.
Venio vero necessitatem ad hanc, neque mihi charis
In Thebis habitare licet; quod si mansero,
Ad quodnam templum, aut coetum amicorum
Ibo? non enim noxas, per quas me alloqui liceat, habeo.
Sed Argos ibo? quomodo? quin fugio patriam?
Age, sed ad aliam quandam ibo civitatem,
Et deinde torve adspiciemur, ut cogniti fuerimus.
Linguae amaris stimulis notati:
An non hic Iovis, qui filios interfecit olim
Et uxorem? non ab hac terra statim abibit?
„Dicto enim viro felici olim,
„Permutationes res tristis; cui vero semper male
„Est, nil dolet, ex consuetudine infelix existens.
Ad hoc venturum me calamitatis puto olim;
Vocem enim edet tellus, interdicens mihi
Non attingere terram: et mare, non transire,
Fontesque fluminum, et ipsum, qui rotatur,
Ixionem in vinculis imitabor.
Et ideo optimum est, nullum Graecorum me adspicere:
In quibus utentes bona fortuna eramus felices.
Quidnam me vivere convenit? quam utilitatem habebimus,
Vitam inutilem et impiam cum habeamus?
Tripudiet vero Iovis illa inclyta uxor,
Pulsans Olympii Iovis solea pedem.
Perfecit enim consilium, quod statuit:
Virum Graeciae primarium cum ipsis fundamentis

Thes. Non est alterius Dei certamen istud,
Quam uxoris Iovis; recte id sentis.
Consolari te potius debeo, quam concedere, ut adversa patiaris.
„Nemo mortalium est illaesus a fortuna,
„Neque Deorum, si quidem non sunt falsa, quae dicunt poetae.
„An non matrimonia inter se, quae non licet per leges,
„Contraxerunt? nonne propter tyrannidem vinculis
„Patres ignominia affecerunt? et tamen habitant
„In coelo, et toleraverunt cum suos casus, frustrati sunt.
„Quid dices, cum tu, cum sis homo,
„Graviter fers fortunam, Dii vero non?
Relinque igitur Thebas propter legem,
Sequere autem nos ad urbem Palladis.
Ibi, purgatis tuis manibus a piaculo,
Dabo tibi domum, et partem facultatum mearum;
Munera vero, quae habeo a civibus, servatis adolescentibus
Bis septem, interfecto tauro Gnossio,
Et tibi dabo; ubique vero mihi in terra
Praedia sunt distributa, ea cognominata
A te deinceps ab hominibus vocabuntur
Vivo[14]); cum vero mortuus ad inferos veneris,
Sacrificiis et lapideis tumulis
Tota Atheniensium civitas te celebrabit.
„Pulchrum enim civibus est ornamentum a Graecis,
„Gloriam consequi virum bonum dum adiuvant.
Et ego tibi gratiam pro mea salute
Hanc referam; nunc enim opus habes amicis.
„Quando autem Dii honorant, non opus est amicis.
„Deus enim satis est ad iuvandum, cum vult[15]).

Herc. Heu me, aliena sunt haec a meis malis.
Ego vero Deos, neque connubia illegitima
Amare puto, neque vincula a manibus suspendere.
Neque dignum iudicavi unquam, neque credam,
Alterum alterius dominum fuisse.
„Nam Deus, qui quidem re vera Deus sit, indiget
„Nullius. Poetarum vero hi miseri sunt sermones.
Et quamquam in calamitate sum, tamen cogitavi,
Ne timiditatis alicuius accuser, si relinquam lucem.
„Quisquis enim non sustinet adversos casus,
„Is ne viri quidem telum poterit sustinere.
Expectabo mortem, ibo in civitatem
Tuam, et gratiam habeo pro infinitis donis.
At gustavi multos labores,
Quorum nihil recusavi, neque ab oculis
Stillavi fontes, neque putavi me unquam
Eo perventurum, ut emitterem ex oculis lachrymas.
Nunc, ut apparet, fortunae serviendum est.
Esto! o senex, vides meum exilium,
Vides me proprium interfectorem meorum liberorum.
Sepelias hos, et ornato cadavera
Lachrymis honorans, (lex enim me non sinit)
Admovens ad pectus matris, et dans in ulnas

Sursum deorsum vertens; huiusmodi Deae
Quis vota faceret? quae propter mulierem
Lecto invidens Iovis, benefactores
Graeciae perdidit, insontes existentes.

14) H. l. in Ed. 1562. nota marg.: Vide Plutarch. in fine Thesei. [Plut. vita Thesei c. 35.]

15) *Thes.* Non est — cum vult. (vs. 1311—1339.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:
Thes. Non est alterius Dei certamen hoc,
Quam Iovis uxoris; bene hoc intelligis.
Consolari possem magis, quam ut patiaris male.
„Nullus enim mortalium fortunis expers est,
„Neque Deorum, poetarum si modo non falsa dicta.
„An non lectos inter se illegitime
„Violarunt? an non vinculis propter tyrannidem
„Patres dehonestarunt? sed habitant tamen
„Olympum, et aequo animo tulerunt, cum peccarent.
„Sane quid dices, si tu quidem mortalis existens,
„Fers graviter fortunas, Dii vero non?
Thebas itaque relinque religionis gratia,
Sequere vero nobiscum ad civitatem Palladis,
Illic manus tuas purgans a piaculo,
Domosque dabo, facultatumque mearum partem.
Quae vero a civibus dona habeo, cum servavi pueros
Bis septem, taurum Cretensem interficiens,
Tibi ea dabo. Passim vero mihi in agro
Praedia sunt separata, ea cognominata
A te posthac a mortalibus vocabuntur,
Dum vivis; mortuo vero te, quando ad Plutonis iveris,
Sacrificiis, lapideisque tumulis
Cultum retribuet tota Atheniensis civitas.
„Pulchrum enim civibus decus a Graecis,
„Virum fortem dum adiuvant, consequi gloriam.
Et ego beneficium tibi pro mea salute
Hoc retribuam; nunc enim indiges amicis.
„Dii enim cum colunt, nihil opus est amicis;
„Satis enim ipse Deus, qui iuvat, cum vult.

Societate misera, quam ego miser
Invitus perdidi; postquam vero terra mortuos occultaveris,
Habita in hanc civitate: misere quidem, sed tamen
Coge animum ad ferendum mecum una mea mala [16]).
O liberi, qui procreavit et genuit vos pater,
Perdidit, neque fruimini mea gloria,
Quam ego comparavi ex laboribus per vim,
Gloriam vobis patris, honestum exitum.
Teque non similiter, o misera, perdidi,
Ut tu fideliter servasti meum thalamum,
Longam custodiam domus exhauriens.
Heu meam uxorem et liberos! heu me!
Quam misere egi, quod avellor
A liberis et uxore. O acerbae osculorum
Delectationes, et tristis societas armorum.
Dubito, utrum habeam ista arma, an dimittam,
Quae ad latus meum allidentia haec dicent:
Nobis perdidisti liberos et uxorem, habes nos,
Quibus liberos tuos interfecisti. Deinde ego ulnis ea
Feram? quid dicens? sed nudatus armis,
Quibus res praeclarissimas gessi in Graecia,
Obiiciens me hostibus, turpiter moriar?
Non relinquenda haec sunt, sed misere servanda,
In uno aliquo me adiuves, Theseu, miseri canis
Ad deductionem in Argos me comitare,
Ne, solus si essem, aliquid ob dolorem pro filiis patiar [17]).
O terra Cadmi et universus populus Thebanus,
Tondemini, simul lugete, ite ad sepulturam
Liberorum, omnes uno sermone lugete
Mortuos et me: omnes periimus,
Percussi una misera calamitate Iunonia [18]).
Thes. Surge, o miser, satis est lachrymarum.
Herc. Non possum; nam artus mei obriguerunt.
Thes. Quia robustos etiam deiiciunt calamitates.
Herc. Heu.
Utinam fiam hic saxum immemor malorum.
Thes. Cessa, da manum amico ministro.
Herc. Verum ne sanguinem abstergam vestibus tuis.
Thes. Absterge, ne parcas, non recuso.
Herc. Orbatus liberis, ut habeam te loco filii mei.
Thes. Da collo tuam manum; ego te ducam.
Herc. Par hoc amicorum; sed alter infelix.
O senex, talem virum amicum habere oportet.

---

16) *Herc.* Heu me — mea mala. (vs. 1340—1366.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Herc. Eheu, non quadrant ista meis malis.
„Ego enim Deos non lectos illicitos
„Amare puto, vinculaque annectere manibus,
„Neque dignum putavi unquam, neque credam,
„Neque alterum alterius dominum esse.
„Opus enim habet Deus, si modo est re vera Deus,
„Nullius. Poetarum hi sunt miseri sermones.
„Statui autem, quamvis in adversis constitutus,
„Ne timiditatis accuser alicuius, ubi mihi conscivero mortem.
„Calamitatibus enim quicunque non obsistit,
„Neque viri potest sustinere telum.
Perferam mortem. Sed abeo ad civitatem
Tuam, gratiamque infinitorum donorum habeo.
Sed enim labores infinitos gestavi,
Quorum nihil omnino detrectavi, neque ab oculis
Stillavi fontes; neque credidissem unquam
Eo venturum, lachrymas ab oculis ut eiicerem.
„Nunc autem, ut apparet, fortunae serviendum est.
Age, o senex, meum exilium cernis.
Vides vero filiorum esse me proprium interfectorem meorum.
Da hosce tumulo, et ornato cadavera,
Lachrymis honorans (me enim non sinit lex)
Ad pectora applicans matri, dansque in ulnas
Communem sobolem miseram, quam ego infelix
Perdidi invitus; terra vero ubi occultaveris mortuos,
Habitato civitatem hanc, misere quidem; sed tamen
Animum obfirmat [*pro*: obfirma] mea pati mala.

17) patiar] sic Ed. 1558.; Ed. 1562. corrupte: paiar.

18) O liberi — Iunonia. (vs. 1367—1393.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

O filii, qui procreavit et genuit vos pater,
Perdidit, neque fruimini meis bonis,
Quae ego praeparabam ex laboribus per vim,
Bonam gloriam patris, vobis stragem honestam;
Teque non pari ratione, o misera, perdidi:
Quemadmodum tu meum coniugium servasti bona fide,
Longas exhauriens domi difficultates rei domesticae.
Hei mihi ob uxorem, et liberos; eheu vero propter me,
Quam misere factum? et disiungor
A liberis, uxoreque; o amarae osculorum
Iucunditates, tristesque horum armorum societates.
Nescio enim, utrum habeam haec, an dimittam,
Quae lateribus meis alludentia, dicent haec:
Nobiscum liberos interfecisti, et uxorem; nos habes
Parricidas tuo, stamen [*pro*: tuos, tamen] ego ista brachiis
Feram? quid ducturus? sed nudatus armis,
Cum quibus pulcherrima feci per Graeciam,
Inimicis me ipsum exponens, turpiter moriar?
Non relinquenda haec, misere autem servanda.
Unum me quiddam, Theseu, adiuves, infelicis canis
Deductionem Argos una statue profectus,
Ex dolore quid liberorum ne patiar, cum solus fuero.
O terra Cadmi, omnisque Thebanus populus,
Tondemini, collugete, ite ad sepulturam
Filiorum; omnes vero uno ore lamentamini
Cadaveraque, et me, omnes periimus,
Iunonis una percussi misera fortuna.

Am. Nempe patria, quae procreavit hunc, bonos procreat.
Herc. Theseu, vertas me iterum, ut videam liberos.
Thes. Quasi facilior futurus sis, habens hoc solatium.
Herc. Cupio; volo applicari ad pectus patris.
Am. Ecce haec, o fili; curas meum amorem.
Itane malorum tuorum non amplius memor es?[19])
Herc. Omnia illa minora his mala perpessus sum.
Am.[20]) Videbit aliquis te effeminatum esse, et non laudabit.
Herc. Vivo tibi abiectus; sed spero me promoturum esse.
Am.[20]) Ubinam est valde inclytus ille Hercules?
Herc. Qualis tu esses, si in tantis malis esses?
Am.[20]) Quod ad audaciam, vir essem quocunque inferior.
Herc. Quomodo igitur adhuc dicis me malis fractum esse?
Am.[20]) Procede. *Herc.* Vale, o senex.
Am. Et tu, fili mi[21]).
Herc. Sepelito, ut dixi, liberos.
Am. Sed quis me, fili?
Herc. Ego. *Am.* Quando veniens?
Herc. Ubi sepelieris liberos.
Am. Quomodo? *Herc.* Athenas accersam a Thebis.
Verum manda terrae liberos male tractatos.
Nos vero, qui perdidimus domum dedecore,
Sequemur perditae appendices Theseum.
„Quicunque divitias aut potentiam magis quam amicos
„Bonos habere cupit, male sentit.
Chor. Imus miserabiles et lugentes,
Amissis maximis amicis[22]).

---

19) Itane — memor es?] hic vs. in Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.) *Amphitryonis* est; in Editt. recent. autem *Thesei*.

20) *Am.*] sic Editt. 1558., 1562. (= Ed. Basil. 1551.); in Editt. recent. hi vss. 1412. 1414. 1416. et prior pars vs. 1418. „Procede." *Thesei* sunt.

21) *Thes.* Surge — fili mi. (vs. 1394 — 1418.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Thes. Surge, o infelix, lachrymarum sat est.
Herc. Nequeo; artus enim rigueruut mei.
Thes. „Etiam fortes debilitant fortunae.
Herc. Eheu.
Hoc loco utinam fiam petra immemor malorum.
Thes. Desine, da vero manum ministro amico.
Herc. Verum sanguinem ne tuis abstergam vestibus.
Thes. Abstergo, parce nihil, nou refugio.
Herc. Filiis privatus, filii instar habeo te mei.
Thes. Da cervici tuam manum, ducam vero ego.
Herc. Par amicorum, sed alter infelix.
„O senex, huiusmodi amicum convenit parasse.
Am. „Quae enim genuit hunc patria, felix est in sobole.
Herc. O Theseu, retro me converte, ut videam filios.
Thes. Quod si quid iucundum hoc habet, facile erit.
Herc. Desidero; patris quidem pectora applicari mihi volo.
Am. Ecce ista, o fili; mihi enim studes grata.
Sic malorum tuorum non amplius memoriam habes?
Herc. Omnia minora illa istis patior mala.
Am. Adspiciet aliquis mollem existentem, neque laudaberis.
Herc. Vivo tibi humilis, sed amplecti volo.
Am. Valde inclytus Hercules ubi ille est?
Herc. Tu qualisnam esses infra in malis existens?
Am. Certe contra propositum quavis re vincitur homo.
Herc. Qui igitur dicis, quod vincor malis?
Am. Procede. *Herc.* Vale, o senex.
Am. Et tu mihi, fili.

22) *Herc.* Sepelito — amicis. (vs. 1419 — 1428.)] sic Ed. 1562.; Ed. 1558.:

Herc. Sepelito, uti dixi, filios.
Am. Sed me quis sepeliet, fili?
Herc. Ego. *Am.* Quando veniens?
Herc. Ubi sepelieris tu filios.
Am. Quomodo? *Here.* Athenas accersar a Thebis.
Sed manda filios non asportabiles terrae.
Nos vero, qui perdidimus vitiis domum,
Thesea perditi sequemur, veluti scapha.
Quicunque divitias, aut potentiam potius quam amicos
Bonos possidere cupit, male sentit.
Chor. Ibimus miserabiles et luctuosi,
Optimos amicos qui amisimus.

LXXIII. PHIL. MEL. ARGUMENTUM ET SCHOLIA IN ARISTOPHANIS NUBES.

A *tragoediis* ad *comoedias* progredientes primum Melanthonis argumentum et scholia in Aristophanis Nubes afferimus, quae cum huius comoediae textu graeco bis prodierunt in hisce editionibus:

Aristophanis Poetae Comici Nubes. Vuittembergae (Hic index figuris xylograph. cinctus est). — (In fine sub Lottheri insigni, scil. cruce a serpente circumplicata:) *Wittembergae, apud Melchiorem Lottherum iuniorem, Anno M. D. XXI.* 4. 9 plagg. litt. A—I sign., 36 foll. non num. (fol. A 1 ᵇ — 2 ᵃ Melanthonis epistola nuncupatoria ad Nicol. Amsdorffum a. 1520. scripta, subiuncto argumento Nubium Aristoph.; fol. A 2 ᵇ — I 3 ᵇ Ἀριστοφάνου Νεφέλαι graece cum 51 scholiis marginalibus Melanthonis; fol. I 4 ᵃ Clausula typogr.; ult. pag. vac. *)).

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΕΥΤΡΑΠΕΛΩΤΑΤΟΥ ΚΩΜΙΚΟΥ Νεφέλαι καὶ Πλοῦτος. Aristophanis Comici facetissimi, Nubes ac Plutus, comoediae, ut elegantissimae, ita sane doctissimae, Phil. Mel. Scholijs breuissimis adnotatae, Graecique sermonis Studiosis utilissimae. Haganoae, per Iohannem Secerium. Anno M. D. XXVIII. Mense Iunio. — (In fine:) *Haganoae, ex officina Iohannis Secerij. Anno M. D. XXVIII.* (infra haec Insigne typogr.: Iani caput bifrons). 4. 14 plagg. litt. A—O sign., 56 foll. non num. (fol. A 1 ᵇ — 2 ᵃ Melanthonis epist. nuncup. ad Nicol. Amsdorf. cum argumento Nubium deinceps addito; fol. A 2 ᵇ — H 4 ᵃ Ἀριστοφάνους Νεφέλαι graece cum 51 scholiis marginalibus Mel.; fol. H 4 ᵇ — O 3 ᵃ Ἀριστοφάνους Πλοῦτος graece (sine scholl. marg., et vers.); fol. O 3 ᵇ Clausula typogr. cum insigni; ult. fol. album.) **).

Epistolam nuncupatoriam in his Editt. contextui graeco a Melanthone praemissam h. l. omittimus, quia inter eius epistolas anni 1520. recusa est in huius Corp. Reform. Vol. I. p. 273 — 275., a cuius verbis ambae Editt. in his locis discrepant: p. 273. in inscriptione epistolae, Corp.: Amsdorffio; Editt. 1521., 1528. Ams— — ibid. lin. 1. ipsius epistolae, Corp.: Quoties veterum studia animo reputo; Editt. 1521., 1528. Quoties veterum studia repeto — p. 275. Corp. et Ed. 1521. Vuittembergae. Anno M. D. XX.; Ed. 1528. Vuitt— (anno omisso). ***).

---

*) Hanc Ed., quae in Bibl. acad. Halensi, magniducali Wimar. et senat. Norimb. est, descripsit Strobelius in Neue Beytr. zur Litt. bes. des XVI. Jahrh. Tom. II. p. 220 — 223.; breviter eam afferunt Fabricius in Bibl. Gr. Ed. IV. cur. Harles. Vol. II. p. 390., Schweiger: Handb. d. class. Bibliogr. P. I. p. 47. et Hoffmannus in Lex. Tom. I. p. 275., qui autem eo errat, quod hanc editionem praeter contextum graecum notasque etiam versionem continere iudicat. Haec enim eius titulo adscripsit: „Hanc, contextum graecum versionemque latinam continentem iectis notis continentem, editionem Nic. Amsdorfio dedicavit Ph. Melanchthon."

**) Haec Ed., quam ex Biblioth. acad. Gotting. in manibus habeo, affertur a Strobelio l. l. p. 223 sq., Fabricio l. l., Schweigero l. l. p. 48. et Hoffmanno l. l. p. 273. — Altera huius Editionis comoedia, Plutus, ex ea recusa est sic inscripta: Aristophanis Plutus ex editione Melanchthonis. Parisiis 1585. 4., vide Fabricium l. l. p. 3-9. et Hoffmannum l. l. p. 277.

***) Hanc epistolam nuncup. Melanthonis etiam Strobelius in harum Editt. descriptione l. l. p. 220 — 223. recudi curavit.

IN ARISTOPHANIS NUBES ARGUMENTUM ET SCHOLIA
PHILIPPI MELANTHONIS.

1. Argumentum.

Adulescens quidam rem paternam in equestria certamina prodegerat. Pater obaeratus, quo, si quando in ius vocaretur, eluderet creditores, ludum Socratis petit discendarum argutiarum gratia, quibus malam causam tueretur, et ex peiore causa, ut ille ait; meliorem faceret. Ibi cum sene Socrates multa de nubibus, de Diis, deque aliis argumentis philosophicis nugatur. Postremo, cum is aliquamdiu tum aetatis, tum ingenii vitio frustra in scholis versatus esset, filium tradit docendum Socrati. Didicit adulescens Socratica ita, ut posthac et patrem exagitaret. Quare irritatus pater, Socratis ludum diripit et incendit.

2. Scholia.

Vers. 2.[1]) Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ etc.] Parasceue fabulae: Senem Strepsiaden somno defraudat aeris alieni cura.

vs. 19. κἄκφερε[2]) τὸ γραμματεῖον etc.] Recognoscit senex aeris alieni tabulas.

vs. 42[41]. εἴθ' ὤφελ' ἡ προμνήστρι' etc.] Deplorat sortem suam, quod urbanam, ipse ruri alitus, et sumptuosam uxorem duxerit, e qua filium susceperit omnia prodigentem in urbica spectacula.

vs. 75[76]. νῦν οὖν ὅλην — ὁδοῦ etc.] Invenit senex rationem, qua ad frugem revocet filium, et rei consulat periclitanti, nempe si philosophetur[3]).

vs. 88[89]. ἔκστρεψον ὡς τάχιστα etc.] Excitatur adulescens.

vs. 94[95]. ψυχῶν σοφῶν — φροντιστήριον] Philosophorum schola[4]).

vs. 112[113]. εἶναι παρ' αὐτοῖς φασιν· etc.] Philosophorum professio.

vss. 127[128] sq. διδάξομαι — φροντιστήριον.] Senex ipse scholas petit[5]).

vs. 145[146]. ψύλλαν, ὁπόσους ἅλλοιτο etc.] Pulicis passum metitur Socrates.

vss. 157[158] sq. τὰς ἐμπίδας κατὰ τὸ στόμ' ᾄδειν etc.] De culicis crepitu.

vs. 171[172]. ζητοῦντος[6]) αὐτοῦ τῆς σελήνης τὰς ὁδοὺς] Lunae viam contemplatur.

vss. 188[189] sq. βολβοὺς ἄρα ζητοῦσι.] Bulbos quaerunt[7]). Adagium.

vss. 201[202] sqq. ἀστρονομία μὲν αὑτηΐ. etc.] Artes recensentur.

vs. 238[239]. ἵνα με διδάξῃς etc.] Recipitur senex in ludum docendus.

vs. 265[266]. σεμναί τε θεαὶ, Νεφέλαι etc.] Socratis precatio ad Nubes.

vss. 298 sqq. Παρθένοι ὀμβροφόροι, ἔλθωμεν etc.] Nubes aiunt se descensuras Athenas ad sacrificia.

vss. 314[313] sq. πρὸς τοῦ Διὸς, ἀντιβολῶ σε etc.] Admiratur Strepsiades descendentes Nubes, rogitans Socratem, quaenam hae tales sint deae[8]).

vss. 341[340] sqq. εἴπερ Νεφέλαι γ' εἰσὶν ἀληθῶς etc.] Nubes varias formas induunt[9]).

vss. 346[345] sqq. ἤδη ποτ' ἀναβλέψας εἶδες νεφέλην etc.] Nubes praedonem signantes lupi figuram induunt; cervi, cum fugacem signant; mulieris, cum mollem notant[10]).

vs. 367[366]. οὐδ' ἔστι Ζεύς.] Nihil esse Iovem.

vss. 368[367] sqq. ἀλλὰ τίς ὕει;[11]) etc.] Unde pluviae, tonitrua, venti etc.[12]).

---

1) Versuum numeros, quibus Editiones 1521., 1528. carent, ex Ed. Brunck. (Argentor. 1781—83. 8.) adscripsi, iisque Editionis Bekker. (Londin. 1828 sqq. 8.) numeros, ubi diversi sunt, uncinis inclusos adieci. — Versuum autem numeros, quos in his annotationibus textui subiunctis afferam, ex sola Ed. Brunck. adscribam.

2) κἄκφερε] sic Ed. Bekk.; Editt. 1521., 1528., Brunck. κᾆκφερε.

3) Hoc scholion in Editt. 1521., 1528. versibus 79 sqq. in margine est appositum.

4) In Editt. 1521., 1528. hoc scholion versui 96. adscriptum est.

5) In iisd. Editt. haec annotatio in marg. iuxta v. 124. legitur.

6) ζητοῦντος] sic Editt. 1528. et recentt.; Ed. 1521. ζητοῦντες.

7) quaerunt] Ed. 1521. querunt.

8) Hoc scholion in Editt. 1521., 1528. versibus 316 sq. in marg. est appositum.

9) Haec annotatio in iisd. Editt. versibus 343 sq. in marg. adscripta est.

10) Hoc scholion ibid. iuxta vss. 350 sqq. in marg. legitur.

11) ὕει;] sic Editt. recentt.; Editt. 1521., 1528. δει;

12) Hoc scholion in Editt. 1521., 1528. versibus 373 sq. in marg. est adiectum.

vs. 394 [393]. *βροντῇ*] Tonitruum.

vs. 395 [394]. *ὁ κεραυνὸς — λάμπων πυρί*] Fulmen.

vss. 414 [413] sqq. *εἰ μνήμων εἶ καὶ φροντιστὴς* etc.] Qualem oporteat esse, qui initiatur philosophiae.

vss. 437 [436] sq. *ἡ γὰρ ἀνάγκη με πιέζει, διὰ τοὺς ἵππους* etc.] Qua necessitate adactus senex venerit in ludum.

vs. 459 [458]. *ταῦτα μαθὼν παρ' ἐμοῦ*] Socrates[13]) se docturum pollicetur.

vss. 483 [475] sq. *δύο τρόπω, νὴ τὸν Δία.* etc.] Senis memoria.

vss. 486 [478] sqq. *ἔνεστι δῆτά σοι λέγειν* etc.] Laudat ingenii acrimoniam Socrates.

vs. 492 [484] sq. *ἄνθρωπος ἀμαθὴς οὑτοσὶ* etc.] Indignatur Socrates adversus ruditatem senis.

vss. 518 [510] sqq. *Ὦ θεώμενοι, κατερῶ* etc.] Poetae ad spectatores pro se concio.

vss. 575 [566] sqq. *Ὦ σοφώταται θεαταί,* etc.] Indignantur Nubes sibi non sacrificari.

vss. 639 [629] sqq. *περὶ τῶν μέτρων* etc.] Docetur senex.

vs. 648 [638]. *τί δέ μ' ὠφελήσουσ' οἱ ῥυθμοὶ* etc.] Indignatur senex praeponi sibi discenda, quae ad rem suam non faciant[14]).

vss. 670 [660] sqq. *ἰδοὺ μάλ' αὖθις τοῦθ' ἕτερον·* etc.] Disceptatio de nominum generibus.

vss. 749 [739] sqq. *γυναῖκα φαρμακίδ' εἰ πριάμενος* etc.] locus. Strepsiadis commentum, quo possint eludi creditores, si conducta venefica lunam coelo deducat, ne scilicet iuxta lunae cursum persolvendi foenoris tempus veniat.

vss. 794 [784] sqq. *ἡμεῖς μέν, ὦ πρεσβῦτα,* etc.] Suadent Nubes, ut tradat senex filium Socrati erudiendum[15]).

vss. 816 [806] sqq. *ὦ δαιμόνιε, τί χρῆμα πάσχεις* etc.] Deprehendit philosophantem patrem filius.

13) Socrates] Illa enim verba graeca in Editt. 1521., 1528. *Socratis* sunt, in Editt. recent. autem *Chori*.

14) Hoc scholion in Ed. 1521. versui 632. in marg. est adscriptum.

15) Hoc scholion in Editt. 1521., 1528. versibus 791 sqq. in marg. adiectum est.

vs. 829 [819]. *αἰβοῖ, τί ληρεῖς;*] Obiurgat patrem filius, quod philosophetur.

vs. 877 [867]. *ἀμέλει, δίδασκε·*] Tradit filium senex docendum.

vss. 889 [879] sqq. *χώρει δευρὶ* etc.] Contentio iustae[16]) et iniustae actionis[17]).

vss. 961 [948] sqq. *λέξω τοίνυν τὴν ἀρχαίαν παιδείαν* etc.] Iusta causa commemorat priscos mores[18]).

vss. 1055 [1038] sqq. *εἶτ' ἐν ἀγορᾷ τὴν διατριβὴν* etc.] Pulchris argumentis probatur dandam Sophistis operam.

vs. 1167 [1150]. *ὅδ' ἐκεῖνος ἀνήρ·*] Reducitur ad patrem Phidippides a Socrate[19]).

vss. 1179 [1161] sqq. *ἔνη γάρ ἐστι καὶ νέα* etc.] Argutiae Phidippidae de die foenoris persolvendi.

vss. 1232 [1213] sqq. *καὶ ταῦτ' ἐθελήσεις ἀπομόσαι* etc.] Periurium Strepsiadae.

vss. 1274 [1256] sqq. *ληρῶ, τὰ χρήματ' ἀπολαβεῖν* etc.] Contentio Strepsiadae et foeneratoris.

vss. 1321 [1303] sqq. *Ἰού, ἰού· ὦ γείτονες* etc.] Patrem Phidippides verberat[20]).

vss. 1353 [1335] sqq. *καὶ μὴν ὅθεν γε πρῶτον* etc.] Contentio Strepsiadae et Phidippidae filii in convivio[21]).

vss. 1409 [1391] sqq. *καὶ πρῶτ' ἐρήσομαί σε τουτί·* etc.] Phidippidae et Strepsiadae patris contentio[22]).

vss. 1484 [1467] sqq. *ἀλλ' ὡς τάχιστ' ἐμπιμπράναι* etc.] Consilium senis de oppugnanda et cremanda Socratis schola[23]).

vs. 1497 [1480]. *οἴμοι, τίς ἡμῶν πυρπολεῖ τὴν οἰκίαν;*] Incenditur schola Socratis.

16) iustae] Ed. 1521. iuste.

17) Haec annotatio in Editt. 1521., 1528. ad vs. 882. in marg. invenitur.

18) Haec verba in iisd. Editt. versui 963. adscripta sunt.

19) Hoc scholion in iisd. Editt. versui 1145. in marg. est appositum.

20) Haec verba in iisd. Editt. versui 1329. sunt adscripta.

21) Haec ibid. in marg. ad vs. 1361 sq. leguntur.

22) Haec ibid. versibus 1430 sq. adscripta sunt.

23) Haec annotatio in iisd. Editt. versibus 1470 sqq. in marg. est apposita.

LXXIV. PHIL. MEL. INTERPRETATIO DUORUM LOCORUM MENANDRI.

Ab Aristophane ad Menandrum comicum transeuntes duorum eius brevium locorum interpretationem latinam Melanthonis h. l. afferimus:

1. Menandri *Θεοφορουμένης* fragm. v. 16. 17. Ed. Meineke, aliis duobus versibus graecis additis *).

Huius loci interpretatio cum textu graeco invenitur

a. in Grathusii collectione Epigrammatum Melanthonis fol. L 2[b];

b. in Vincentii Editione eorum fol. K 5[b], ubi aeque ac apud Grathusium inscripta est: „Ex Menandro.";

c. in epistola Mel. ad Vitum Theodorum 15. Sept. 1538. scripta, in huius Corp. Reform. Vol. III. p. 587.; conf. eiusd. Vol. X. p. 553. nr. 147.

2. Menandri *γνωμῶν μονοστίχων* nr. 168. Ed. Meineke **).

Huius versus interpretationem, verbis Graecis praefixis, reperi tantummodo in illa Grathusii collectione Epigramm. Mel. fol. M 8[a].

DUO LOCI EX MENANDRO
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

1. Fragmentum *Θεοφορουμένης*.

Haec vita gaudet improbis potissimum;
Sed assentator omnium primas tenet,
Vivitque longe iucundissime omnium.
Denique sycophantae proximus est honos 1);
Audire enim calumnias dulce admodum 2).
At tertius conceditur locus invido,
Artes nocendi qui scit astutissime.

2. Sententia singularis.

In quaque servus unus est herus domo.

---

*) Menandri et Philemonis reliquiae. Edidit Aug. Meineke. Berolini 1823. 8. p. 79., ubi in fragmento fabulae *Θεοφορουμένη* inscriptae, quod servavit Stobaeus CIV. p. 565. Gesn., CVI. p. 442. Grot., v. 16. 17. haec leguntur:

πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερα
ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτα λέγει.

A Grathusio et Vincentio interpretationi haec graeca sunt praefixa:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται·
πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων,
δεύτερος ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτατος.

In Melanthonis epistola ad Vitum Theodorum d. 15. Sept. 1538. scripta (Corp. Ref. III. p. 587.), his tribus versibus, in quorum tertio pro *ὁ κακοήθης τρίτατος.* h. l. leguntur: *ὁ δὲ κακοήθης τρίτατος*, additus est hicce quartus:

ὃς μηχανᾶν κάκ' ἐστι τεχνικώτατος.

quem itidem Mel. h. l. interpretatus est. Horum quatuor versuum primus et quartus neque in hoc Menandri fragmento, neque in ullo alio a Meinekio exhibentur.

**) Meineke l. l. p. 319. inter Menandri sententias singulares nr. 168. hanc refert: *Εἷς ἐστι δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης*, a qua versus graecus a Grathusio interpretationi Mel. praefixus eo tantum differt, quod in eo male *εἰς* pro *εἷς* legitur.

1) honos] sic Grath., Vincent.; Corp. Ref. III. l. l.: locus.

2) dulce admodum.] sic Grath., Vincent.; Corp. Ref. III. l. l.: dulce admodum est.

LXXV. PHIL. MEL. INTERPRETATIO IDYLLII XIX. THEOCRITI.

A *comoediarum* scriptoribus denique ad *bucolicum* Theocritum progredientes afferimus Melanthonis interpretationem eius idyllii XIX. *Κηριοκλέπτης* (favorum fur) inscripti, quae cum integro huius carminis textu graeco invenitur

a. in Melanthonis Opp. Basil. Tom. V. p. 336 sq.,
b. in Secerii farragine Epigramm. Mel.,
c. in Grathusii collectione eorum fol. L 4^b—5^a,
d. in Vincentii Ed. eorum fol. K 7^b—8^a,
e. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 486. nr. 21.

THEOCRITI *Κηριοκλέπτης*
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

E parvo alveolo furantem mella procacem,
Fixit apis puerum Veneris, digitosque tenellos
Vulnere non uno laceravit, saucia laeso
Intumuitque [1]) manus; verum puer ipse doloris
Impatiens, plodensque solum pernicibus alis
Subvolat ad matrem, digitos monstratque cruentos.
Quantula, ait, volucris mortalia vulnera fecit?
Mater ait ridens: Tantillus, qualia saepe
Vulnera das puer, ac apibus non corpore praestas.

1) Intumuitque] Opp. Basil. l. l. mendo typogr.: Intumitque.

ADDENDA

ad pag. 124 — 126.

Melanthonis interpretatio latina loci Iliados II, 212 — 220. cum scholio adiuncto non solum in eiusdem Institutionibus Graecae Grammaticae, quae Haganoae 1518. prodierunt, exstat, sed etiam in eius Operum Basileens. (1541.) Tomo V., qui p. 119 — 171. eandem Grammaticam continet, p. 168 — 169. invenitur. Huius Editionis verba ab iis, quae supra p. 124 — 126. in textu exhibuimus, in hisce locis discrepant: pag. 124. lin. 2. interpretationis: inornataque multaque] Opp. Basil.: inornatosque multosque — ibid. lin. 4. scholii: ab iis,] Opp. Basil.: ab his — ibid. lin. 5. eiusd. scholii: propter verba] Opp. Basil. rectius: praeter verba — pag. 125. lin. 2. ἀγωγῆς.] Opp. Basil. recte: ἀγωγῆς? — ibid. lin. 9. ob plerasque causas alias,] Opp. Basil.: ob plerasque causas, — ibid. lin. 24 — 26. Qui enim ignorat . . . publicis.] Opp. Basil. rectius: Quis enim ignorat . . . publicis? — pag. 126. lin. 15. ἀγεωμέτρητος] Opp. Basil. aeque ac Ed. 1518. ἀγεώμετρος. — Huic scholio in Opp. Basil. idem Examen adiunctum est, quod in Ed. 1518. illud sequitur, vide p. 126. notam 11.

ad pag. 155 — 156.

Melanthonis interpretatio et enarratio loci ex hymno Homerico in Hermen etiam in eius Operum Basil. Tomo V. p. 170 — 171. Grammaticae Graecae huius auctoris additae sunt, ex qua Ed. cognovimus, Editionis 1518. formam corruptam *Tbi*, cuius loco pag. 155. lin. 13. interpretationis scripsimus *Ibi*, non ex hac ortam esse, sed ex *Ubi*, sic enim in Opp. Basil. h. l. legitur. — pag. 156. lin. 3. scholii ex Ed. 1518. exhibuimus: de Artibus *libris* [mend. typogr. pro: *liberis*]; Opp. Basil. recte exhibent: de Artibus *liberalibus* (conf. p. 156. nota 3.).

ad pag. 801 — 802.

Eadem ratione, qua Melanthonis interpretationi Hecubae et Cyclopis Euripidis, eiusdem auctoris prologi in has tragoedias in fine additi sunt, etiam in Rhesum Euripidis prologus Melanthonis in Prolegomenis p. 291 — 292. memoratus huius tragoediae interpretationi fuisset subiungendus. Hunc, qui in Vincentii Ed. Epigrammatum Mel. fol. S 1 [b] et in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 670. nr. 389. legitur, illic pag. 801 — 802. omissum h. l. exhibemus:

Prologus in Rhesum Euripidis.

Absolvam regis Mysorum tristia fata,
    Qui fertur Musa de genitrice satus.
O utinam Musis caros hoc tempore haberet,
    Et Rhesi similes Mysia terra duces.
Pannonias Rhesus pacavit vindice dextra,
    Et socio praesens tunc tulit Hector opem.
Nunc utinam mittant Rhesum, nunc Hectora Divi,
    Qui saevos Turcas inde fugare queant.
Cum sol a summo paulum deflexerit axe,
    Primaque cum coelo labitur hora, legam.

RELIQUAE PHILIPPI MELANTHONIS INTERPRETATIONES ET ENARRATIONES AUCTORUM CLASSICORUM, CETERAQUE EIUS OPERA PHILOLOGICA

IN VOLUMINE DECIMO NONO SEQUENTUR.

HALIS
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.